Digitized by Google

Digitized by Google

BERNARDI
SANNIG
UNIVERSUM
JUS
CANONICUM.

Digitized by Google

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

SCHOLA CANONICA

SEU

UNIVERSUM JUS CANONICUM

NOVA METHODO DIGESTUM

A

F. BERNARDO SANNIG
ORD. MINORUM S. FRANCISCI REFORM.
SS. Theologiæ Lectore Jubilato, & olim SS. Canonum Profeſſore in Conventu S. MARIÆ ad Nives; Scriptore Religionis, totius Ordinis Patre, Ex-Commiſſario Generali Ciſmontano, & iteratò Miniſtro Provinciali Provinciæ Bohemiæ.

TOMUS I.

Continens

Prologum in Jus Canonicum.
Librum primum Decretalium.
Librum ſecundum Decretalium.

NEO-PRAGÆ, Typis JOANNIS NICOLAI HAMPELII. 1686. 24

SOC. IESV * BIBL. SEC. COLL. ROM. IHS
BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI
AC DOMINO NOSTRO
INNOCENTIO XI.
SANCTÆ, ET UNIVERSALIS ECCLESIÆ CATHOLICÆ SUMMO, ET MAXIMO PONTIFICI.

BEATISSIME PATER.

Exiſtere Intelligentias, ſeu Angelos, tenet recepta Platonicorum, Ariſtotelicorum, & com̃unis Chriſtianorum Philoſophia; eloquuntur paſſim SS. PP. Bernardus[a], Auguſtinus[b], Damaſcenus[c], & TT. torrens; dogmatizat pariter Fides Catholica[d]; atteſtatur S. Codex illis verbis: *ſub quo curvantur, qui portant Orbem*[e]; & demum ſuadet motus regulatiſſimus Sphæræ hujus Mundialis, qui ſanè ab ordinatiſſimis illis agentibus, Intelligentijs videlicet, ſeu Angelis motoribus proveniat eſt neceſsè. Intrà horum autem Angelorum Hierarchias, & Ordines jure merito SANCTITAS VESTRA ob præclarum cum Angelis Symbolum venit reponenda; utpote quam pene omnes Angelicæ proprietates Angelum in carne figurant; & Symbolicæ ſublimes qualitates Primam Intelligentiam, Univerſi Orbis Chriſtiani motricem, exprimunt, deſignantque. Angelũ rectè dico SANCTITATEM VESTRAM,

(a) Lib. 5. de conſid. cap. 3.
(b) enar. in Pſal. 103.
(c) in Elem. c. 12.
(d) Conc. Later. c. firmiter; de ſum. Trinit.
(e) Job. 9. cap.

(f) Apocal. 7.
(g) Apocal. 14.
(h) 1. Paralip. 21.
(i) 4. Reg. 19.

& quidem *aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum DEI vivi*[f]; eò quòd ſummum Chriſti in terris gerat Vicariatum, ac Sacratiſſimum Summi Diviniq; Pontificis characterem. Angelum meritò dico, *volantem per medium cœli, habentem Evangelium æternum, ut evangelizet ſedentibus ſuper terram, & ſuper omnem gentem, & tribum, & lingvam, & populum dicens magnâ voce: timete Dominum, & date illi honorem*[g]; quia SANCTITAS VESTRA in ſuprema totius Eccleſiæ Cathedra conſtituta, Apoſtolicô Zelô, & ſummâ paſtorali ſollicitudine Chriſtianã ubique terrarum reſtaurat diſciplinam, timorem Domini, SS. Eccleſijs venerationem, ac ſanctam obſervantiam mandatorum ejus zelantiſſimè amplificando. Angelum dico, *ſtantem inter Cœlum, & terram, & evaginatum gladium in manu ejus, & verſum contra Jeruſalem*[h]; Ubique enim locorum SANCTITAS VESTRA Apoſtolicæ ſuæ authoritatis gladiô in peccatores terreſtris hujus Jeruſalem animadvertit, diſſolvendo irrepentes vitiorum corruptelas, jugulando perniciciosos Chriſtianorum abuſus, & perimendo ad ſalutem quoſvis Legum Divinarum tranſgreſſores. Angelum dico, qui *percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octuaginta quinque millia*[i]; nam ſub beatiſſimo SANCTITATIS VESTRÆ Pontificatu multa centena millia hæreticorum in varijs Orbis Chriſtiani partibus proſternuntur, atque ad S. R. Eccleſiæ gremium

nium

mium revertuntur; ut proinde SANCTITAS VESTRA in indefeſſa hac hæreticorum impugnatione Jure dici poſſit, *Angelus Domini perſequens eos* (k); Et *Angelus Domini coarctans eos* (l); Et quòd *contrivit illos Angelus Domini* (m). Angelum dico, ſanantem aquas Probaticæ, qui *deſcendebat ſecundùm tempus in piſcinam, & movebatur aqua* (n); quia SANCTITAS VESTRA in ampliſſima hac Europæ Probatica turbidas aquas, id eſt diſſidentes Regum Chriſtianorum animos, Angelicæ ſuæ prudentiæ motu ità novit movere, pacare, ſanare, & depurare, ut rurſus ſanctæ pacis fœdera amplectantur, & publicam foveant Chriſtiani Orbis tranquillitatem. Angelum dico, *fortem, prædicantem voce magnâ* (o); nam SANCTITATIS VESTRÆ efficaciſſimis monitis, & impulſu, Auguſtiſſimus Imperator LEOPOLDUS I., Sereniſſimus Joannes Rex Poloniæ, Sereniſſimus Maximilianus Bavariæ Elector, Sereniſſima quoque Reſpublica Veneta, alijque Principes in ſacrum bellum contrà immanem Turcarum Tyrannum, veluti communem Chriſtiani Nominis hoſtem, conſpirârunt. Sanè BEATISSIME PATER Sapientiſſimis Veſtris Conſilijs, & ſubſidijs magnâ ex parte debentur tot glorioſæ hactenus relatæ per Cæſarem cæteroſque Fœderatos Principes victoriæ; tot urbium Turcicarum expugnationes in Ungaria, Peloponeſo, & Podolia; tot denique Machometanæ Sectæ pluribus in locis excidia, ut jure merito BEATITU-

(k) *Pſal.* 34.
(l) *Pſal.* 34.
(m) *Eccleſ.* 48.
(n) *Joann.* 5.
(o) *Apocal.* 5.

TITUDINEM VESTRAM compellare liceat, *Angelum deſcendentem de cœlo, habentem clavem abyſſi, & catenam magnam in manu qui apprehendit Draconem, & ſerpentem antiquum, & ligavit eum per annos mille* [p]. Et *Angelum, qui concluſit ora Leonum* [q]. Quoniam itaque SANCTITAS VESTRA eſt *ſicut Angelus DEI* [r]; placeat Angelico ſuo vultu reſpicere Opus hoc meum Canonicũ, ex Jure Veſtro, & Conciliorũ Reſcriptis elicitum, cõcinnatumq;, quod provolutus ad Sacros pedes SANCTITATI VESTRÆ ceu Sapientiſſimo Canonũ Conditori præſento, ejuſdemq; Angelico inſcribo Nomini, enixè ſupplicans, ut illud tanquam debitæ meæ gratitudinis tributum, ob impertitam mihi olim in Urbe Apoſtolicam Confirmationem Cõmiſſariatûs Generalis ſuper Ciſmontanam Veſtram Familiam Franciſcanam exſolutum, ſolitâ ſuâ Benignitate acceptare dignetur; ac mihi ad ulteriores pro Eccleſiæ DEI incremento lucubrationes progredienti Apoſtolicam impertiri Benedictionem.

(p) Apoc. 20.
(q) Dan. 6.
(r) 2. Reg. 19.

SANCTITATIS VESTRÆ

Dabam Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives Anno 1686, Die 6. Januarij.

Obedientiſſimus Minor

Fr. BERNARDUS SANNIG.

Digitized by Google

FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS MINISTRI GENERALIS.

FRater PETRUS MARINUS *Sormanus Lector Jubilatus, Ex-Guardianus Hieroſolymitanus, ſanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultor, ac totius Ordinis Seraphici P.N. S.*FRANCISCI *Miniſter Generalis, & Servus. Plurimùm in Chriſto Dilecto Admodum R.P. Bernardo Sannig Lectori Jubilato, Ordinis Patri, ac Provinciæ noſtræ Reformatæ Bohemiæ Miniſtro Provinciali ſalutem in Domino.*

Cùm juxta Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones, reviſum, & approbatum fuerit quoddam opus à te compoſitum, cujus titulus eſt Primus tomus Scholæ Canonicæ: *ſeu* Curſus Univerſi Juris Canonici: *Tenore præſentium ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem tibi impertimur, quatenus ſervatis ſervandis illud Typis mandare poſſis, & valeas. Datum Viennæ ex noſtro S. Hieronymi Conventu die 16. Auguſti 1685.*

Fr. PETRUS MARINUS
Miniſter Generalis.

Reg. tit. Prov. (L.S.)

De Mandato ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis

Fr. FRANCISCUS à BASSANO
Secretarius Generalis.

c CEN-

Digitized by Google

CENSURA
Aſſeſſoris Conſiſtorij Archi-Epiſcopalis Pragenſis.

EX commiſſione Perilluſtris Reverendiſſimi & Eximij Domini Wenceslai Bilek à Bilenberg, Metropolitanæ Eccleſiæ ad S. Vitum, & Regiæ Capellæ ad omnes Sanctos Decani: Celſiſſimi Principis Archi-Epiſcopi Pragenſis Joannis Friderici è Comitibus de Waldſtein (tit.) in ſpiritualibus Vicarij Generalis, Scholæ Canonicæ Tomum I., qui continet Prologum; item Primum & Secundum Decretalium, ab A. R. P. F. Bernardo Sannig. Ord. Minorum S. Franciſci Reformatorum, Lectore Jubilato, totius Ordinis Patre, Ex-Commiſſario Generali Ciſmontanæ Reformatæ Familiæ, ac iteratò Provinciæ Bohemiæ Miniſtro Provinciali magnâ induſtriâ conſcriptum, & Scholaſticâ methodo digeſtum accuratè perlegi; & non tantùm nihil inveni, quod Catholicæ Fidei vel bonis moribus eſſet contrariū; ſed potiùs omnia vel in expreſſis textibus fundata, vel ſolidâ DD. auctoritate roborata, adeoque luce publicâ digniſſimum eſſe cenſeo. Dabam Pragæ 27. Februarij Anno 1686.

Joannes Chriſtophorus Schambogen, S. C. M. Conſiliarius J. U. Doctor SS. Canonum in Carolo-Ferdinandea Univerſitate Pragenſi Profeſſor publicus, & Ordinarius, Facult. Jurid. Senior, & p. t. Decanus, nec non Venerabilis Conſiſt. Archi-Epiſc. Pragenſ. Aſſeſſor.

CENSURA
Theologorum Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Reform.

OPtima rerum Magiſtra experientia: Plurimis ab hinc annis conſequenter in altioribus Religionis Seraphicæ Officijs Sacrorum Canonum notitiam expoſcentibus conſtitutus A. R. P. Bernardus Sannig, nunc iteratò noſtræ Provinciæ Bohemiæ digniſſimus Miniſter Provincialis, olim totius Ciſmontanæ Reformatæ Familiæ Commiſſarius Generalis, Superior noſter Colendiſſimus, quod longâ didicit experientiâ, multiſque prælegit annis in Scholis noſtris domeſticis, hoc nunc methodo Scholaſticâ, diligenti ſolertiâ, mirâ claritate, rarâ claráque ſubtilitate

tilitate in unum Opus congeſſit, videlicet *Scholam Canonicam, novâ methodò Scholaſticâ digeſtum.* Et tametſi compilârit hoc Opus eximium medias inter curas paſtorales, vigilanteſque ſolicitudines gubernandarum variarum Provinciarum; nihil tamen eorum prætermiſit, quæ deſervire poſſent publicæ, ſtudentium præſertim utilitati; cuncta ſolidè ex ipſo Juris Canonici fonte ſincerè reſolvendo. Tractat materias omnes in Univerſum Scribendo Jus Canonicum, ut omnibus Canonici Juris amatoribus præbeat univerſalem Canonicæ doctrinæ eruditionem; permixtim quoque juxta materiæ congruentiam, Jura nonnunquam tangit Regularium, maximè Minorum, ſuccinctè & clarè enucleata; inſuper in progreſſu hujus Operis laudatiſſimi implicatas Canonum quæſtiones ita digerit, ut ad Lectoris palatum planè cernantur accommodatæ; nam nec prolixæ plus ſolitò, nec laconicæ nimìs proponuntur. Et quoniam primus Tomus ejuſdem continens *Prologum in Jus Canonicum, Primum, & ſecundum Decretalium* à nobis cum omni exacta perſcrutatus, lectuſque ſit diligentia, atque repertus ubique Sacris Canonibus, & Orthodoxæ fidei conformis, nec bonis moribus ullatenus adverſans; idcirco eundem non ſolùm Theologis, & Canoniſtis; ſed & Regularium gubernium tenentibus utiliſſimum digniſſimumque judicamus, ut luci publicæ, publicæque ſubſerviat utilitati per typographicam evulgationem. Datum Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives Anno 1686. 1. Januarij.

Fr. Bernardinus Ungar Provinciæ Bohemiæ Diffinitor, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, Ejusdemque Facultatis in Studio Generali ad Nives Profeſſor actualis.

Fr. Sebaſtianus Schambogen, Provinciæ Bohemiæ Diffinitor, SS. Theologiæ Lector Generalis; Ejuſdemque Facultatis ad Nives Actualis Profeſſor.

Fr. Antonius Hartmann SS. Theologiæ Lector Jubilatus; Ejuſdemque Facultatis ad Nives Profeſſor Actualis.

Digitized by Google

APPROBATIO ORDINARII.

TOmum primum Scholæ Canonicæ, abſque omni nævo morali, uti ex legitimis cenſuris mihi exhibitis conſtat elaboratum, & compoſitum ab Admodum Reverendo Patre Bernardo Sannig Ordinis S. Franciſci Reform. Provinciæ Bohemiæ iterato Provinciali approbo, & juxta Concilij Tridentini Canones Facultatem impertior, ut

Pragæ, die 28. Febr. Anno 1686.

Imprimatur

Wenceſlaus Bilek à Bilenberg
Officialis.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Super impreſſione Librorum Auctorum Ord. S. Franciſci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ.

PRivilegiò Cæſareæ Majeſtatis cautum eſt; ne quis per univerſum Imperium Libros à Patribus Ordinis S. Franciſci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ editos, aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intrà Sacri Imperij, Regnorumq; ac Dominiorum hæreditariorum Domûs Auſtriacæ fines adducat, vendat, diſtrahat, abſque conſenſu, & facultate eorundem Patrum ſub pœna confiſcationis Librorum, & mulcta viginti marcarum auri puri. Ita ſancitum & decretum eſt in Civitate Ratisbonenſi, pridie nonas Decembris Anno 1636. Signatum.

FERDINANDUS

Infrà
Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.

Joannes Walderode.

à latere. P. H. A. Stralendorff.

INhærendo Decreto Cæſareo FERDINANDI III. Auguſti edito ſuper Impreſſione Librorum, ab Authoribus Regularis, & Strictioris Obſervantiæ edendorum, conſenſum, & Facultatem do Domino Joanni Nicolao Hampelio Civi, & Typographo Neo-Pragenſi, faciendi primam editionem Tomi mei primi Scholæ Canonicæ. Datum Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives die 1. Martij Anno 1686.

Fr. BERNARDUS SANNIG.

INDEX

Digitized by Google

INDEX TITULORUM HUJUS TOMI I.

PROLOGUS.

Tit. I. De Notione, definitione, differentijs, origine, cauſis, ac objecto Juris Canonici. Pag. 2.

Tit. II. De Principijs Juris Canonici conſtitutivis. 3

Tit. III. De Diviſione & citatione Juris Canonici. 5

Tit. IV. De Interpretatione SS. Canonum, Conſtitutionum, Reſcriptorum, & Privilegiorum ac aliorum. 6

Tit. V. De Diſpenſatione, & abrogatione SS. Canonum, Conſtitutionum Apoſtolicarum, ac aliarum. 9

Tit. VI. De Canonibus Apoſtolorum, & Pœnitentialibus. 11

Tit. VII. De Traditionibus, ſtylo, foro, Ritu, & more, & Regulis Cancellariæ, Declarationibus DD. Cardinalium, & deciſionibus Rotæ Romanæ 21

Tit. VIII. De Conciliatione Juris Canonici contrarij, & Regulis directivis circa pugnam ejuſdem cum Civili. 24

LIBER PRIMUS
Decretalium D. Gregorij Papæ IX.

Tit. I. De Summa Trinitate & Fide Catholica. Pag. 26.

Tit. II. De Conſtitutionibus. 28

Tit. III. De Reſcriptis. 32

Tit. IV. De Conſuetudine ſeu Jure non ſcripto. 32

Tit. V. De Poſtulatione Prælatorum, ubi etiam de Nominatione eorum. 42

Tit. VI. De Electione & Electi poteſtate. 47

Tit. VII. De Translatione Epiſcopi. 77

Tit. VIII. De Authoritate & uſu Pallij. 791

Tit. IX. De Renunciatione. 8

Tit. X. De ſupplenda negligentia Prælatorum. 86

d

Tit. XI.

Digitized by Google

Tit. XI. De Temporibus Ordinationum, & qualitate Ordinandorum. 89
Tit. XII. De Scrutinio in Ordine faciendo. 96
Tit. XIII. De Ordinatis ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciavit, & ab Excommunicato. 98
Tit. XIV. De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum. 99
Tit. XV. De Sacra Unctione. 102
Tit. XVI. De Sacramentis non iterandis. 105
Tit. XVII. De Filijs Presbyterorum ordinandis, vel non. 106
Tit. XVIII. De Servis non ordinandis, & eorum manumiſſione. 111
Tit. XIX. De obligatis ad Ratiocinia ordinandis vel non. 112
Tit. XX. De corpore vitiatis non ordinandis. 113
Tit. XXI. De Bigamis non ordinandis. 115
Tit. XXII. De Clericis peregrinis non ordinandis. 117
Tit. XXIII. De Officio Archi-Diaconi. 119
Tit. XXIV. De Officio Archi-Presbyteri. 120
Tit. XXV. De Officio Primicerij. 121
Tit. XXVI. De Officio Sacriſtæ. 122
Tit. XXVII. De Officio Cuſtodis. ibidem.
Tit. XXVIII. De Officio Vicarij. 123
Tit. XXIX. De Officio & poteſtate Judicis Delegati. 129
Tit. XXX. De Officio Legati. 137
Tit. XXXI. De Officio Judicis ordinarij. 141
Tit. XXXII. De Officio Judicis. 163
Tit. XXXIII. De Majoritate & Obedientia. 168
Tit. XXXIV. De Treuga, & Pace. 175
Tit. XXXV. De Pactis. 178
Tit. XXXVI. De Tranſactionibus. 180
Tit. XXXVII. De Poſtulando. 182
Tit. XXXVIII. De Procuratoribus. 186
Tit. XXXIX. De Syndico. 194
Tit. XL. De his, quæ vi, metûsve causâ fiunt. 196
Tit. XLI. De in integrum reſtitutione. 201
Tit. XLII. De alienatione judicij mutandi causâ facta. 206
Tit. XLIII. De Arbitris. 207

LIBER SECUNDUS
Decretalium D. Gregorij Papæ IX.

Tit. I. De Judicijs. 213
Tit. II. De Foro competenti. 221
Tit. III. De Libelli oblatione. 232
Tit. IV. De mutuis petitionibus. 236
Tit. V. De Litis conteſtatione. 239
Tit. VI. Ut Lite non conteſtata non procedatur ad Teſtium receptionem, vel ad Sententiam definitivam. 241
Tit. VII. De Juramento calumniæ. 243
Tit. VIII. De Dilationibus. 246
Tit. IX. De Ferijs. 250
Tit. X. De Ordine cognitionum. 255
Tit. XI. De plus petitionibus. 256

Tit.

Digitized by Google

Tit. XII.	De cauſa Poſſeſſionis & Proprietatis.	258
Tit. XIII.	De Reſtitutione Spoliatorum.	264
Tit. XIV.	De dolo, & contumacia.	268
Tit. XV.	De eo, qui mittitur in poſſeſſionem causâ rei ſervandæ.	271
Tit. XVI.	Ut Lite pendente nihil innovetur.	272
Tit. XVII.	De Sequeſtratione poſſeſſionum, & fructuum.	274
Tit. XVIII.	De Confeſſis.	276
Tit. XIX.	De Probationibus.	280
Tit. XX.	De Teſtibus, & Atteſtationibus.	285
Tit. XXI.	De Teſtibus cogendis; vel non.	294
Tit. XXII.	De Fide Inſtrumentorum.	296
Tit. XXIII.	De Præſumptionibus.	301
Tit. XXIV.	De Jurejurando.	305
Tit. XXV.	De Exceptionibus.	314
Tit. XXVI.	De Præſcriptionibus.	318
Tit. XXVII.	De Sententia, & re judicata.	325
Tit. XXVIII.	De Appellationibus, Recuſationibus, & Relationibus.	330
Tit. XXIX.	De Clericis peregrinantibus.	345
Tit. XXX.	De Confirmatione utili, vel inutili.	346

BENE-

Digitized by Google

BENEVOLO
LECTORI.

PRodit tandem in lucem etiam Schola hæc tertia Canonica, continens Univerſi Juris Canonici Curſum; quam tibi amice Lector ſuperioribus annis promiſeram in editione Scholæ Theologicæ. Prodit, non in methodo vaſta veteri Commentariorum, in ſingula Juris Pontificij Capitula editorum, quam obſervarunt comuniter priſci, & nonnulli recentiores ſcriptores Canonici, Hoſtienſis, Imola, Decius, Panormitanus, Joannes Andræas, Gonzalez, Caniſius, Barboſa &c. Nec prodit in methodo arcta, & compendioſa quorundam modernorum ſolas Inſtitutiones, Summas, & elementa Juris Canonici concinnantium, quam ſecuti ſunt Vallenſis, Zoëſius, Engel, Streinius &c. Sed prodit in methodo media, & temperata, aptiſſima plane, & accommodatiſſima ad Scholarium Canoniſtarum inſtructionem, atque eruditionem, præſertim Religioſorum mei Ordinis Franciſcani, in quorum gratiam digeſſi, typiſque præſentibus evulgo Lectiones has meas Canonicas, quas olim Lector ordinarius Juris Canonici in Conventu S. Mariæ ad Nives Pragæ, Religioſis Auditoribus Minoritis prælegi. Et tametſi Opus hoc Canonicum ſub ſola forma Decretalium D. Papæ Gregorij IX. compilatum ſit; in eo tamen Univerſi Juris Canonici reſolutiones, tum in Decreto Gratiani, tum in Sexto Bonifacij VIII. Clementinis, & Extravag. Ioan. XXII. & Communibus; tum in ipſis libris quinque Decretalium Gregorij IX. contentæ, & ſub ſuis appropriatis titulis, atque locis opportunis regiſtratæ, afferuntur. Eidem etiam inſperguntur variæ deciſiones S. Congregationis; Legum quoque complurium Civilium ordinationes, quatenus eæ ſunt utrique Juri communes; & demum Jus Regulare Ordinis mei Seraphici. Abundat pariter illuſtrium Canoniſtarum, Juris Conſultorum, & Theologorum citationibus, ac ſentiminibus, quæ veluti apis argumenroſa in hoc Canonicum alveare congeſſi; nam ſi licuit Platoni à Pythagora; Ariſtoteli à Platone: Theophraſto ab Ariſtotele mutuare ſelectiores opiniones; nec calamus meus Theonino dente rodendus erit propterea, quòd eruditiora probatioraque placita, ac ſententias veterum recentiorumque Authorum huic Shcolæ Canonicæ inſperſerit; ut eò fundatior, firmior, eruditiorque evadat Scripſi potiſſimè pro Scholaribus, præſertim Franciſcanis; eo fine, ut juventutem noſtram Seraphicam non tantùm in S. Theologica Facultate; ſed & in Canonica, tantoperè neceſſaria Clero etiã regulari atque clauſtrali, ritè inſtituerem; cui in proximo quoque edendam promitto Scholam Controverſiſticam, ſeu Univerſarum Controverſiarum fidei tum veterum, tum novarum lacubrationes; ut ita juventus noſtra Studioſa Franciſcana numeris omnibus abſoluta, atque pro quovis litterario congreſſu Philoſophico, Theologico, Canonico, & Controverſiſtico ſufficienter erudita comparere valeat; anſamque habeat pro me, ſuo immeritiſſimo Confratre, Divinam exorandi Clementiam. Dabam Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives 1686. die 1. Martij.

PRO-

PROLOGUS
IN UNIVERSAM
SCHOLAM CANONICAM.

TRactaturus doctrinam Sacram Canonicam, conſultum eſſe duxi, priùs prologeticos quosdam præmittere Titulos, ac Prolegomena neceſſaria conficere; quibus veluti generalibus principijs exinde notior paretur aditus ad univerſam ſcientiam Juris Canonici, & Pontificij ritè capeſſendam; & ut intellectus Legentis quoque diſponatur, alliciatur, debitè illuſtretur, quieteturque circa emergentia præliminaria dubia hujus ſacratæ facultatis; quò facit textus *in L. 1. §. ideoque jubemus. Cod. de vet. Jur. enucleando: & §. his igitur. Inſtit. de Juſt. & Jur.* Unde ſit

TITULUS I.

De NOTIONE; DEFINITIONE; DIFFERENTIIS; ORIGINE; CAUSIS; AC OBJECTO JURIS CANONICI.

CAP. I.

Quid ſit Jus Canonicum.

1. Nota primò: quòd Ulpian. *in L. 1. ff. de Juſtit. & Jur.* dicat Ly *Jus à Juſtitia eſſe appellatum: Et eſt ars æqui, ac boni.* Hic autem accipitur à Canoniſtis pro Lege juſta; ſive pro notitia legum juſtarum. Ly *Canonicum* ſecundùm Vallen: Canis. Strein. Engel, & omnes ſummiſtas Canonicos derivatur à voce Græca *Canon*, id eſt regula: eò quod Jus Canonicum comportatum ſit ex canonibus, id eſt regulis Eccleſiaſticis, & Divinis, ordinatis ad rectè inſtituendam vitam; ut dicitur *can. 2. diſt. 3.* junctô *cap. 1. & cap. 5. Extra; de Conſtit.* ſicut Jus Civile compilatum eſt ex regulis, ac conſtitutionibus Imperatorum, ordinatis ad commune Reip. emolumentum temporale.

2. Dico: aptè definitur Jus Canonicum quòd *ſit Jus continens regulas, ac decreta Pontificia, Conciliaria, Divina, aliaque nonnulla placita probatiora, & conſvetudines, ordinata ad rectè vivendum.* Ly *Jus* eſt genus; reliqua ſtatuuntur pro differentia ejus ab alijs Juribus; & pro expreſſione diſtincta naturæ Juris Canonici. Per Ly *Decreta Pontificia*, intellige Reſcripta, Conſtitutiones, Canones, Bullas, Brevia, & omne genus authenticæ ſanctionis, à ſummo Pontifice ritè emanatæ. Per Ly *Conciliaria*, intellige deciſiones, ac ordinationes, factas in Generalibus, vel Provincialibus approbatis Synodis, & Concilijs. Per Ly *Divina*, intellige mandata in S. Scriptura contenta, & in Jus Canonicum translata à SS. Concilijs, & Sum: Pontificibus, ad comprobandos ſuos Canones, & Decreta. Per Ly *alia nonnulla placita*, intellige Leges juſtas Cæſarum, & opiniones SS. PP. Per Ly *& conſvetudines*, intellige Jus Canonicum non ſcriptum: de quibus omnibus agetur ſub ſuis Titulis ſpecialibus.

CAP. II.

Quæ ſint Differentiæ, & affinitates Juris Canonici cum Civili.

1. Nota primò: plures eſſe differentias Juris Canonici à Civili. Canonicum enim *primò* conſtat regulis Apoſtolicis, ſeu Pontificijs, Conciliaribus, & Divinis: Civile verò politicis, & ſæcularibus. *Secundò*; materia Juris Canonici eſt plerumque ſpiritualis, & ſacra, v. gr. Sacramentorum, voti, Juramenti, Fidei &c. Civilis verò temporalis, & profana. *Tertiò*; Canonicum ordinatur ad puritatem, & perfectionem animæ, medijs ſupernaturalibus acquiſibilem: Civile autem ad tranquillitatem, & ſalutem Reipubl. medijs naturalibus acquiſibilem. *Quartò*; Conditor Juris Canonici, Summus videlicet Pontifex, accepit authoritatem Canones, & Leges ferendi immediatè à Chriſto; ut patet Joan. 21. Conditor verò Juris Civilis, id eſt, ſupremus Princeps, à Populo, eum deſignante. *Quintò*; Jus Canonicum poteſt corrigere, vel abjicere Jus Civile in ijs, quæ materiam peccati continent, vel præjudicant Clero; unde actu correxit illam Legem, quæ rebus, & perſonis Eccleſiaſticis officit; uti habetur *cap. fin. de Immun. Eccleſ. in 6. & cap. 1. de Jure Jur. in eodem 6. & cap. 1. de Conſvet.* Item illas, quæ nominatim de perſonis, aut rebus Eccleſiæ diſponunt aliquid, *cap. Eccleſia S. Mariæ; de conſtitution*: ubi dicitur; *à Laicis, ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam commodum, & favorem reſpiciat, nullius firmitatis exiſtit.* Item illas, quæ bonis moribus adverſantur; v.g. de concubinatu licito; de uſura; de malæ fidei præſcriptione, &c. Vide plures Utriuſque Juris differentias apud Henr. Canis: *tract. de Differ. Juris Canon. & Civil.* Item apud Bapt. de S. Blaſio, qui penè 249. differentias enarrat; & alios DD.

2. No-

2. Nota ſecundò: magnam tamen eſſe utriuſque Juris affinitatem, conſonantiam, & inter ſe mutuam reverentiam: nam Jus Canonicum ſæcularium Principum ſanctiones aliàs ſalubres, & probas veneratur, admittit, & quodammodo adoptat: quemadmodum etiam facit Jus Civile caſtigatum cum Canonicis. Deinde quando quidpiam in uno deſideratur, ex altero deſumitur: quarè rectè Lucius III. *in cap. 1. de nov. ope. nunc.* dicit; *ſicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari; ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.*

CAP. III.
De Origine Juris Canonici.

1. Nota primò: Jus Canonicum poſſe dupliciter conſiderari; vel ut dicit ipſum Corpus Juris; vel ut dicit ipſosmet SS. Canones, à varijs emanatos, & independenter à relatione eorum in Corpus Juris ſcriptum. *Primò modò* conſideratum, originem habet à varijs authoribus partium ejuſdem Corporis; ut à Gratiano Monacho, qui compilavit Decretum, poſtea à Sum. Pontificibus approbatum: & à Raymundo Pœnitentiario Gregorij IX. qui Decretales Gregorij præfati collegit: & à Bonifacio VIII. authore Sexti Decretalium: & à Clemente V. Conditore Clementinarum: & à Joanne XXII. Confectore Extravagantium, &c. *Secundò modò* ſi conſideretur, origo Juris Canonici referenda eſt ad primos ſtatim natæ Eccleſiæ Pontifices Summos, & Concilia, tum Apoſtolorum, tum alia œcumenica; & Provincialia approbata ab Eccleſia: nam ipſimet SS. Apoſtoli in Concilio Hieroſolymitano, & poſt eos Summi Pontifices in Generalibus Concilijs, ſcilicet Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi, &c. ac ſæpiſſimè etiam extra Concilium varios condiderunt Canones, & Decreta, pro Chriſtiana Diſciplina conſervanda, fide explicanda, & roboranda, negotijs Clericorum terminandis &c. quæ ſparſim aſſervabantur in Eccleſia uſque ad editionem Corporis Juris Canonici.

CAP. IV.
De ejuſdem Cauſis.

1. Nota primò: *Cauſas* Juris Canonici eſſe quatuor: ſcilicet *Efficientem*, quæ eſt ipſe Conditor Legum Canonicarum, puta Papa, vel Concilium. *Finalem*, quæ eſt Diſciplina Chriſtiana, bonum Regimen, & ſalus Populi Chriſtiani per SS. Canones intenta: quo ad *Materialem*, & *Formalem*.

2. Dico primò: Cauſa materialis, ſeu objectum materiale Juris Canonici, ſunt actiones ſubditorum (& quæ ad eas referuntur, ut Judicia, & res Eccleſiaſticæ) dirigibiles, & regulabiles per Eccleſiaſticas normas ad rectam vitam: Formalis verò, ſeu objectum formale, eſt ipſa honeſtas, ſeu æquitas, quam præſcribunt, & exigunt SS. Canones ex moribus ſubditorum Eccleſiæ. Ratio primi eſt; quia Jus Canonicum occupatur, & verſatur circa hujuſmodi actiones, res, & Judicia Eccleſiaſtica; uti patet ex decurſu Corporis Juris Canonici: Ergò ſunt ejus materialis cauſa, ſeu objectum materiale. Ratio ſecundi; quia ſub hac ratione honeſtatis, & æquitatis ſolùm Jus Canonicum conſiderat actiones Chriſtianorum: Ergò hæc eſt objectum formale, ſeu cauſa Formalis Juris Canonici.

TITULUS II.
DE PRINCIPIIS JURIS CANONICI CONSTITUTIVIS.

CAP. I.
Ex quibus elementis conſtet Jus Canonicum.

1. Dico primò: Jus Canonicum ſcriptum hodie conſtat ex Jure Divino; Decretis Conciliorum; Conſtitutionibus Sum. Pontificum; Imperatorum placitis probatioribus, in Corpus Juris relatis; SS. PP. ſententijs, pariter approbatis à ſede Apoſtolica. Ita Lancellot. Henr. Canis. Azor. Vallenſ. Corvin. & communis Canoniſt. Ratio patet; tùm ex definitione Juris Canonici *Tit. præced.* allata: Tum ex ipſo Corpore Juris Canoni-

ci; quod hodie ex præfatis monumentis (quorum quodlibet Juris Canonici authoritatem habet) cernitur conflatum. Sed evolvamus ulteriùs ſingula membra aſſertionis, eaque probemus.

2. De *Jure Divino* conſtat ex *cap. qualiter, 24. in princ. Extra, de accuſat.* ubi habetur, Jus Canonicum ex Jure Divino potiſſimè profluxiſſe. De *Decretis Conciliorum* patet per *can. 2. §. inter cætera.* & *can. ſicut, 2. diſt. 15.* ubi quatuor Concilia prima, Nicænum, Conſtant. Epheſin. & Chalcedon. ab Eccleſia recipiuntur, ut quatuor Evangelia: & de alijs generalibus Synodis authoritate Papæ congregatis, ac approbatis per *can. 1. §. hæc ſunt. & can. ſancta 3. diſt. 15.* De authoritate Conciliorum condendi decreta, vide quæ dico *in Schola Theolog. tom. 4. tract. 1. diſt. 3. q. 11.* De *conſtitutionibus Summorum Pontificum* patet ex *can. 1. per totum. diſt. 19.* & *can. ſi quis dogmata cau. 15. q. 2.* De hujusmodi autem Conſtitutionibus, vide dicta infra *lib. 1. Decret. tit. 2.* Et *Scholam meam Theolog. tom. 4. tract. 1. diſt. 3. q. 7. 8. 9. & 10.* De *placitis Imperatorum* patet per *cap. 8. Ext. de Jud.* & *cap. 2. Ext. de Ord. cognit. & alibi.* De *SS. PP. ſententijs approbatis à Sede Apoſtolica,* conſtat ex *can. 1. diſt. 20.*

CAP. II.

Quid Jus Divinum; & Concilia.

1. Nota primò circa *Jus Divinum*: per illud hîc intelligi præcepta DEI, in S. Scriptura contenta, & in Jus Canonicum inſperſa, quæ omnibus alijs Juris Canonici ſcriptis præponderant; *cap. quis neſciat, 8. diſt. 9.*

2. Nota ſecundò circa *Concilia*: Concilium rectè deſcribi (ut notavi in *Schola mea Theologica*, ſeu *Curſu Theologico, tom. 3. Tract. de Fide. diſt. 3. q. 11.*) quòd ſit conventio Legitima Præſulum Eccleſiaſticorum, aliarumque Eccleſiaſticarum Perſonarum, ſignanter Epiſcoporum, à Papa congregatorum in Spiritu S., ut controverſias Fidei, & morum exortas terminent. Concilia alia ſunt Generalia, quæ ex Epiſcopis omnibus totius Orbis, vel ſaltem ex majori parte coadunantur. Talia hodie computantur 18. quorum ſyllabum, & celebrationem, ac alia huc pertinentia, vide in *Curſu meo Theologico cit. loc.* Alia Provincialia, quæ conſtant ſolis Epiſcopis, & Perſonis Eccleſiaſticis unius Provinciæ: hæc quoad ea, quæ in Jus Canonicum relata ſunt (ut videre eſt in *cap. 2. extra, de elect.* & *cap. nec Epiſcop. 7. Extra, de temp. Ordin.* & *cap. 1. extra, de filiis Presbyt.*) aut à Sede Apoſtolica approbata generaliter, *can. 1. diſt. 20.* authoritatem quoque habent Juris Canonici, & vim obligandi omnes Chriſtianos. Hujusmodi Concilia hodie jure Trid. Seſſ. *24. cap. 2. de Reformat.* cogi debent ſingulis triennijs per Metropolitam; & eò legitimè impeditô per Seniorem Co-Epiſcopum. Diœceſana verò (id eſt, in Diœceſi unius Epiſcopi, ſub Metropolita, conſtituti) ſingulis annis per Clerum, & Abbates congregari debent; ut habetur *can. annis. diſt. 18.* & in Trid. *cit. cap. 2.*

CAP. III.

De Conſtitutionibus Pontificijs; & Placitis Imperatorum.

1. Nota primò circa *Conſtitutiones Summorum Pontificum*: eas, ſive emanent per epiſtolam Decretalē, ſive per aliam normam Pontificiæ editionis, efficax ſortiri robur, ac vim obligandi: *nam* (ut inquit *can. 2. Diſt. 19.*) *Apoſtolicæ Sedis ſanctiones accipiendæ ſunt, tanquam ipſius Divinâ Petri voce firmatæ ſint*: unde dicit bene Lancell: in *Inſtit: Jur. Canon. lib. 1. tit. 3.* quòd Conſtitutiones tales Canonibus Conciliorum pari poteſtate exæquantur:

2. Nota ſecundò circa *placita Imperatorum*: per ea intelligi Conſtitutiones, ac Leges quaſdam, ab Imperatoribus conditas, *§. ſed & quod Principi. Inſtit. de Jure nat.* quæ corpori Juris tanquam utilia foro Eccleſiaſtico inſperſæ ſunt; ut videre eſt in *cap: 8. Extra, de Jud. & cap. 2. extra, de ord. cognit. & cap. 1. extra, de Juram. calum. & cap. 10. extra, de probat.* & alibi. Et tales ut relatæ in Corpus Juris vim Legis Canonicæ induunt. Quæ verò ſic relatæ non ſunt, etiam quôdam modô in foro Eccleſiaſtico recipiuntur, *per can. ſummopere 70. cauſ. 11. q. 3.* dummodo Sacræ Scripturæ, vel Canonicis Sanctionibus, vel bonis moribus non adverſentur; ut habetur *can. 2. 4. 9. & ſequent. diſt. 10. & cap. 1. extra, de ſent. & re jud.*

CAP. IV.

De Sententijs SS. Patrum, Traditionibus; & Conſuetudinibus.

1. Nota primò circa *ſententias SS. Patrum*: alias eſſe à Sum. Pontifice relatas in Corpus Juris; & hæ parem cum

cum Decretis Pontificijs habent authoritatem (idem dic de Placitis Principum, de quibus *præcedenti Cap.*) tunc enim quadrat illud Juſtiniani *L. 1. §. ſed neque C. de veter. Jur. enuclean.* quod Bonifacius Papa repetijt in *cap: ſi Apoſtolica, de Præb. in 6. omnia noſtra facimus, quibus authoritatem noſtram impertimur.* Aliæ ſunt non relatæ: hæ etſi ex Conſtitutione Leonina *in can. 1. diſt. 20.* dicantur habere locum in decidendis cauſis, ſtatim poſt Decreta Conciliaria; attamen cum non Patribus, ſed Sum. Pontifici collata ſit poteſtas Legem Canonicam deciſivam condendi; ut habetur *Clement. Paſtoralis §. fin. de re judi.* idcircò PP. ſententiæ ſequuntur Pontificias Leges, & Canones in deciſione cauſarum: niſi hæc continerent Jus Divinū ex veteri, vel novo Teſtam: depromptum. Vide Lancellotum in *Inſtit. Juris Can. lib. 1. tit. 3.* Et Valenſem *in Paratitlis, in Proœmio §. 9. & alios DD. Canoniſtas in hac materia.*

2. Dico primò: Jus Canonicum non ſcriptum conſtat ex Traditionibus, & Conſuetudinibus. Ita communis DD. Et ita dicitur *can. 5. diſt. 11.* De Conſuetudinibus vide dict. infra *lib. 1. Decret: tit. 4.* De Traditionibus aſpice *Scholam meam Tneolog. tom. 4. tract. 1. diſt. 3. q. 12.* & infra *tit. 7.*

TITVLVS III.

DE DIVISIONE; ET CITATIONE JURIS CANONICI.

CAP. I.

Compoſitio Corporis Juris Canonici.

1. NOta Univerſum Corpus Juris Canonici, cujus hodie in ſcholis, & foro eſt uſus, eſſe compilatū, ex Decreto Gratiani; quinque libris Decretalium Greg. IX. Sexto Decretalium Bonifacij VIII. Clementinis Clementis V. Extravagantibus tum Joannis XXII. tum Communibus; quibus adde Bullas variorum Pontificum, emanatas poſt evulgationem Juris Canonici; & Septimum Decretalium, à Domino Petro Matthæi collectum; qui tamen necdum ſuam ſortitus eſt authoritatem.

CAP. II.

Decretum Gratiani.

1. DEcretum Gratiani eſt quædam privata compilatio, facta à Gratiano Monacho Etruſco, Ord: S. Benedicti, in Monaſterio Bononienſi S. Felicis An. 1150. ex Conſtitutionibus Sum. Pontificum, Conciliorum, & Epiſcoporum, ex Jure Civili, & Sententijs SS. PP. quam tamen deinde Gregorius XIII. repurgatam approbavit particulari ſuô Decretô, & cum robore debitæ authoritatis Corpori Juris annumeravit. Hoc Decretum dividitur in tres partes; quarum, uti & reliquarum totius Corporis Juris exactam enucleationem, & contentum, vide in *Schola mea Theologica, ſeu Curſu Theologico, Tract. de Virtut. Cardinal. diſt. 3. q. 4.* Capita porrò Decreti Gratiani citantur ſub nomine Canonum; & quidem primò Prima Pars ſic: *Can. humanum. Diſt. 1.* vel *Diſt. 1. Can. humanum.* Secunda Pars uſque ad Cauſam 33. ſic: 1. *q. 1. Can. quicunque ſtudet*; & pronunciatur ſic: *cauſâ primâ, quæſtione primâ, Canone quicunque ſtudet.* Recentiores etiam ſic hanc partem citant. v. g. *can. quicunque. cau. 1. q. 1.* Tractatus autem de Pœnitentia, incluſus in Cauſa 33. memorata ſic citatur, *De Pœnitentia, Diſt. 3. can. reperiuntur.* Tractatus tandem de Conſecratione ſic allegatur, *de Conſecratione, Diſt. 1. can. vaſa.* Obſervandum etiam huic Decreto inſperſa eſſe quædam capita ſub nomine *Palea*; quæ probabiliter ſunt quædam additiones, appoſitæ ad primam compilationem Gratianam; & quia modicam ſortitæ ſunt authoritatem, levis paleæ nomine inſignitæ fuêre.

Digitized by Google

CAP. III.

Decretales Gregorij IX. Sextus Decret: Clementinæ, Extravagantes, & Bullæ.

1. DEcretales Gregorij IX. *Epiſtolæ* Anno 1230. per Raymundum Pontificis Gregorij memorati Capellanum. & Pœnitentiarium comportatæ fuêre, atque à dicto Papa approbatæ, & pro ſcholis, ac foro Eccleſiaſtico evulgatæ in norma Pandectarum, ac Codicis Civilis diſpoſitæ; concluſæ autem 5. libris, continentes varias anteriores Decretales Epiſtolas, partim approbatas, partim reprobatas; & ſuas peculiares. Decretales iſtæ citantur ſic: *cap. quotiens; extra; de Pactis. Et cap. tua nos. extra, de Jurejur.* eò quòd Decretales eſſent extra Decretum Gratiani utpote vetuſtioris: Sæpe etiam locô hujus vocis *Extra*, ponitur in Authoribus hoc ſignum ✠ v. g. *cap. tua nos,* ✠ *de Jurejur.* Et in novis utrumque omittitur, & ponitur ſic, *cap. quotiens, de pactis.*

2. *Sextus Decretalium* editus fuit in forma 5. librorum à Sum. Pontifice Bonifacio VIII. Succeſſore mediato Gregorij IX. & complectitur Decretales partim ſuas, partim Gregorij X. Innoc. IV. Clement. IV. & aliorum Pontificum, qui inter ipſum, & Gregorium IX. interceſſerunt; uti & quaſdam novellas ipſiuſmet Gregorij IX. & Decreta duorum Conciliorum Lugdunenſium, An: 1245. & An: 1273. celebratorum. Sextus iſte citatur ſic *cap. volentes; de Privilegijs in 6.*

3. *Clementinæ* in 5. pariter libros à Clemente V. congeſtæ ſunt ex Conſtitutionibus Conc. Gen. Viennenſis, ipſo Præſide celebrati An: 1310. & ſuis proprijs; evulgatæ autem per Joannem XXII. Succeſſorem immediatum. Citantur hôc modô: *cap. gravis. de Sent. Excom. in Clementinis.* Vel ſic: *Clement. Gravis; de Sent. Excomm.*

4. *Extravagantes numerô viginti* compoſitæ ſunt à Joanne XXII. *Communes* verò ab alijs Sum. Pontificibus Succeſſoribus Joañis. Primæ dicuntur *Extravagantes;* quia aliquamdiu extra Corpus Juris poſt mortem Joannis XXII. erant, & quaſi vagabantur, abſque ſtabili Sede, uſque dum inſertæ fuiſſent Corpori Juris Canonici. Secundæ appellantur *communes;* quia multis Pontificibus communes erant. Extravagantes citantur ſic: *Extravagantes Joannis 22. de voto, cap. antiquæ.* Communes autem ſic: *Extrav. de Judicijs; cap. frequentes.*

5. Nota primò: ultimum caput cujuslibet Libri Canonici cum hac voce *finali*, vel, *finis* citari; v. g. ultimum caput de Judicijs ſic allegatur: *extra, de Judicijs, cap. finali.* Præterea quia in eodem Titulo reperiuntur varia capita cum eadem initiali dictione; v. g. in Titulo *de Appellationibus* caput 4. 18. & 27. incipiunt à dictione eadem *conſuluit;* idcircò ſolet in citatione addi numerus capitis v. g. ſic, *cap. conſuluit. 1. de appellationibus.*

6. *Bullæ Apoſtolicæ* citantur cum nomine Papæ authoris, & initio Bullæ ſic; *Sixtus IV. Bulla. Regimini.*

TITULUS IV.

DE INTERPRETATIONE SS. CANONUM, CONSTITUTIONUM, RESCRIPTORUM, ET PRIVILEGIORUM, AC ALIORUM.

CAP. I.

Quotuplex ſit Canonum interpretatio; & à quo petenda.

1. NOta: triplex paſſim à Canoniſtis aſſignatur Interpretatio, quæ pro SS. Canonum, & Conſtitutionum elucidatione adhiberi poteſt; doctrinalis ſcilicet, uſualis, & authentica. Prima *Doctrinalis*, ſeu magiſtralis eſt, quæ vel à Profeſſoribus, & Magiſtris Scholarum; vel à Scriptoribus illuſtribus: vel ab alijs Viris peritis adhibetur, ad elucidanda verba obſcura alicujus Canonis, Conſtitutionis, Reſcripti, vel Privilegij; de qua procedit *L. un. C. de Profeſſ. in urbe Conſtan.* Altera *Authentica*, ſeu Judicialis eſt, quæ ab ipſomet, & ſolo Legiſlatore circa Canonem, vel ſuam conſtitutionem adhibetur, tanquam expreſſiva, atque declarativa ſenſûs, & mentis ſuæ in particulari, & non præviſo

viſo

Digitized by Google

viſo caſu, juxta *cap. ult. C. de Legibus.* *Uſualis* eſt, quæ innititur conſuetudini, de qua procedit *cap. cum dilectus.*

2. Dico primò: Quando aliquis Canon, Conſtitutio Apoſtolica, vel Privilegium laborat ambiguitate, aut dubiô arduô, & inexplicabili, tunc interpretatio authentica adhibenda eſt, & à Sede Apoſtolica ut Legislatrice petenda. Ita Abbas, Streinius, Dynus, &c. Ratio eſt primò; quia juxta *cap. inter alia. de ſent. excom. & L. fin. C. de Leg.* illius eſt interpretari Legem, cujus eſt condere: ſed Sedes Apoſtolica condit Canones, Conſtitutiones, & Privilegia: Ergò quando ea laborant ambiguitate, aut dubiô arduô, & inexplicabili; ab eadem quoque petenda eſt interpretatio authentica. Ratio eſt ſecundò: quia ſi in Politicis juxta Reg. *Pandect. 96. in ambiguis orationibus maxime ſententia ſpectanda ſit ejus, qui eas protulit*; quantò magis in Eccleſiaſticis.

3. Dico ſecundò: quòd ſi ad Sedem Apoſtolicam non poſſet fieri acceſſus pro capienda interpretatione authentica, & aliunde urgeret neceſſitas utendi canone, conſtitutione, aut privilegiô; tunc operans uti poterit interpretatione doctrinali, ceu opinione probabili, quæ pro una parte affulget; atque ita operari ſecundùm eandem. Ita Navar. Vaſq. Cajeta. Leſſius, Salas, Barbos. &c. Et colligitur ex *L. 2. §. deinde quia difficile. ff. de orig. Juris*, & ex *L. illicitas §. ult. ff. de offic. præſ.* & ex *L. ſolet etiam, ff. de ferijs.*

CAP. II.

De legitima interpretatione SS. Canonum.

1. Dico primò: Ut interpretatio Magiſtralis, ſeu Doctrinalis in aliquem Canonem, Conſtitutionem, vel Privilegium licita ſit legitima, & in praxi ſecura; fieri debet ſecundùm proprietatem verborum Canonis, Conſtitutionis, vel Privilegij, quantum fieri poteſt. Ita Salas, Dynus, Tuſchus, Strein. Carbo, Decius, Gloſſa &c. Et deducitur ex *L. 3. §. hæc verba, ff. de neg. geſt.* & ex *L. non aliter, ff. de Legatis. III.* Ratio etiam eſt, quia aliàs quiſque luxuriantis ingenij homo pro arbitrio in varios tropos, & metaphoras poſſet ſua interpretatione detorquere verba canonis, Conſtitutionis, aut Privilegij alicujus; atque ita daretur nimia licentia Leges Eccleſiaſticas gloſſandi cum earum enervatione, & contra Legislatoris mentem.

2. Dico ſecundò: in conficienda interpretatione Magiſtrali, attendi debet mens Legislatoris Eccleſiaſtici, ſecundùm quam ab eo verba Canonis, Conſtitutionis, Reſcripti, vel Privilegij principaliter proferuntur. Ita Tuſchus, Strein. Laym. Alexan. & communis Canoniſtarum. Et habetur *cap. final. de verb. ſignif.* Eſtq; Ratio; *quia actus agentium non operantur ultra intentionem agentium.* ut ait Canonicum dictum. Et quia mens Legislatoris anima Legum cenſetur, & verbis profertur, juxta *cap. humanæ aures 22. q. 5.*

3. Dico tertiò: Mens Legislatoris Eccleſiaſtici colligi poteſt ex vero ſimili; item ex cauſa motiva, ac finali; & tandem ex circumſtantijs. Ita Eberh. Strein. Barbos. Salas, Sylv. &c. Primum deducitur ex *L. 1. non eſt vero ſimile, ff. de eo, quod metûs causâ.* Ratio ſecundi eſt; quia cùm finis Canonis, Conſtitutionis &c. debeat eſſe rationi conformis, & æquitati; meritò ex eo venari quis poteſt mentem Legislatoris Eccleſiaſtici. Ratio tertij; quia circumſtantiæ temporum, locorum, neceſſitatis, poſtulationis, perſonarum, & ſimilium debitè examinatæ, & obſervatæ, ſicut in Legibus Civilibus; ita quoque in Eccleſiaſticis aperiunt intentionem, ac mentem Legislatoris Eccleſiaſtici.

4. Dico quartò; in Interpretatione doctrinali ritè facienda, verba Canonum, Conſtitutionum, Reſcriptorum, & Privilegiorum uſurpanda ſunt ſecudùm materiam ſubjectam. eique accommodanda. Ita Decius, Tuſchus, Strein, Alexand. &c. Ita quoque reſolvit Jus Canonicum *in cap. intelligentia; de Verbor. ſignif.* & *in cap. conſtitutus; de Relig. Domibus.*

5. Dico quintò: In Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas favorabiles fieri poteſt ampla interpretatio; in odioſas verò ſtricta. Ita Navar. Salas, Strein. Roderic. &c. Et colligitur ex illa Regula 15. Juris Canon. in *6. odia reſtringi; & favores convenit ampliari.*

6. Dico ſextò: Canones, & Conſtitutiones ita debent interpretari, ut per interpretationem Doctrinalem non reddantur inutiles, aut nervus earum elidatur. Ita communis Canon. Et deſumitur ex *L. non dubium, C. de legibus.* & *ex cap. in his; de Privileg.*

7. Dico ſeptimò: Circa Canones, & Conſtitutiones Apoſtolicas pœnales non tenet interpretatio deſumpta à ſimili. Ita Carbo, Gaill, Decius, Regin. &c. Ratio eſt; quia Leges etiam Eccleſiaſticæ non ſunt exaſperandæ; ſed mitigandæ; nec proprium caſum excedere debent, juxta *cap. in pœnis; de Regul. Jur: in 6.*

8. Dico

Digitized by Google

8. Dico octavò: Canones, Conſtitutiones Apoſtolicæ licitè interpretari poſſunt per legitimam conſuetudinem. Ita Salas, Strein. Tuſchus, Sylv. &c. Et conſtat ex *L. ſi interpretatione; ff. de Leg. & L. in obſcuris ff. de Reg. Jur.* ubi dicitur conſuetudo optima Legum interpres.

9. Dico nonò: Interpretatio Magiſtralis in aliquod Reſcriptum Juſtitiæ dubium facienda eſt ſtrictè, & ſecundùm Jus commune, ne ipſi deroget. Ita Vallenſ. Pirhing. Gloſſa, Hoſtien. &c. Et habetur in *cap. cauſam 18. de reſcriptis.* Ratio etiam eſt; quia in dubio ejusmodi Reſcripti non præſumitur Pontifex aliquid contra Jus commune reſcribere; niſi expreſſam apponat clauſulam derogatoriam Juris Communis; nam non vult nocere tertio, habenti connexionem cum Reſcripto Juſtitiæ, ſeu ad lites.

10. Dico decimò: Si tamen agatur de ſolo præjudicio Pontificis reſcribentis; non autem de præjudicio Juris communis, vel tertij; tunc interpretatio Magiſtralis fieri poteſt latè, & in ampla forma. Ita Vallenſ. Pirh. Sylv. &c. Et deducitur ex *cap. quamvis, de Preb. in 6.* & ex *cap. cùm Dilecti; de donat.* & ex *cap. cùm olim: de Verbor. ſignific.*

11. Dico undecimo: Interpretatio doctrinalis in Reſcriptum gratiæ, ſeu ad beneficium condenda eſt in ſenſu ſtricto. Ita Sylv. Vallenſ. Pirh. &c. Ratio eſt primò; quia ejusmodi Reſcripta cenſentur eſſe ambitioſa, ſeu per ambitionem impetrari ſolita, juxta *cap. quamvis, de Prabend. in 6.* adeoque de caſu, aut perſona expreſſa; quæ proinde ad caſum, aut perſonam non expreſſam extendi non debent per largam, aut benignam interpretationem. Ratio eſt ſecundò; quia Reſcripta gratiæ, ſeu ad beneficium continent mandatum de proviſione facienda: fines autem mandati diligenter ſunt cuſtodiendi, *L. diligenter. ff. mandati.*

12. Dico duodecimò; Privilegia, quæ præcisè ad inſtantiam factam alicui conceduntur à Sum. Pontifice, ſtrictè ſunt interpretanda; quæ verè ex motu proprio, & certa ſcientia proficiſcuntur, aut in corpore Juris Canonici continentur, aut dantur ob merita; amplè poſſunt interpretari. Ita Decius, Rodericus, Salas &c. Ratio primi eſt; quia hujusmodi Privilegia habent rationem Reſcripti exorbitantis à Jure communi Canonico; & ſunt præjudicioſa tertio; Unde cenſentur eſſe odioſa; & conſequenter reſtringenda, juxta *15. Reg. Jur. in 6.* Ratio ſecundi; quia Privilegia cum illis modificationibus emanata non cenſentur eſſe odioſa; ſed favorabilia; quare amplam patiuntur interpretationem, juxta candem Regulam Juris: Et talia ſunt Privilegia Regularium potiora ex parte; quæ proinde juxta Brugn. Roderic. & Decium non ſecundùm apices Juris; ſed ex æquo, & bono ſunt interpretanda.

CAP. III.

De interpretatione Conſtitutionum Ordin. S. Franciſci de Obſerv. & Ref.

1. DIco primò: Cõſtitutiones Generales Ordinis noſtri Franciſcani de Obſerv. & Reform. à Capitulis Generalibus factas authentica declaratione interpretari poteſt ſolus Pater Miniſter Generalis, & P. Commisſarius Generalis; item Capitulum, & Congregatio Generalis ſequens; Provinciales verò à Capitulis Provincialibus factas Miniſter, & Vicarius Provincialis, ac Capitulum, & Congregatio Provincialis ſequens. Ita Sanctorus, Lantusc. &c. Primum de Miniſtro, & Commiſſario Generali habetur in Conſtitutionibus Generalibus Ord. antiquis Valliſoletanis, & Segovienſibus; ac modernis Romano-Toletanis *cap. 12. §. 24.* ubi dicitur, *Si verò difficultas, vel dubitatio in ipſis Decretis, & Conſtitutionibus oriri contigerit, ejus interpretatio, & explicatio Miniſtro Generali, vel Commiſſario item Generali reſervatur.* Secundum de Capitulo, & Congregatione Generali inde conſtat; quia illius eſt interpretari authentica declaratione legem, cujus eſt condere, juxta *cap. inter alia; de ſent: excom:* ſed Capitulum generale, & Congregatio Generalis poteſt, & ſolet condere Conſtitutiones generales: Ergo eaſdem poteſt authentica declaratione interpretari. Tertium de Miniſtro, & Vicario Provinciali; ac Quartum de Capitulo, & Congregatione Provinciali, probatur eodem fundamento, ex *cit. cap. inter alia.* deducto.

2. Dico ſecundò: doctrinali verò, ſeu magiſtrali declaratione, & interpretatione poſſunt etiam Conſtitutiones Regulares Ordinis noſtri Franciſcani illuſtrare Doctores, ſeu Lectores Ordinis; atque ita ſupplere abſentiam ſuperioris, ad quem aliàs ſpectat interpretatio authentica. Ita Sanctorus, & allj DD. Ordinis. Et conſtat *arg. L. unic. C. de Profeſſor.* Et *L. 1. de Orig. Jur.* Et *ex cap. 2. de privileg. in 6.* Ex *proœm.* Sexti; & Clement. *fine.* Debent autem Magiſtri, ſeu Lectores Or-

Ordinis in ejusmodi declaratione ſequi regulas canonicas, ac decreta Ordinis noſtri, aliàs ſalubriter edita; & non ex ſuo cerebro declarationes memoratas elicere. Attendere etiam debent mentem, & intentionem Legislatoris Regularis, aliasque circumſtantias.

3. Nota primò: præterea ijdem Interpretes; imò & ſuperiores Ordinis noſtri, ſimiliter in inſtituenda interpretatione authentica Conſtitutionum non debent arbitrariè procedere; unde contra apertam litteram earum, & in ſenſu inſolito, ac conſvetudini, vel alijs legibus, canonibusque repugnante eas declarare nequeunt; ut notat Sanctorus. Præterea interpretatio ita facienda eſt, ne diſpoſitio ſit eluſoria; ne ſequatur abſurdum, contrarietas, & perplexitas. Item nec à mente Legislatoris, ſeu Capituli debet diſcedere, quantum conjectura permittit: Quare ſi conſtet de mente Capituli, ſecundùm illam fieri debet; hic enim eſt primus gradus interpretationis: ſi verò non conſtet, attendi debet veriſimilitudo, quæ eſt ſecundus gradus: his autem deficientibus fieri debet ſecundùm meram ſignificationem verborum: & præcipuè attendenda eſt ſubjecta materia; uti notat Barboſa, Sanctorus: & interpretationes Conſtitutionum aliter factæ, nullæ ſunt.

4. Nota ſecundò: Rodriquez, & Sanctorus, cum Silv: Caſtro Palao, & alijs DD. putant, etiam Provinciales in facillimis rebus, & minutioribus poſſe interpretari Conſtitutiones generales; uti & Guardianos Conſtitutiones Provinciales; maximè ſi id faciant ſecundùm communem ſenſum DD. Ordinis.

TITULUS V.

DE DISPENSATIONE; ET ABROGATIONE SS. CANONUM, CONSTITUTIONUM APOSTOLICARUM; AC ALIARUM.

CAP. I.

Quid ſit Diſpenſatio Canonis; aut alterius conſtitutionis; & à quo edenda.

1. Dico primò: Diſpenſatio rectè hìc deſcribitur, quòd *ſit relaxatio Canonis, aut alterius conſtitutionis Eccleſiaſticæ abſolvens particulare aliquod individuum, vel corpus politicum particulare ab obligatione; remanentibus aliis ſub obligatione.* Hæc deſcriptio elicitur ex Scoto *3. diſt. 37. q. uni.* Ly *relaxatio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur *relaxatio Canonis, aut alterius conſtitutionis Eccleſiaſticæ* ad differentiam diſpenſationis quæ adhibetur in Leges Civiles. Additur *abſolvens particulare aliquod individuum*; nam diſpenſatio concernit quandoque hunc, vel illum tantùm ſubditum Juris, aut Legis Eccleſiaſticæ communis. Apponitur *vel corpus politicum particulare ab obligatione;* quia quandoque concernit integrum cætum ſubditorum, qui eximitur à Jure, aut Lege communi. Dicitur tandem *remanentibus aliis ſub obligatione;* ad deſignandum, quòd diſpenſatio non operetur effectum relaxationis univerſalem; ſed particularem duntaxat.

2. Dico ſecundò: Solus Papa, & Concilia Generalia in univerſo Jure Canonico, & ſingulis conſtitutionibus Apoſtolicis poſſunt diſpenſare. Ita Covarru. Strein. Salas, Silv. & communis Canoniſt. Ratio eſt primò: quia illius eſt diſpenſare in Lege, cujus eſt condere legem: Sed ſolus Papa, & Concilia condunt Jus Canonicum, & alias conſtitutiones Apoſtolicas: Ergo &c. Ratio eſt ſecundò: quia ſoli Petro Summo Pontifici dicitur, *quæcunque ſolveris ſuper terram, erunt ſoluta &c.* in quibus verbis fundatur univerſalis facultas diſpenſativa reſpectu quarumcunque Legum, & obligationum; & conſequenter etiam Univerſi Juris Canonici.

CAP. II.

Qualis ſit diſpenſatio cum, & ſine cauſa; & in caſu mortis Papæ diſpenſantis.

1. Dico primò: Diſpenſatio ſuper aliquem Canonem, vel conſtitutionem Apoſtolicam

licam, facta à Sum. Pontifice ſine juſta cauſa, valida quidem eſt; ſed illicita. Ita Felin. Salas, Dec. Strein. &c. Ratio primi eſt; quia Canon dependet à voluntate ſui authoris (puta Summi Pontificis) in fieri, & conſervari: Ergo is abſque juſta cauſa eum relaxare poteſt. Deinde abſolutio ab aliqua cenſura à cenſurante data ſine juſta cauſa, valida eſt, per *cap. venerabilibus, de ſent. Excom. in 6.* Ergò & diſpenſatio data à Sum. Pontifice ſine juſta cauſa. Et ſecundum colligitur ex Trident. *Seſſ. 25. cap. 18. de Reform.* ubi dicitur: *ſi urgens, juſtaq; ratio, & major quandoque poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandam eſſe, id causâ cognitâ ac ſumma maturitate erit præſtandum*; *aliter facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

2. Dico ſecundò: Juſtæ cauſæ generales legitimantes diſpenſationem alicujus Canonis, vel conſtitutionis Apoſtolicæ, ſunt, communis utilitas, imò & privata ſingularis; ſimiliter communis, aut etiam privata neceſſitas; pietas; & quædam rationes particulares urgentes, arbitriô conſcientiosô Sum. Pontificis dijudicandæ. Ita Bonac. Armill. Barbo. Salas, Azor. &c. Primum de utilitate petitur ex reſolutione *cap. tali, 1. q. 7.* Secundum ex *cap. quoniam,* ibidem. Tertium ex *cap. ſi qui,* ibidem. & *cap. ipſa pietas, ſ. verum, 23. q. 4.* Ratio quarti eſt, quia pro varietate caſuum particularium ob varias urgentes rationes de novo emergentes, aliqui Canones à Summo Pontifice poſſunt quandoque relaxari; puta ob bonum pacis inter Principes; vel ob periculum incontinentiæ in habente votum ſimplex caſtitatis; vel ob gloriam DEI, & ſimilia motiva.

3. Dico tertiò: diſpenſatio ſuper aliquem Canonem ſemel obtenta, in ſuo perſeverat robore, etſi Papa diſpenſans deinde moriatur. Ita Armil. Sa, Navar. Azor. &c. Ratio eſt; quia favor ſemel legitimè conceſſus, & obtentus, non concedenti, ſed accipienti, & utenti cenſetur ineſſe, atque cum eo vivere, *cap. cùm ſuperi, de offic. delegat. in 6.*

CAP. III.

Quis poſſit abrogare Canones; & Apoſtolicas conſtitutiones; & quomodo id fieri debeat.

Circa alterum articulum hujus Tituli.

1. Dico primò: Solus Sum. Pontifex, & generales Synodi poſſunt SS. Canones, & Apoſtolicas conſtitutiones abrogare. Ita Felin. Barbos. Abbas &c. Et habetur *in Clem. ne Romani, de Elect.* & in *cap. cum inferior; de Maj. & Obed.* Ratio etiam eſt: quia ſolus Sum. Pontifex, & Synodi generales poſſunt condere Canones, & conſtitutiones univerſam Eccleſiam obligantes: Ergò & eosdem abrogare. Conſequentia tenet; quia juxta Regulam communem Juris, *omnis res, per quaſcunque cauſas naſcitur, per easdem diſſolvitur.*

2. Dico ſecundò: Abrogatio alicujus Canonis generalis, vel Apoſt. conſtitutionis fieri debet cum prudenti, & moderato modo; ac appoſita certa ſcientia de noxa, ac inutilitate emergente ex antiqui Canonis, vel Apoſt. conſtitutionis obſervantia, & manifeſta utilitate ex conſtitutione novi. Ratio eſt; quia ut rectè Lex *2. ff. de Conſtit. Prin.* dogmatizat, *in rebus novis conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo Jure*; *quod diu æquum viſum eſt.* Et quia per abrogationem Canonis, qui fuit in viridi obſervantia, plerumque in populo Chriſtiano plura incommoda, & turbationes in moribus ſequuntur; quæ declinandæ ſunt à prudenti Legislatore, quantùm fieri poteſt.

CAP. IV.

De diſpenſatione, & abrogatione Conſtitutionum Ordinis S. Franciſci de Obſerv. & Reform.

1. Dico primò: Miniſter, & Commiſſarius Generalis Ordinis noſtri Fráciſcani poteſt in aliquibus Conſtitutionibus, ſeu ſtatutis diſpenſare; non verò in omnibus. Ita Lant. Rodriq. Sanctor. Cord. Et conſtat ex varijs Ordinis ſtatutis, Miniſtro Generali, (idem eſt de Commiſſario) facultatem diſpenſandi in quibusdam Conſtitutionibus Ordinis concedentibus; non tamen in omnibus; utì patet in Sigovienſibus, & noviſſimè in Romano-Toletanis *cap. 8. ſ. 11. n. 11.* Itaque Miniſter, & Commiſſarius Generalis poteſt diſpenſare in omnibus illis Conſtitutionibus, ac Statutis Ordinis, in quibus non prohibetur expreſſo decreto irritante Capituli Generalis, quod eſt ſupra Generalem; utì determinatum eſt in Capitulo Romano anno 1639. celebrato: unde ſi is deliquerit, poteſt ſyndicari, utì habetur *cap. 8. ſ. 9.* in Conſtitutionibus generalibus modernis *ſ. quibus auditis*; & ita obſervari

vari mandavit Urbanus VIII. in Bulla *cùm ſicut*. In quibus verò prohibetur expreſſè, nequit diſpenſare; v. gr. ſuper requiſita ad electionem Guardianorum, Diffinitorum, ac Provincialium &c. & alijs pluribus; de quibus infra *lib. 1. tit. 31.* in fine.

2. Dico ſecundò: ſola Capitula, & Congregationes Generales poſſunt abrogare Conſtitutiones, & ſtatuta Generalia perpetua, reſpectivè facta; uti & ſola Capitula, & Congregationes Provinciales extinguere Conſtitutiones provinciales. Ratio eſt; quia ſola Capitula, ac Congregationes Generales, & Provinciales habent poteſtatem condendi Conſtitutiones, & Statuta perpetua: Ergo & eadem abrogandi: nam juxta reg. communem Jur.* *Omnis res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur.*

TITULUS. VI.

DE CANONIBUS APOSTOLORUM; ET POENITENTIALIBUS.

CAP. I.

Quid ſint Canones Apoſtol. quod tempus editionis eorum; & quis eorum numerus verus; ac vigor.

1. Dico 1. Canones Apoſtolorum, bene deſcribuntur, quòd *ſint certæ quædam Regulæ, à SS. Apoſtolis in primitiva Eccleſia conditi, pro pleniùs formanda diſciplina morum Chriſtianorum, collecti à S. Clemente Romano Pontifice Diſcipulo D. Petri.* Eſt communis Canoniſtarum. Hæc deſcriptio petitur ex perpetua traditione Eccleſiæ, & Jure Canonico veteri, tradente ejusmodi canones, in cujus calce etiam reperiuntur regiſtrati.

2. Nota primò: circa tempus conſtitutionis horum Canonum variant SS. PP. & DD. Sophronius *in hom. de agone Petri* arbitratur, eos conditos fuiſſe illis quindecim diebus, quibus *ad Gal. 1.* narrat D. Paulus ſe manſiſſe Hieroſolymis apud D. Petrum. Pamphylus Martyr, & Innoc. I. autumant, eos conſtitutos fuiſſe Antiochiæ. Ego autem cenſeo, eos congeſtos fuiſſe tempore Concilij Hieroſolymitani Apoſtolorum, de quo fit mentio *Act. 15.* Moveor ad hoc verbis S. Clementis Romani, *lib. 6. Conſtit. cap. 12.* dicentis, *remanſimus pluribus diebus Hieroſolymis, conquirentes unà, quæ ad communem utilitatem, ac correctionem ſpectabant.*

3. Nota ſecundò: circa numerum quoque horum Canonum eſſe varietatem opinionum; nam Leo IX. Papa *in cap. 3. diſt. 16.* apud Gratian. quinquaginta tantùm agnoſcit: Zonara cum alijs ſtatuit 85. In calce Decreti Gratiani numerantur 84. ſed ſexageſimus quintus non videtur eſſe Apoſtolicus; utpote prohibens jejunium Die Sabbathi; & octogeſimus quartus non exhibet ſeriem librorum Canonicorum exactam.

4. Nota tertiò; plures ex Canonibus Apoſtolicis jam abijſſe in deſuetudinem; aut reformatos eſſe per Jus poſterius Canonicum; uti patet intuenti eosdem Canones, ſic v. g. hodie non viget amplius Canon 36. *bis in anno Epiſcoporum celebrator Synodus; ac pietatis inter ſe dogmata in diſquiſitionem vocanto.* & 75. *item non oportet Epiſcopum Fratri, aut Filio, aut alteri cognato humano gratificari affectu.* Ut Lector obviam de ſingulis præfatis Canonibus Apoſtolorum habeat notitiam, eos ex Jure Canonico huc transſcribo.

Canones SS. Apoſtolorum per Clementem à Petro Apoſtolo Romæ ordinatum Epiſcopum, in unum congeſti.

I. Epiſcopus à duobus, aut tribus Epiſcopis ordinator.

II. Presbyter ab uno Epiſcopo ordinator: item Diaconus, & reliqui Clerici.

III. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter ordinationem Domini, quam de ſacrificio inſtituit, alia quæpiam, puta aut mel, aut lac, aut pro vino ſiceram, aut confecta quædam, aut aves, aut aliqua animalia, aut legumina ſuper altare obtulerit, ut qui contra ordinationem Do-

Domini faciat, deponitor: exceptô novô frumentô, & uvâ opportuno tempore. Præterea licitum non eſto aliud quidpiam admovere ad altare, quàm oleum in candelabrum, & incenſum oblationis tempore.

IV. Omnium aliorum pomorum primitiæ Epiſcopo, & Presbyteris domum mittuntur, non ſuper altare. Manifeſtum eſt autem, quòd Epiſcopus, & Presbyteri inter Diaconos, & reliquos Clericos eas dividunt.

V. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus Uxorem ſuam prætextu Religionis non abjicito: ſi abjicit, ſegregator à communione: Si perſeverat, deponitor.

VI. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſæculares curas non ſuſcipito: alioquin deponitor.

VII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſanctum diem Paſchæ ante vernum æquinoctium cum Judæis celebraverit, deponitor.

VIII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quicumque ex Sacerdotali conſortio, oblatione factâ non communicaverit, cauſam dicito. Et ſi bona ratione ſubnixa ſit, veniam promeretor. Sin minùs dixerit, à communione excluditor, tanquam qui populo auctor offenſionis fuerit, mota contra eum ſuſpicione, qui obtulit.

IX. Quicunque fideles Eccleſiam ingrediuntur, & ſcripturas audiunt, neque apud preces, & ſanctam communionem permanent: eos tanquam qui ordinis in Eccleſia perturbationem inducant, à comunione arceri oportet.

X. Si quis cum Excommunicato, licet in Domo, preces conjunxerit, iſte communione privator.

XI. Si quis cum depoſito Clerico, ut cum Clerico preces conjunxerit, deponitor & ipſe.

XII. Si quis Clericus, aut Laicus à Communione ſegregatus, ſeu nondum in communionem receptus ad aliam profectus Civitatem, ſine commendatitijs literis receptus fuerit, à communione excluditor tam qui recepit, quàm qui receptus eſt. Si excommunicatus fuerit, in longius illi tempus excommunicatio protenditor.

XIII. Epiſcopo, qui Parochiam ſuam dereliquerit, alteri inſilire nefas eſto, licet à pluribus ad hoc compellatur: niſi rationabilis aliqua cauſa ſubſit, quæ hoc ipſum facere vi adigat, nempe quòd plus lucri, & utilitatis his, qui illic conſtituti ſunt, verbô pietatis conferre poſſit. Neque hoc tamen à ſe ipſo, ſed multorum Epiſcoporum judicio, & exhortatione maxima.

XIV. Si quis Presbyter, aut Diaconus, aut quicunque tandem de Clericorum conſortio, relictâ Parochiâ ſuâ, in aliam conceſſerit, & omninò transmigratione factâ, præter voluntatem ſui Epiſcopi in alia Parochia moram traxerit, hunc jubemus, ne porrò in miniſterio publico ſit Eccleſiæ; maximè ſi accerſente ipſum Epiſcopo ejus redire contemnat, perverſo illic ordine perſeverans; ut Laicus tamen ibi locorum in communionem admittitor.

XV. Quòd ſi Epiſcopus, ad quem acceſſerint, pro nihilo reputatâ vacationis à miniſterio Eccleſiaſtico pœnâ, quæ contra eos definita eſt, ipſos ut Clericos ſuſceperit, à communione excluditor, ut perverſi ordinis Magiſter.

XVI. Qui poſt baptiſmum duadus implicitus fuit nuptijs, aut concubinam habuit, is Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut denique in conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

XVII. Qui viduam duxit, aut divortiô ſeparatam à viro, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam, quæ publicis mancipata ſit ſpectaculis, Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, aut denique ex conſortio ſacerdotali eſſe non poteſt.

XVIII. Qui duas Sorores duxit, aut conſoqrinam, Clericus eſſe non poteſt.

XIX. Clericus, qui fidejuſſiones dat, deponitor.

XX. Si quis humana violentia Eunuchus factus eſt, aut in perſecutione amputata ei ſunt virilia, aut ita natus fuit, & dignus eſt, efficitor Epiſcopus.

XXI. Qui ſibi ipſi virilia amputavit, Clericus non efficitor: ſui enim ipſius homicida eſt, & inimicus creationi DEI.

XXII. Si quis, cùm Clericus eſſet, virilia ſibi ipſi amputaverit, deponitor; homicida etenim ſui ipſius eſt.

XXIII. Laicus, qui ſe ipſum mutilavit, per tres annos à communione ejicitor: putà quia ipſe vitæ ſuæ poſuit inſidias.

XXIV. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus in fornicatione, aut perjurio, aut furto deprehenſus, deponitor: non tamen à communione excluditor. Dicit enim Scriptura; Bis de eodem delicto vindictam non exiges. Eidem conditioni conſimiliter & reliqui Clerici ſubduntor.

XXV. Ex his, qui cælibes in Clerum pervenerunt, jubemus, ut Lectores tantùm, & Cantores (ſi velint) nuptias contrahant.

XXVI. Epiſcopum, aut Presbyterum, aut

Digitized by Google

aut Diaconum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles injuriam inferentes percutit, & terrorem ipſis per hujuſmodi vult incutere, deponi præcipimus. Nuſquam enim Dominus hoc nos docuit. Imò verò contra, cùm ipſe percuteretur, non repercutiebat: cùm laceſſeretur convitijs, non reddebat convitium; cùm pateretur, non comminabatur.

XXVII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ob certa crimina juſtè depoſitus, attingere miniſterium, quod aliquando tractaverat, præſumpſerit, omninò hic ab Eccleſia abſcinditor.

XXVIII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus pecuniæ interventu, hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipſe, quàm qui eum ordinavit, & omninò à communione abſcinditor, quemadmodum Simon magus à me Petro.

XXIX. Si quis Epiſcopus ſæcularium magiſtratuum familiaritate uſus, per ipſos Eccleſiam nactus fuerit, deponitor. Segregantor quoque à communione, quicunque cum ipſo communionem habent.

XXX. Si quis Presbyter, proprium aſpernatus Epiſcopum ſeorſum conventicula egerit, & altare erexerit, cum de nullo crimine Epiſcopum in pietate, ac juſtitia condemnarit, deponitor, quaſi qui principatum ambiat: tyrannus enim eſt. Conſimiliter & reliqui Clerici, qui ſuum illi calculum apponunt: Laici verò à communione ſegregantor. Atque hæc poſt unam, & item alteram, & tertiam Epiſcopi exhortationem fiunto.

XXXI. Si quis Presbyter, aut Diaconus per Epiſcopum à communione excluſus ſit, hunc neutiquam ab alio fas eſto ſuſcipi, quàm ab eo, qui ipſum à communione excluſit: niſi fortè fortuna Epiſcopus, qui ipſum à communione ſegregavit, defunctus ſit.

XXXII. Nemo peregrinorum Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum ſine commendatitijs ſuſcipitor literis: & ſi eas obtulerit, attentiùs in diſquiſitionem vocantor. Et quidem ſi Prædicatores pietatis fuerint, ſuſcipiuntor: ſin minùs, ubi neceſſaria ipſis ſuppeditaveritis, ad communionem, & ulteriorem ipſos conſuetudinem non admittitote, multa enim per obreptionem fiunt.

XXXIII. Cujuſque Gentis Epiſcopos oportet ſcire, quinam inter ipſos primus ſit, haberéque ipſum quodammodo pro capite, neque ſine illius voluntate quidquam agere inſolitum: illa autem ſola quémque pro ſe tractare, quæ ad Parochiam ejus, & loca ipſi ſubdita attinent. Sed neque in illa citra omnium voluntatem aliquid facito. Ita enim concordia erit. & DEUS glorificabitur per Dominum in ſancto Spiritu.

XXXIV. Epiſcopus extra terminos ſuos in Civitatibus & Regionibus ſibi non ſubjectis ordinationes facere non præſumito. Si verò præter voluntatem eorum, qui civitates illas, aut regiones detinent, id feciſſe convictus fuerit, deponitor tam ipſe, quàm etiam hi, quos ordinavit.

XXXV. Si quis ordinatus Epiſcopus miniſterium & curam populi ſibi commiſſam non ſuſceperit, hic à communione ſejunctus eſto tamdiu, donec ſuſceperit, obedientiam accommodans. Similiter autem & Presbyter, & Diaconus. Si verò non pro voluntate ſua, ſed præ malitia populi non ſuſceperit, maneto ipſe quidem Epiſcopus: Clerus verò ejus civitatis à communione ſegregator, eò quod tam inobedientem populum non corripuerint.

XXXVI. Bis in anno Epiſcoporum celebrator Synodus: ac pietatis inter ſe dogmata in diſquiſitionem vocanto, neque non in Eccleſijs incidentes contradictiones dirimunto ſemel quidem feria quarta *a.* Pentecoſtes, ſecundò duodecima Hyperberetei. *b.*

a. al. hebdomade. b. Hyperberetæus apud Aſiæ populos & Macedones October græcè dictus.

XXXVII. Omnium rerum Eccleſiaſticarum curam Epiſcopus gerito, & eas diſpenſato, quaſi inſpectante DEO. Non licitum autem ei eſto quidpiam ex ijs ſibi tanquam proprium aſſumere: aut cognatis ſuis elargiri, quæ DEO dedicata ſunt. Quòd ſi pauperes illi ſint, ut pauperibus ſubminiſtrato: non tamen horum prætextu res Eccleſiæ venundato.

XXXVIII. Presbyteri, & Diaconi abſque voluntate Epiſcopi nihil peragunto: ipſius enim Fidei populus Domini commiſſus eſt, & pro animabus ab ipſo repetetur ratio.

XXXIX. Manifeſtæ ſunto privatæ res Epiſcopi. Si modo & privatas habet: manifeſtæ item ſunto Dominicæ, ut privatas quidem res Epiſcopus, cum moritur, quibus vult, relinquendi facultatem habeat: neque occaſione Eccleſiaſticarum rerum intercidant res Epiſcopi, qui nonnunquam Uxorem & liberos, aut cognatos, aut ſervos habet. Juſtum enim eſt apud DEUM pariter & homines, ſimul ne Eccleſia per ignorationem rerum Epiſcopi damni aliquid ſuſtineat, ſimul ne Epiſcopus, aut cognati ejus prætextu Eccleſiæ oblædantur: aut etiam qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia, ejuſque mors implicetur diffamationibus.

Digitized by Google

XL. Præcipimus, ut Epiſcopus res Eccleſiæ in poteſtate habeat. Nam ſi pretioſæ hominum animæ fidei ejus committendæ ſunt; multò utique magis oportuerit & de pecunijs mandatum dare, ut illius arbitratu diſpenſentur, neque non cum timore DEI, ſummáque ſollicitudine per Presbyteros ac Diaconos erogentur in pauperes. Percipiat autem & ipſe (ſi modo indiget) quantum ad neceſſarios ſuos & hoſpitio exemptorum fratrum uſus opus habet, nè quo modo ipſe poſteriore loco habeatur, quàm cæteri. Ordinavit enim lex DEI, ut qui altari inſerviunt, de altari nutriantur: quando nec milites unquam ſuis annonis arma hoſtibus inferant.

XLI. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui vel aleæ, vel ebrietatibus indulget, vel deſinito, vel deponitor.

XLII. Subdiaconus, aut cantor, aut lector, qui conſimilia facit, vel deſinito, vel à communione ſejungitor. Similiter & Laici.

XLIII. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui uſuras à mutuum accipientibus exigit, vel deſinito, vel deponitor.

XLIV. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui cum hæreticis preces conjunxerit, duntaxat à communione ſuſpenditor. Si verò etiam ipſos tanquam clericos aliquid agere permiſerit, deponitor.

XLV. Epiſcopum, aut Presbyterum, qui hæreticorum baptiſma, aut ſacrificium ſuſceperit, deponi præcipimus. Quæ etenim conventio inter Chriſtum & Belial? aut quæ particula fidelis cum infideli?

XLVI. Epiſcopus, aut Presbyter, ſi eum, qui verum baptiſma habeat, iterum baptizaverit, aut pollutum ab impijs non baptizaverit, deponitor, ut qui crucem & mortem Domini derideat; neque diſcernat veros Sacerdotes à Sacerdotibus impoſtoribus.

XLVII. Si quis Laicus, cum ſuam à ſe Uxorem abjicit, alteram duxerit, aut ab alio dimiſſam, à communione ſegregator.

XLVIII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, ſecundùm ordinationem Domini non baptizaverit in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ſed in tres principio carentes, aut tres filios, aut tres paracletos, deponitor.

XLIX. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter in una initiatione non tres immerſiones, ſed unam duntaxat, quæ in mortem Domini detur, peregerit, deponitor. Non enim dixit Dominus, in mortem meam baptizate: ſed profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs ſancti.

L. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut quivis omninò de Sacerdotali conſortio, nuptijs, & carnibus, & vino abſtinuerit, non propterea, quo mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, ſed propter abominationem: oblitus, quòd omnia pulchra valde, & quòd maſculum & fœminam DEUS creavit hominem, ſed diffamationibus laceſcens creationem DEI, vocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitor, & ex Eccleſia rejicitor. Conſimiliter Laicus.

LI. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter eum, qui à peccato revertitur, non recipit; ſed rejicit, deponitor, eo quòd Chriſtum offendat, qui dixit, ob unum peccatorem, qui reſipiſcat, gaudium oboriri in cœlo.

LII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus carnibus & vino feſtivis diebus non utatur, ídque per abominationem, non propter exercitationem ad cultum pietatis, deponitor, tanquam qui cauterio notatam habet conſcientiam, & multis auctor ſit offendiculi.

LIII. Si quis Clericus in caupona cibum capere deprehenſus fuerit, à communione excluditor: excepto tamen eo, qui neceſſariò in itinere in commune diverterit hoſpitium.

LIV. Si quis Clericus Epiſcopum contumeliâ affecerit, deponitor: Principi enim Populi tui non maledices.

LV. Si quis Clericus contumeliâ affecerit Presbyterum, aut Diaconum, à communione ſegregator.

LVI. Si quis mancum, aut mutum, ſurdúmve, aut cæcum, aut eum, cui vitioſus inceſſus eſt, ſubſannaverit, communione privator. Conſimiliter & Laicus.

LVII. Epiſcopus, aut Presbyter, qui negligentius circa clerum vel populum agit, neque in pietate eos erudit: à communione ſegregator. Si verò in ea ſocordia perſeveraverit, deponitor.

LVIII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, Clerico ex inopia laboranti neceſſaria non ſuppeditaverit, à communione rejicitor: ſin perſeverat, deponitor, ut qui fratrem ſuum necaverit.

LIX. Si quis falsò inſcriptos impiorum libros tanquam Sacros in Eccleſiâ ad populi & cleri corruptionem publicaverit, deponitor.

LX. Si accuſatio contra fidelem inſtituatur de fornicatione, aut adulterio, aut quacunque alia actione prohibita, & convictus fuerit, in Clerum non perducitor.

LXI. Si quis Clericus per metum humanum, vel Judæi, vel Græci, vel Hæretici negaverit, ſi quidem nomen Chriſti, ab Eccle-

ſia

Digitized by Google

ſia rejicitor: ſi verò nomen Clerici, deponitor: pœnitentia tamen ductus, ut Laicus recipitor.

LXII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicunque ex Sacerdotali conſortio comederit carnes in ſanguine animæ ejus, aut à beſtijs abreptum, aut ſuffocatum, deponitor: hoc enim Lex prohibuit. Sin verò Laicus fuerit, à communione excluditor.

LXIII. Si quis Clericus, aut Laicus, Synagogam Judæorum, aut hæreticorum conventiculum ingreſſus fuerit, ut preces cum illis conjugat, deponitor, & à communione ſecluditor.

LXIV. Si quis Clericus in concertatione aliquem pulſaverit, & uno ictu ac pulſatione interemerit, deponitor propter temeritatem ſuam. Sin verò Laicus ſit, arcetor à communione.

LXV. Si quis Dominicum diem, aut Sabbathum, uno ſolo dempto, jejunare deprehendatur, deponitor: ſin Laicus, à communione ejicitor.

LXVI. Si quis Virginem ſibi non deſponſatam, admota vi detinet, à communione ſuſpenditor. Non licitum autem eſto ei aliam ducere: ſed eam detineto, quam ſollicitavit, quamvis paupercula ſit.

LXVII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſecundam ab aliquo ordinationem ſuſceperit, deponitor tam ipſe, quàm qui ipſum ordinavit: niſi fortè conſtet ordinationem eum habere ab hæreticis. Qui à talibus baptizati, aut ordinati ſunt, hi neque fideles, neque Clerici eſſe poſſunt.

LXVIII. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut Lector, aut Cantor Sacram Quadrageſimam Paſchæ, aut quartam feriam, aut Paraſcevem non jejunaverit, deponitor: præterquam ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin Laicus ſit, communione privator.

LXIX. Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut omninò quicunque ex Clericorum conſortio cum Judæis jejunaverit, aut comunem feſtum diem cum ipſis egerit, aut lautia feſti, nempe azyma, aut aliud hujus generis ab eis ſuſceperit, deponitor. Si Laicus, à communione ſegregator.

LXX. Si quis Chriſtianus oleum ad ſacra Gentilium, aut in Synagogam Judæorum in feſtis eorum detulerit, aut lucernas incenderit, à communione excluditor.

LXXI. Si quis Clericus, aut Laicus ceram, aut oleum ex ſancta ſubripiat Eccleſia, à communione ſejungitor.

LXXII. Vas aureum, & argenteum ſanctificatum, aut velamen, linteúmve, nemo ampliùs in ſuos uſus aſſumito, iniquum enim eſt. Cæterùm, ſi quis deprehenſus fuerit, excommunicatione mulctator.

LXXIII. Epiſcopum de aliquo per fide dignos accuſatum homines, ab Epiſcopis vocari neceſſarium eſt. Et ſi quidem comparuerit, & confeſſus convictúſque fuerit, cenſurâ irrogator Eccleſiaſticâ. Si verò vocatus non obtemperaverit, ſecundâ quoque vice vocator, miſſis duobus ad ipſum Epiſcopis. Quòd ſi per contumaciam ne ſic quidem comparuerit, ſynodus ſuam contra ipſum pronunciato ſententiam, ne quid tergiverſando, detrectandóque judicium lucrifacere videatur.

LXXIV. In dictionem teſtimonij contra Epiſcopum hæreticus non admittitor: ſed neque fidelis, ſi ſolus ſit. In ore enim duorum aut trium teſtium conſiſtet omne dictum.

LXXV. Item non oportet Epiſcopum fratri, aut filio, aut alteri cognato humano gratificari affectu. Neque enim Eccleſiam DEI conferre debet in hæredes. Enimverò ſi quis id fecerit, irrita permaneto ordinatio: ipſe autem excommunicatione percellitor.

LXXVI. Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure exiſtat, & dignus ſit, Epiſcopus efficitor; non enim mutilatio corporis ipſum polluit, ſed inquinatio animæ.

LXXVII. Qui verò mutus, ſurdúſve, & cæcus eſt, Epiſcopus non efficitor, non quia oblæſo corpore eſt, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur munia.

LXXVIII. Si quis dæmonem habeat, Clericus non efficitor: ſed neque cum fidelibus preces fundito. Mundatus verò recipitor, & ſi dignus fuerit, efficitor.

LXXIX. Qui ex vita gentili advenerit; & baptizatus eſt, aut ex converſatione prava, eum juſtum non eſt protinus promoveri in Epiſcopum. Injurium enim eſt, eum, qui non prius ſpecimen, & documentum de ſe præbuerit, aliorum doctorem exiſtere: niſi alicubi dono Divinæ gratiæ hoc fiat.

LXXX. Dicimus, quòd non oporteat Epiſcopum, aut Presbyterum publicis adminiſtrationibus immittere; ſed vacare, & commodum ſe exhibere uſibus Eccleſiaſticis. Animum igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim poteſt duobus Dominis ſervire, juxta præceptum Dominicum.

LXXXI. Servi ſi in clerum promoveantur citra Dominorum voluntatem, hoc ipſum operatur redhibitionem. Si quando verò

ſervus

ſervus quoque gradus ordinatione dignus videatur (qualis & noſter Oneſimus apparuit) & Domini conſenſerint, manúque emiſerint, & domo ſua ablegaverint, efficitor.

LXXXII. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus qui militiæ vacaverit; & ſimul utrumque retinere voluerit, tam officium Romanum, quàm functionem Sacerdotalem, deponitor. Quæ enim Cæſaris ſunt, Cæſari: & quæ DEI, DEO.

LXXXIII. Quiſquis Imperatorem, aut magiſtratum contumeliâ affecerit, ſupplicium luito, & quidèm ſi Clericus ſit, deponitor: ſi Laicus, à communione removetor.

LXXXIV. Sunto omnibus vobis, Clericis ſimul, & Laicis, venerandi ac ſacri libri, veteris quidem teſtamenti, Moyſis quinque, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium. Jeſu Filij Nave unus. Judicum unus. Ruth unus. Regnorum quatuor. Derelictorum ex libro dierum duo. Heſter unus. De Machabæorum geſtis tres. Job unus. Pſalterium unus. Salomonis tres, Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum. Prophetarum duodecim. unus Eſaiæ. Hieremiæ unus. Ezechiel unus. Daniel unus. Inquiritor autem à vobis extrinſecus, ut adoleſcentes veſtri addiſcant item ſapientiam eruditi Syrach. Noſtra vera, hoc eſt, novi Teſtamenti, Evangelia quatuor, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Pauli Epiſtolæ quatuordecim. Petri Epiſtolæ duæ. Joañis tres. Jacobi una. Judæ una. Clementis Epiſtolæ duæ, & præceptiones, quæ vobis Epiſcopis per mè Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt: quas omnibus publicare non oportet, ob quædam arcana, quæ in ſe continent. Et actiones noſtras Apoſtolorum.

Finis Canonum Apoſtolicorum.

CAP. II.

De quidditate, numero, & valore Canonum pœnitential.

1. DIco 1. Canones Pœnitentiales bene deſcribuntur, quòd *ſint quædam Regulæ directivæ circa pœnitentias pœnitentibus imponendas.* Ita Canoniſtæ communiter. Et elicitur ex veteri ordinatione Eccleſiæ, præſcribentis certas pœnitentias quibusdam peccatis gravioribus.

2. Nota primò: hujusmodi regulas, ſeu Canones pœnitentiales olim deſignatos eſſe numero 47. quorum plures hodie ob diſparem pœnitentium conditionem, imbecillitatem virium, & alias circumſtantias in praxi non ſolent executioni mandari à prudentibus Confeſſarijs; imò cenſentur jam longo non uſu aboliti; ut notat ex Reginal. Streinius, & alij DD. Horum ſeriem pro Lectoris notitia obvia hic appono.

Canones Pœnitentiales ſunt hi ſequentes.

PRimus eſt; quòd ſi Presbyter fornicationem fecerit; pœnitentiam decem annorum faciat, hoc modo: ſcilicet quòd ſit incluſus, ſive à cæteris in aliquo loco remotus: ſacco indutus, & humi proſtratus miſericordiam DEI implorans: primis tribus menſibus continuis à veſpera in veſperam pane & aquâ utatur, exceptis Dominicis diebus, & feſtis præcipuis, in quibus modico vino, piſciculis, & leguminibus recreetur. Elapſis autem ſic tribus primis menſibus, de illo loco exeat, non tamen in publicum procedat, ne populus in eum ſcandalizetur. Et per hoc videtur, quod in publico crimine loquatur. Poſt hoc reſumptis viribus aliquantulum, unum annum, & dimidium, in pane, & aqua expleat, exceptis Dominicis & alijs præcipuis feſtis, in quibus, vino, ſagimine, ovis, & caſeo poterit uti. Finitô ſic primô annô, & dimidio; particeps ſit corporis Domini, & ad pacem veniat, & ad Pſalmos cum alijs fratribus canendos in choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen Altaris noñ accedat, ſed minorum ordinum tantùm officia gerat: deinde uſque ad completionem ſeptimi anni tres legitimas ferias, ſcilicet ſecundam, quartam, & ſextam; exceptis diebus Paſchalibus, qui ſunt quinquaginta, in pane & aqua jujunet: ſecundam tamen feriam uno Pſalterio, vel denario ſi ſit operarius, redimere poterit. Et ſic cùm ſeptimum annum compleverit, poteſt eum Epiſcopus ad gradum priſtinum revocare, ita tamen quòd in tribus annis ſequentibus ſine ulla redemptione omni ſextâ feriâ in pane & aqua jejunet. Et eadem pœnitentia imponenda eſt Presbytero de omnibus alijs peccatis, quæ depoſitionem inducunt. Probantur autem hæc omnia *28. diſt. can. Presbyter ſi fornicationem.* quod intelligunt quidam de ſimplici fornicatione: alij fortè meliùs ſecundùm Ray. de adulterio, vel inceſtu; puta, quia cognovit conjugatam, conſanguineam, vel affinem.

Secundus eſt; Si Presbyter cognovit filiam ſuam ſpiritualem, quam ſcilicet baptizavit, vel in baptiſmo vel in confirmatione tenuit, vel quæ ſibi confeſſa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annis; & etiam debet deponi,

Digitized by Google

poni, ſi crimen ſit manifeſtum: & peregrinando quindecim annis pœniteat, & poſtea monaſterium intret tota vita ſua moraturus ibidem. Epiſopus verò qui talia commiſit, pœniteat quindecim annis; ipſa verò mulier debet omnia relinquere,& res ſuas pauperibus dare,& converſa usque ad mortem in monaſterio DEO ſervire. *30. quæſt. 1. Si quis Sacerdos. & cap. non debet.*

Tertius eſt; quòd quicunque filiam ſuam ſpiritualem vel matrem cognoſcit; ſeptem annis pœniteat: & ſimiliter ei conſentientes. *30. q. 3. non oportet.*

Quartus eſt; quòd qui contrahit cum aliqua alij deſponſata per verba de præſenti, ipſa dimiſſâ, quadraginta diebus jejunet in pane & aqua: & ſequentibus ſeptem annis pœniteat: *extra, de ſponſ. duorum accepiſti.*

Quintus eſt; quòd qui cognoſcit duas commatres, vel ſorores, ſive uxor vivat, ſive non, ad minùs ſeptem annis pœniteat, licet plùs deberet. *30. q. 4. ſi Presbyter.*

Sextus eſt; quòd qui cognoverit monialem ſive devotam; decem annis pœniteat: & ſimiliter ipſa ſecundùm formam traditam *27. quæſt. 1. de filia. & cap. devotam.* In quorum primo capite dicitur, quòd ſi filia Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi poſt votum ſolemne contraxerit matrimonium, non admittitur ad communionem, niſi maritô defunctô pœnitentiam egerit: ſi autem eo vivente deceſſerit, & pœnitentiam egerit, & communionem petierit, tantùm in fine vitæ recipiet eam. In ſecundo cap. dicitur, quòd devota peccans non eſt recipienda in Eccleſia, niſi peccare deſierit, & deſinens egerit pœnitentiam decem annis, poſtea recipiatur ad communionem, & antequam in Eccleſia admittatur ad orationem, ad nullius convivium Chriſtianæ mulieris accedat.

Septimus eſt; de eo, qui ignoranter cognoſcit duas ſorores, vel matrem & filiam, vel amitam & neptem, pœniteat ſeptem annis. Si autem ſcienter, perpetuò privetur conjugio. *34. q. 1. ſi quis cum duabus.*

Octavus eſt; quòd qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium; pœniteat quinque annis. *31. q. 1. ſi qua vidua.*

Nonus eſt; quòd qui contra naturam peccavit, ſi ſit clericus, debet deponi, vel religioni tradi, ſi corrigibilis appareat, ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Si verò ſit laicus, à cœtu fidelium uſque ad condignam ſatisfactionem debet fieri alienus. *Extra, de exceſſ. prælat. clerici.* Hoc enim vitium majus eſt, quàm cognoſcere matrem. *32. q. 7. adulterij.* & hæc Auguſt. Adulterii, inquit, malum, vincit fornicationem, vincitur autem ab inceſtu fornicatio. Pejus enim eſt cum matre, quàm cum aliena uxore concumbere: ſed omnium horum peſſimum eſt, quod contra naturam fit, ut ſi vir membro mulieris non ad hoc conceſſo voluerit uti: hæc Auguſtinus. Quocunque autem modo tale factum exerceatur, præterquam inter virum & fœminam ordinatè, & in vaſe debito, vitium contra naturam & ſodomiticum judicatur. *ut dicit Ray.*

Decimus eſt; quod qui coierit cum brutis, pœniteat plus quàm ſeptem annis: & ſimiliter pro inceſtu. *32. q. 2. hoc ipſum, & c. ſeq.*

Undecimus eſt; quòd Presbyter, qui intereſt clandeſtinis nuptijs, triennio ſuſpenditur: & ſi culpa exegerit, graviùs puniatur. *extra, de clandeſtin. deſponſa. cùm inhibitio.*

Duodecimus eſt; quòd qui votum ſimplex violaverit, pœniteat tribus annis. *27. diſt. ſi vir.*

Decimus tertius eſt; quòd qui excommunicatus celebraverit, debet triennio pœnitere; & per ſecundam, quartam, & ſextam feriam à vino & carnibus abſtinere. *11. q. 3. de his.* De pœna verò degradati celebrantis habetur *diſt. 50. accedens.*

Decimus quartus eſt; quòd homicida voluntarius ſine ſpe reſtitutionis deponitur, & pœniteat ſeptem annis. *50. diſt. miror.*

Decimus quintus eſt; quòd homicida caſualis pœniteat quintum ann. & hoc ſecundùm Ray. ſi culpa caſum præceſſit: aliter non, niſi fortè ad cautelam. *diſt. 50. eos, & duobus c. ſequentibus.*

Decimus ſextus eſt; quòd ſi quis fecerit homicidium propter neceſſitatem evitabilem, pœniteat duobus annis, *diſt. 50. cap. de his clericis.* quæ licet ſi inevitabilis eſſet, in nullo ſibi imputaretur. *50. diſt. qui à te.* Quod verum eſt quò ad culpam: ſed bonũ eſſet, quòd pœniteret quò ad cautelam, & innocentiam ſuam Eccleſiæ oſtendendam, *extra, de homicid. cap. 2. §. ultimo.* Et ſecundùm Ray. fortè diſtingui poteſt in homicidio neceſſario, ſicut in caſuali, et utrum culpa præceſſerit neceſſitatem, vel non, *Arg. diſt. 50. de his not. extra, de homicid. interfeciſti.* Sed & ſi quis per inſaniam committat homicidium, non ei imputatur, *3. q. 4. judicas.* quin etiam qui intuitu diſciplinæ incautè percutiendo occiderit, deponitur, *extra, de homicid. presbyterum. 15.*

Digitized by Google

q. 1. ſi quis non iratus. Sed qui ligatum latronem interficit, deponitur. *extra, de homicid. ſuſcepimus.* Qui autem latronem occultum occidit, quem vivum comprehendere potuit, quadraginta diebus non intret Eccleſiam, & aliàs pœnitere debet, *extra, eodem tit. cap. 2.* ubi de hoc dicitur. Qui verò Paganum vel Judæum occidit, pœniteat quadraginta diebus. *diſt. 50. cap. qui verò odij.*

Decimus ſeptimus eſt; quòd matricida pœniteat decem annis ſecundùm formam ſatis apertè traditam, *trigeſima tertia, quæſtione ſecunda, latorem.* Uxorcidæ verò gravior pœnitentia debet imponi. Talis enim, & qui Dominum occidit, nunquam equitat, nec vehiculo portatur, nec matrimonium contrahit, usque ad decem annos carnes non comedit, nec vinum bibit, & alia quæ habentur, *trigeſima tertia, quæſtione ſecunda, admonere. & cap. quicunque.* Imponitur autem pœnitentia major Uxoricidæ, non quia illud peccatum ſit gravius iſto, ſed quia homines proniores ſunt ad occidendum Uxores, quàm matres. Majus enim peccatum eſt occidere matrem, quàm Uxorem occidere, ut dicit Bonaventura in quarto ſententiarum, & communiter omnes Doctores. Guilielmus verò Durandus tenet contrarium in repertorio, pro eo, quòd Uxorcidæ imponitur pœnitentia major. Mihi autem magis placet ſententia aliorum. Sed qualem pœnitentiam agere debent, qui filios occidunt? Reſpon. aut eſt certum, quòd ipſimet ſcienter interfecerunt, & ſic eis debet imponi pœnitentia major, quàm pro alio homicidio. *Arg. extra, eod. c. ult. in text. & gl. de homic. cum juramento. de pœnitentia. diſt. 1. aut facta.* In hoc tamen caſu Vir Uxorem recuperat, quam coactus abjuraverat, & ipſa pœnitentiam agit ſecundùm arbitrium Epiſcopi: ita quòd ſi habet alios filios, pacificè gubernare poſſit eos Uxor. *extra, eod. intelleximus.* quòd ſi virum non habet, induci debet, ut intret Religionem: ad quod ſi non poteſt induci, tutius eſt, ei dare licentiam nubendi, *ut extra, eod. veniens.* Et hoc, quando timetur de incontinentia, aliàs non, *ut patet 31. q. 2. in adoleſcentia.* Et ſi Pater ſit Clericus, ab officio altaris debet perpetuò abſtinere, & ei gravior quàm laico, non tamen publica (niſi veniat in publicum) pœnitentia debet imponi, *ut extra, de pœniten. quæſumus.* Aut certum eſt, quòd non interfecerunt ſponte, nec in culpa fuerunt, ſed caſu fortuito contingit: & ſic de ſtricto jure in nullo tenentur. *Arg. extra, de homic. ex litteris. 2. cap. Joannes & c. ult.* Niſi velint ad cautelam pœnitere. In dubio tamen præſumitur, quòd non hoc ex certa ſcientia, ſed potiùs ex incuria provenerit, *extra, de præſumpt. afferte.* Aut certum eſt, quòd non exhibuerunt omnem diligentiam, quam potuerunt & debuerunt, & ſic culpa præceſſit caſum. Et ſi ſit gravis culpa, ut ſi poſuit puerum in medio utriusque, ſecundùm arbitrium pœnitentiarij, imponitur pœnitentia quinque vel ſeptem annorum, *50. diſt. ſi quæ fœmina. & c. ſequ. & cap. ſi quis ſponte.* occulta, ſi ſit occultum: publica, ſi ſit publicum: & major, ſi in lecto ſuffocetur, quàm ſi in cunis: & major Presbytero Græco quàm Laico, *ut habetur Extra, de pœnit. quæſitum.* Et licet diſpenſetur quoad pœnitentiam, quæ eſt arbitraria, ut dicitur ibidem; non tamen quoad ordines propter homicidium, quòd eſt delictum enorme & indiſpenſabile, *diſt. 50. miror.* Si autem culpa, quæ præceſſit caſum, ſit levis, ut ſi poſuit puerum in eodem lecto, longè tamen à ſe: imponitur pœnitentia trium annorum. Secundùm hoc intellige illud *extra, eod. de infantibus.* Monendi ergò ſunt parentes, quòd tam tenellos ſecum in uno non collocent lecto, nè qualibet negligentia interveniente opprimantur & ſuffocentur, *ut 2. q. 5. conſuluiſti.* Et hoc modo diſtinguit Hoſt. & Ber. *extra, de infantibus.* Quid de illis, qui filios vel ſervos ſuos infantes, vel etiam adultos languidos relegata pietate exponunt, id eſt, extra ſe ponunt ante Eccleſias, ut aliqui moti miſericordia colligant eos? Reſponſ. Tales graviter peccant, quia cùm ignoretur ſæpè conſanguinitas expoſitorum, contrahere poſſent matrimonium cum ſorore, vel conſanguinea: ideò exponens tenetur de hoc peccato pœnitere, & eſt puniendus ſicut expoſitus, ſi ſcienter cum tali contraheret, puniretur, *extra, de pœn. officij ſecundùm Hoſtien.* Talis enim ſecundùm Rayn. eſt tanquam homicida judicandus, qui hominem ſibi ita conjunctum periculo mortis exponit. Conſideratis tamen circumſtantijs, & utrum ob hoc mors ſecuta fuerit, vel non fuerit, pœnitentia moderanda erit. Erunt autem tales irregulares, ſecundùm Ray. ſi mors inde ſit ſecuta: quia ſcilicet fuerunt in culpa eos exponendo, vel alimenta negando. Tamen ſecundùm Ro. ſi in nulla culpa fuiſſent, quia fortè nec eleemoſynas quærendo, nec aliter eos alere poſſent, irregulares non eſſent, nec peccarent.

Decimus Octavus eſt; quòd qui Presbyterum interfecit, pœniteat duodecim annis. *extr. de pœniten. & remiſſ. cap. 1.* De pœnitentia verò ejus, qui occidit Monachum, vel Clericum, Subdiaconum, vel Diaconum habe-

habetur *17. q. 4. qui occiderit.* De pœnitentia autem ejus qui machinatur in mortem Domini ſui, vel in regimen ejus, habetur *23. q. ult. §. ſi quis.*

Decimus nonus eſt; quòd qui injuſtè alium ad mortem accuſat, quadraginta diebus in pane & aqua per ſeptem annos jejunet, & pœniteat: & hoc ſi accuſatus ſit occiſus. Si autem tantùm membrum perdiderit, triennio pœniteat. *extra, de accuſ. accuſaſti.* Hoſtienſ. verò & Joan. de DEO in jejunando intellexerunt, quòd primus pœniteat per ſeptem annos quolibet anno jejunando quadraginta diebus in pane & aqua, ſecundus verò per tres annos. G. verò Duran. intellexit, prout litera magìs ſonat, ſcilicet quòd primus jejunabit quadraginta diebus in pane & aqua, ſive continuè ſive interpolatè: & per ſeptem annos jejunabit & pœnitebit, non tamen in pane & aqua, ſed ad arbitrium Presbyteri: ſecundus verò per tres Quadrageſimas, primâ ante Natalem Domini, ſecundâ ante Paſcha, tertiâ ante S. Joannem, has enim inſtituit B. Petrus, ut habetur in chronicis. Jejunabit autem tunc in pane & aqua. probantur hæc *ſecundùm Hoſt. 22. q. 5. c. 1. 2. & 3.*

Vigeſimus eſt; quòd perjurus quadraginta diebus in pane & aqua jejunet, & ſeptem annis ſequentibus pœniteat, & ſemper debet eſſe in pœnitentia, ſcilicet interiori. *6. q. 1. quicunque.*

Vigeſimus primus eſt; quòd qui compulſus conditionaliter à Domino ſcienter pejerat, ſi liber ſit, quadraginta diebus in pane & aqua; & hoc ſecundùm gloſſ. intellige vel continuè, vel interpolatè, pœniteat ſeptem annis ſequentibus, non tamen in pane & aqua, ut dicit gloſſ. Si verò ſervus ſit ejus, qui eum coëgerit, tribus Quadrageſimis, & legitimis ferijs, ſcilicet *2. 4. & 6. 22. q. 5. qui compulſus.*

Vigeſimus ſecundus eſt; quòd qui pejerat in manu Epiſcopi, vel in cruce conſecrata, pœniteat tribus annis. Si verò in cruce non conſecrata, uno anno. Qui verò coactus & ignorans ignorantia juris, & poſtea cognoſcit, pœniteat tribus Quadrageſimis, *22. q. 5. c. 2.* Qui verò coactus pro vita redimenda, vel qualibet cauſa vel neceſſitate pejerat (quia corpus plus quàm animam dilexit) tribus Quadrageſimis pœniteat. *eod. q. 5. c. ſi quis coactus.* Alij inducunt tres annos: & unum ex his in pane & aqua.

Vigeſimus tertius eſt; quòd qui falſum ſcienter jurat, vel alium jurare cogit, diebus quadraginta pœniteat in pane & aqua: & ſeptem ſequentibus annis nunquam ſit ſine pœnitentia, ſcilicet interiori. Alij etiam, ſi conſcij fuerint, ſimiliter pœniteant. *22. q. 5 ſi quis convictus.*

Vigeſimus quartus eſt; quòd qui menſurat in falſa menſura, 30. diebus in pane & aqua jejunet, *extra, de contrah. empt. ut menſura.* De pœna verò falſarij literarum, *habetur extra, eod. ad audientiam, & c. dura, & c. ad falſariorum. & de verb. ſig. novimus.*

Vigeſimus quintus eſt; quòd qui frangunt pœnitentiam ſolemnem, ſive redeundo ad crimina priora vel ſimilia: ſive redeundo ad negotiationem vel militiam ſæcularem, quæ ſibi fuerant interdicta, ſola inter Eccleſiam fidelibus oratione junguntur, à communione ſuſpenduntur, à Catholicorum convivijs ſeparantur, & pœnitere debent decem annis, & communicent in fine vitæ. *33. q. 2. de his verò. & de pœn. diſt. 5. ſi quis verò.*

Vigeſimus ſextus eſt; quòd qui canit miſſam & non communicat, debet uno anno pœnitere, & interim miſſas non cantare. *de conſecr. diſt. 5. relatum.*

Vigeſimus ſeptimus eſt; quòd Presbyter, qui mortuum clericum involvit in palla altatis, pœniteat decem annis, & menſibus 5. Diaconus verò triennio & dimidio. *de conſecr. diſt. 1. nemo per ignorantiam.*

Vigeſimus octavus eſt; quòd qui committit ſacrilegium, Eccleſiam violando, vel chriſma, ſive calicem ſacrum pollutis manibus accipit, vel ſimilia ſacrilegia committit, pœniteat ſeptem annis. Primô annô extra cœmeterium, quod violavit, conſiſtat: Secundô annô ante fores Eccleſiæ; tertiô in Eccleſia: & in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, niſi in Paſcha, vel Natali; non offerat, nec communionem accipiat, quartô annô communicabit, & in illo, & 5. & 6. & in ſeptimo, tribus ferijs à carnibus & vino abſtineat jejunando. *12. q. 2. dæmon.* comburens autem Eccleſiam quindecim annis pœniteat, & eam reſtituat. *17. q. 4. §. ſi quis in verſ. majus.* De pœna verò raptoris ſive furis rei Eccleſiaſticæ, & de pœna furis & effractoris tam clerici quàm laici habetur *ead. quæſt. §. peccata. & cap. ſi quis clericus.*

Vigeſimus nonus eſt; quòd ſi parentes frangunt ſponſalia filiorum, à communione triennio ſeparentur: & ſimiliter filij, ſi ſint in culpa, ſi tamen filij ſecundùm promiſſionem factam contraxerint, excuſantur utique: ſcilicet quo ad pœnam Eccleſiæ, ſed non quo ad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium. *31. q. 3. ſi qui parentes. argu. de pœn. diſt. 1. ſi cui.*

Digitized by Google

Trigeſimus eſt; quòd qui blaſphemaverit publicè DEUM, vel aliquem Sanctorum, & maximè B. Virginem, illi debet Epiſcopus hanc pœnitentiam injungere: ſcilicet ut ſeptem diebus Dominicis præ foribus Eccleſiæ in manifeſto, dum miſſa cantatur, exiſtat, & ultimò illorum dierum Dominicorum pallium & calceamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & ſeptem præcedentibus ſextis ferijs in pane & aqua jejunet, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus, & quolibet prædictorum dierum tres pauperes, vel duos, vel ſaltem unum reficiat, ſi poteſt: & ſi non poteſt, hæc pœna in aliam commutetur: quòd ſi renuerit agere omnia ſupradicta, interdicatur ſibi Eccleſia, & in morte privetur Eccleſiaſticâ ſepulturâ. *extra. de maledic. ſtatuimus.* Item blaſphemus ſi dives fuerit, 40. alioquin 30. vel 20. & ſi ad hoc non ſufficit, quinque ſolidorum uſualis monetæ pœnâ mulctetur, nullamque miſericordiam in hoc habiturus, ut dicitur ibidem; ſcilicet quin ſolvat quinque ſolidos: quòd ſi non habet, currat per civitatem, vel commutetur in pœnam aliam temporalem. Hæc autem pœna ſolvetur ei, qui condemnat: id eſt, poteſtati ſæculari, hanc enim pœnam temporalem præcipit Papa imponi per poteſtatem ſæcularem: quod ſi neglexerit, per Epiſcopum præcipitur cogi. Hæc Hoſt. habet autem prædicta pœna locum ſecundùm Goffr. cum quis blaſphemat non ex ira, vel ebrietate, vel dementia: quia tunc cum eo mitiùs ageretur. *q. 3. ſi quis iratus. §. notandum.* Secundùm verò Hoſtien. hæc pœna eſt ſpecialiter inducta contra eos, qui DEUM blaſphemant ex ira. Non enim aliquis de levi blaſphemat DEUM, niſi iratus. Tanta tamen poſſet eſſe iracundia, quòd æquipararetur dementiæ, & tunc illud, quod dicit Goff. locum poſſet habere. Hæc Hoſtien.

Trigeſimus primus eſt; de Presbytero, qui revelat confeſſionem, quòd de jure antiquo debet deponi, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinari. *de pœn. diſt. 6. Sacerdos.*

Trigeſimus ſecundus eſt: quòd qui in dicendis horis canonicis, & alijs officijs divinis diſcrepat à conſuetudine propriæ metropolitanæ Eccleſiæ, 6. menſibus privatur communione, ſi hoc accidat ex contemptu. *17. diſt. de his.*

Trigeſimus tertius eſt; quòd Epiſcopus, qui ordinat ſine juſta cauſa clericum invitum aut reclamantem, vel penitùs invitum, abſolutè ſuſpenditur annô unô. *74. diſt. cap. 1.*

Trigeſimus quartus eſt; quòd Epiſcopus, qui correctionem de venditione miniſteriorum diſſimulat, duobus menſibus: Presbyter 4. Diaconus 3. Subdiaconus, & cæteri ad arbitrium Judicis pœnitere debent. *1. q. 1. quidquid inviſibilis.*

Trigeſimus quintus eſt; quòd ſortilegus 40. diebus pœniteat. *extra, de ſortileg. requiſiſti.*

Trigeſimus ſextus eſt; quòd qui videt in aſtrolabio, pœniteat duobus annis. *extr. de ſortileg. ex tuarum.*

Trigeſimus ſeptimus eſt; de ſtilla ſanguinis altaris cadentis ſuper terram, vel aliquid aliud propter negligentiam Presbyteri, debet Presbyter pœnitere 40. diebus. Si cecidit ſuper pallio altaris, pœniteat quatuor diebus. *de conſec. diſt. 2. c. ſi per negligentiam.*

Trigeſimus octavus eſt; quòd ſi aliquis evomit Euchariſtiam propter ebrietatem & voracitatem, ſi laicus, pœniteat. 40. diebus: Si Clericus, vel Monachus, vel Presbyter, vel Diaconus, pœniteat 70. diebus. Si Epiſcopus, pœniteat 90. diebus. Et debet evomitura comburi, & juxta altare collocari. Si verò cauſâ infirmitatis evomuerit, ſeptem diebus pœniteat. *de conſecr. diſt. 2. ſi qui propter ebrietatem.*

Trigeſimus nonus eſt; quando mus corrodit, vel comedit corpus Chriſti, de pœnitentia hujus caſus inquire, ubi ſit notata. *de conſec. diſt. 2. circa fin.*

Quadrageſimus eſt; quòd qui domum vel aream voluntariè ſuccendit, ſublata vel incenſa omnia reſtituat, & tribus annis pœniteat. *extra, de injur. ſi quis domum.* Canon tamen dicit, quòd ſi ex odio vel injuria hoc fecerit, excommunicari debet, nec abſolvi, donec ſatisfecerit, & juraverit, quòd ignem de cætero non apponet. Imponitur autem ſibi, ut Hieroſolymam, vel Hiſpaniam vadat, in DEI ſervitio anno integro ibi moraturus. Si quis autem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & ab officio epiſcopali per annum abſtineat. *23. q. 8. peſſimam.* Hodie autem poſtquam ſunt denunciati, non poſſunt citra Sedem Apoſtolicam abſolvi. *extra, de ſentent. excommun. tua nos.* Imò text. loquitur de incendiarijs indiſtinctè, poſtquam ſunt publicati. Et Ber. hoc idem dicit expreſſè, & Gratianus *extra. de ſent. excommunicat. quicunq;* & Goffred. licet Ro. contrarium dicat. Secundùm autem leges, qui in civitate data opera incendium fecerit, ſi ſit humilis, ſubjicitur beſtijs: ſi ſit in aliquo gradu, decapitatur, vel in inſulam relegatur. *ff. de incend. ruin. naufrag. l. fin.* Qui verò alibi ut in villis vel caſtris remiſſis ibidem ædes poſitas combuſſerit, ſi hoc

dolo

Digitized by Google

dolo fecerit, comburitur. Et hoc intelligendum ſecundùm Hoſtienſ. ſi ſit humilis. Si autem hoc ex ſua negligentia contigerit, reſarciet damnum, vel ſi minus idoneus ſit, parum vel leviter caſtigetur. Et nomine ædium omne ædificium continetur, *ut ibidem dicitur. l. qui ædes.*

Quadrageſimus primus eſt; quòd qui dederit, vel acceperit communionem ab Hæretico, & neſcit hoc eſſe prohibitum ab Eccleſia, & poſtea intelligit, pœniteat uno anno. Si autem ſcivit & neglexit, pœniteat 10. annis, vel ſecundùm quoſdam 7. vel ſecundùm alios quinque. Qui verò permittit hæreticum Miſſam celebrare in Eccleſia Catholica per ignorantiam juris, pœniteat quadraginta diebus. Si pro reverentia ejus, per annum pœniteat. Si pro damnatione Eccleſiæ Catholicæ, & pro conſuetudine Romanorum, projiciatur ab Eccleſia ſicut hæreticus, ſi ſit impœnitens: alioquin pœniteat decem annis. Si autem relictâ Eccleſiâ ad hæreticos tranſierit, & alios ad hoc induxerit, pœniteat duodecim annis, tribus extra Eccleſiam, ſeptem inter audientes, duobus extra communionem; & ſic duodecimo anno communionem ſive oblationem percipiat, *24. q. 1. ſi quis dederit.*

Quadrageſimus ſecundus eſt; quòd Patronus, qui res Eccleſiæ dilapidat, uno anno pœniteat. *16. q. 7. cap. filiis.*

Quadrageſimus tertius eſt; quòd qui domum ſuam magicis & incantatoribus luſtrat, vel aliud facit, & qui ei hoc conſulit, 5. annis pœniteat. *16. q. 5. qui divinatores, & cap. non liceat.*

Quadrageſimus quartus eſt; quòd qui pacem cum proximo ſuo non facere jurat, anno uno pœniteat, & ad pacem redeat. *22. q. 2. qui ſacramento.*

Quadrageſimus quintus eſt; quòd pro perjurio, adulterio, homicidio dantur pro pœnitentia regulariter ſeptem anni, & ſimiliter pro fornicatione: licet non ita aſpera pœnitentia injungatur. *22. q. 1. prædicandum. 33. q. 1. hoc ipſum. & §. ſeq.*

Quadrageſimus ſextus eſt; quòd qui ſcienter rebaptizatur, ſeptem annis pœniteat, & feriâ quartâ, & ſextâ in pane & aqua jejunando tres quadrageſimas faciat, & hoc ſi fecit pro hæreſi introducenda. Si autem pro munditia, id eſt, pro ſalute corporis obtinenda, *ut extra, de apoſta. capitulo 2.* tribus annis pœniteat, *de conſecratione. diſt. 4. qui bis.* & talis, qui baptizatur, vel confirmatur, fit de foro Eccleſiæ, & cogitur fieri irregularis. *diſtin. 84. dictum eſt.* De pœna autem talium habetur *de conſecrat. diſt. 4. eos.* cujus capituli ſententiam prætermitto gratiâ brevitatis.

Quadrageſimus ſeptimus eſt; quòd qui uxorem adulteram cognoſcit antequam pœniteat, tres ann. pœniteat, *21. q. 2. ſi quis.* Qui verò cognoſcit eam pœnitentem ante pœnitentiam peractam, pœniteat duobus annis. *eadem quæſt. ſi quis primò.* Quomodo verò pœnitentia injungenda ſit mulieri partum alterius ſupponenti, vel etiam de non ſuo viro concipienti, habetur *extra, de pœniten. & remiſſione officij.*

Expliciunt Canones pœnitentiales.

TITULUS VII.

DE

DE TRADITIONIBUS; STYLO; FORO; RITU; ET MORE; ET REGULIS CANCELLARIÆ; DECLARATIONIBUS DD. CARDINALIUM; ET DECISIONIBUS ROTÆ ROMANÆ.

CAP. I.

De quidditate; varietate; & obligatione Traditionum.

1. NOta primò circa primum articulum hujus Tituli: per *Traditionem* intelligi *Jus quoddam non ſcriptum in S. Litteris, Decretis Apoſtolicis vel Eccleſiaſticis; ſed vivâ voce traditum, & ab una ætate ad alteram quaſi per manus propagatum; ordinatum ad diſciplinam Chriſtianam.*

2. Nota ſecundò: hujuſmodi Traditiones eſſe in triplici differentia, ut cũ TT. & Canoniſtis rectè obſervat Zoëſius hìc: aliæ enim ſunt Divinæ, aliæ Apoſt. aliæ Eccleſiaſticæ. *Divinæ Traditiones* ſunt illæ, quæ ab ore ipſiuſmet Chri-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Chriſti immediatè originem habent, in S. Litteras tamen relatæ non ſunt: tales ſunt doctrinæ magna ex parte de materia & forma Sacramentorum. *Apoſtolicæ* ſunt, quæ ab ore SS. Apoſtolorum profectæ ſunt, & Eccleſiæ Divino inſtinctu ab ijsdem traditæ: tales ſunt diverſi ritus Sacramentorum. *Eccleſiaſticæ* tandem ſunt quædam conſuetudines antiquæ Eccleſiæ, à Prælatis, vel à Populis inchoatæ, quæ paulatim tacito conſenſu populorum vim Legis obtinuêre: tales ſunt jejunium Quadrageſimale, quatuor temporum, baptizatos oleô ſacro inungere, &c. ut habetur *in can. Eccleſiaſticarum, diſtinctione 11.*

3. Dico primò: Tam Divinæ, quàm Apoſtolicæ, & Eccleſiaſticæ Traditiones habent vim Legis obligantis. Ita communis Catholicorum DD. tam Theologicæ, quàm Canonicæ Facultatis. Primum, & ſecundum petitur *primò* ex S. Scriptura, obſervantiam Traditionum Divinarum, & Apoſtolicarum præſcribente, illis verbis 2. ad Theſſal. *itaque Fratres ſtate, & tenete Traditiones &c. Secundo*, ex Oecumenicis Concilijs, idem Jus Traditionum Divinarum, & Apoſtolicarum inculcantibus; ut videre eſt 7. Synodo *act. 7.* & in 8. Synodo *act. 10. can. 1.* & in Tridentino *Seſſ. 4.* *Tertiò* ex SS. Patribus idem affirmantibus, ſignanter D. Auguſtino *lib. 2. de Bapt. contra Donatiſt.* D. Baſilio. *lib. de Spiritu S. cap. 27.* & alijs, quos vide per extenſum relatos *in mea Schola Theol. Tom. 3. Tract. 1. diſt. 3. q. 12.* Ratio tertij; quia niſi admittantur Traditiones Eccleſiaſticæ obligatoriæ, dabitur anſa plures veræ fidej noſtræ articulos elidendi, & perplexitates varias circa eandem excitandi, cum magno dedecore, & detrimento Religionis; puta circa verum Canonem Librorum Sacrorum, numerum Epiſtolarum Canonicarum D. Pauli, numerum ſeptenarium Sacramentorum, genuinum S. Scripturæ ſenſum &c. quæ omnia Solis Traditionibus Eccleſiaſticis innoteſcunt: unde rectè dicit Nicolaus Papa *can. ridiculum diſt. 12.* quòd ſit dedecus, & abominabile, Traditiones ab Eccleſia receptas pati pro libitu ſemper errantium infringi.

CAP. II.

Quid Stylus; & quæ ejus energia.

1. CUm Jure Canonico habent affinitatem quandam Stylus, Forum competens, Ritus, Mos, Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ, Declarationes Cardinalium, & Deciſiones Rotæ Romanæ; de quibus proinde breviter in ſequentibus agam. Unde

2. Nota primò: *Stylum* dupliciter ſumi à Valenſ. Bartul. Farinac. Barb. & alijs Juriſperitis, ac Canoniſtis; *Primò* pro formula, & modo peculiari artificiali procedendi in cauſis, ac negotijs; & tunc dicitur *Stylus facti*. *Secundò* pro Jure quodam, ex ejusmodi formula, & modo procedendi nato: & vocatur *Stylus Juris*.

3. Dico primò: Stylus Juris uſitatus in Curia Apoſtolica facit tractu temporis ad præſcriptionem requiſitì, & frequenti uſu, Jus quaſi conſuetudinarium; & attendi debet maximè in Reſcriptis ac Bullis interpretandis. Ita Salas, Gaill. Barboſ. Alexand. &c. DD. Et colligitur ex *cap. quàm gravi, 6. de crimine falſi.* & *cap. ex litteris, de conſtitut.* & *cap. litteras, de Juramento Calumn.*

4. Quantùm verò operetur, quando, & quo pacto Stylus Juris aliarum Curiarum, vide Alexandrum *Conſil. 39. viſis & conſideratis. L. 3.* & Farinac. *2. p. deciſio. 486.* & *1. p. deciſ. 395.* Vallenſ. *lib. 1. tit. 4. §. 4.*

CAP. III.

De Foro.

1. NOta, per Ly *Forum* intelligi vel locum exercendarum litium, in quo quis conveniri poteſt; ut dicitur *cap. forus, de Verb. ſignif.* Vel *territorium cujuscunque Judicis, in quo poteſt exercere judicialia*; ut habet Vallen. Streinius, &c. ad hujusmodi Forum pertinent omnes actiones forenſes, ſolitæ agitari à Judice; inſtrumenta quoque, & Leges, mores, ac Conſuetudines ſolitæ obſervari in territorio ejusdem; ut notat Streinius hìc. De Foro proponetur ſpecialis titulus *2. in 2. Decret.* Interea

2. Dico primò: Actores in cauſa Canonica contra Clericum obligantur attendere, & ſequi Forum Eccleſiaſticum. Ita communis Canoniſtar. Et conſtat ex *cap. cùm contingat 13.* Et ex *cap. poſtulâſti, de foro competenti.*

CAP. IV.

De natura, ac nervo Ritûs, & Moris.

1. NOta primò: *Ritum eſſe ſolemnitatem quandam ſolitam obſervari in aliquo actu; ſpecialiter verò in actu adminiſtrationis Sacramentorum obſervari ſolitam.*

2. Di-

Digitized by Google

2. Dico primò: Ritus frequentatus, continuatus, & roboratus tandem eandem cum legitima conſuetudine vim obtinet, & parit Jus quoddam. Ita Tuſchus, Strein. Eberhard. Duen. & alij DD. Ratio eſt; quia Ritus modô præfatô obſervatus radicatur, & induit naturã conſuetudinis. Circa ultimũ articulũ.

3. Nota ſecundò: Ly *Morem* dupliciter uſurpari à DD. *Primò* capitur pro Synonymo conſuetudinis ſumptæ pro Jure: hoc ſenſu dicimus aliquem ſequi morem Patriæ, id eſt, conſuetudinem; & ita capitur *in can. mos, diſt. 1.* dum dicitur, *mos eſt longa conſuetudo de moribus tantummodò tracta.* *Secundò* accipitur pro ipſiſmet actibus frequentatis, & iteratis: hoc ſenſu eſt cauſa conſuetudinis; ut rectè annotat Vallenſis, & alij DD. De more plura infra ſub ſpeciali tit. De conſuetudine.

CAP. V.

Quid Regulæ Cancellariæ Apoſt., quis earum Author, & numerus.

1. Nota primò: *Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ* eſſe conſtitutiones quaſdam, ac ordinationes, primitùs ab Innocentio VIII. Anno 1484. præſcriptas, ſecundùm quas ſolet procedere Cancellaria Apoſtolica, & Curia Pontificia in negotijs reſervationum beneficiorum, quarundam dignitatum Eccleſiaſticarum, ac cauſis judicialibus. Hujuſmodi Regulæ fuerunt primò 73. tantùm; ſed his deinde acceſsêre aliæ quoque Julij II. & Clementis VII. & Pauli III. & Pauli V. & aliæ ſucceſſorum. Has interpretatus eſt olim Alphon. Soto. & noviſſimè Joan. Cochier.

2. Nota ſecundò: controverti inter DD. num hujuſmodi Regulæ contineant Jus commune, & generale: negat Decius *in cap. 1. de Conſtit. n. 4.* & plures alij relati à Gomezio *in reg. Canc.* Affirmat verò indiſtinctè Miliſſ. Felin. Joannes Andræas, Caſſanæus, &c. Sed Valens. Diana &c. putant eas obligare tanquam Jus generale in Foro exteriori; nõ autem in interiori Conſcientiæ. Gomezius autem diſtinguit melius, & dicit, quaſdam Regulas ex memoratis præſcribi ſoli Cancellariæ Apoſtolicæ; & has ait non continere Jus generale: quaſdam verò præſcribi omnibus; & has ait continere Jus generale, & obligare omnes.

3. Nota tertiò: iſtæ regulæ Cancellariæ obligant tantùm durante vitâ Sum. Pontificis, & cum ipſô expirant; uti conſtat ex earum proœmio, & notat Gonzal. Paris. Engel &c. Sed rurſus ſtatim ligant à tempore creati novi Pontificis; à quo proinde etiam ſolent reimprimi, renovari, & confirmari, augeri vel diminui, ut notat Engel.

CAP. VI.

Quid Declarationes Cardinalium; & quæ vis earum.

1. Nota primò: in Urbe Romana à Sixto V. ac alijs Summis Pontificibus fuiſſe erectas complures Congregationes pro diverſitate Cauſarum, quas vide relatas apud Cohelium *in notitia Cardinalat. cap. 15.* Inter has eſt inſignis illa Congregatio Cardinalium Interpretum S. Concilij Tridentini, ordinata ad interpretationem, & executionem Concilij Tridentini: hujus interpretationes vocantur *Declarationes Cardinaliũ.*

2. Nota ſecundò: hujuſmodi Declarationes habere vim legis, docet noſter Emmanuel Rodriguez *quæſt. regul. tom. 1. q. 11. art. 2.* Cherubinus, Cohelius, Salas, Cochier, Diana, &c. Econtra eas tantùm eſſe doctrinales, ſuſtinet Sanchez, Villalobos, Bonacinna, Tapia &c. maximæ tamen authoritatis, & æſtimationis. Ego puto eas habere tunc vim legis, ſi adſint tres conditiones principales; *Prima,* ut fiant conſultô Summô Pontifice: *Secunda,* ut Cardinales ſolùm declarent Tridentinum; non verò diſpenſent, aut ultra proprietatem verborum legis augeant; niſi obtentô deſuper ſpeciali Papæ mandatô; cujus mandati etiam debet fieri mentio in Declaratione juxta Pium V. & Gregorium XIII. *Tertia,* ut appareat forma authentica cum ſigillo ſolito, & ſubſcriptione Cardinalis Præfecti, ac Secretarij ejuſdem Congregationis; juxta mandatum Urbani VIII.

CAP. VII.

Quid Rota Romana, & quæ ejus Authoritas.

1. Nota primò: Romæ inſtitutum eſſe à Papa tribunal quoddam, ſeu conventum doctiſſimorum virorum, ex varijs nationibus orbis Chriſtiani collectorum, qui vocantur *Auditores,* ſeu *Doctores Rotæ*: hi ſuper graviſſimas cauſas ad Romanam Curiam devolutas edunt reſolutiones, ac determinationes, quæ *deciſiones Rotæ* vocantur.

2. Nota ſecundo: hujuſmodi Deciſiones Rotæ communiter dicuntur inſtar ſtyli Jus facere in ipſa Curia Romana. Extra Curiam Romanam vult Moneta tantùm haberi pro reſponſis prudentum, ac communi opinione; à qua tamen, niſi rationes validiſſimæ adverſentur, non eſt facilè recedendum; ut etiam tenet Cevallos, Tuſchus, Garcia, Prado &c.

TITU-

Digitized by Google

TITVLVS VIII.

DE CONCILIATIONE JURIS CANONICI CONTRARII; ET REGULIS DIRECTIVIS CIRCA PUGNAM EJUSDEM CUM CIVILI.

CAP. I.

Qualiter agendum in concurſu textuum Canonicorum contrariorum.

1. NOta primò: Si contingat in locis diverſis Juris Canonici obſervari aliquam contrarietatem, ſic procedendum eſt à Canoniſta: vel enim illi duo textus ſibi contrarij ſunt partes Reſcripti, aut Conſtitutionis ejusdem Summi Pontificis; vel diverſorum: ſi ſint unius, v. g. Gregorij IX. in 5. libris Decretalium, tunc inſtituenda eſt Conciliatio eorum per prudentem, & congruam interpretationem; non enim in una eademque compilatione Legum debet reperiri contrarietas, *L. 1. contrarium C. de vet. Jure enucl.* & obſervat rectè Gloſſa *in proœm. Decret.* verbo *contrarietas*. Excipe niſi textus poſterior contineat apertos terminos correctorios prioris textus; uti fit *in cap. 2.* Et *cap. 3. de cenſibus, in 6.*

2. Nota ſecundò: Si verò textus contrarij ſint diverſorum Pontificum, ſeu in diverſis libris v. g. in 5. libris Decretalium, & in Sexto, vel Clementinis; & contrarietas eſt manifeſta; tunc deciſio poſterioris eſt duntaxat amplexanda; & Jus poſterius cenſetur derogare priori; *cap. ult. in prin. de ſent. excom. in 6.* Si autem contrarietas appareat dubia tantùm, & poſſit illuſtrari commoda aliqua interpretatione, ſalva proprietate verborum; tunc conciliandus eſt uterque textus, & Jura eorum concordanda; ut evitetur Jurium correctio, ac contrarietas, juxta *cap. cùm expediat, de Electio. in 6.*

CAP. II.

Variæ Regulæ circa Conciliationem, & pugnam utriusque Juris.

1. NOta primò: Jus Canonicum, & Jus Civile quandoque concordare; quandoque verò inter ſe pugnare; uti contingit circa concubinatum, quem Jus vetus Civile permittit impunè *in Codice de Concubinis.* Et *in Nov. 18.* Jus verò Canonicum prohibet *in cap. audite, 6. diſt. 34.* Quare ut Canoniſta ritè procedere valeat, in praxi, obſervet ſequentes Regulas generales.

2. *Prima Regula*: ubicunque agitur de materia conſcientiæ ac peccati, & adſit diſcrepantia utriusque Juris circa hoc, ſequendum eſt Jus Canonicum, & negandum Civile. Ita communis DD. Catholicorum. Ratio eſt; quia in materia conſcientiæ, & peccati, Jus Canonicum meritò corrigit Jus Civile; Jurisdictio enim Spiritualis Summi Pontificis tanquam ſupremi Vicarij Chriſti in terris, & communis Paſtoris in materia ſalutis animarum major eſt Jurisdictione Cæſarum, condentium ſanctiones damnoſas animabus Chriſtianis; & eadem extendit ſe per univerſum orbem, *cap. ſolita, de Major. & obed.* Et *cap. novit, de judiciis.* Et *Clement. unam Sanctam, de Major. & obed.* Et propterea corrigit Summus Pontifex in Jure Canonico *cap. ult. de præſcriptionibus* Jus Civile, permittens in conſcientia præſcriptionem longiſſimi temporis cum mala fide; Et *in cap. de raptoribus*, ubi ſtatuit, ut hæredes illius defuncti, qui in vita damnificaret proximum per rapinam, ad ejusdem conſcientiam exonerandam (nam non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum *cap. peccatum, de Regula Juris in 6.*) reſarciant damnum, juxta vires facultatis ad ſe devolutæ: cùm tamen Jus Civile non obliget hæredes ad damnum, à defuncto illatum; niſi in quantum ex tali damno v. g. ex rapina ad eum pervenit; vel niſi lis cum damnificatore defuncto jam fuerat conteſtata, *L. unica, C. de delicto defuncti.*

3. *Secunda Regula*: quando materia circa quam contingit pugna Juris Canonici, & Civilis, eſt merè profana; nec attingit conſcientiam, vel peccatum, v. g. Si ſit materia duntaxat ſolemnitatum teſtamenti, judicij, contractûs, aut ſimilium actuum; tunc unumquodque Jus ſequendum eſt in ſuo foro, & ditione; videlicet Canonicum in ditione

Papa-

Digitized by Google

Papali, & Civile in terris ſæcularis Principis. Ita communis DD. Et colligitur ex *cap. cùm ad verum, diſt. 96.*

4. *Tertia Regula:* quando verò materia eſt purè Spiritualis, & Sacramentalis; ſequendum eſt Jus Canonicum duntaxat. Ita quoque communis DD. Ratio eſt; quia tractare materiam purè Spiritualem, & Sacramentalem, pertinet duntaxat ad poteſtatem Spiritualem, & Eccleſiaſticam, *cap. decernimus, de judiciis*; & conſequenter pro ejusdem deciſione ſolum Jus Canonicum eſt applicandum.

5. Ex hac Regula ſequitur: quòd tametſi Jus Civile invalidum reputet Matrimonium, quod contraxit filiusfamilias absque conſenſu ſuorum parentum, in quorum poteſtate exiſtit, *L. nuptiæ 2.* Et *18. ff. de ritu nuptiarum:* attamen Jure Canonico, & Tridentino *ſeſſ. 24. De Reformat. matrimonij, cap. 1.* validum reputatur.

6. *Regula quarta:* quando emergit aliquis caſus, qui in Jure Civili dubiè, & obſcurè deciſus eſt; clarè verò, & manifeſtè in Jure Canonico determinatus; tunc ſequendum eſt Jus Canonicum, ejusque deciſio, etiam in foro Civili. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ambo Jura inter ſe habent confœderationem; quare ubi lex Juris Civilis deficit, meritò ſanctio Juris Canonici in ſubſidium eſt adhibenda.

7. *Regula quinta:* Similiter quando caſus eſt in Jure Canonico obſcurus, ac dubius, ac materia profana (uti contingit in materia contractuum, & pactorum, quorum paucæ deciſiones reperiuntur in Jure Canonico) è contra verò caſus eſt clarus in Jure Civili; tunc tenendum eſt Jus Civile, ejusque deciſio; etiam in foro Eccleſiaſtico. Ita communis Canoniſt. Et colligitur ex illis verbis *cap. 1. & 2. de nov. oper. nunciat*; *ſicut Leges non dedignantur Sacros Canones imitari; ita & Sacrorum Canonum ſtatuta Principum conſtitutionibus adjuvantur.* Quare etſi contra hanc doctrinam quidam opponant ordinationem Juris Canonici *in cap. ult. ne Clerici, vel Monachi,* vetantem ſub Excommunicatione, ne Perſonæ Eccleſiaſticæ ſtudeant Juri Civili: Attamen reſpondendum eſt, quòd citata diſpoſitio Juris procedat duntaxat de ſtudio, quô perſonæ Eccleſiaſticæ penitus abſtraherentur à vita Eccleſiaſtica, & transferrerentur paulatim ad advocatias, & tractationes litium coram Judice ſæculari.

8. *Regula Sexta:* Si contingat Jus Civile aliquid diſponere legaliter circa perſonas, & res Eccleſiaſticas; Hujusmodi diſpoſitio reputatur invalida; etſi eſſet in favorem ipſorum Eccleſiaſticarum perſonarum. Ita communis DD. Et colligitur ex *cap. denique, cum ſeq. diſt. 96.* Et *cap. Eccleſia, 10. de conſtit.* Eſtque Ratio; quia condens hujusmodi Jus Civile caret jurisdictione Eccleſiaſtica. Et quia perſonæ Eccleſiaſticæ per Summos Pontifices, & Concilia, & Jus Divinum ſunt exemptæ à poteſtate laica Leges civiles condente; *cap. nimis, de jurejurando.* Et *cap. quanquam, de cenſibus in 6.* Et in Tridentino *ſeſſ. 25. de reformat. cap. 20.* Nota ſecundò: notanter dictum eſſe, *etſi in favorem perſonarum Eccleſiaſticarum dicta diſpoſitio fieret:* ne ſub prætextu favorabilis alicujus ordinationis Civilis poteſtas Laica ſibi uſurpet occaſionem arripiendi jurisdictionem ſuper Eccleſiaſticos; *dict. cap. Eccleſiæ.* Quod tamen etiam limitandum venit, ſi talis Civilis ordinatio favorabilis contineret aliquam obligationem, vel mandatum, vel jurisdictionis ſpeciem; prout *in L. jubemus, C. de SS. Eccleſ.* ordinatur de alienatione bonorum Eccleſiaſticorum. Et *in L. Sacris, 47. C. de Epiſcopis,* ſtatuitur de Abbatum electione, & forma præſcribitur; quæ Leges Civiles non aliter habent vim obligandi, quàm quatenus à Jure Canonico ſunt receptæ. Quòd ſi ordinationes, & Leges Civiles favorabiles perſonis Eccleſiaſticis nullam contineant obligationem; ſed ſint merè favorabiles, ac pura privilegia, tunc validæ ſunt: talis eſt in *authen. quas actiones C. de SS. Eccleſiis*; ubi ordinatur, quòd contra Romanam Eccleſiam præſcribatur ſpaciô duntaxat centum annorum; contra alios verò ſpacio quadraginta annorum. Talis item eſt *in authen. item nulla communitas, C. de Epiſcopis, & Clericis;* ubi perſonæ, & res Eccleſiaſticæ pronunciantur immunes, ab exactionibus & oneribus realibus, per ſæculares Magiſtratus imponendis.

Digitized by Google

LIBER I. DECRETALIUM D. GREGORII PAPÆ IX.

PRÆNOTATIO.

Liber I. Decretalium tractat de variis: & primò tit. 1. *de ſupremo & primo principio Univerſi, DEO ſcilicet Trino in perſonis, & Uno in natura, à quo omnia Jura, Canones, & Leges proficiſcuntur principaliter: deq; modo eundem DEUM rectè colendi, qui eſt ſola, & unica Fides Catholica. Deinde in ſequentibus* 3. Tit. *progreditur ad principia, ex quibus potiſſimè componitur Jus Canonicum, ſcilicet ad conſtitutiones, reſcripta, & conſuetudines.* In ſubſequentibus *poſtmodum* Titulis, usque ad 35. *excluſivè examinantur varia Jura, poteſtates, qualitates, gradus, & characteres variarum perſonarum Eccleſiaſticarum, ut Prælatorum, Judicum, &c. Et demum* ſub reliquis ultimis Tit. *afferuntur quædam, quæ ſimilitudinem cum Judiciis habent; & ſunt quaſi præparatoria quædam ad negotia Chriſtianorum peragenda, atq; ad judicia ritè conſtituenda; de quibus poſtea ſubditur Liber II. Decretalium: illa autem præparatoria ſunt Treuga, Pax, pactum, transactio, arbitria &c.*

TITULUS I.

DE SUMMA TRINITATE; ET FIDE CATHOLICA.

CAP. I.

Quid ſit SS. Trinitas; & qui articuli circa eam credendi.

1. NOta primò, circa primum articulum hujus Tituli: cùm SS. Trinitas ſit rerum omnium principium, uti dicitur *cap. 1. hoc tit.* & conſequenter Legum, & Jurium, tum Canonicarum, tum Civilium (*Jura enim* inquit *S. Canon. 1. Diſt. 8. humana per Imperatores, & Reges ſæculi DEUS diſtribuit generi humano*) idcirco ſummus Pontifex Gregorius IX. Jus Canonicum auſpicatur à SS. Trinitate; ſicut etiam fecerat Imperator Juſtinia-

Digitized by Google

ſtinianus in ſuo Codice. Per Ly autem *Trinitatem* intelligi à TT. *in 1. ſentent.* & à Canoniſtis hìc, *trium Divinarum Perſonarum conſubſtantialium, coëqualium, & realiter diſtinctarum in unitate Eſſentiæ conſiſtentiam*: quod ſummum, & primum Fidei Catholicæ myſterium luculenter continetur, tum in S.Literis, ut uberiùs doceo in *Schola mea Theologica tom. 1. Tract. 3. de SS. Trinitate. q. 1.* tum in Oecumenicis Concilijs, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi IV. & Lateranenſi ſub Innocentio III. à cujus doctrina Librum 1. Decretalium, & hunc Titulum auſpicatur Sum. Pontifex Gregorius IX.

2. Nota ſecundò: circa arcanum SS. Trinitatis myſterium plures articulos, tum *hoc lib. & titulo*; tum in Sexto *lib. 1. tit. 1.* & in Clementinis *lib. 1. tit. 1.* Fide Catholica credendos proponi; quorum ſubſtantiam compendiosè complectar ſequentibus.

3. *Primò*, firmâ fide credendum eſt, dari aliquod ſupremum Numen; cujus exiſtentiam vide pluribus fundamentis, tum metaphyſicis, tum phyſicis, tum moralibus probatam contra Atheos in *mea Schola Theolog. Tom. 1. de DEO in ſe ſubſiſtente, diſt. 1. q. 1. & 2.*

4. *Secundò*, credendum eſt, quòd iſtud Numen ſit ſolus, & unicus verus DEUS: hujus articuli argumenta probativa luſtra in *eadem Schola loc. cit. q. 3.*

5. *Tertiò*, quòd hoc Numen ſit DEUS æternus, immenſus, incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, & ineffabilis; quorum omnium attributorum Divinorum rationes ex S. Scriptura, CC. & PP. deductas lege in *eadem Schola Theologica cit. tract. diſt. 3. q. 4. & q. 5. & q. 3. & q. 6.*

6. *Quartò*, credendum eſt, quòd in SS. Trinitate tres quidem ſint Perſonæ Divinæ; Sed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex; de quo articulo conſule probationes complures in *eadem Schola tom. 1. tract. 3. de Trin. diſt. 1. q. 3. & 4.*

7. *Quintò*, credendum eſt, quòd Pater à nullo ſit; ut oſtendo *loc. cit. diſt. 3. q. 1. conc. 3.* Filius à Patre ſolo; ut doceo *loc. cit. q. 3. conc. 1.* Spiritus verò Sanctus à Patre, & Filio, abſque initio ſemper, & fine; ut convincitur *loc. cit. q. 5.* Quòd Pater ſit generans; ut patet ex dictis *loc. citat. q. 1.* Filius verò genitus; *ibidem q. 3.* & Spiritus S. procedens; *ibidem q. 5.* Quòd omnes tres Perſonæ ſint conſubſtantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæternæ; ut liquet ex adductis fundamentis in ſæpè *citata Schola mea Theologica diſt. 1. q. 4.* Quòd ſint unum univerſorum principium; ut doceo *ibidem tom. 1. tract. 4. diſt. 1. q. 1.*

8. *Sextò*, credendum eſt, quòd Spiritus S. æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs; ſed tanquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus; ſed unica ſpiratione procedat; uti dogmatizat Conc. Lugdunenſe, quod refertur in *6. lib. 1. tit. 1. cap. unc.*

9. *Septimò*, credendum eſt, ſecundam Trinitatis Perſonam, unigenitum videlicit Filium DEI in ijs omnibus, in quibus DEUS Pater exiſtit, unà cum Patre æternaliter eſſe ſubſiſtentem; & partes noſtræ naturæ, ſimul unitas, humanum nimirum corpus paſſibile, & animam intellectivam, corpus verè informantem aſſumpſiſſe in tempore in Virginali thalamo ad unitatem ſuæ hypoſtaſis, & perſonæ; atque in aſſumpta taliter natura paſſum, & mortuum fuiſſe; ut definit Conc. Viennenſe ſub Clemente V. Plura SS. Trinitatem concernentia, vide in *Schola mea Theologica tom. 3.* per totum.

CAP. II.

Quid Fides Catholica; quævè ejus myſteria credenda.

1. NOta primò circa alterum articulum hujus Tituli: omiſſis varijs acceptionibus *Fidei*, de quibus videri poteſt *Schola mea Theologica tom. 4. tract. de Fide. diſt. 1. q. 1.* Fidem Catholicam actualem in propoſito uſurpari, *pro actu intellectûs ſupernaturali, quô quis aſſentitur omnibus propoſitionibus, ab Eccleſia Romana tanquam de fide credendis propoſitis, ob revelationem Divinam.* Habitualis verò eſt *habitus intellectûs, in ſubſtantia ſupernaturalis, productivus fidei actualis mox deſcriptæ.* Fides iſta dicitur *Catholica*, id eſt, *univerſalis*, quia ab univerſis hominibus haberi debet, ſi ſalvari velint. Unde

2. Nota ſecundò: tam in ſtatu legis naturæ, quàm legis Moſaicæ omnibus adultis peccatoribus ſemper fuiſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem Fidem aliquam explicitam DEI; ſaltem ſub conceptu exiſtentis, Creatoris, Remuneratoris, & Juſtificatoris; ut habet Doctor ſubtilis Scotus, & potior TT. patetque ex illo Apoſtoli ad Hebr. 11. *accedentem ad DEUM oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator bonorum ſit.* Imò in Lege Evangelica poſt Evangelium ſufficienter promulgatum ijsdem prætereà erat neceſſaria Fides explicita Trinitatis, ſecundùm articulos jam ſupra relatos; item Fides Chriſti Mediatoris, ejusdemque Divinitatis hu-

Digitized by Google

LIBER I. DECRETALIUM D. GREGORII PAPÆ IX.

PRÆNOTATIO.

Liber I. Decretalium tractat de variis: & primò tit. 1. *de ſupremo & primo principio Univerſi, DEO ſcilicet Trino in perſonis, & Uno in natura, à quo omnia Jura, Canones, & Leges proficiſcuntur principaliter: deq; modo eundem DEUM rectè colendi, qui eſt ſola, & unica Fides Catholica. Deinde in ſequentibus* 3. Tit. *progreditur ad principia, ex quibus potiſſimè componitur Jus Canonicum, ſcilicet ad conſtitutiones, reſcripta, & conſuetudines.* In ſubſequentibus *poſtmodum* Titulis, usque ad 35. *excluſivè examinantur varia Jura, poteſtates, qualitates, gradus, & characteres variarum perſonarum Eccleſiaſticarum, ut Prælatorum, Judicum, &c. Et demum* ſub reliquis ultimis Tit. *afferuntur quædam, quæ ſimilitudinem cum Judiciis habent; & ſunt quaſi præparatoria quædam ad negotia Chriſtianorum peragenda, atq; ad judicia ritè conſtituenda; de quibus poſtea ſubditur Liber II. Decretalium: illa autem præparatoria ſunt Treuga, Pax, pactum, transactio, arbitria &c.*

TITULUS I.

DE SUMMA TRINITATE; ET FIDE CATHOLICA.

CAP. I.

Quid ſit SS. Trinitas; & qui articuli circa eam credendi.

1. Nota primò, circa primum articulum hujus Tituli: cùm SS. Trinitas ſit rerum omnium principium, uti dicitur *cap. 1. hoc tit.* & conſequenter Legum, & Jurium, tum Canonicarum, tum Civilium (*Jura enim* inquit *S. Canon. 1. Diſt. 8. humana per Imperatores, & Reges ſæculi DEUS diſtribuit generi humano*) idcirco ſummus Pontifex Gregorius IX. Jus Canonicum auſpicatur à SS. Trinitate; ſicut etiam fecerat Imperator Juſtinia-

ſtinianus in ſuo Codice. Per Ly autem *Trinitatem* intelligi à TT. *in 1. ſentent.* & à Canoniſtis hìc, *trium Divinarum Perſonarum conſubſtantialium, coëqualium, & realiter diſtinctarum in unitate Eſſentiæ conſiſtentiam*: quod ſummum, & primum Fidei Catholicæ myſterium luculenter continetur, tum in S. Literis, ut uberiùs doceo in *Schola mea Theologica tom. 1. Tract. 3. de SS. Trinitate. q. 1.* tum in Oecumenicis Concilijs, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, Chalcedonenſi IV. & Lateranenſi ſub Innocentio III. à cujus doctrina Librum 1. Decretalium, & hunc Titulum auſpicatur Sum. Pontifex Gregorius IX.

2. Nota ſecundò: circa arcanum SS. Trinitatis myſterium plures articulos, tum *hoc lib. & titulo*; tum in Sexto *lib. 1. tit. 1.* & in Clementinis *lib. 1. tit. 1.* Fide Catholica credendos proponi; quorum ſubſtantiam compendiosè complectar ſequentibus.

3. *Primò*, firmâ fide credendum eſt, dari aliquod ſupremum Numen; cujus exiſtentiam vide pluribus fundamentis, tum metaphyſicis, tum phyſicis, tum moralibus probatam contra Atheos in *mea Schola Theolog. Tom. 1. de DEO in ſe ſubſiſtente, diſt. 1. q. 1. & 2.*

4. *Secundò*, credendum eſt, quòd iſtud Numen ſit ſolus, & unicus verus DEUS: hujus articuli argumenta probativa luſtra in *eadem Schola loc. cit. q. 3.*

5. *Tertiò*, quòd hoc Numen ſit DEUS æternus, immenſus, incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens, & ineffabilis; quorum omnium attributorum Divinorum rationes ex S. Scriptura, CC. & PP. deductas lege in *eadem Schola Theologica cit. tract. diſt. 3. q. 4. & q. 5. & q. 3. & q. 6.*

6. *Quartò*, credendum eſt, quòd in SS. Trinitate tres quidem ſint Perſonæ Divinæ; Sed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex; de quo articulo conſule probationes complures in *eadem Schola tom. 1. tract. 3. de Trin. diſt. 1. q. 3. & 4.*

7. *Quintò*, credendum eſt, quòd Pater à nullo ſit; ut oſtendo *loc. cit. diſt. 3. q. 1. conc. 3.* Filius à Patre ſolo; ut doceo *loc. cit. q. 3. conc. 1.* Spiritus verò Sanctus à Patre, & Filio, absque initio ſemper, & fine; ut convincitur *loc. cit. q. 5.* Quòd Pater ſit generans; ut patet ex dictis *loc. citat. q. 1.* Filius verò genitus; *ibidem q. 3.* & Spiritus S. procedens; *ibidem q. 5.* Quòd omnes tres Perſonæ ſint conſubſtantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæternæ; ut liquet ex adductis fundamentis in ſæpè *citata Schola mea Theologica diſt. 1. q. 4.* Quòd ſint unum univerſorum principium; ut doceo *ibidem tom. 1. tract. 4. diſt. 1. q. 1.*

8. *Sextò*, credendum eſt, quòd Spiritus S. æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principijs; ſed tanquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus; ſed unica ſpiratione procedat; uti dogmatizat Conc. Lugdunenſe, quod refertur in *6. lib. 1. tit. 1. cap. unc.*

9. *Septimò*, credendum eſt, ſecundam Trinitatis Perſonam, unigenitum videlicit Filium DEI in ijs omnibus, in quibus DEUS Pater exiſtit, unà cum Patre æternaliter eſſe ſubſiſtentem; & partes noſtræ naturæ, ſimul unitas, humanum nimirum corpus paſſibile, & animam intellectivam, corpus verè informantem aſſumpſiſſe in tempore in Virginali thalamo ad unitatem ſuæ hypoſtaſis, & perſonæ; atque in aſſumpta taliter natura paſſum, & mortuum fuiſſe; ut definit Conc. Viennenſe ſub Clemente V. Plura SS. Trinitatem concernentia, vide in *Schola mea Theologica tom. 3.* per totum.

CAP. II.

Quid Fides Catholica; quævè ejus myſteria credenda.

1. NOta primò circa alterum articulum hujus Tituli: omiſſis varijs acceptionibus *Fidei*, de quibus videri poteſt *Schola mea Theologica tom. 4. tract. de Fide. diſt. 1. q. 1.* Fidem Catholicam actualem in propoſito uſurpari, *pro actu intellectûs ſupernaturali, quô quis aſſentitur omnibus propoſitionibus, ab Eccleſia Romana tanquam de fide credendis propoſitis, ob revelationem Divinam.* Habitualis verò eſt *habitus intellectûs, in ſubſtantia ſupernaturalis, productivus fidei actualis mox deſcriptæ.* Fides iſta dicitur *Catholica*, id eſt, *univerſalis*, quia ab univerſis hominibus haberi debet, ſi ſalvari velint. Unde

2. Nota ſecundò: tam in ſtatu legis naturæ, quàm legis Moſaicæ omnibus adultis peccatoribus ſemper fuiſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem Fidem aliquam explicitam DEI; ſaltem ſub conceptu exiſtentis, Creatoris, Remuneratoris, & Juſtificatoris; ut habet Doctor ſubtilis Scotus, & potior TT. patetque ex illo Apoſtoli ad Hebr. 11. *accedentem ad DEUM oportet credere, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator bonorum ſit.* Imò in Lege Evangelica poſt Evangelium ſufficienter promulgatum ijsdem præterea erat neceſſaria Fides explicita Trinitatis, ſecundùm articulos jam ſupra relatos; item Fides Chriſti Mediatoris, ejusdemque Divinitatis hu-

Digitized by Google

humanitatis, mortis, reſurrectionis, & aliorum, qui in Symbolo Apoſtolico, Nicæno, & D. Athanaſij regiſtrantur; ut habet Alenſis, S. Bonaventura, S. Thomas, & Scotus *3. diſt. 25. q. 1.* Rationem quære in *Schola mea Theologica, loc. cit. q. 18.*

3. Nota tertiò: de neceſſitate præcepti quoque neceſſarium eſſe omnibus adultis rationis compotibus Fidem ſeptem Sacramentorum Eccleſiæ, Decalogi; ſaltem quò ad ſubſtantiam; De quibus, & alijs *priori notabili* relatis myſterijs habere tenentur diſtinctam notitiam Epiſcopi, Curati animarum, Theologi, Concionatores, & Confeſſarij: uti rectè docet Scotus *citat.* & communis TT. & ego oſtendi *Tom. 4. Scholæ Theologicæ tract. de Fide, diſt. 1. q. 19.* ubi per totum etiam videri poſſunt variæ aliæ quæſtiones, materiam Fidei concernentes.

CAP. III.

Quinam obligentur ad emittendam Profeſſionem Fidei.

1. Dico primò: publicam Fidei Catholicæ profeſſionem emittere tenentur promovendi ad Patriarchalem, Archi-Epiſcopalem, Primatis, & Epiſcopalem gradum; item proviſi de Canonicatibus, & dignitatibus Eccleſiarum Cathedralium, ac cura animarum: item qui donandi laureâ Doctoratûs, Magiſteriatûs, & Licentiatûs SS. Theologiæ, ac Juris; quique ad Profeſſuram publicam SS. Theologiæ, vel Philoſophiæ, vel aliam deputantur. Ita Emmanuel, Henriq. Valen. Regin. Zoëſius, Bobad. &c. De primo ita diſponit Trident. *Seſſ. 25. de Reform. cap. 2.* De ſecundo Idem Trident. *Seſſ. 24. de Reform. cap. 12.* De tertio eadem Synodus *Seſſ. 25. citat.*

TITULUS II.

DE CONSTITUTIONIBUS.

CAP. I.

Quid ſit Conſtitutio, Dogma, Canon, Mandatum, Interdictum, Sanctio, Decretum, & Epiſtola Decretalis.

1. Nota primò: Jus Canonicum coaleſcit ex Juribus ſcriptis Pontificijs, & alijs tanquam principijs conſtitutivis; uti dixi ſupra in Prologo *tit. 2. cap. 1.* hujuſmodi autem Scripta Jura ſunt Conſtitutiones variæ, à Summis Pontificibus, Concilijs, &c. editæ: quare D. Papa Gregorius IX. poſt jactum fundamentum Juris Canonici, videlicet. *Tit. de SS. Trinitate, & Fide Catholica*, meritò tractare incipit de hujuſmodi Conſtitutionibus. Ly autem *Conſtitutio* ſecundùm ſuam Ethymologiam deſcendit à ly *conſtituendo*, id eſt ſimul ſtatuendo, eò quòd ſupremus Princeps non ſolus, ſed cum ſuis Conſiliarijs ſtatuat Leges, *L. humanum. Cod. de LL.* Vel quia Conſtitutio, & lex debet eſſe communis, ac pro pluribus lata, juxta *can. Erit autem lex, diſt. 4.* Et deſcribitur genericè accepta Conſtitutio, quòd *ſit Jus ab habente legitimam poteſtatem editum, in ordine ad bonum ſpirituale, vel corporale ſubditorum.* Ex qua deſcriptione liquet, aliam eſſe ſpiritualem ſeu Eccleſiaſticam; aliam Temporalem, ſeu Civilem: de prima potiſſimè procedit hic Titulus. Unde

2. Dico primò; rectè deſcribitur Conſtitutio Eccleſiaſtica, quòd *ſit Jus conditum ab habente legitimam poteſtatem, reſpiciens vel Perſonas ipſas Eccleſiaſticas, vel earum res, vel judicia earundem.* Ly *Jus* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Conſtitutionis Eccleſiaſticæ ſic deſcriptæ ſeptem ſolent ſpecies recenſeri, Dogma, Mandatum, Interdictum, Sanctio, Canon, Decretum, & Epiſtola Decretalis, ſeu Reſcriptum; ut notat ex Turrecrem. Valenſis *lib. 1. tit. 2. in Paratitl.* Explico breviter ſingula. *Dogma* eſt omnis illa Conſtitutio ab Eccleſia emanata in materia Fidei; uti colligitur ex *can. penult. de Conſecrat. diſt. 5.* quales ſunt omnes definitiones Conciliorum Generalium, contra Hæreticos varios editæ diverſis temporibus. *Mandatum* dicitur omnis Conſtitutio Eccleſiaſtica, ordinata ad mores & diſciplinam Chriſtianorum vaſallorum formandam, aut conſervandam; uti patet per *can. denique, diſt. 4.* Tales continentur in Decretis Reformationis S. Trid. Concil. & alijs. *Interdicti*

Digitized by Google

terdicti nomine venit omnis illa Conſtitutio Eccleſiaſtica pœnalis, quæ privationem aliquorum Divinorum infligit, ad correctionem aliquorum malorum præſentium, vel imminentium. De hujus varietate, & effectu inſpice *Scholam meam Theolog. tom. 3. tract. de Cenſuris, diſt. 2. q. 8.* *Sanctio* eſt quoque Conſtitutio pœnalis; ſed quæ graviores pœnas, ſignanter capitis imponit, maximè ſpectatô Jure Civili; de qua *L. Sanctio. ff. de pœnis ſ. Sanctæ Inſtit. de rerum diviſion.* *Canon* vocatur illa Conſtitutio, quæ in Concilio aliquo, vel à Sum. Pontifice eſt facta, ut collig. ex *cap. nonnulli de Reſcript.* & ex *ſ. porrò Canonum, diſt. 3.* *Decretum* Eccleſiaſticum eſt Conſtitutio ſcripta, confecta à Papa de Conſilio Cardinalium, abſque prævia conſultatione ſibi facta; quale eſt illud cap. *etſi membra, Extra, de his, quæ fiunt à Prælato ſine conſenſu.* Ad hoc revoca Motum proprium Sum. Pontificis; & Pragmaticam Sanctionem, id eſt, de conſenſu Procerum factam. *Epiſtola Decretalis* eſt illa Reſolutio, ſeu Reſcriptum, quod Sum. Pontifex conficit, & edit ſuper factam ſibi ab aliquo conſultationem; de hoc extat ſpecialis Titulus in 1. *Decretal. Gregorij*; & alibi. Canoniſtæ nonnulla ex his ſæpiſſimè commiſcent, & pro Synonymis accipiunt.

CAP. II.

Ad quas Perſonas pertineat cōdere Conſtitutiones Eccleſiaſticas.

1. Dico primò: Conſtitutiones Canonicas pro univerſa Eccleſia condere poſſunt Concilium generale, & Summus Pontifex. Ita TT. omnes, & Canoniſtæ. Ratio primi patet ex antiquiſſimo uſu Conciliorum, condentium varios Canones, & Conſtitutiones. Et SS. Canonum Conciliarium contemptores graviter reprehenduntur per illud Scripturæ, *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus.* Tum quia talem authoritatem Conciliorum exprimunt Jura *Can. ſicut, 2. diſt. 15. & can. ſancta, 3. diſt. 15.* Secundum habetur *cap. fin. de Conſtit.* & *cap. inter alia, de ſent. Excom.*

2. Dico ſecundò: ſimiliter Concilia Provincialia, Patriarchæ, Epiſcopi, Cardinales, Legati Pontificij, Capitula Sede vacante, Generales Ordinum, Provinciales Provinciarum; & Capitula Generalia, ac Provincialia Religioſorum, condere poſſunt Conſtitutiones Canonicas, ſuas Diœceſes, & Provincias, ac Territoria tantùm obligantes. Ita communiter Canoniſtæ tum Sæculares, tum Regulares.

3. Ratio primi patet ex antiqua Eccleſiæ praxi: Secundum & tertium conſtat, quia talis poteſtas attributa Patriarchis, & Epiſcopis colligitur ex illo *Act. 20. Vos poſuit Spiritus S. regere Eccleſiam DEI*: & habetur *cap. de Major. & Obed.* Quartum de Cardinalibus titularibus patet ex *cap. querela, de Elect.* & ex *cap. His quæ, de Major. & Obed.* Ratio quinti de Legatis ex *cap. ult. de Offic. Legat.* Ratio ſexti de Capitulis Sede vacante eſt; quia hæc pro illo tempore ſuccedunt juriſdictioni Epiſcopi defuncti. Ratio ſeptimi de Generalibus, & Provincialibus, & Capitulis, eſt; quia hæc à ſtatutis Ordinum Apoſtolicâ firmitate roboratis ejuſmodi facultatem ſortiuntur: & præterea æquiparantur Epiſcopis, ac Concilijs Provincialibus. Vide de facultate condendi Leges Eccleſiaſticas, & Civiles, plura in *Schola mea Theologica tom. 3. tract. de Legibus. diſt. 3. q. 2. & 3.*

CAP. III.

An, & quo tempore obligent Conſtitutiones Eccleſiaſticæ.

1. Dico primò: Conſtitutiones Canonicæ Pontificiæ, & Conciliares generaliter latæ pro tota Eccleſia omnes Chriſti fideles obligant ad obſervantiam. Eſt communis Canon. & TT. Et ita dicitur *cap. Canonum ſtatuta, de Conſtit.* per illa verba, *Canonum ſtatuta cuſtodiantur ab omnibus, & nemo in actionibus, vel Judicijs Eccleſiaſticis ſuo ſenſu, ſed eorum authoritate ducatur.*

2. Dico ſecundò: ut autem Conſtitutiones Pontificiæ, & Conciliares totam Eccleſiam obligent, præcedere debet debita earum promulgatio in qualibet diœceſi, vel Metropolitana Eccleſia; unde non ſufficit ſola promulgatio in Urbe: niſi aliud exprimatur in ipſis Conſtitutionibus. Ita Armilla, Angelus, Navar. Barb. Vaſq. contra Valenſ. & alios. Et conſtat ex tit. 1. *de Novi operis nunciat.* qui eſt *in 5. Decret. tit. 32. cap. intelleximus*, ubi Summi Pontifices mandant ſervari Jus Imperatorium ubique, ubi Jure Canonico nihil eſt conſtitutum; *ſicut enim leges non dedignantur Sacros Canones imitari, ita & Sacrorum Statuta Canonum, Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* Et ex *can. Si adjutorium, diſt. 10.* ubi dicitur, *leges Imperatorum in adjutorium Eccleſiæ aſſumendas eſſe, exemplô Pauli, qui adverſus injurioſos ſe Civem Romanum eſſe teſtatus eſt*; ubi Gloſ-

 ſa,

Digitized by Google

ſa, *ubi deſunt Canones, Leges citari poſſunt*: cùm ergò SS. Canones nil ſtatuant de tempore, quô Conſtitutio Apoſtolica incipiat obligare, recurrendum erit ad Jus Imperatorium: hoc autem dicit Leges tunc demum obligare, poſtquam in ſingulis Provincijs promulgatæ fuerint, & non ſtatim, dum promulgantur jn Reſidentia Principis ſupremi; *Novella 66.* Ergò ut obligent Conſtitutiones Pontificiæ, & Conciliares, priùs promulgari debent in quavis Diœceſi, vel Metropolitana Eccleſia: niſi aliter diſponatur in ipſis conſtitutionibus.

3. Dico tertiò: factâ debitâ promulgatione Conſtitutionis Pontificiæ, & Conciliaris, ejus obligatio adhuc ad duos menſes ſubſequentes ſuſpenditur; niſi aliud expreſſè ordinetur in eis. Ita communis Canoniſtarum. Tum quia ita colligitùr ex Bulla Pij IV. confecta ſuper *editione Concilij Trident.* in qua dicitur; Jure communi ſancitum eſſe, ut novæ Conſtitutiones non niſi poſt tempus certum vim obtineant: & propterea ſtatuit, ut Leges Tridentini Concilij non obligent, niſi poſt tres menſes à promulgatione. Tum quia debent innoteſcere ſufficienter extra Urbem, ne ignorantes peccati arguantur, vel periculum animarum incurrant, *arg. cap. cùm infirmitas, de Pœnit.*

4. Dico quartò: Ad valorem, & obligationem Conſtitutionum Pontificiarum, & Conciliarium non requiritur neceſſariò acceptatio populi. Ita communior TT. & Canoniſt. contra Navarr. Suarez. &c. Ratio eſt; quia poteſtas legiſlativa in Summ. Pontifices, & Concilia derivatur immediatè à Chriſto, non à ſubditis; adeóque ſine populi acceptatione obligatorias leges pro Chriſtianis condere poſſunt.

5. Nec obſtat textus in *cap. iſtis, §. Leges diſt. 4.* dicens; *Leges inſtituuntur, cum promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium comprobantur*; Reſpondeo enim primò; hunc textum eſſe ipſiuſmet Gratiani; cujus authoritas non eſt difinitiva. Secundò dico; per allatum textum ſolùm innui, quòd Conſtitutiones quandam extrinſecam, & accidentalem perfectionem, ac robur ſortiantur à populi acceptatione, ſeu comprobatione; non verò ipſum valorem ſubſtantialem, & obligationem.

6. Dico quintò: Obſervantia alicujus Conſtitutionis Papalis generalis notabile gravamen inferens, in aliquo loco ad tempus ſuſpendi poteſt, uſque dum Sum. Pontifex pleniùs informetur, aut tollat, aut mitiget ſimilem Conſtitutionem. Ita colligitur ex *cap. cùm teneamur, de præbendis.* & *cap. ſi quando, de Reſcriptis.* Eſtque Ratio, quia piè præſumendum eſt de mente Sum. Pontificis pijſſimi Patris, quòd non intenderit, ſuam Conſtitutionem in tali loco cum tali gravamine obligaturam. Vide plura hanc materiam concernentia in *mea Schola Theolog. Tom. 3. tract. de Legibus per totum; ſed ſpecialiter diſt. 3.* & *Titulo ſequenti,* qui tractat de Reſcriptis, ut ſpecie contenta ſub Conſtitutione Eccleſiaſtica, ſeu Canonica.

CAP. IV.

Quid Juris Regularis circa Conſtitutiones Ordin. S. Franciſci.

1. Dico primò: in Ordine Seraphico de Obſerv. & Reform. authoritatem condendi Conſtitutiones perpetuas pro tota Religione, habet Capitulum Generale, & Provinciale pro tota Provincia; item Generalis, & Provincialis poſſunt edere Conſtitutiones, & ſtatuta tempore ſui officij reſpectivè duratura; & demum Congregatio Generalis, & Provincialis reſpectivè. Ita Rodriq. Sanctor. Lantuſc. & cōmunis DD. Ordinis. Ratio primi, & ſecundi eſt perpetua Ordinis praxis, quâ Capitula Generalia, & Provincialia condunt Conſtitutiones, pro ſalutari regimine, & regulari obſervantia Ordinis conſervanda, Summis Pontificibus approbantibus. Et quia Capitula Generalia, & Provincialia in Ordine S. Franciſci æquipollent Concilijs Generalibus, & Provincialibus, reſpectu Religioſorum talis Ordinis; ac proinde ſicut illa, ita & hæc Conſtitutiones condere poſſunt. Tertium de Generali conſtat ex ſtatutis Papalibus Julij II. *cap. 12. par. 4.* ubi dicitur Generalem Miniſtrum Ordinis noſtri cum generalis Diffinitorij aſſenſu, & durante ſuo officio poſſe facere ſtatutum generale. Ratio quarti de Provinciali eſt; quia Miniſter Provincialis æquipollet Epiſcopo; hic autem pro ſua diœceſi poteſt condere ſtatuta, ſaltèm de conſenſu Capituli: Ergo & Provincialis ſaltem de conſenſu ſui diffinitorij, tempore ſui officij duratura. Ratio quinti eſt; quia etiam Congregatio generalis, & provincialis reſpectivè aſſimilatur Synodo quò ad poteſtatem legiſlativam: adeóque utraque leges, & Conſtitutiones condere valet, à familia ſubjecta ſervandas. Et confirmat hoc perpetua, atque inconcuſſa praxis Ordinis condendi Conſtitutiones in Congregationibus generalibus, quas & Summi Pontifices con-

Digitized by Google

confirmarunt: Sic Papa Urbanus VIII. anno 1642. die 22. Dec. ſolemni confirmatione Apoſtolica, quæ incipit, *Alias pro congregatione &c.* confirmavit Conſtitutiones generales Reform. factas à Congregatione generali Ciſmontanæ Familiæ an. 1642.

2. Dico ſecundò: Conſtitutiones Generales Ordinis noſtri Franciſcani obligant omnes prorſus Fratres, etiam Generalem, quò ad vim directivam, & coërcitivam; & Provinciales omnes in Provincia contentos. Ita Rodriq. Sanct. & communis DD. Ord. Primum conſtat ex ipſis Conſtitutionibus, tum antiquis Segovienſibus *cap. 8. ʃ. 7.* Tum Martinianis *cap. 12.* dicentibus: *diſtrictè præcipimus omnibus Prælatis, tam Generalibus, quàm Provincialibus Miniſtris &c. ut omnia, & ſingula prædicta* (ſcilicet in Conſtitutionibus generalibus Martinianis contenta) *obſervent.* Tum ex novis Romano-Toletanis *cap. 12. ʃ. 24.* ubi dicitur: *quia verò parum eſt leges condere, niſi executioni debitæ etiam demandentur, omnibus noſtræ Ciſmontanæ Familiæ Patribus, & Fratribus cujuscunquè gradûs, ſeu conditionis exiſtant, præcipimus, & mandamus, ut præſentia ſtatuta, &c. integrè, exactè, atque inviolabiliter ſervent, ſub pœnis in iisdem ſtatutis contentis.* Ratio ſecundi deſumitur à paritate Conſtitutionum Generalium.

3. Nota primò: tametſi Conſtitutiones, & ſtatuta Generalia Ordinis noſtri Franciſcani ſæpius ex zelo regularem obſervantiam Minoriticam conſervandi, in Capitulis Generalibus, & à Summis Pontificibus, zelantibus pro Ordinis puritate, & integritate, fuerint in quibusdam immutata, aucta, imminuta, & particulari ſtatuto accomodata, ac reimpreſſa: ſubſtantialiter tamen permanſerunt; & omnia in ſubſtantia continent ordinationes factas à S. Bonaventura in Capitulo Narbonenſi, auctas poſtea per ſtatuta Farineria, derivatas exinde in Barcinonenſia, ac extenſas per Mart. V. & Benedictum XII. Jul. II. & III. in Statutis Alexandrinis, Benedictinis, Martinianis, Papalibus; in Salmanticenſibus, Segovienſibus, & noviſſimè in Romano-Toletanis, prout S. Concilij Trident. Summorumque Pontificum Conſtitutiones novæ mutationem veterum ſuaſerunt.

4. Dico tertiò: Conſtitutiones Ordinis noſtri non obligant ſub peccato mortali ad ſui obſervantiam; niſi in ijs, ubi jus naturæ; vel jus divinum, ut vota; vel jus humanum S. Franciſci, ſeu præcepta æquipollentia Regulæ, qualificata reperiuntur; vel ſi adſit gravis contemptus, aut gravitas materiæ prohibita per alias leges humanas Eccleſiaſticas: obligant tamen aliquando ad culpam venialem; & paſſim ad pœnam. Ita Rodriq. Portel, Sanct. Lant. Corduba, S. Thomas &c. Primum conſtat ex declaratione Sixti IV. dicentis in Bulla quadam: *Fratres præſentes & futuros ex Statutis, conſuetudinibus, vel Declarationibus, præter Regulam quomodolibet factis, etiam authoritate Apoſtolica roboratis, nullâ Eccleſiaſticâ cenſurâ, nulloque mortalis peccati vinculo ligari; niſi ex Divina Lege, vel præcepto Eccleſiæ ducerent ad mortale.* Idem patet ex Conſtitutionibus Segovienſibus Ordinis ubi *c. 8.* dicitur, *per hæc Statuta, & alia quæcunque Fratres non adſtringi ad culpam; niſi aliàs per Jus Divinum, & humanum fuerint obligati.* Idem quoque habetur in Conſtitutionibus Generalibus Reform. in fine. Ratio ſecundi de veniali culpa eſt; quia transgreſſio aliquarum Conſtitutionum, vel ſtatutorum Ordinis involvit aliqualem inobedientiam, & contranitentiam voluntatis Legiſlatoris; adeoque aliquam culpam venialem. Ratio tertij patet ex ipſo tenore Conſtitutionum, varias pœnas ſtatuentium pro transgreſſoribus, ad quas ſubeundas vi voti obedientiæ de obtemperando ſuperioribus Fratres obligantur; adeoque Conſtitutiones Ordinis obligant ad pœnas.

5. Nota ſecundò: multiplicationem nimiam Conſtitutionum novarum in Ordine S. Franciſci, & quovis alio eſſe evitandam, varijs de cauſis; maximè autem propter confuſionem, oblivionem, obrutionem, & contemptum earum, quæ probabiliter in Religiſis ſolent ſubſequi ex multiplicatis legibus: unde Statuta Segovienſia *cap. 7. de conſtit.* rectè ordinant, *caveant Prælati in Capitulis Generalibus à multiplici Legum conſtitutione, & nimia præceptorum, & cenſurarum impoſitione; ut contemptus, & oblivionis vitium.* Et hæc etiam cauſa fuit Juſtiniano Imperatori compilandi tot legum volumina in Codicem, & Pandectas. Et Gregorio Nono Papæ reſecandi, & colligendi Decretales, ut notat P. Sanctorus. quod ſi tamen morum corruptelæ novæ, aut alia neceſſitas ſvadeat novarum Conſtitutionum evulgationem; ea non erit vitioſa, nec omittenda.

6. Nota tertiò: Similiter Conſtitutionum, ac Legum Ordinis immutatio ſubſtantialis evitanda, & diſſuadenda eſt Legiſlatoribus noſtræ, & cujusvis alterius Religionis, ob varia damna, quibus eſt obnoxia: quò facit dictum S. Leonis ad Anatholiū, relati *can. quæ ad, can. 25. q. 1. quæ ad perpetuam generaliter ordinata ſunt utilitatem, nulla commutatione varian-*

Digitized by Google

riantur. Et *can. loci noſtri, cau. 25. q. 9.* dicentis, Eccleſiaſtici vigoris ordinem confundi per Legum alterationes ſubſtantiales. Et per eandem arguitur inſtabilitas in Legislatore. Verumtamen ſi neceſſitas ejusmodi immutationem ſuadeat, ob inſtabilitatem morum, voluntatis humanæ mutationem, & corruptelam naturæ, quæ cùm quotidie ſpinas & tribulos germinet, ſtatutorum ligone atterenda eſt; tunc ejusmodi immutatio Conſtitutionum Regularium fieri poterit; exemplô revocationis tot Apoſtolicarum Conſtitutionum: quò etiam facit *can. Apoſtolicæ, cau. 35. q. 9.*

TITVLVS III.

DE RESCRIPTIS.

CAP. I.

Quid ſit Reſcriptum Canonicum.

1. NOta primò: Conſtitutiones eduntur vel per edictum, vel per ſententiam, vel per epiſtolam, ut habetur *L. ff. de conſtit.* Et *inſtit. de Jure natur. gent. & civili.* Ad eas autem quæ eduntur per epiſtolam, pertinent Reſcripta; ſicq; ſunt Conſtitutiones quædam ſpeciales: & propterea Sum. Pontifex Gregorius IX. rectè *hunc tit.* ſubjungit *priori.* Sciendum autem *Reſcriptum* generaliter ſumptum eſſe *ſpeciale Principis alicujus reſponſum, literis authenticis efformatum, & datum ſuper conſultationem, relationem, vel ſupplicationem ſibi factam*: uti colligitur ex *L. 1. §. 1. ff. de Appellat.* & habet Canis. Vallens. Azorius, & alij AA. quo ſenſu tum Pontificum, tum Imperatorum, tum Regum, & aliorum Principum Supremorum, ac eorum Cancellariarum reſponſa charactere Reſcripti veſtiuntur. Verùm in *hoc Titulo* pro inſtituto præcisè Canonico agetur de Reſcripto Canonico, emanato à Principe Eccleſiaſticô. Unde

2. Dico primò: Reſcriptū Canonicū benè deſcribitur, quòd *ſit reſponſum à Sum. Pontifice datum ſuper conſultationem, vel ſupplicationem beneficij, aut alterius gratiæ factum.* Ly *reſponſum* eſt genus, reliqua collocantur pro differentia. Ly *à Summo Pontifice* indigitat cauſam effectivam Reſcripti Canonici, quæ eſt Sum. Pontifex; ut patet *hoc tit. in Decretalibus, Sexto, & Clementinis.* Ly *ſuper conſultationem* oſtendit Reſcripta quædam emanare ad propoſitionem ſubditorum Eccleſiæ, dubitantium circa Jus partium, & petentium Juſtitiæ adminiſtrationem per litis deciſionem, vel Judicis delegationem: quæ Reſcripta quandoque etiam dicuntur *Reſcripta Juſtitiæ*, quorum meminit *cap. ſuſcitatus, 13.* Et *cap. paſtoralis. 14.* Et *cap. literas.* Ly *vel ſupplicationem beneficij, aut alterius gratiæ* monſtrat Reſcripta quædam aliâ à Papa dari pro obtinendo beneficio aliquo Eccleſiaſtico, præbenda, officio, vel alia gratia Apoſtolica v. g. Privilegio: & hæc dicuntur *Reſcripta gratiæ*; ut notant omnes Interpretes Juris Canonici hìc: horum meminit textus in *cap. gratia, de Reſcriptis, in 6.* Et *Clement. gratiæ. de Reſcriptis.* & ſub his ultimis continentur Privilegia; diſpenſationes Apoſtolicæ variæ, v. g. circa ſuſcipiendos ordines ante ætatem Canonicam, vel ſtante irregularitate aliqua; circa contrahendum matrimonium, quando adeſt impedimentum dirimens, &c.

CAP. II.

De quibusdam clauſulis famoſis Reſcripto inſertis.

1. DIco primò: Omne Reſcriptum Canonicum tacitè, vel expreſſè ſolet habere hanc clauſulam conditionalem; *ſi ita eſt*, vel iſtam, *ſi preces veritate nitantur.* Ita communis DD. Et habetur *cap. ex parte.* Et *cap. cùm olim, de Reſcriptis.* Eſtque Ratio, quia ea, quæ in facto conſiſtunt, & ſpecialia ſunt, probabiliter Sum. Pontifex ignorat; ideoque non præſumitur habere notitiam de facto, contento in tali Reſcripto, niſi ſecundùm narrationem in ſupplicatione factam; & idcirco tantùm juxta narrata reſcribere cenſetur, & eorum ſupponere veritatem. Cæterum ſi dicta clauſula conditionalis ſaltem tacitè non involvatur in Reſcripto, eſt ipſo Jure nullum, *cap. ſuper literis, de Reſcriptis.*

2. Di-

Digitized by Google

2. Dico ſecundò: Similiter in omni Reſcripto apponi, vel ſaltem ſubintelligi ſolet hæc clauſula, *ſalvo Jure alterius*; vel *ſine præjudicio alterius*. uti & hæc in Reſcriptis ad beneficium; *ſi dignus ſit is, cui datur*. Ita Gail. Pirh. Gloſſa &c. Primum colligitur *ex cap. ſuper eo*, junctâ Gloſſ. *ver. intentionis*, *de officio Jud. deleg*. Eſtque Ratio; quia non cenſetur Sum. Pontifex Reſcriptis ſuis velle lædere Jus alterius; niſi exprimat aliud, *cap. quamvis de Reſcript. in 6*. Et *cap. ex parte, de officio Jud. deleg*. Secundum colligitur ex *cap. cùm adeò*, junctâ Gloſſâ fin. *de Reſcriptis*. Et eſt Ratio, quia Papa non præſumitur in indignos, & Canonicè impeditos Miniſtros diſpenſare Eccleſiæ beneficia.

CAP. III.

In Reſcriptis ordo, forma, & modus ſervandus.

1. Dico primò: In Reſcriptis Canonicis ordo, forma, & modus in eo præſcriptus eſt plenè ſervandus. Ita Felin. Abbas, Sanch. Gloſſa &c. Et colligitur ex *cap. cùm dilecta*, junctâ Gloſsâ *ver. transponentes; de Reſcriptis*. Unde acta contra ordinem, & formam Reſcripti, ipſo Jure ſunt irrita; ut tenet Gloſſa *cit.* nam ſi juxta *L. diligenter, 5. ff. Mandati*, diligenter fines mandati ſæcularis cuſtodiendi ſunt: & qui exceſſerit, aliud quid facere videtur: quantò magìs limites præfixi circa ordinem, & formam in Reſcripto Apoſtolico erunt ſervandi ad amuſſim. Imò tametſi Partes conſentirent in violationem ordinis, & formæ Reſcripti; adhuc acta contra tenorem, & formam ejus eſſent nulla. Ratio eſt; quia Reſcripta Principis, eorumque forma ſubſtantialis ſunt Juris publici, cui pactis privatorum derogari non poteſt, juxta *L. 3. C. de Juriſd.*

CAP. IV.

Varij modi Reſcriptorum examinantur; uti & duorum concurſus.

1. Dico primò: Si Summus Pontifex in eodem Reſcripto de duobus, vel pluribus punctis disjunctivè unum inquiri mandet, in ordine ad certum effectum; tunc ſufficit unum ex illis eſſe verum, & debitè probari, ut Commiſſarius exequi poſſit Reſcriptum; etiamſi alterum ſit falſum. Exempli gratia, mandatur inquiri, an Beneficiarius aliquis ſit ex Patre Presbytero natus; & an Patri in eodem beneficio immediatè ſucceſſerit, ut beneficiarius ille ſpoliari poſſit beneficio præſenti; ſufficit unum eſſe verum. Ita Pirhingus, Azor. &c. Et colligitur ex *cap. inter cætera, de Reſcriptis*. Eſtque Ratio; quia ad veritatem propoſitionis disjunctivæ ſatis eſt, alterutram partem eſſe veram.

2. Dico ſecundò: Si pro duobus prætendētibus duo diverſa Reſcripta emanent à Sum. Pontifice circa idem beneficium; vel ad unam litem diverſa ad diverſos Judices; tunc poſterius valebit, ſi fiat in eo mentio prioris: ſi verò non fiat, valebit primum, & ſecundum cenſebitur ſubreptitium. Ita Vallenſ. Pirh. Strein. Engel &c. Et habetur *cap. cæterùm. §. ſi verò, de Reſcriptis*. Et *cap. conſtitutus, de Reſcriptis*. Et *cap. cùm olim, de ſent. & re judic.* Et Ratio eſt quò ad primum; quia ſupponitur Summum Pontificem revocantem primum Reſcriptum, habere notitiam, & rationem ſufficientem ad id revocandum: & velle elidere prioris Epiſtolæ robur. Ratio etiam ulterior eſt pro ſecundo; quia ſi Sum. Pontifex fuiſſet recordatus primi Reſcripti; poſterius non conceſſiſſet, juxta *cap. ex parte, de offic. deleg.* ibi, *ſi memores fuiſſemus, nos pro prædicto N. literas direxiſſe, pro adverſario nullatenus ſcripſiſſemus*.

3. Dico tertiò: Si prius reſcriptum Juſtitiæ ad determinatos Judices deligendos communi conſenſu partium litigantium fuerit impetratum; deinde autem una pars inſciâ alterâ, poſterius Reſcriptum à Pontifice eliciat, ut cauſa ad novos Judices devolvatur, nullâ inſertâ mentione, quòd prius communi partium conſenſu fuerit impetratum (etſi in eo mentio fieret de ipſo priori reſcripto) hoc caſu poſterius Reſcriptum adhuc invalidum erit; & impetrans in expenſas condemnari debet, quas altera pars proptereà facere debuit. Ita cit. DD. & Gloſſa. Et habetur *cap. cæterùm*, in fine. Et Ratio primi eſt; quia ſecundum Reſcriptum cenſetur eſſe ſubreptitium; eò quòd Pontifex nunquam illud dediſſet parti, ſi prioris Reſcripti circumſtantiâ illâ prioris conſenſûs ſciviſſet: & quia Judices delegari debent non ad unius, ſed utriuſque partis conſenſum; ut dicitur *L. obſervandum, 47. ff. de Judic.* Ratio præterea ſecundi eſt; quia impetrans poſterius Reſcriptum damnificavit alteram partem; ergò tenetur damnum reſarcire; & is veluti temerarius litigator puniendus eſt, ac condemnandus in expenſas litis, *cap. ult. de Reſcriptis*.

4. Dico quartò: Si emanent duo Reſcri-

Digitized by Google

pta Apoſtolica, unum generale, alterum ſpeciale ſuper eandem cauſam; ſpeciale, etſi priùs editum, derogat generali poſterius edito. Ita communis DD. Et Ratio eſt; quia generi per ſpeciem derogatur, *cap. generi, de Reg. Jur. in 6.* & quia generalis diſpoſitio, quæ ſequitur, non refertur ad ſpecialem præcedentem, *L. Sanctio Legum, D. de pœnis.*

5. Dico quintò: Si ex Reſcriptis duobus utrumque ſit generale; vigorem, & prælationem ſortiri dignoſcitur illud, quod eſt minùs generale. Ita ſentiunt Vallens. Strein. Rebuffus, Peckius, Dynus, Tuſchus, & alij DD. Ratio eſt, quia minùs generali aſſimilatur quaſi ſpeciali Reſcripto.

6. Dico ſextò: In omnibus Reſcriptis beneficialibus, & gratioſis quibuſvis debet exprimi aliud beneficium incompatibile v. g. vicariæ perpetuæ, Canonicatûs &c. Si quod fortaſſis beneficiandus actu obtineat; aliàs cenſentur ſubreptitia. Ita Abbas, Rebuff, Pirh. &c. Et habetur in *cap. poſtulâſti, de Reſcriptis.* Eſtque Ratio, quia Sum. Pontifex intendit per ejuſmodi Reſcripta ſuccurrere neceſſitatibus pauperum Clericorum, qui nullô beneficiô Eccleſiaſticô gaudent; ideoque ſunt ſubreptitia ob tacitam veritatem, quæ fuit cauſa finalis conceſſionis ejus; hâc enim expreſſâ Sum. Pontifex non ita reſcripſiſſet.

7. Dico ſeptimò: Similiter in omnibus Reſcriptis præfatis debet fieri mentio de Reſcripto priori, dato ad aliquod beneficium obtinendum; ſi quod forſitan impetrans obtinuerat à Papa, (quamvis eidem renunciaverit) aliàs Reſcripta ejuſmodi ſunt irrita. Ita DD. communiter. Et ita habetur in *cap. ad audientiam, de Reſcriptis.* Ratio etiam eſt; quia ſi impetrans expreſſiſſet Reſcriptum illud priùs datum ad aliquod beneficium, veriſimile eſt, Papam non conceſſiſſe Reſcripta poſteriora beneficialia, & gratioſa.

CAP. V.

De quibuſdam Reſcriptis invalidis, vitiatis, falſis, & eorum ſuſpenſione.

1. Dico primò: Reſcripta gratiæ, ſeu beneficialia obtenta contra conſuetudinem, vel ſtatutum alicujus Eccleſiæ, ſunt invalida; niſi talis conſuetudinis, vel ſtatuti faciant mentionem, ſaltem per clauſulam derogatoriam ſimilem generalem, *non obſtantibus conſuetudinibus, & ſtatutis contrarijs.* Ita Francus, Pirh. Abbas, & alij DD. Et conſtat ex *cap. conſtitutus, hoc tit.* Et *cap. cum aliquibus; de Reſcriptis, in 6.* Eſtque Ratio; quia Sum. Pontifex non intendit laudabilibus Conſtitutionibus, & Conſuetudinibus locorum præjudicare; niſi id exprimat; ut dicitur *cap. cit. conſtitutus.*

2. Dico ſecundò; Impetrans Reſcriptum beneficij tenetur explicare ſuum ſtatum, quòd ſit Clericus, & non Laicus; item, quòd beneficium requirat perpetuam reſidentiam, quòd ſit electivum, vel unitum alteri beneficio, vel Juris Patronatûs, vel quòd ſit cathedralis Eccleſiæ, & ſimiles qualitates, quæ habent rationem quaſi formæ, & tacitè reddunt Reſcripta nulla. Ita canoniſtæ communiter. Primum deciditur in *cap. 2. de inſtit.* Et *cap. cùm adeò, de Reſcriptis.* Secundum habetur *cap. cùm in illis, de prebendis in 6.* Ratio tertij patet per *arg. cap. ult. de Clericis non reſident.* Ratio quarti, quinti, & ſexti eſt; quia ita ſentiunt Canoniſtæ, Abbas, Pirh. Menochi. & alij; eò quòd hæ qualitates *electivi, uniti, & Juris Patronatûs*, ſint peculiaris conſiderationis; adeóque coram Papa neceſſariò explicandæ. Septimum patet ex *cap. quamvis, de prebend. in 6.*

3. Dico tertiò: Quæcunque Reſcripta beneficialia, & alia gratioſa ipſo Jure, & facto ſunt irrita (uti & omnia acta intuitu ejuſmodi Reſcriptorum) ſi ſint vitiata obreptione, vel ſubreptione doloſa, cauſante conceſſionem Reſcriptorum. Ita Immola, Sanch. Felin. Abbas, & communis DD. Et ſtatuitur in *cap. ad audientiam, de Reſcript.* Et *in Clement. 1. de prebend.* Et Ratio etiam eſt, quia nemini dolus ſuus debet patrocinari, *cap. ſedet, de Reſcriptis.* Et *cap. ſi motu, de prebendis, in 6.* & alibi. Committitur autem *Obreptio*, quando coram Papa petendo Reſcriptum exprimitur falſum: *Subreptio* verò, quando tacetur verum, quod ſecundùm leges erat manifeſtandum; ut docent Menoch. Ionoc. Filliut. &c. & habetur in *cap. ſuper literis, de Reſcriptis.*

4. Dico quartò: Reſcripta tamen juſtitiæ vitiata ſubreptione, vel obreptione doloſâ non ſunt communiter ipſo jure invalida; ſed ope exceptionis invalidari debent. Idem judicium eſto de proceſſu vi talium reſcriptorum inchoato. Ita Felin. Abbas, Imola &c. Et colligitur ex *cap. ſi autem, de Reſcript.* Et ex *cap. plerumque, eod. tit.* Et eſt Ratio: quia de hujuſmodi Reſcriptis præ Gratioſis eſt ratio diſpar; nam in Reſcriptis Gratioſis totum negotium terminatur, & Jus tribuitur impetranti; ideoque hæc citiùs invalida fiunt: at in Reſcriptis Juſtitiæ negotium tantùm præparatur, aut committitur; nec in eo Jus tribuitur; ſed Judex tantùm datur, & verſatur ſolùm circa ordinem cognitionis; adeóque non obſtant,

Digitized by Google

obſtant, quò minùs cauſa principalis juſtè terminari poſſit.

5. Dico quintò: Reſcripta Juſtitiæ vitiata per doloſam obreptionem, quæ obreptio tamen non fuit cauſa conceſſionis Reſcriptorum, eò quòd aliquod falſum ſcienter quidem fuerat ab impetrante allegatum coram Papa, quod tamen omninò impertinens fuit ad cauſam contentam in Reſcripto; non cenſentur irrita. Ita Beraig, Joan. Andr. Pirh. & alij DD. Ratio eſt; quia præſumitur, Papam non attendiſſe ſimile vitium doli, etſi illud ſciviſſet in ipſa conceſſione Reſcripti.

6. Dico ſextò: Reſcripta verò Juſtitiæ vitiata ſubreptione, vel obreptione, etſi non ex dolo, ſed ex ſimplicitate, vel ignorantia impetrantis proveniente, ſunt irrita; ſi ſubreptio illa, & obreptio ſit cauſa conceſſionis totius Reſcripti quò ad ſubſtantiam; ſecus, ſi non ſit cauſa. Ita Innoc. Abbas, Felin. Joan. Andr. Imola, &c. Et habetur, *cap. ſuper literis, de Reſcriptis.* Et ratio eſt; quia ſi ſubreptio, vel obreptio ſit cauſa conceſſionis Reſcripti, cenſetur deeſſe voluntas Papæ concedentis, à qua pendet ſubſtantia Reſcripti: ſi verò non ſit cauſa, cenſetur adeſſe voluntas Pontificis concedentis.

7. Dico ſeptimò: Si Reſcripta beneficialia, & cujuſcunque gratiæ, continentia plures partes ſeparabiles, ſint ſubreptitiè, vel obreptitiè vitiata ſecundùm unam partem tantùm; erunt quidem quò ad hanc partem invalida; valida tamen quò ad alteram ſeparabilem, & non connexam. Ita Gloſſa, Felin. Pirh. &c. Ratio eſt; quia *utile per inutile vitiari non debet*; ut dicit Regula Juris 37. *in 6.*

8. Nota autem; præfatam concluſionem limitari; *niſi ſecundùm partem principalem Reſcriptum ſit vitiatum*: nam ſi vitiata ſit principalis pars ejus, & propterea ipſum Reſcriptum quò ad eam redditum invalidum; etiam ſecundùm partem alteram acceſſoriam invalidum erit; ut habet Abbas, Felin. & alij. Et deducitur ex *cap. conſtitutus, de Reſcriptis.*

9. Dico octavò: Quando aliqua gratia Apoſtolica emanat Reſcriptô Motus proprij, vel certâ ſcientiâ Papæ, non poteſt ei opponi vitium ſubreptionis; benè tamen obreptionis, ſi adſit. Ita Sanch. Franc. Menoch. Felin. &c. Primum patet ex diſpoſitione Canonis, quæ habetur *cap. ſi motu, de præbendis, in 6. & in Clement. ſi Romanus, de Præbend.* Ratio ſecundi eſt; quia dum tacetur veritas, Papa non movetur ab ea ad conceſſionem: at verò cum falſa cauſa exprimitur per obreptionem, ſi ob illam gratia concedatur, cenſetur contra intentionem Papæ fuiſſe data, & ob falſam narrationem, motum fuiſſe Papam ad eam concedendum: cùm ex errore fuerit conceſſa; errantis autem nullus eſt conſenſus, *L. non idcirco, 9. D. de Juris, & facti ignorantia.*

10. Dico nonò: Si in Reſcriptis Apoſtolicis gratiæ appoſitus ſit error qualitatis per modum demonſtrationis tantùm; v.g. ſi circa nomen, vel patriam perſonæ, cui conceduntur, erretur, non cenſentur vitiata, & irrita; ſecus eſt, ſi ſit error circa ſubſtantiam per modum determinationis, & reſtrictionis. Ita Covarr. Abbas, Felin. Pirh. & alij Canoniſtæ. Ratio primi eſt; quia error circa qualitatem per modum demonſtrationis non cenſetur movere Pontificem ad concedendam gratiam; nam eô detectô, adhuc illam conceſſiſſet. Ratio ſecundi eſt; quia error qualitatis per modum determinationis, & reſtrictionis redundat in perſonam, & ſubſtantiam rei, quæ per qualitatem illam determinatur; adeoque eſt error ſubſtantialis; & conſequenter irritans Reſcripta.

11. Dico decimò: Reſcripta impetrata contra Jus commune Canonicum, ſi de eo nullam faciat mentionem; item obtenta contra Stylum, & praxim Curiæ Papalis, falſa præſumuntur. Ita Imola, Abbas, Vallenſ. & communis. Primum habetur *can. reſcripta, 25. q. 2.* Et eſt Ratio; quia talia Reſcripta cenſentur prodijſſe præter intentionem Sum. Pontificis, ob varias occupationes tunc Juris non recordantis, *cap. ex parte, de Capell. Monach.* & quia non eſt veriſimile, Papam, cujus eſt Jura Canonica tueri, voluiſſe Jura tot vigilijs excogitata, & inventa unô Reſcriptô evertere, *cap. Eccleſia, de Electio.* Secundum habetur *cap. quàm gravi, de crimine falſi.* Et eſt Ratio; quia difformitas, & contrarietas Styli Curiæ, quâ ſcatet Reſcriptum aliquod impetratum, meritò ſuſpectum haberi debet; quale eſſet, ſi contineret mandatum, ut Judex ſine cauſæ cognitione procedat, *cap. ex parte, de Reſcriptis.* quia non cenſetur Papa velle pervertere Juris Ordinem.

12. Dico undecimò: Similiter cenſentur falſificata, & ſuſpecta Reſcripta, ſi contineant exorbitantes errores in lingua Latina; item ſi ſcateant raſuris, & deletionibus in locis ſubſtantialibus, unde potiſſima quæſtio dependet; v.g. in parte narrativa facti: Item ſi in præjudicium publicæ utilitatis Reipublicæ edita ſint: vel ſi habeant inſolitos titulos eorum, ad quos diriguntur: vel lædant Privilegiatos. Ita Felin. Abbas, Pirh. Engel, Vallenſ. &c. Prima pars habetur in *cap. ad*

Digitized by Google

audientiam, de Reſcriptis. Et eſt ratio; quia Reſcripta Papalia elaborantur cum ſingulari circumſpectione, & maturitate conſilij, *can. Apoſtolicæ, 35. q. 9.* vaduntque per varias doctorum Officialium manus, & leguntur; unde non eſt veriſimile, eos exorbitantes errores toleraſſe in Reſcriptis; ut ait *Gloſſa in cit. cap. ad audientiam.* Secunda pars habetur in *cap. licet regimen, de crimine falſi.* Et in *cap. cùm olim. de Privilegiis.* Et *in cap. ex literis, de fide Inſtrumentorum.* Tertia colligitur *ex cap. cùm ordinem, de Reſcriptis.* Et ex *L. fin. C. ſi contra Jus.* Quarta pars de titulis inſolitis v.g. ſi Epiſcopos, quos Papa *Venerabiles Fratres* appellat, vocet Filios: vel ſi Reges, quos vocat *Filios*, appellet Fratres; patet ex *cap. quàm gravi, de crimine falſi.* Quinta habetur *cap. cùm ordinem, de Reſcriptis.*

13. Dico duodecimò: Si contingat præſentari Ordinario, vel alteri ſuperiori Reſcripta, quæ meritò laborant vitiò ſubreptionis, vel obreptionis, aut alio eorum valorem irritante; executio eorum ad tempus ſuſpendi poteſt; uſque dum Sum. Pontifex aliter de veritate informetur. Ratio eſt primò; quia interdum Summus Princeps importunitate petentium obruitur, ut etiam non concedenda tribuat. *L. 2. C. de petit. bonorum ſublatis.* & *cap. fin. de Reſcriptis in 6.* Ratio eſt ſecundò: quia ſæpè falsò ipſis imponitur, *cap. ſuper literis, de Reſcriptis.* Unde reſcribit Alex. III. ad Archiepiſcopum Ravennatem *cap. ſi quando,* eodem tit. *Si quando aliqua tuæ Fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exaſperare videntur, turbari non debes:* & infra; *qualitatem negotij, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum reverenter adimpleas; aut per literas tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas; quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod prava nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.*

CAP. VI.

Quinam poſſint impetrare Reſcripta.

1. DIco primò: Reſcripta Papalia quivis homo impetrare poteſt, qui per SS. Canones non eſt arctatus à ſupplicando. Ita communis Canoniſt. Et habetur *1. de Reſcriptis, in 6.* Unde tam reus, quàm actor pro ijs ſupplicare valent, *cap. cæterùm.* Et *cap. ad hæc.* & alijs, *de Reſcriptis.* Imò & Monachus; etſi aliàs mundo mortuus habeatur *can. placuit. 16. q. 1.* & ſervis DEI non liceat frequentare lites *cap. 2. de poſtulando.*

2. Dico ſecundò: Reſcripta Apoſtolica poſſunt impetrari ſuper omnibus rebus profanis, & ſpiritualibus: & contra quemcunque ſive Clericum, ſive Laicum. Ita communis DD. Primum petitur ex diſpoſitione Canonum *cap. 2.* & per totum tit. *de Reſcriptis;* Et *cap. querelam, de Electione.* Et *cap. diſpendia, de Reſcriptis, in 6.* Ratio ſecundi eſt; quia nuſquam invenitur in SS. Canonibus aliquod genus hominum ita exemptum, ut contra eos non poſſit ſupplicari apud Sedem Apoſtolicam.

3. Dico tertiò: Per SS. Canones repudiantur ab impetrando Reſcripta Apoſtolica, Excommunicatus, falſus, aut revocatus Procurator, hæreticus, & Laicus in Reſcriptis beneficialibus. De Excommunicato ordinat Jus *in cap. cùm dilectus, de Reſcriptis.* De Procuratore *cap. ex parte,* eodem tit. De hæretico *cap. ſuper literis,* eodem tit. De Laico *cap. ex literis, de tranſactione.*

CAP. VII.

De interitu, & executione Reſcriptorum.

1. DIco primò: Reſcriptum à Sum. Pontifice datum cum modificatione clauſulæ talis; *uſque ad beneplacitum noſtrum*, vel alia æquipollente, expirat ipſâ morte Sum. Pontificis tum naturali, tum civili, ſi v. g. reſignaret Pontificatum; ſecus ſi ponatur clauſula talis, *ad beneplacitum Sedis Apoſtolicæ.* Ita Svar. Molin. Pirh. &c. Primum petitur ex deciſione Juris in *cap. ſi gratioſè, de Reſcriptis, in 6.* Secundum capitur ex *eodem cap.* Et eſt Ratio; quia gratia conceſſa emanavit ratione officij, ſcilicet Pontificatûs Apoſtolici, & dignitatis Sedis, quæ non extinguitur per mortem hujus Papæ.

2. Dico ſecundò: Executio Reſcriptorum Apoſtolicorum committi debet Perſonis Eccleſiaſticis, dignitatem, aut Perſonatum, vel Canonicatum Cathedralem obtinentibus; debetque fieri in locis inſignibus, vel Civitatibus, ſi ſint Reſcripta Juſtitiæ. Ita Greg. Tholoſan. Barboſ. Pirh. &c. Primum patet ex ordinatione Juris in *cap. ſtatutum, de Reſcriptis, in 6.* tum nè authoritas Sedis Apoſtolicæ in Miniſtro inferiori vilipendatur. Eſt autem *Dignitas Eccleſiaſtica* quædam præeminentia cum juriſdictione fori externi; *Perſonatus* verò præeminentia ſine tali juriſdictione. Secundum ſtatuitur *cit. cap.*, & quia in Civitatibus, & locis inſignibus haberi poteſt copia doctorum, qui pro Conſiliarijs, & Aſſeſſoribus

bus

Digitized by Google

bus litis poſſunt adhiberi; ut ait Gloſſa in *tit. cap.* Plura de executione lege apud Tholoſan. Navar. Joann. Andre. Franc. Abbat. Menoch. Barboſ. Imolam, & alios Canoniſtas inſigniores.

TITULUS IV.
DE CONSUETUDINE, SEU JURE NON SCRIPTO.

CAP. I.
De acceptione, & deſcriptione Conſuetudinis.

1. NOta primò: Quoniam alterum principium conſtitutivum Juris Canonici eſt Jus non ſcriptum, ſeu Conſuetudo, quæ ſecundùm Vlpianum in *L. 33. ff. de Legibus, pro Jure, & Lege in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet:* idcirco de ea Papa Gregorius IX. rectè *hunc* ſubjicit *titulum.*

2. Nota ſecundò: Conſuetudinem ſecundùm Vallen. Zoëſ. Pirh. & alios Canoniſtas, duobus modis uſurpari: *Primò* ſumitur pro ipſo uſu diuturno, ſeu frequentibus moribus, id eſt, frequentatis à populo actibus: & in hoc ſenſu dicitur *conſuetudo facti*; deq; ea procedit illud Iſidori relatum *can. conſuetudo, 5. in fin. diſt. 1. vocatur conſuetudo, quia in communi eſt uſu. Secundò* capitur pro ipſo Jure, quod ex uſu diuturno, ſeu frequentibus moribus populi naſcitur: & in hoc ſenſu appellatur *conſuetudo Juris*; definitur autem à Juriſperitis ex *L. de quibus, 32. §. 1. ff. de Legibus,* quòd ſit *Jus non ſcriptum, tacitis utentium moribus introductum.* Sed cape ejus definitionem Canonicam.

3. Dico primò: benè definitur Conſuetudo Juris, quòd *ſit Jus moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum Lex deficit.* Ita Lancellot. Hoſtien. Imol. Dec. Abbas, & communis Canoniſtarum; & habetur apud Iſidorum, relatum *in diſt. 1. can. conſuetudo.* cujus authoritate primò probatur hæc definitio. Deinde bonitas hujus definitionis oſtenditur ulteriùs explicatione ejuſdem: Dicitur *Jus,* ut differentietur conſuetudo hic definita à conſuetudine facti; & ab illa, quæ conſiſtit in puro conſilio. Dicitur *Jus moribus inſtitutum,* ut oſtendatur origo, & cauſa conſuetudinis; ipſa enim originatur, & naſcitur à frequentibus moribus, id eſt, actibus frequentatis populi, veluti cauſa effectrice Conſuetudinis: per eandem partem affertur differentia conſuetudinis à Jure ſcripto. Additur *quod pro lege ſuſcipitur,* ut oſtendatur effectus conſuetudinis; qui eſt obligare inſtar legis ſcriptæ; unde *L. de quibus, ff. de Leg.* dicitur *inveterata conſuetudo pro Lege non immeritò cuſtoditur.* Idem effectus *L. 35. ff. eod.* oſtenditur illo textu; *ſed & ea, quæ longa conſuetudine, approbata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, veluti tacita cum jure conventio, non minùs quàm ea, quæ ſcripta ſunt, Jura ſervantur.* Apponitur tandem Ly, *cum Lex deficit,* ut monſtretur, conſuetudinem tunc demum ſortiri ſuum vigorem, quando non adeſt Lex ſcripta: unde ipſa introducitur in defectum Legis ſcriptæ de hac, vel illa re: & quando Lex adeſt, conſuetudo non habet locum, præterquam ad confirmandam, aut interpretandam Legem; uti volunt Barboſ. Vall. Strein. Reginal. &c. quamvis contraria ſententia videatur probabilior.

CAP. II.
Variæ diviſiones Conſuetudinis afferuntur.

1. NOta primò: Conſuetudinem prima ſui legali diſmembratione dividi in generaliſſimam, generalem, ſpecialem, & ſpecialiſſimam; uti habet Tholoſ. Hoſtienſ. & alij Canoniſtæ. *Generaliſſima* eſt, quæ viget vel in univerſo propè mundo; vel ſaltem in maxima ejus parte; hujuſmodi eſt, ſignare ſe ſignô S. Crucis; de hac procedit *can. Eccleſiaſticarum. 5. diſt. 11. Generalis* eſt, quæ viget in aliqua integra ditione; talis eſt, quòd ad ſolum Capitulum electio Canonicorum pertineat; item quòd quivis Archi-Epiſcopus in ſua Provincia uti poſſit palliô; & de his procedit *cap. cum Eccleſia. 31. de Elect.* Et *cap. ex tuarum, 5. de auctor. & uſu pall. Specialis* eſt, quæ viget præcisè in aliqua Urbe, vel caſtello, talis eſſet v.g. ſi Conſules talis Civitatis juràſſent, ſe ſecundùm conſuetudinem Civitatis velle judicare, & non ſecundùm Leges communes, *cap. venientes, 19. de Jureju-*

rejurand. *Specialiſſima* eſt, quæ viget in unico duntaxat Collegio, domo, vel familia unius habitationis.

2. Nota ſecundò: Conſuetudinem rurſus benè partiri in Canonicam, & Civilem; uti habet Pirh. Vall. Strein. &c. *Canonica* eſt, quæ habet locum in materia ſpirituali, ſeu Eccleſiaſtica; talis eſt conſuetudo jejunandi tali die; & conſuetudo ſervandi tale feſtum. *Civilis* eſt, quæ locum habet in materia temporali, & propria Laicorum.

3. Nota tertiò: Conſuetudinem pariter benè dividi in eam, quæ eſt præter Legem, ſeu Jus; & in eam, quæ eſt contra Legem ſeu Jus; & in eam, quæ eſt ſecundùm Legem, ſeu Jus. Ita Abbas, Pirh. Strein. Vallenſ. & communis Canoniſt. *Prima* eſt, quæ conſtituit Jus novum, ubi deficit Lex; uti habetur *can. conſuetudo, diſt. 1.* talis eſſet v. g. obſervantia novi jejunij, ut habetur *cit. can.* *Secunda* eſt, quæ evacuat Jus antecedens humanum; de hac procedit *cap. fin. hujus tituli.* Talis eſt Clericorum conſuetudo liberè teſtandi in favorem ſuorum cognatorum in multis Germaniæ Provinciis. *Tertia* eſt quædam executio, & interpretatio Legis præexiſtentis, facta per continuos actus; unde hæc eſt propriè conſuetudo facti; & de ea procedit illud *L. de quibus, ff. de Leg. conſuetudo optima Legum interpres*; talis eſt conſuetudo diebus feſtis audiendi Miſſam. Ut porrò Conſuetudo nova legitimè introducatur, & ſortiatur vim debitam, variæ requiruntur conditiones, quas ſequentibus capitibus expendam. Unde ſit

CAP. III.

An, quales, & quot actus requirantur ad Conſuetudinem.

1. Dico primò: Ad introducendã, & radicandã novam legitimam, atque validam Conſuetudinem requiritur frequentia actuum. Ita Vallenſ. Canis. Zoëſ. Pirh. Strein. Panorm. Engel, & alij Canoniſtæ. Et patet tum ex diſpoſitione *L. 1. & 2. Cod. quæ ſit longa Conſuetudo.* Tum ex definitione Conſuetudinis, ſupra *concl. 1.* exhibita, in qua dicitur, Conſuetudinem eſſe Jus moribus conſtitutum; id eſt, uſibus, ſeu actibus frequentatis populi. Tum ex ipſa Etymologia nominis, quia *Conſuetudo* dicitur, quòd ſit in communi uſu *can. 5. diſt. 1.* uſus autem eſt actus repetitus, & frequentatus, & quidem cum quadam interpolatione; uti ex Bartol. benè arguit Vallenſ.

2. Nota autem primò præfatorum actuum frequentatorum qualitates. *Primò* enim debent eſſe publici, & notorij notoreitate facti; ita ut fiant præſentibus multis perſonis, & à majori ſaltem parte populi frequententur; ut docet Sylv. Pirh. Suar. Vallenſ. Azor. Far. &c. aliàs non cenſeretur interveniſſe tacitus majoris populi conſenſus. Non requiritur tamen, ut ſint publici, & notorij notoreitate Juris, id eſt, ut ſint publicati in contradictorio judicio per ſententiam Judicis; ut habet Abbas, Pirh. Zoëſ. ex nullo enim jure colligitur, publicitatem, & notoreitatem ejusmodi Juris eſſe neceſſariam. *Secundò* debent illi actus eſſe voluntarij, ac cum animo inducendi Conſuetudinem; ita Abbas, Zoëſ. Pirh. Vallenſ. & communis Theolog. ac Canoniſt. Ratio utriusque petitur ex diſpoſitione *can. conſuetudo, diſt. 1.* Deinde Ratio ulterior primi eſt; quia omnis actus moralis & humanus, qualis etiam eſt actus conſuetudinarius, eſt voluntarius, & ex conſenſu procedens. Ratio ulterior ſecundi eſt; quia actus agentium non operantur ultra intentionem eorundem; ſecundùm commune axioma utriuſque Juris. *Tertiò* debent memorati actus eſſe uniformes; ut docet Farinac. Rota Rom. Vallenſ. Menoch. &c. Ratio eſt; quia ut benè diſcurrit hìc Vallenſ. ex Hoſtienſ. & Surd. ex actibus difformibus remanet dubium, quid populus ſervare intenderit; cùm tamen ſicut Lex, ita & conſuetudo debeat eſſe clara, certa; non autem obſcura, & dubia. *Quartò*, non debent eſſe controverſi, aut turbidi, nec ex mera tolerantia procedentes; ut habet Farinac. & Vallenſ. Ratio eſt primi; quia ex ſimilibus actibus pariter nihil certi de intentione populi elicitur. Ratio ſecundi; quia multa per patientiam tolerantur, quæ ſi in judicium deducantur, exigente juſtitiâ tolerari non debent, juxta *cap. cùm jam dudum, Extra, de Prebendis.*

3. Nota ſecundò: Nec à Jure Canonico, nec à Civili quidquam determinati deciſum eſſe, quotnam numerò actus ſint neceſſarij ad inducendam conſuetudinem; quare de eorum frequentatione variant DD. Leſſius, Panormit. Gail, & alij arbitrantur ſufficere duos, vel tres actus, ſive judiciales, ſive extrajudiciales. Alij hunc numerum negant ſufficere. Ego cum Engel, Pirh. & alijs ſentio, numerum ſufficientem relinquendum eſſe arbitrio Judicis, qui inſpectâ qualitate actuum, & perſonarum judicare debet, num ij majori parti populi ita innotuerint, ut is tacitè conſentire videatur; item an in notitiam Principis tales actus delati fuerint, ſi forſitan talem

Digitized by Google

talem notitiam poſtulent; & ſic ejus quoque tacitus conſenſus acceſſerit.

CAP. IV.

De diuturnitate temporis requiſita ad Conſuetudinem.

1. DIco primò: ad legitimam Conſuetudinem fundandam requiritur quoque aliqua diuturnitas temporis, quô talis conſuetudo ſit practicata, & ſervata. Ita Engel, Strein. Pirh. Menoch. Zoëſ. &c. Ratio eſt; quia per aliquod notabile tempus debent interpolari actus frequentati, generantes conſuetudinem, ut cenſeantur ad legitimam notitiam Principis pervenire, atque ita is credatur connivere, ac prudenter tolerare exercitium illorum actuum, tandemque tacitum conſenſum præſtare pro introducenda nova conſuetudine.

2. Nota autem primo: pro conſuetudine ſive contra, ſive præter Legem, tam Civilem, quàm Canonicam, viâ conniventiæ Papæ, aut ſæcularis Principis ſcientis introducenda, à Juribus non eſſe taxatum intervallum temporis; ſed prudenti Judicis arbitrio attentâ materiâ Legis, & alijs circumſtantijs determinandum eſſe; ut habet Salas, Menoch. Engel, Leſſius &c. Pro Conſuetudine tamen contra, vel præter Legem Civilem viâ præſcriptionis firmanda, ignorante Principe ſæculari diuturnitas decennij requiritur; ita Abbas, Azor. Sylv. &c. Et conſtat ex diſpoſitione Juris Civilis, quod poſtulat ad Jus novum viâ præſcriptionis introducendum tempus longum, ſeu ut Conſuetudo ſit longæva, & diuturna, *L. de quibus, ff. de Leg.* & toto tit. *C. quæ ſit longæva Conſuetudo*: longum autem tempus cenſetur eſſe decennium, juxta *§. 1. Inſtit. de uſucap. L. ult.* & toto tit. *C. de Præſcript. long. temp.* Pro ſtabilienda verò viâ præſcriptionis Conſuetudine aliqua contra Legem Canonicam uſu receptam requiritur diuturnitas 40. annorum. Ita communis TT. & Canoniſtarum. Ratio eſt; quia Lex Canonica eſt quoddam Jus, ſeu res immobilis Eccleſiæ; & conſequenter contra eam præſcribitur tanto tempore, quanto contra res immobiles Eccleſiæ; contra res autem immobiles Eccleſiæ præſcribitur ſpaciô 40. annorum; ut habetur *cap. de quarta, 4.* Et *cap. ad aures, in 6.* Et *cap. auditis, 15. de præſcript.*

CAP. V.

Conſuetudo debet eſſe rationabilis, cum ſcientia, & conſenſu Principis.

1. DIco primò: Similiter ad introducendam legitimam conſuetudinem requiritur, ut ipſa ſit rationabilis; id eſt, ut non ſit contraria vel Legi naturali, vel Juri Divino poſitivo, nec adverſetur Religioni, nec libertatem Eccleſiaſticam elidat, nec licentiam aut occaſionem peccandi præbeat, nec bonum publicum lædat. Ita Abbas, Vallenſ. Engel, Hoſt. & alij Canoniſtæ. Et deducitur ex utroque Jure; Ex Civili quidem *L. 1. C. quæ ſit longa Conſuetudo.* Ubi ait Imperator, *Conſuetudo præcedens, & ratio, quæ illam ſuaſit, cuſtodienda eſt.* Huc etiam facit *L. quod non ratione. ff. de Leg.* Ex Canonico autem, *cap. ult. hoc tit.* Et *cap. 2. eodem tit. in 6.*

2. Dico ſecundò: ad eandem requiritur ſcientia Principis, vel optimatum, & tacitus ſaltem eorundem conſenſus, ſi populus introducens conſuetudinem habeat Principem, vel optimates. Ita Gloſſa, Innoc. Abbas, Sylv. Vallenſ. & communis. Ratio eſt; quia Conſuetudo eſt quoddam Jus novum; Ergò debet proficiſci à ſcientia, & tacito ſaltem conſenſu Principis, vel optimatum, penes quos ſolos reſidet poteſtas legislativa, & authoritas condendi Jura, ac Leges.

CAP. VI.

De effectibus Conſuetudinis.

1. DIco primò: Legitima conſuetudo in genere operatur ſequentes effectus: primò obligat ad ſui obſervantiam ſicut Lex; ſecundò tribuit juriſdictionem non habenti; tertiò in foro fori facit licitum, quod aliàs eſſet illicitum, quò ad evitandam pœnam temporalem. Ita Abbas, Decius, Imola, Vallenſ. Surd. Azor. & communis Canoniſt. ac Juriſconſult. Primum petitur tum ex ordinatione *cap. cùm Venerabilis, de Conſuetud.* Tum ex *L. de quibus, ff. de Leg.* Secundum elicitur ex *cap. cùm contingat; Extra, de foro compet.* Ratio tertij eſt; quia ita habet tolerata praxis Judicialis. Circa hoc

2. Nota primò: obſervantiam Conſuetudinis eſſe ſtricti Juris; & eam non poſſe exten-

extendi extra terminos; nec de caſu ad caſum; nec de perſona ad perſonam; nec de loco ad locum; uti tradit Surd. Vallenſ. Bart. Bald. Menoch. &c.

3. Dico ſecundò: Conſuetudinis præter Legem effectus peculiaris eſt, conſtituere Jus novum, ubi deficit Lex; Conſuetudinis verò ſecundùm Legem effectus eſt, Jus antiquum dubium interpretari; & tandem effectus Conſuetudinis contra Legem, modo rationabilis ſit, eſt, elidere Legem jam poſitam; non quidem naturalem, & Divinam; ſed humanam. Ita Hoſtien. Dec. Vallenſ. Covarr. Bonac. Sà, Suar. & communis Theolog. Canoniſt. & Juriſt. Primum habetur in *can. Conſuetudo, diſt. 1.* Secundum extat in *L. de quibus, ff. de Leg.* Tertium in *cap. ult. hoc tit.* & in *cit. L. de quibus.*

4. Dico tertiò: Conſuetudo etiam immemorabilis contra Legem, maximè Eccleſiaſticam, nunquam ſortitur ſuum effectum eliſionis legis jam poſitæ; ſi reſiſtat apertè Jus, vel damnetur ut iniqua. Ita Strei. Abbas, Menoch. Covar. Azor. &c. Et conſtat ex diſpoſitione Canonis in *cap. 1. de Conſuetudine in 6.* Et in *cap. Conſuetudinem, de Clericis non reſident.* Ratio etiam eſt; quia in tali caſu cenſetur abeſſe conſenſus etiam tacitus Principis, vel optimatum; & præponderat authoritas Legis jam conſtitutæ, *cap. cum cauſa, de ſentent. & re judicat.*

CAP. VII.

De interitu Conſuetudinis.

1. Nota primò: Conſuetudinem ijsdem modis interire, ac Legem ſcriptam, puta ceſſatione ob materiam mutatam; ut habet Strein. Item abrogatione, ſeu lege poſteriori contrariâ continente clauſulam derogatoriam Conſuetudinis præexiſtentis; ut habet Pirhin. Item contrariâ Conſuetudine poſterius inductâ; ut tenet Hoſtien. Et tandem pragmatica ſanctione Imperatorum; ut habet Gail, &c.

CAP. VIII.

Particulares quædam Conſuetudines validæ afferuntur.

1. Nota primò: Exempla quarundam validarum, & receptarum ab Eccleſia, ac Jure Canonico approbatarum Conſuetudinum Canonicarum: *Primò,* valida, recepta, & approbata eſt illa Conſuetudo quarundam Eccleſiarum, vigore cujus antiquiores Canonici poſſunt optare, & ſibi eligere meliores præbendas; tametſi extaret Proviſio Apoſtolica ſpecialis alicui facta, ut proximè vacatura præbenda eidem conferatur; prout habetur in *cap. ult. hujus tit. in 6.* Modo præbenda illa non vacet apud Sedem Apoſtolicam, ſeu in ſua Curia, & de qua per Papam ſit proviſio; uti excipitur *cit. cap. §. in præbendis verò.* Item dummodo præbenda vacans non ſit de beneficicijs reſervatis Papæ ſive generaliter, ſive ſpecialiter motu proprio: nam inferiores non poſſunt per Conſuetudinem præjudicare Juri Papæ, *arg. C. inferior, 4. diſt. 21.* Et *arg. cap. innotuit, 20. de Elect.*

2. *Secundò:* valida quoque eſt illa Conſuetudo in quibusdam locis jam præſcripta, quâ Epiſcopus in inquirendis, corrigendis, & puniendis exceſſibus ſuorum ſubditorum, poſſit procedere abſque conſultatione ſui Capituli; uti habetur *cap. non eſt, hoc tit. in 6.* quod tamen aliàs conſulere tenentur, juxta *cap. novit, 4. & 5. de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſen. Capit.* Et *cap. 1. de exceſſib. Prælat.* Imò etiam illa Conſuetudo cenſenda eſt valida, quâ non ſolùm in memorato caſu poſſit procedere; verùm etiam, quâ ob longam legitimam præſcriptionem in alijs quoque negotijs, etiam arduis ſolent Epiſcopi, vel alij ſuperiores quorundam locorum procedere abſque communicatione prævia cum Capitulo, per *cap. ea noſcitur, 6. de his, quæ fiunt à Prælat.*

3. *Tertiò:* Similiter valida, & legitima eſt Conſuetudo illa, quâ in aliquibus terris non tantùm dominium rei alicujus, v. g. prædij; ſed & ejus poſſeſſio, ſine reali & corporali ejusdem apprehenſione in Monaſterium aliquod, Eccleſiam, vel alium locum pium, aut Religioſum transferri poſſit titulô donationis; Ut habet Abbas, Pirh. ac Interpretes Juris Canonici. Primum ſumitur ex *cap. ex literis, 2. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia licèt juxta Jus commune regulariter non ſufficiat apprehenſio rei ſolo animo facta; ſed etiam requiratur apprehenſio realis, & corporalis; ut dicitur *L. 3. ff. de acquir. poſſ.* attamen Conſuetudine firmari poteſt, ut ſufficiat apprehenſio ficta, v. g. *ſi juxta Conſuetudinem Patriæ diuturno tempore obſervatam* (ut reſcribit Innoc. III. *loc. cit.*) *coram pluribus teſtibus videntibus, & audientibus ponatur ſuper altari gleba, vel pugillus terræ,* atque ita fiat Loco Pio donatio alicujus agri, vel prædij. Vide de ſimilibus Conſuetudinibus plura apud Azor. & alios DD.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IX.

Quædam Conſuetudines invalidæ recenſentur.

1. NOta primò: exempla Conſuetudinum invalidarum, & à Jure Canonico reprobatarum. *Primò*: nullius valoris, imò reprobata eſt Conſuetudo illa, (tametſi foret immemorabilis) quâ unus Canonicus in eadem Eccleſia præter præbendam Canonicalem, gaudet vel duobus perſonatibus, vel duabus dignitatibus, vel duobus officijs, ſeu adminiſtrationibus, abſque peculiari Sum. Pontificis diſpenſatione. Ita communis Canoniſt. Et ſumitur ex *cap. 1. hoc tit. in 6.* Ratio etiam eſt; quia hujuſmodi Conſuetudo eſt noxia Eccleſijs, & corruptela; fovet enim ambitionem, & cupiditatem: inſuper præbet occaſionem res Eccleſiaſticas negligenter adminiſtrandi, & cultum Divinum minuendi.

2. *Secundò*: invalida quoque, & reprobanda eſt Conſuetudo, quâ appellatur ab Officiali Epiſcopi ad ipſum Epiſcopum. Ita Gloſſa, Pirh. & alij. Et petitur ex *cap. 2. hujus tit. in 6.* Eſtque Ratio; quia utriusque eſt idem tribunal; ut amplius dicitur infra *tit. 28. cap. 4.*

3. *Tertiò*: Similiter eſt invalida, & reprobata à Jure Eccleſiaſtico Conſuetudo, quâ quidam Principes, & Magiſtratus collectant propriâ authoritate Perſonas Eccleſiaſticas, aut Eccleſias, vectigalia, tributa, aut alterius generis præſtantias exigendo ab eis. Ita Abbas, Barboſ. Imola, & communis Canoniſtarum. Et patet ex *cap. ult. hoc tit.* Et ex *cap. non minus, 4.* Et ex *cap. adverſus, 7. de immunit. Eccleſ.* Et ex *cap. quanquam, 4. de Cenſib. in 6.* ubi dicitur, *quod Eccleſiæ, Eccleſiaſticaque Perſonæ, ac res ipſarum non ſolùm Jure humanô; quin & Divinô à ſæcularium perſonarum exactionibus ſunt immunes.* Et ex Trid. *Seſſ. 25. cap. 20. de Reformat.* idem prorſus aſſerente.

4. *Quartò*: Imò omnis Conſuetudo, quâ directè Perſonis Eccleſiaſticis, aut Eccleſijs gravamen aliquod infertur, irrita omnio eſt; Ut habet Gloſſa, Abbas, Pirh. Panorm. Azor. & communis Canoniſt. Et deducitur ex *cap. 1. hoc tit.* & ex ſolemni Conſtit. Urban. emanata an. 1641. die 5. Julij, incipit *Romanus Pontifex.*

5. *Quintò*: nullius pariter momenti eſt Conſuetudo, quâ Clerici inferiorum Ordinum, imò & Sacerdotes practicarent officia Ordini Epiſcopali propria. Ita Azor. Abbas, Dec. Panor. & communis Canoniſtarum. Et habetur ex diſpoſitione Juris in *cap. quanto, 4. hoc tit.* Ratio etiam eſt; quia incapax actûs alicujus ſacramentalis, nulla Conſuetudine poteſt præſcribere; Clerici autem inferiores, imò & Sacerdotes ſunt quâ tales incapaces v. g. Ordines Majores conferendi, confirmandi &c. quæ ſunt Ordini Epiſcopali annexa.

6. *Sextò*: Etiam irrita eſt Conſuetudo, quæ evacuat, aut diſſolvit diſciplinam Eccleſiaſticam; & quæ bonos mores Chriſtianiſmi evertit. Ita Gloſſ. Abbas, Pirh. Barboſ. & communis Canoniſtarum. Ratio primi eſt; quia ejusmodi Conſuetudo eſt noxia Eccleſiæ; nam elidit nervum Eccleſiæ, qui eſt diſciplina Eccleſiaſtica; ſicut deducitur ex *cap. cum inter, 5. hoc tit.* Ratio ſecundi; quia ita determinatur in ſumma Rubricæ *cap. ex parte, 10. hoc tit.* Primi generis Conſuetudo perniciosa foret, ſi v. g. per Conſuetudinem ab antiquo,. in Eccleſia alicujus Urbis interdictô innodatæ, nihilominus pulſarentur Campanæ, & januis apertis, ac alta voce Divina peragerentur; excluſis tamen excommunicatis. Secundi generis foret Conſuetudo, quæ præberet occaſionem peccandi; item, quâ aliquis diſſipator ſuorum bonorum, etiam Uxoris bona poſſet alienare: & ſimiles, de quibus, utì & alijs compluribus reprobatis Conſuetudinibus, vide Abbatem hìc, Imolam, Pirh. Franc. Navar. Azor. & alios Canoniſtas.

CAP. X.

Quid ſentiendum de conſuetudine circa Regulam, & Conſtitutiones Ordinis S. Franciſci.

1. DIco primò: contra vota eſſentialia Regulæ Seraphicæ, Caſtitatis ſcilicet, Paupertatis, & Obedientiæ nulla poteſt conſuetudo introduci, ut Fratres Ord. S. Franciſci de Obſerv. & Ref. ad eorum obſervationem non obligent. Ita Rodriq. Navar. Azor. Regin. Ratio eſt; quia ejusmodi conſuetudo caret neceſſarijs conditionibus legitimæ aliàs conſuetudinis: *Primò*, quia non eſt rationabilis, cùm adverſetur eſſentiæ Religionis; & licentiam peccandi præbeat: *Secundò* contrariatur Legi Divinæ; quia infringit ſolemnia vota DEO facta

quæ concernunt Jus Divinum. *Tertiò*, quia non obtinent ſcientiam, & expreſſum vel tacitum conſenſum Principis Ordinis, & Optimatum, id eſt Papæ, Generalis, ac Capitularium generalium.

2. Dico ſecundò: ſed neque conſuetudo ulla legitima excuſare poteſt ab Obſervantia præceptorum Regulæ Seraphicæ, ſub mortali obligantium. Ita Roder. & alij DD. Ratio eſt; quia & huic conſuetudini regulariter deſunt neceſſariæ conditiones ad conſuetudinem legitimam, excuſantem ab obſervantia præceptorum formalium Regulæ Seraphicæ: & ſignanter deeſt ſcientia, & conſenſus expreſſus, vel tacitus Principis, & Optimatum, id eſt Summi Pontificis, Generalis, & Capitularium Generalium, ſeu Capituli; cùm Papa Urbanus VIII. nuper primò ſolemnem ediderit Bullam, quæ incipit *Militantis Eccleſiæ*, quâ Ordinis candorem lapſum ſeveriſſimè mandat reſtitui; per candidam, & puram Obſervantiam præceptorum Regulæ Seraphicæ: & ubi viget, conſervari: & cùm Generalis cum Capitulo ſemper edant Conſtitutiones, aut jam editas renovent pro tollendis tranſgreſſionibus Obſervantiæ præceptorum Regulæ Seraphicæ: & cùm Conſtitutiones pariter generales ab Ordine receptæ, contra eaſdem fulminent varias pœnas.

3. Dico tertiò: Conſtitutio tamen aliqua Ordinis diutinâ conſuetudine poteſt abrogari, ita ut ad ejus obſervantiam Fratres ampliùs non teneantur. Ita Roder. Navar. Peyrin. &c. Ratio eſt; quia Conſtitutiones plurimæ ſunt accidentariæ Regulæ Seraphicæ, & Ordini noſtro Franciſcano; & abeſſe poſſunt abſque deſtructione ejuſdem; adeóque plures ſenſim abrogari poſſunt conſuetudine firmatâ, & diutinâ. Quod ulteriùs conſtat à paritate aliarum Legum humanarum; etiam Eccleſiaſticarum, quæ conſuetudine abrogari poſſunt, ita ut earum obſervantia ceſſet, *cap. ult. de conſuetudine*. Et *L. de quibus ff. de legibus*.

4. Nota autem primò: non quacunque conſuedutine diutinâ poſſe abrogari Conſtitutionem, vel Statutum Ordinis; ſed illâ, quæ cenſetur legitima: legitima autem erit, ſi habeat ſequentes conditiones ſecundùm Peyrin. *Primò*, quæ neque peccatum, neque ſcandalum inducit. *Secundo*, quæ non eſt contra decorem, & honeſtatem noſtrorum Religioſorum. *Tertiò*, quæ eſt tolerata à ſuperioribus ſpaciô 40. annorum, abſque ulla interruptione. *Quartò*, quòd talis conſuetudo ab omnibus Religioſis Ordinis, vel ſaltèm talis Provinciæ obſervata, & practicata fuerit.

TITULUS V.

DE POSTULATIONE PRÆLATORUM: UBI ETIAM DE NOMINATIONE EORUM.

CAP. I.

De quidditate, & diviſione Poſtulationis; ejuſque differentijs ab Electione.

Nota primò: cùm juxta *L. 2. ff. de ſtatu homin. Jus quo utimur vel ad perſonas pertinet, vel ad res* (ſcilicet earundem perſonarum) *vel ad actiones*: idcircò D. Papa Gregorius IX. poſt examinata principia conſtitutiva Juris Canonici, incipit tractare de Perſonis Eccleſiaſticis, quæ ſunt Sacrorum Canonum miniſtri juxta *diſt. 21. in princ.* & primò de Prælatorum Eccleſiaſticorum aſſumptione ad Eccleſiaſticas Prælaturas, & Officia. Advertendum autem Prælaturæ Eccleſiaſticæ acquirendæ varios eſſe modos; ut Electionem, Tranſlationem, Poſtulationem, & Nominationem. *Poſtulatio*, de qua *hoc titulo*, bifariam apud Juriſconſultos, & Canoniſtas habet uſurpationem; *Primò* enim ſecundùm Bartol. Paulum &c. capitur pro vocatione, ſeu advocatione, per quam unuſquiſque ſuum deſiderium apud eum, qui Juri præeſt, exponit, vel alterius deſiderio contradicit; ut habetur *L. ſciendum, ſ. 1. Secundò* ad propoſitum, pro modo promovendi aliquam perſonam ad dignitatem Eccleſiaſticam vacantem per viam gratiæ; eò quòd eligi prohibeatur. Unde Poſtulaiio in hoc ſenſu eſt in ſubſidium Electionis introducta.

2. Di-

Digitized by Google

2. Dico primò: Benè deſcribitur Poſtulatio; quòd *ſit alicujus Perſonæ aliàs quidem habilis; ſed tamen hic & nunc per SS. Canones impedita, petitio ad Prælaturam, ſive dignitatem Eccleſiaſticam, à Capitulo, vel aliis ad ſuperiorem deſtinata, ut eam beneficiò diſpenſationis qualificare, & admittere dignetur.* Hæc concordat in re cum deſcriptionibus Abbatis, Sylveſtri, Vallenſ. & aliorum Canoniſtarum. Per ly *alicujus Perſonæ aliàs quidem habilis*, inſinuatur, poſtulatum non debere laborare aliquô vitiô canonicô, v. g. hæreſis, interdicti, irregularitatis, bigamiæ &c. de quibus infra; *tit. 6.* quæ hic & nunc inhabilitatem ad poſtulari inducunt. Per ly *ſed tamen hic & nunc per SS. Canones impedita*, oſtenditur, omnem poſtulationem ſupponere impedimentum aliquod Canonicum, removens hic & nunc poſtulatum à Prælatura, quodque diſpenſatione eget. Per ly *petitio ad Prælaturam, ſive dignitatem Eccleſiaſticam*, ſignatur finis Poſtulationis, qui eſt providere alicui Eccleſiæ vacanti. Per ly *à Capitulo, vel aliis*, exprimuntur Poſtulatores, qui ſunt communiter Capitulares alicujus Capituli, vel aliæ Perſonæ alicujus Communitatis, habentes jus poſtulandi. Per ly *ad ſuperiorem deſtinata*, datur intelligi, omnem Poſtulationem, ut debitum effectum ſortiatur, debere dirigi ad legitimum ſuperiorem, qui eſt Sum. Pontifex in ſolemni Poſtulatione; vel alius Prælatus immediatus in minùs ſolemni. Per ly tandem, *ut eam beneficiò diſpenſationis, qualificare, & admittere dignetur*, indigitatur, Poſtulationem fundari in gratia, & non priùs ſortiri effectum, quàm ſuperior Poſtulatum idoneum reddat ad conſequendam Prælaturam, vel aliam dignitatem.

3. Nota ſecundò: Poſtulationem aliam eſſe ſolemnem, aliam minùs ſolemnem. *Solemnis* ſecundùm Abbatem, Sylveſtrum, & Pirhing. eſt petitio Perſonæ promovendæ ad Prælaturam, facta apud Sum. Pontificem, ſeu talem Superiorem, qui habet authoritatem diſpenſandi cum Poſtulato in omni impedimento eum prohibente à poſſeſſione Prælaturæ. Exemplum eſſet, ſi Capitulum Wratislavienſe peteret à Papa, ut diſpenſet cum Archiepiſcopo Pragenſi, ut poſſit fieri Epiſcopus Wratislavienſis. *Non ſolemnis* eſt petitio facta non apud Sum. Pontificem; ſed apud illum ſuperiorem, qui non habet authoritatem diſpenſandi cum Poſtulato in impedimento Canonico; debet tamen præbere ſuum conſenſum ad promotionem Poſtulati. Exemplum hujus poſtulationis eſſet, ſi privatus Religioſus in Epiſcopum alicujus Eccleſiæ vacantis vocaretur, & aſſumeretur, propter talis aſſumptionem deberet ad ſuperiorem majorem Regularem fieri petitio, ut is præbeat ſuum aſſenſum, juxta *cap. ſi Religioſus, 27.* Et *cap. ſi Abbatem, 36. de Elect. in 6.*

4. Nota tertiò: ex hactenus dictis patet plures eſſe differentias Poſtulationis ab Electione. *Primò* enim Poſtulatio innititur gratiæ ſuperioris diſpenſantis in impedimento Canonico; Electio verò innititur Juri cuidam, ut rectè obſervat Gloſſa in *cap. unic. v. eligo, hoc tit. in 6.* quod Jus illicò acquirit Electus, dum conſentit in Electionem Canonicè factam. *Secundò*: Poſtulatio reſpicit perſonam promovendam Jure Canonico inhabilem; Electio verò habilem. *Tertiò*: Electio dicitur confirmari; Poſtulatio autem admitti à Superiore, *cap. ſcriptum, 40. de Elect. Quartò*: Electio Canonicè celebrata factâ ſemel debitâ publicatione Scrutinij non poteſt ſubſtantialiter alterari, aut caſſari ab Electoribus, juxta *cap. publicato, 58. de Elect.* Poſtulatio verò etiam publicata, modò ſuperiori necdum ſit præſentata actualiter, alterari, imò & revocari poteſt; ut habent Hoſtienſ. Joan. Andr. Panorm. Engel, Paſſer. &c. *Quintò*: Electus poteſt abſolutè conſentire in ſui Electionem; Poſtulatus verò tantùm ſub conditione Papalis diſpenſationis; ut habent Paſſeri. Laym. Engel &c. *Sexta* differentia petitur ex numero ſuffragiorum, de quo infra *cap. 3. hujus tit.*

CAP. II.

De Perſonis poſtulabilibus, & impoſtulabilibus.

1. Dico primò: Ad Prælaturam, vel dignitatem Eccleſiaſticam poſtulari poſſunt ſolæ illæ Perſonæ quæ jure quidem Electionis paſſivæ inhabiles; modò tamen probitate, fidei integritate, doctrinâ ſufficienti, & alijs qualitatibus ad Electionem canonicam requiſitis pollent. Ita Hoſtienſis, & communis Canoniſtarum. Ratio eſt; quia cum Poſtulatio ſit in ſubſidium Electionis Canonicæ inſtituta; Electio autem requirat perſonas morum probitate, fidei integritate, doctrina ſufficienti, & alijs qualitatibus, *ſequenti titulo* adducendis inſignitas; idcircò poſtulabilis debet ijſdem pollere.

2. Dico ſecundò: Ille cenſetur eſſe impe-

dimentô, ſeu defectu Canonico irretitus, propter quem non eligi ad Prælaturam Eccleſiaſticam Epiſcopalem, ſed poſtulari, & diſpenſari poteſt à Papa, qui eſt Epiſcopus, vel Archiepiſcopus confirmatus. Ita Abbas, Panormit. Vallenſ. Gloſſa, & communis Canoniſt. Et patet ex diſpoſitione Juris Pontificij, in *cap. etſi unanimiter, hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Epiſcopus, & Archiepiſcopus confirmatus eſt ſpirituali matrimonio copulatus ſuæ Eccleſiæ, ad quam priùs eſt aſſumptus, *cap. ſicut vir, 11.* Et *cap. ſicut alterius, 39. cauſ. 7. q. 1.* Et *cap. 2. & ult. de translat. Epiſcop.* & propterea etiam annulum geſtat, matrimonialis vinculi ſignificativum; uti patet *ex cap. penult.* junctâ Gloſſâ *ver. annulos, de vita & honeſt. Clerico.* Quemadmodum ergò ligatus vinculô matrimonij carnalis nequit deſerere ſuam Conjugem, & alteri adhærere; ita nec ligatus vinculô matrimonij ſpiritualis; niſi à Sum. Pontifice diſpenſetur.

3. Dico tertiò: Similiter is tantùm poſtulari poteſt, & non eligi ad Prælaturam, qui patitur defectum legitimorum natalium; vel defectum Ordinis Sacri, vel ætatis Canonicæ. Ita Abbas, Joan. Andre. Gloſſa, Vallenſ. Barboſ. & communis Canoniſtarum. Et conſtat ex ordinatione Juris Canonici in *cap. innotuit, 20. de elect.* Secundum ex *cap. præterea, de ætat. & qual. ordinand.* Tertium deſumitur à paritate, *cap. cùm in cunctis, de Elect.* Eſt autem ætas Canonica pro Epiſcopo eligendo neceſſaria, 30. anni: pro alijs Prælatis, & dignitatibus ſaltem 25. ut habet *citat. cap.*

4. Dico quartò: Impoſtulabiles ad dignitatem Epiſcopalem, & quaſi Epiſcopalem v. g. ad Generalatum, Provincialatum; imò & alias Prælaturas inferiores v. g. Abbatiales, vel Prioratus &c. ſunt ſequentes Perſonæ, perjurus in judicio; homicida; inobediens Prælatis ſuis; per violationem interdicti, & ſimili infamiâ morum notatus; item necdum profeſſus; laborans morbo epilepſiæ; mutilatus; idiota; bigamus; irregularis; & ex damnato concubitu natus. Ita Hoſtienſ. Strein. Laym. &c. Ratio horum omnium eſt; quia omnes Perſonæ allegatæ in concluſione ſunt vel ob delictum, vel alium defectum Canonicum ineligibiles ad Prælaturam, per varia capita Juris Canonici; uti oſtendam *ſequenti tit.* Ergò ſunt æquè impoſtulabiles.

CAP. III.

De Perſonis Poſtulantibus, & earum ſuffragijs.

1. Dico primò: Soli illi poſſunt legitimè poſtulare, quibus aliàs competit Jus eligendi. Ita Sylveſter, Abbas, Hoſtienſ. Zoëſius, Pirhing, &c. Et conſtat ex *cap. bonâ memoriâ, hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Poſtulatio, & Electio collimant, ad eundem ſcopum, ut videlicet provideatur Prælaturæ, vel dignitati Eccleſiaſticæ per ſubjectum idoneum vacanti; quod ſi eligi non poſſit, ſaltem poſtuletur: quarè illis ſolis cenſendum eſt jus poſtulationis competere, quibus competit Jus Electionis.

2. Nota autem primò: penes ſolos Canonicos Capitulares, & illas perſonas quæ per Conſuetudinem legitimam, aut particularem, radicatam & authenticam conceſſionem, poteſtatem eligendi obtinuerunt, reſidere Jus eligendi, & conſequenter poſtulandi; ut rectè obſervat ex Hoſtienſi. & Sylveſtro Pirhing; nam alioquin nimiùm confunderentur poteſtates electivæ, & poſtulativæ; naſcerenturque infinitæ tricæ, & vitiatæ Electiones, ac Poſtulationes.

3. Dico ſecundò: poſtulantes non poſſunt alterare ſuam Poſtulationem, eandem evacuando, aut notabilter variando, poſteaquam ſuperiori actu præſentata eſt; benè tamen ante præſentationem, etſi ſcrutinium jam fuiſſet apertum, & publicatum. Ita Panorm. Hoſtienſ. Joan. Andre. Abbas &c. Et deſumitur ex *cap. bona, 4. hoc tit.* Et conſtat ex regula generali Abbatis, quam hìc tradit; quòd ſcilicet non ſit licitum variare conſilium, poſtquam alter Jus acquiſivit, juxta illa *de Reg. Jur. in 6. mutare quis conſilium non poteſt in alterius detrimentum:* licitum tamen eſt in hoc caſu, quamdiu alter nullum Jus aſſecutus eſt; uti contingit in caſu, quo Poſtulatio necdum ſuperiori actu præſentata eſſet.

4. Dico tertiò: poſtulantes non poſſunt abſque cauſa legitima excludere ullum à concurſu communi poſtulandi, qui de jure, vel probata conſuetudine jus habet pariter Poſtulandi; & ſi ad Poſtulationem procedant, aliquo Poſtulatore Canonico excluſo, vel contemptô, vel non vocatô, Poſtulatio debet reſcindi. Ita Abbas, Pith. &c. Et colligitur ex *cap. bona, 4.* junctâ Gloſſâ *ver. eis contemptis, hoc tit.* Et quia Eligentes non poſſunt excludere aliquem Electorem à concurſu

Digitized by Google

curſu communi eligendi, qui jus eligendi habet; & Electio aliter facta eſt irritanda, *cap. bonæ, 36. de Elect.* Ergò idem dicendum in caſu Poſtulationis: cùm Electio, & Poſtulatio in Jure æquiparentur quò ad Jus ſuffragij.

5. Dico quartò: tametſi decens, & expediens ſit, ut Poſtulantes colliment in Perſonam indigenam habilem, ſeu qui ſit de corpore Capituli poſtulantis; ſimpliciter tamen, & licitè extraneum idoneum poſſunt poſtulare. Ita Gloſſa, Pirhing, & alij DD. Primum deſumitur ex *cap. bonæ, 4. de poſtul. Prælat.* Et *cap. nullus, 13. diſt. 61.* Ratio ſecundi; quia aliquandò magis conſulitur publicæ utilitati Eccleſiæ vacantis per aſſumptionem perſonæ extraneæ valde qualificatæ, & utilis: & Capitulares poſtulantes in hoc poſſunt juri ſuo renunciare: cùm nuſquam obſtet Jus Canonicum.

6. Dico quintò: Si contingat Poſtulationem unius concurrere ſimul cum Electione alterius in diſcordia ſuffragantium; ita nimirum, ut unus poſtuletur, alter verò eligatur; tunc ſuffragia poſtulantium debent eſſe duplò majora, quàm eligentium; adeòque ut inter tres partes Capitularium, plus quàm duæ concurrant in Poſtulatione: ſi verò præcisè in pura poſtulatione ſiſtant ſuffragantes, ſufficit ad legitimam poſtulationem, ut major pars Capitularium concurrat in unum poſtulatum. Ita Gloſſa, Abbas, Hoſtienſ. Sylveſt. Panorm. &c. Primum petitur ex diſpotione Juris in *cap. ſcriptum, 40. de Elect.* Eſtque Ratio; quia Electio nititur viâ ordinariâ, tribuitque Jus Electo; Poſtulatio verò nititur viâ extraordinariâ, & gratiâ, nullumque tribuit Jus ipsô factô; unde inferior eſt habenda, & numerô fulcienda; ut hìc diſcurrit Zoëſius. Ratio ſecundi eſt; quia ordinariè ad actiones à Capitulo geſtas ſufficit, ut major pars Capitularium concurrat, & conſentiat; ut habetur *cap. 1. de his, quæ fiunt à major. part. Capit.* Sicut & ad actiones à Magiſtratu rectè geſtas ſufficit, ut major pars Curiæ eas efficiat; nam tunc pro eo habentur, ac ſi omnes egiſſent, *L. quod major, 19. ff. ad municip.*

7. Dico ſextò: Etſi Poſtulatio ſit legitimis ſuffragijs celebrata; tamen ſuperior eam absque injuria rejicere poteſt. Ita Gregor. Tholoſ. & Abbas, contra Hoſtienſ. Joan. Andre. &c. Et colligitur ex *cap. poſtulationem, 5. de Poſtulat. Prælat.* ubi etiam aſſignatur fundamentum hujus concluſionis; quia nimirum Poſtulatus per Poſtulationem nullum acquirit jus; adeoque ſine ejus præjudicio poteſt rejici à ſuperiore.

CAP. IV.

De forma Poſtulationis; & pœnis poſtulantium indignum.

1. Dico primò: Reprobantur à Jure Canonico hæ formæ poſtulandi, & eligendi: *Poſtulo eligendo; poſtulo eligendum;* item, *eligo poſtulando;* & *eligo poſtulandum* Ita Bonifacius VIII. in *cap. uni. de Poſtulat. Prælat. in 6.* ubi ait, quòd ex ſimilibus formis, *tanquam pernicioſa curioſitate, nec vera Electio, nec vera Poſtulatio reſultet, quin ſibi potius invicem adverſantur.*

2. Dico ſecundò: Etſi tutius ſit, non tamen ſimpliciter neceſſarium, ut ad ſolemnem Poſtulationem forma ſcrutinij, & aliæ legales ſolemnitates requiſitæ ad Electionem, adhibeantur; ſed ſufficit ut Poſtulatio fiat in Concordia duarum partium Capituli, vel concurſu majoris partis Capituli, ſi Poſtulatio cum Electione non concurrat. Ita Hoſtienſ. Sylv. Franc. Pirhing. Laym. Ratio eſt; quia Jus Canonicum nuſquam hoc requirit: & quia Poſtulantes ante præſentationem Poſtulationis poſſunt recedere à Poſtulatione: Ergò ſignum eſt, ad eam non requiri neceſſariò ſolemnitates Electionis, quæ in Electione receſſum impediant.

3. Dico tertiò: Tam ſcienter poſtulantes indignum propter indiſpenſabilem aliquem defectum, quàm renovantes Poſtulationem indigni temerè factam, pro ea vice ipſo jure, & facto privati ſunt jure poſtulandi, & eligendi. Ita Gloſſa, Innocen. Abbas, Panorm. Joan. Andr. &c. & communis Canoniſt. Primum colligitur ex *cap. 1. & 2. de Poſtulat. Prælat.* Eſtque Ratio; quia ita ordinatum eſt de Eligentibus indignum *cap. cùm in cunctis, 7. de Elect.* in quo Poſtulatio æquiparatur Electioni. Secundum deſumitur ex *cap. gratum, 2. hoc tit.* Et Ratio eſt; quia taliter renovantes Poſtulationem abutuntur Jure ſibi conceſſo poſtulandi; unde meritò plectuntur privatione talis Juris pro ea vice.

CAP. V.

De Nominatione Prælatorum.

1. Nota primò: Nominatione quoque acquiri Prælaturam, & dignitatatem Eccleſiaſticam; ut ſupra dixi; quæ quia valde affinis eſt Poſtulationi, de ea hìc agam. Eſt autem Nominatio, *duarum, vel plurium*

Digitized by Google

plurium perſonarum idonearum determinatio à toto Capitulo, vel aliis facta, & ad Sum. Pontificem, vel alium ſuperiorem ſcriptò miſſa, ut is unum ex eis vacanti Eccleſiæ, vel Prælaturæ præficere velit. Quæ deſcriptio cùm ex terminis clara ſit, non eget elucidatione.

2. Nota ſecundò: poteſtatem nominandi Epiſcopos, primò ab Apoſtolis in Caput ſupremum Eccleſiæ Militantis, Summum videlicet Pontificem devolutam fuiſſe, ac penes eundem præcisè ſubſtitiſſe per complura ſæcula: noviſſimis verò temporibus ob eximia merita, aliasque graves cauſas Sum. Pontifex eandem pro multis Eccleſijs permiſit varijs Regibus, & Principibus ſupremis; unde hodie (exceptô Imperiô Romano-Germanicô, ubi ſecundùm Concordata inter Nicol. V. & Fridericum III. Canonici Cathedralium Eccleſiarum Electionē faciunt Epiſcoporum) in Regno Boëmiæ, Hiſpaniarum, Galliarum, alijsque Provincijs Reges nominant Epiſcopos pro Eccleſijs vacantibus; confirmandos tamen à Summo Pontifice; imò & alios majores Prælatos complures nominant.

3. Nota tertiò: quòd Jure hodierno Canonico prohibetur Epiſcopus nominare ſibi Succeſſorem; ut habetur *can. Epiſcopo.* Et *can. Moyſes.* Et *can. Apoſtolica. 8. q. 1.* Ratio redditur, quia dignitates Eccleſiaſticæ partim à Chriſto, partim ab Eccleſia inſtitutæ ſunt, unde decens non eſt, ut inſtar Civilium Officiorum hæreditate acquirantur. Et tametſi olim contrarium legamus practicatum fuiſſe; nam D. Petrus Apoſtolus & Epiſcopus Romanus ſibi ſubrogavit Clementem, ut habetur *c. ſi Petrus, 8. q. 1,* Et Valerius Epiſcopus Hipponenſis nominavit Succeſſorem D. Auguſtinum, Severus quoque Epiſcopus Millevitanus Succeſſorem ſibi delegit & conſtituit: in his tamen caſibus videtur ſemper acceſſiſſe Cleri & populi conſenſus expreſſus, vel ſaltem tacitus.

CAP. VI.

Quid dicendum circa Poſtulationem, & Nominationem Prælatorum Ordinis S. Franciſci.

1. DIco primò regulariter in Prælatos ſeu Miniſtros Provinciales Provinciarum Ord. S. Franciſci de Obſerv. & Ref. aſſumi prohibentur extranei, id eſt, qui de corpore earum non ſunt per profeſſionem, vel incorporationem, ante decennium factam. Ita Sanctorus, & communis DD. Ord. Et conſtat ex Conſtitutionibus generalibus modernis Ordinis *cap. 8. §. 37. n. 5.* ubi dicitur, *Provinciales Miniſtros aſſumi prohibemus, qui de earum Provinciarum corpore non ſint; id eſt vel ibi profeſſi, vel ſaltem per decennium in eis incorporati non fuerint &c. eorumque electio irrita ſit, & nulla.* Ratio etiam eſt; quia extranei, tanquam hoſpites vix Provinciæ mores, & probatas conſuetudines callere poſſunt, aliaque ſcire, quæ pro felici regimine Provinciæ neceſſaria ſunt.

2. Dico ſecundò: extraneus tamen Pater aliàs qualificatus per Poſtulationem Capituli Provincialis, & diſpenſationem Apoſtolicam aſſumi poteſt in Miniſtrum Provinciæ. Ratio eſt; quia Summus Pontifex habet ſummam, & omnimodam poteſtatem qualificandi perſonas Eccleſiaſticas, aliàs per Canones impeditas à dignitatibus, ad Prælaturas Eccleſiaſticas: adeoque etiam extraneum Patrem poſtulatum ad Miniſteriatum Provinciæ. Deinde idem conſtat à paritate aliarum Prælaturarum Epiſcopalium, ad quas idonea ſubjecta, aliàs per Canones impedita ab eligendo, poſſunt poſtulari; uti patet ex *hoc tit.* Juris Canonici: Ergo idem dicendum de Patre extraneo reſpectu Miniſteriatûs alicujus Provinciæ. Accedit tandem praxis Provinciarum Ordinis, quâ videmus quandoque quoſdam extraneos Patres valde qualificatos per Poſtulationem, & diſpenſationem Apoſtolicam aſſumi ad Miniſteriatum alienarum Provinciarum. In hujuſmodi autem Poſtulatione attendenda erunt ea, quæ dicta ſunt ſupra *cap. 1.* Et *2. hoc tit.*

3. Dico tertiò: etiam per Nominationem Summi Pontificis præfici poſſunt Prælati Ordini, & Provincijs Ordinis noſtri. Ratio petitur ex eadem plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ ſuper Ordinem noſtrum. Et confirmat praxis Religionis, quâ conſtat Ordini noſtro, & Provincijs quibusdam nonnunquam à Summo Pontifice datos fuiſſe ſuperiores, per viam Nominationis: hoc modo nuper Provinciæ Romanæ Reform. per S. D. N. Innocentium XI. proviſum fuit de Provinciali. Sic etiam toti Ordini à Clemente X. nuper præfixus fuit Vicarius Generalis; & idem deinde ab eodem nominatus Miniſter Generalis, usque ad ſequens Capitulum duraturus.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS VI.

DE ELECTIONE; ET ELECTI POTESTATE.

CAP. I.

De quidditate; & tempore Electionis; ac præparatorijs ad eandem.

1. NOta primò: diſcuſſo *priori tit.* modo extraordinario aſſequendi Prælaturam, & dignitatem Eccleſiaſticam per viam Poſtulationis, quæ eſt via gratiæ; congruenter *hoc tit.* proponitur alter modus ordinarius per viam Electionis, quæ innititur Juri. Etymon autem iſtud *Electio* ex vi ſua importat delectum alicujus rei, vel unius perſonæ è pluribus; ut habetur ex *cap, in cauſis, 30. cum ſeq. hoc tit.* Et *cap. cum ſpeciali 61. de appell.* Et *cap. in alternativis, de Regul. Jur. in 6.* Et *L. plerumque, 10. ff. de Jure dotium.* Et *L. ſi quis ſtipulatus. ff. de verb. oblig.* In propoſito tamen Titulo Juris Canonici ſignificat tantùm delectum perſonæ, ad dignitatem aliquam Eccleſiaſticam promovendæ per legitimam electionem. Unde

2. Dico primò: rectè deſcribitur Electio, quòd *ſit perſonæ idoneæ ad Eccleſiaſticam dignitatem vacantem per ſuffragia legitimorum Electorum Canonica vocatio, authoritate ſuperioris confirmanda.* Concordat cum Hoſtienſis, Gloſſæ, Vallenſis, & communi deſcriptione: colligiturque ex *cap. cùm in cunctis 7.* Et ex *cap. quia propter, 42. hoc. tit.* Ly *Vocatio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Ly *Canonica* oſtendit in Electione debere ſervari ſolemnitatem quandam; id eſt, formam à Canonibus præſcriptam. Per Ly *perſonæ idoneæ* differt Electio Canonica à Poſtulatione, quæ locum habet duntaxat in perſonis, ob Canonicum aliquod impedimentum inidoneis. Per Ly *ad Eccleſiaſticam dignitatem* notificatur Electionem propriè loquendo non habere locum in beneficijs ſimplicibus vacantibus, etſi ad ea eligantur perſonæ habiles per ſuffragia; quia per mortem prioris non cenſentur propriè viduata; eò quod Epiſcopus vivens eis præſit ut Caput, & Paſtor ſupremus; ſed ſolùm in Prælaturis Eccleſiaſticis locum habet Electio, cujusmodi ſunt Epiſcopatus, Præpoſitura, Provincialatus, & ſimilia, per quæ Eccleſia verè cenſetur viduata ſuo Paſtore, & Capite, habente juriſdictionem generalem, vel quaſi generalem; quæ proinde ſola beneficia Electiva dicuntur. Ly *ad dignitatem vacantem* inſinuat Electiones Canonicas non citiùs poſſe celebrari, quam Prælatura Eccleſiaſtica realiter vacet vel per mortem, vel dejectionem, vel reſignationem prioris Prælati; ut dicetur uberiùs infrà. Ly *per ſuffragia* differt Electio à collatione, inſtitutione, commenda, præſentatione, & alijs modis acquirendi beneficium Eccleſiaſticum, in quibus non interveniunt ſuffragia. Per Ly *legitimorum Electorum* oſtenditur cauſa efficiens, quæ ſunt Electores lege non prohibiti, & Jure eligendi præditi; de quibus ampliùs infrà. Per Ly tandem *authoritate ſuperioris confirmanda* innuitur Electionem Canonicam ſuum ultimatum complementum ſortiri à ſuperiore legitimo, v. g. Summo Pontifice, vel Generali Ordinis, aut eorum delegatis. Circa tempus Electionis Canonicæ celebrandæ.

3. Dico ſecundò; tunc demum debitum tempus celebrandæ Canonicæ Electionis eſt, quando dignitas phyſicè, & moraliter vacat, & Eccleſia eſt verè viduata ſuo Paſtore, ſeu Prælato. Ita Tholoſan. Vallenſ. Pirhing, &c. Et elicitur ex *cap. quia propter, 42.* ex illis verbis; *Eccleſiæ viduatæ provideant de Paſtore.* Cenſetur autem aliqua dignitas Eccleſiaſtica phyſicè, & moraliter vacare *primò*; ſi Prælatus ei præfixus decedat per mortem naturalem; ut habetur *can. factus.* Et *can. Novatianus.* Et *can. ſcire.* Et *can. denique, cauſa 7. q. 1.* Vel ſi is ob culpam aliquam gravem juridicè amoveatur ab illa dignitate; ut habetur in principio *cit. q. 1.* illis verbis, *niſi forſitan ejus locum, quem capitalis culpa dejecerit &c.* Sunt autem culpæ graves, & capitales removentes de Jure Communi ſequentes. Simonia, ut patet ex *cap. inſinuavit, 13. de Simonia.* Item crimen falſi, ut habetur *cap. ad falſariorum,* quod eſt *7. de crimine falſi.* Item læſæ Majeſtatis; ut habetur *cap. fin. de pœnis in 6. &c.*

Secun-

Secundò vacat dignitas Eccleſiaſtica per validam renunciationem Prælati; ut habetur *cap. ult. de renunc.* *Tertiò* per tranſlationem prioris Paſtoris ad aliam Eccleſiam; ut habetur *can. mutationis.* Et *can. Epiſcopus, 34. cauſ. 7. q. 1.* *Quartò* per ingreſſum ejusdem Prælati in Religionem aliquam; ut habetur *can. temporis 44. §. item cùm aliquis, citatâ cauſâ. & q.*

4. Dico tertiò: tempus inter quod Electio canonica celebranda eſt Prælati majoris tam Eccleſiaſtici, quàm Regularis, eſt trimeſtre; niſi occurrat graviſſimum impedimentum, quod ab Electoribus nequit evacuari: minorum verò beneficiorum proviſio fieri debet intra ſex menſes. Ita Vallenſ. Engel, Abbas, Pirh. Gloſſa. Primum petitur ex diſpoſitione Concilij generalis Lugdun. ſub Innoc. III. celebrati *cap. 23.* & refertur *cap. ne pro defectu 41. de Elect. & elect. poteſtate*, ubi dicitur, *ſtatutum eſt, ne ob defectum Paſtorum Eccleſiæ in ſpiritualibus, & temporalibus grave damnum patiantur, ut non ultra tres menſes Eccleſiæ Cathedrales, & Regulares* (idem eſt de Collegiatis) *vacent, ſeu Paſtore careant.* Aliarum autem dignitatum, & beneficiorum vacantium proviſio fieri debet ad ſummum intra ſemeſtre; ut habetur *cap. 2. de conceſſione prebend.* Secundum colligitur ex *cap. ult. de Elect. & Elect. poteſtate.* Et *cap. ne pro defectu.* Graviſſimum autem impedimentum cenſetur eſſe bellum, peſtis, &c. Tertium colligitur ex *cap. 2. de conceſſione prebendæ.*

5. Dico quartò: tempus præfati trimeſtris non computatur à die vacantiæ realis, ſeu phyſicæ mortis Prælati; ſed à die, quâ Electores aſſecuti ſunt certam notitiam vacantis Prælaturæ. Ita Vallenſ. Engel, Pirh. & alij Canoniſtæ. Et determinatur in *cap. quia diverſitatem*, in fine *de conceſſ. prebend.* *Et cap. licet 3. de ſupplend. neglig. Prælat.* Eſtque Ratio; quia, ut habet *L. annus, ff. de ædilit. edict.* qui neſcit, agendi poteſtatem non habet. Et tandem quia carens notitiâ certâ vacantis Eccleſiæ, non cenſetur eſſe in mora, ſeu negligens circa electionem novi Paſtoris; adeoque tali fluxus trimeſtris nequit imputari.

6. Dico quintò: Si Electores, ſive Eccleſiaſtici, ſive Regulares intra trimeſtre juſtô impedimentô ceſſante neglexerint celebrare Electionem novi Prælati; pro ea vice ipſo jure privantur poteſtate eligendi, & jus eligendi devolvitur ad proximum Superiorem. Ita Abbas, Vallenſ. Eng. &c. Et petitur ex diſpoſitione Juris Canonici *cap. ne pro defectu 41.* ubi etiam dicitur, quòd *is, ad quem dicta poteſtas fuerit devoluta, debet DEUM præ oculis habens intra alios tres menſes* (ſcilicet à die devolutionis numerandos) *cum Conſilio Capituli ſui, & aliorum virorum prudentum viduatæ Eccleſiæ de perſona idonea, ipſius quidem Eccleſiæ, vel alterius, ſi digna non reperiatur in illa, canonicè providere; ſi canonicam voluerit evadere ultionem.*

7. Nota autem ſecundò: quòd in caſu negligentiæ Electorum negligentium in Eccleſijs Cathedralibus eligere intra trimeſtre, jus eligendi pro illa vice olim devolvebatur ad Sum. Pontificem: ut patet ex *cap. dilectus 12. de conceſſ. prebend.* poſtea tamen in Conc. Lateran. ſub Innoc. III. hoc emendatum eſt; & juxta *cap. ne pro defectu* devolutum cenſetur ad immediatum ſuperiorem, puta ad Archi-Epiſcopum, ſuppoſitô quòd illa Eccleſia Cathedralis ſubſit Archi-Epiſcopo, & is aliàs habeat jus Prælatum novum confirmandi: nam ſi eſſet exempta, tale jus immediatè ad Papam devolveretur; ut habet *cap. licet, de ſupplend. neglig. Prælat.* Quemadmodum hodie in Germania exemptæ ſunt omnes Cathedrales Eccleſiæ, quarum Epiſcopos confirmandi jus ſibi reſervavit Papa Nicolaus V. in Concordatis Germaniæ; unde ad eum immediatè fit devolutio Juris eligendi Epiſcopos in caſu negligentiæ Canonicorum.

8 Nota tertiò: Si contingat etiam ſuperiorem proximum, & immediatum infra aliud trimeſtre non facere proviſionem Canonicam Eccleſiæ viduatæ per Electionem novi Prælati; Jus proviſionis ulteriùs devolvitur ad alium ſuperiorem, ſi talis adſit; & ſic gradatim usque ad Sum. Pontificem, juxta dictum *cap. ne pro defectu.*

9. Nota quartò: quòd ſi Electio intra trimeſtre facta effectum non habuerit, puta quia Electus aut eam acceptare noluit, vel mortuus eſt; conceditur tam ſuperiori, ad quem devolutum fuit jus providendi, quàm Capitularibus novum integrum trimeſtre pro celebranda Electione; dummodo nil fraudulenter egerint in præmiſſis; *cap. ſi Electio 26. hoc tit. in 6.* Circa præparatoria ad Electionem.

10. Nota quintò: inter præparatoria, ſeu antecedentia Electionem novi Paſtoris recenſeri poteſt honorata tumulatio mortui Prælati; ut colligitur ex *cap. bona 36. de Elect. & Elect. poteſt.* quæ non debet eſſe feſtina nimis; cùm talis ſapiat contemptum: nec poſt eam illicò Electio novi eſt celebranda; niſi ſubſit graviſſima aliqua cauſa: quare ordinatur *can. nullus 7. diſt. 79.* ut ante tertium diem depoſitionis defuncti Paſtoris Capitulares

res

Digitized by Google

res non exordiantur collegialiter tractatum talis electionis, Si tamen ejuſmodi Electio fieret infrà tale triduum; imò etiam ante tumulationem defuncti Prælati, ſimpliciter valida eſſet: Ratio eſt; quia Capitulares ſtatim poſt ſecutam mortem Prælati acquirunt jus eligendi; cùm realiter, & phyſicè vacet Eccleſia; & habetur *can. Epiſcopo 3. cauſa 8. q. 1.* Et ſi neceſſitas urgeret talem anticipatam Electionem, licitè fieri poteſt; ut habet Gloſſa hìc, Innocent. & Imola.

11. Nota ſextò: Præterea inter præparatoria, ſeu antecedentia ad Electionem pertinet, ut honorificè tumulatô defunctô, poſt diem tertium depoſitionis Capitulares præſentes collegialiter congregentur in loco Capituli; diem Electionis novæ celebrandæ determinent, ac conſtituant; eandémque abſentibus Capitularibus, jus eligendi habentibus, debitè notificent per literas, vel nuncium ſpecialiter ad hoc aſſumptum; & eos vocent ad Electionem; uti colligitur ex *cap. cùm inter 18.* & docent Tholoſan. Zoëſius, Pirh. & alij Canoniſtæ. Circa tamen hujuſmodi notificationem, & vocationem in quibuſdam Eccleſijs conſuetudo obtinuit, ut vel Decanus, vel dignior, vel ſenior Capituli ſe ſolo convocet Capitulares abſentes, diémque Electionis deſignet: illi proinde erit ſtandum in tali Eccleſia.

12. Dico ſextò: Ad Electionem canonicam novi Prælati tam Eccleſiaſtici, quàm Regularis vocandi ſunt omnes, & ſinguli Capitulares, tam præſentes, quàm abſentes, qui jus eligendi habent vel de Jure communi, vel de conſuetudine, vel ex ſpeciali privilegio; niſi grave impedimentum occurrat. Ita Hoſtienſ. Abbas, Tambur. Toloſan. Garcia, &c. Canoniſtæ. Et patet ex *cap. quia propter 42. hoc tit.* Et *cap. cùm olim. 7. de arbitrio.* Et *cap. quamvis de Offic. Ord. in 6.* Et Ratio eſt; quia nemo ſuo Jure privandus eſt abſque gravi cauſa.

13. Nota ſeptimò: Grave impedimentum excuſans à facienda vocatione abſentis eſſet *primò*; ſi is extra Provinciam abeſſet ita remotè, ut commodè & ſinè periculo intra tempus Electionis celebrandæ adeſſe non poſſit; ut habetur *cap. cùm inter 18.* Et *cap. quod ſicut 28. hoc tit.* *Secundò* ſimiliter grave impedimentum excuſans à facienda vocatione abſentis eſſet, ſi abſens eſſet innodatus excommunicatione majori notoriè, vel ſuſpenſus, vel interdictus, vel irregularis, vel aliunde inhabilis ad eligendum; ut cenſet Abbas, Pirh. &c. DD.

14. Nota octavò: In caſu abſentiæ talium Capitularium ſic impeditorum, uti & renuentium comparere, & eorum qui aliàs vocandi non ſunt ad actum Electionis, reliqui licitè, & validè poſſunt; imò tenentur procedere ad Electionem; ut habetur *cap. ſicut. 28. hoc tit.* Idem dicendum videtur, ſi interim, dum exſpectantur abſentes, graves ac periculoſæ factiones poſſent emergere: vel ſi eſſet periculum ſchiſmatis, aut intruſionis Laicæ poteſtatis; quo caſu bonum publicum Eccleſiæ præponderat bono privatorum; atque ita accelerari poteſt Electio per ſolos tunc præſentes Capitulares.

15. Nota nonò: Si tot Electores (qui tempeſtivè vocati comparere commodè potuiſſent) non vocati, ſed contempti ſint, ita ut duæ partes, ſeu duæ tertiæ Capitularium Electioni non interfuerint, Electio ipſo facto eſt nulla; ut docet Innocent. in *cap. cum nobis.* Abbas, Pirhing. &c. Canoniſtæ. Ratio eſt; quia ad talem Electionem præter contemptum vocandorum, non acceſſit jus, potentia, & poteſtas eligendi; utpote quæ reſidet in duabus ad minus partibus Capitularium volentium, & commodè potentium accedere ad Electionem. Si verò tantùm unus, vel alter Capitularium volentium, & potentium commodè accedere, non vocatus, ſed contemptus eſſet, & Electio nova abſque illis celebrata à ſaniore, & majore parte Capituli, eligeretúrque perſona idonea, Electio eſt valida; ut habet Abbas in *cap. cùm inter hoc tit.* Gloſſa, Zoëz. Innoc. Hoſtiens. &c. Ratio eſt; quia in tali caſu cenſetur concurrere, & influere in Electionem ſufficiens vis, potentia, & poteſtas eligendi, quæ in majori, & ſaniori parte Capituli reſidet. Tales tamen Electores contempti agere poſſunt de contemptu, ut irritetur Electio Superioris authoritate: ut habet Gloſſa, Hoſtiens. Engel, Innoc. Et exprimitur in *cap. quod ſicut, §. ſi autem, hoc tit.* niſi ob bonum pacis, & ipſi conſentiant, & Electionem factam approbent; uti poſſunt, juxta *cap. quod ſicut 28.* Et *cap. bonæ 36.* Et *cap. Eccleſia 57. hoc tit.*

16. Nota decimò: Electores præſentes capitulariter congregati poſſunt convocare abſentes, præfigendo ipſis breviorem terminum, in quo convenire debeant ad Electionem, quàm à Jure ſit conceſſus; dummodo commodè aliàs convenire poſſint; uti colligitur ex *cap. cùm inter 18. hoc tit.* Et tenet Abbas, Pirhing. &c. DD. In hujuſmodi ta-

men abbreviationem termini debent conſentire duæ partes Capituli. Ratio eſt; quia jus, & potentia Capitularis reſidet in duabus partibus; juxta *L. nulli 3.* & *L. ſeq. ff. quod cujuſque Univerſ. nom.*

17. Nota undecimò: Electores abſentes vocati debent regulariter, & ordinariè, (ſi commodè fieri poſſit) comparere die præfixo ad Electionem; ut tenet communis Canoniſt. Et habetur *cap. quia propter 42. hoc tit.* Quòd ſi autem aliquis eorum non compareat; non idcirco perdit ſuum ſuffragium; ſed illud explicare poteſt in Electione; non quidem ſcriptò, cùm ſecretò, & ſigillatim ſit exprimendum *cap. pen. in fine, hoc tit. in 6.* illud autem ſcriptum deberet prius legi, & cognoſci à Capitulo, num manu propria ſit exaratum; ſed per Procuratorem id facere poteſt, qui in animam principalis jurare debet (ſi opus fuerit) quòd is perſonaliter accedere non valeat; ut dicitur *cap. citato*, in quo etiam ordinatur, ut talis Procurator tunc tantùm conſtitui poſſit, quando præter abſentiam realem à loco celebrandæ Electionis, concurrit juſtum impedimentum, quò ita detinetur Elector abſens, ut venire nequeat: quod prudentis viri arbitrio determinari poteſt. Talia impedimenta ſunt infirmitas, metus ob capitales inimicitias, &c. ſimiliter in *eodem cap.* ſtatuitur, ut Procurator præfatus ſit de corpore ipſiuſmet Capituli. Circa hoc tamen poſſunt Capitulares convenire, ut etiam extraneus conſtitui poſſit Procurator abſentis; modò aliàs idoneus ſit; ut habet Abbas, Panormit. Engel, Pirh. &c. Ratio eſt; quia hæc diſpoſitio Juris eſt in favorem Capitularium, cui poſſunt renunciare.

18. Nota duodecimò: Capitularis Procurator qui abſentis eſt conſtitutus, habens duo vota, non poteſt unum dare Petro, & alterum Paulo; niſi ſpeciale mandatum habeat à ſuo principali de certa perſona Pauli v. g. eligenda, ratione cujus nomine procuratorio poteſt unum votum dare Paulo; & alterum ſuo nomine Petro conferre. Ita tenet Gloſſa, Pirhin. Engel, Tholoſan. &c. Et habetur *cap. ſi quis §. porro, hoc tit.* Ratio canonica primi eſt; quia Procurator tam ſuô, quàm procuratoriô nomine, ſi generale tantùm habeat mandatum, tenetur in conſcientia eligere digniorem; ac proinde utrumque votum uni perſonæ, quam judicat digniorem, conferre debet. Ratio ſecundi; quia in caſu ſpecialis mandati non Procurator, ſed principalis cenſetur liberè eligere; & Procurator videtur tantùm conſtitutus ad præſentandam ſcriptam Electionem principalis, non verò ad liberum votum ferendum.

CAP. II.

De Perſonis inhabilibus ad Electionem paſſivam.

1\. NOta primò: varia genera Perſonarum per ſacros Canones inhabilitantur, ita ut validè eligi non poſſint ad Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas; quæ ſequentibus Concluſionibus comprehendam. Unde

2\. Dico primò: Laicus regulariter non eſt perſona habilis, ut eligatur ad Prælaturam Eccleſiaſticam, maximè Epiſcopalem. Ita communis DD. Et habetur *cap. 1. diſt. 61.* Et conſtat ex Trident. *Seſſ. 22. de reformat. cap. 2.* ubi dicitur, quòd eligendus ad Cathedralem Eccleſiam, vel Epiſcopatum debeat in Sacro ordine Subdiaconatûs ſaltèm ſex menſibus priùs fuiſſe. Quod ſi tamen ſubſit aliquando gravis cauſa, v. g. magna Eccleſiæ utilitas, profectio, aut ſimilis, poterit eligi etiam Laicus; ut conſtat ex *Can. ſtatuimus, §. 1. dicta diſt.* (qui tamen acceptata Electione effici debet Clericus; ſaltèm quatuor Minoribus initiatus.) Unde praxis invaluit maximè in Germaniæ Cathedralibus, ut Imperatorum, aliorúmque magnorum Principum filij adhuc Laici eligantur in Epiſcopos, & à Sum. Pontifice confirmentur.

3\. Dico ſecundò: Similiter impedimentum notabile naturæ patientes, ſeu vitio aliquo corporis ita affecti, ut munere ſuo fungi nequeant decenter, ſunt inhabiles ad prælaturas, ac dignitates Eccleſiaſticas. Ita Tholoſan. Garcia, Vallenſ. Lopez, &c. Canoniſtæ. Et colligitur *ex can. 1. diſt. 49.* Et *toto tit. de corpore vitiatis:* tales ſunt epileptici; ut habetur *can. communiter, diſt. 33.* Et furioſi, ac fatui, *arg. cap. venerabilium 34 hoc tit.* Et maniaci; ac in ſumma omnes, qui aliàs irregulares ſunt ex capite defectûs naturalis, ad ſuſcipiendos ſacros Ordines; qui à fortiori inepti cenſeri debent ad regimen Eccleſiæ, *arg. cap. cùm in cunctis, 7. hoc tit.*

4\. Dico tertiò: Pariter inhabiles, & incapaces ad eligi in Prælatos Eccleſiarum vacantium cenſentur criminoſi, reprehenſibiles, infames, ſeu morum defectum patientes. Ita Vallenſ. Pirh. Toloſan. Laym. &c. DD. Ratio eſt; quia tales perſonæ cenſentur eſſe viles, & indignæ: vilibus autem, & indignis portæ dignitatum patere non debent, *cap. inter dilectos 11. de exceſſibus Prælat.* Et *L. nec. C. de*

Digitized by Google

C. de infamibus, lib. 10. Et *L. 2. C. de dignit. lib. 12.* Idque verum eſt, ſive criminoſi ſint infames infamiâ juris; id eſt per legem, vel ſententiam Judicis inflictâ; ſive infamiâ facti, ſeu populari, ob publicam notitiam commiſſi criminis.

5. Nota autem ſecundò: Crimina ob quæ quis eligi prohibetur, recenſentur ſequentia. *Primò* crimen ambitioſi; nam ſi quis conſentiat in Electionem ſui non ut faciendam; ſed ut jam factam, ante Capitulare decretum Electionis formatum, ac publicatum, caſſatur Electio, *cap. cùm poſt petitam 46. hoc tit.* *Secundò* crimen Simoniaci; qui ſcilicet mediante pecuniâ, aut alia re temporali Simoniacè vota conſecutus eſt; ut habetur *can. cavendum 3. cauſa 1. q. 7.* Et *cap. ſuper eo 12.* Et *cap. penult. hoc tit.* Et *cap. Matthæus 23. de Simon.* Debet autem Simonia jam eſſe operè completa. Hujus Electio etiam eſt nulla, etſi ipſo ignorante amici tantùm pactiones, & largitiones Simoniacas feciſſent, & ipſe illas ratas non habuiſſet; *cap. penult. hoc tit.* Et *cap. nobis 27. de Simon.* Excipe niſi Electus expreſsè contradixiſſet; quo caſu ſubſiſtit Electio *cap. ſicut tuis, de Simon.* Sicut & in caſu, quô aliqui clam pecuniarias, aut alias largitiones temporales dediſſent eo fine, ut Electio poſteà Simoniaca & nulla declararetur; ut habetur *cap. cit. nobis:* quia malitijs hominum non eſt indulgendum, *cap. ſedes 15. de reſcript.* Nec debet quis alterius odiô prægravari *L. ſi quis in ſuo 33. C. de inoffic. Teſtam.* *Tertiò* crimen Sacrilegij, *arg. cap. venerabilem*, ibi *Sacrilegium*; quia hi, & ab alijs legitimis actibus repelluntur, *can. nulli 11. cauſa 3. q. 4.* *Quartò* crimen falſarij literarum Apoſtolicarum, *cap. ad falſariorum, de crimine falſi.* *Quintò* crimen uſuræ manifeſtæ, & notoriæ; cùm tales nec ordinandi ſint, *can. de Petro 4. diſt. 47.* Et quia tales non merentur Eccleſias regere *cap. querelam 10. de Jurejur.* *Sextò* aleatores publici; habetur *cap. inter dilectos, de exceſſ. Prælat.* Quibus annumerari poſſunt homicidium, perjurium in judicio, inobedientia contumax, violatio interdicti; & ſimilia enormia peccata; qui enim ſimilia commiſêre, viles ſunt; & à S. Ordinibus repelluntur: Ergo à fortiori à Prælaturis.

6. Dico quartò: etiam inhabiles reputantur ad Electiones paſſivas Prælaturarum, & dignitatum Eccleſiaſticarum innodati cenſuris Eccleſiaſticis. Ita Gloſſa, Vallenſ. Zoëſi. Engel, Toloſan. Garcia, & communis Canoniſt. Et petitur ex diverſis capitulis Juris Canonici, varios cenſuratos inhabilitantibus ad Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas: puta *Excommunicatos* excommunicatione majori *cap. poſtulaſtis 7. in princ. de Cleric. excom:* Item *ſuſpenſos* ſive ab officio, *cap. ult. de Cleric. excom.* ſive ſuſpenſos à beneficio, *cap. cùm bonæ 8.* junctâ Gloſſ. verbo *ſuſpenſus, de ætat. & qual.* Et Gloſſ. *in cap. cupientes 16. hoc tit.* Item *interdicti* perſonaliter, *arg. cap. cùm dilectus, de conſuet.* Et *cap. ult. de Cleric. excom.*

7. Dico quintò: irregulares pariter ex delicto, & defectu naturæ inhabiles ſunt Electionis paſſivæ ad Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas. Ita Navar. Covaru. Vallenſ. Pirh. Engel, & communis Canoniſt. Et petitur ex diſpoſitione Juris *cap. 15. qui, de ſent. excom. in 6.*

8. Dico ſextò: ſchiſmatici quoque, etſi ad Eccleſiæ unitatem reverſi; item à ſchiſmatico denunciato ordinati ante diſpenſationem Papæ, inhabiles ſunt ad paſſivam Electionem Prælaturæ, & dignitatis Eccleſiaſticæ. Ita Hoſtienſ. Pirh. &c. Primum deducitur ex *cap. quia diligentia 5. hoc tit.* De ſecundo ita diſponitur *in Extrav. ad evitanda.* Et eſt Ratio; quia taliter ordinatus ipsô factô manet ſuſpenſus, juxta *cap. 1. & 2. de ſchiſmat.* adeóque eligi non poteſt.

9. Dico ſeptimò: Neophyti, id eſt primùm ad fidem Chriſtianam converſi, ſimiliter præteriri debent in Electionibus ad munera majora Eccleſiæ, Paſtoris videlicet ſupremi, & ſimilis. Ita Vallenſ. Engel, Abbas &c. Et colligitur ex illo D. Pauli *1. ad Timot. 3. Oportet Epiſcopum eſſe, non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus in judicium incidat diaboli.* Et Ratio eſt; quia, ut *arg. cap. cùm in magiſtrum hoc tit.* conſtat, non expedit fieri doctorem vitæ Chriſtianæ, qui primùm diſcipulus eſſe cæpit.

10. Dico octavò: alteri Eccleſiæ Canonicè præfectus, & deſponſatus nequit etiam eligi in Prælatum novæ Eccleſiæ vacantis; uti nec is, qui tempore Electionis plura beneficia curata, vel perſonatus habet, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione. Ita Panormitan. Engel, Novar. Covar. Gloſſa, &c. Ratio primi eſt; quia ſicut matrimonium carnale abſque cauſa diſſolvi nequit; ita neque nexus inter Epiſcopum, & Eccleſiam priorem, cui canonicè fuit deſponſatus, & copulatus, *can. ſicut vir, 7. q. 1.* ac proinde talis alteri Eccleſiæ præfectus, & deſponſatus nequit eligi in Prælatum novæ Eccleſiæ vacantis: poterit tamen poſtulari; ut dictum fuit *tit. 5. de Poſtulat.* Secundum habetur ex diſpoſitione Juris *cap. dudum, hoc tit.* ubi etiam

Digitized by Google

Electio habentis plura beneficia curata, vel perſonatus, vel dignitates, declaratur ipſo Jure irrita.

11. Dico nonò: etiam illegitimus, ſeu patiens defectum natalium, inhabilis eſt ad Electiones paſſivas Eccleſiaſticas Prælaturæ Epiſcopalis, aut alterius dignitatis ante diſpenſationem Papæ. Ita Barboſa, Tambur. Garcia, Conſalez &c. Et conſtat ex varia determinatione Juris; ut *can. Cenoman. cum ſequenti. 56. diſt.* Et *cap. cùm in cunctis, hoc tit.* Et *cap. niſi cum pridem, de renunc.* Et *cap. ut filij.* Et *cap. penult.* Et *final. de filiis Presbyt.* Quod procedit etiam, etſi illegitimus legitimatus fuiſſet per Principem ſæcularem; quia ad hanc legitimationem ulterius accedere debet Papæ diſpenſatio; ut habet Covar. Gloſſa, Barboſa &c. Si tamen ſubſecutum fuit deinde matrimonium, cenſetur legitimari talis ad omnes honores Eccleſiæ (exceptô gradu Cardinalitio, ex Conſtit. Sixti V. quæ incipit, *poſtquam*) & æquiparantur legitimè natis *cap. tanta.* Illegitimus etſi eligi non poſſit; tamen poteſt poſtulari ad Prælaturam, & dignitatem, tum Epiſcopalem, tum aliam, & à Papa diſpenſari; ut colligitur ex *cap. innotuit 20. de Elect.*

12. Dico decimò: cenſentur quoque regulariter ineligibiles illi, qui ex genere circa fidem maculato deſcendunt. Ita Zoëſius, Engel, Panormit. &c. Patet ex *cap. ſtatutum, de hæret. in 6.* Unde vigore *hujus cap.* tam ipſi hæretici, quàm deſcendentes ex hæreticis, eorumque receptoribus, defenſoribus, & fautoribus, prohibentur usque ad ſecundam generationem ex linea paterna; & usque ad primam ex linea materna ad quamcunque dignitatem Eccleſiaſticam; imò & beneficia minora Eccleſiaſtica promoveri; niſi parentes eorum Eccleſiæ ante mortem incorporati fuerint. In partibus tamen Germaniæ, & alijs hæreſi infectis videtur hæc conſtitutio Juris non recepta; ut notat Engel; ubi quandoque eliguntur in Prælatos Eccleſiarum etiam illi, qui ex hæreticis olim erant nati; modò in fide Catholica ſint plenè inſtructi, pro eaque conſtanter zelent, & ſint integri moribus, ab Eccleſia Romana præſcriptis, habeantque alias qualitates boni Prælati.

13. Dico undecimò: patiens defectum ætatis, gravitatis morum, & literaturæ competentis, pariter prohibetur eligi ad Prælaturas, dignitates, ac officia Eccleſiaſtica. Ita Gloſſa, Panormit. Barboſa, Pirh. & communis Canoniſt. Et ſtatuitur *cap. cùm in cunctis, 7. hoc tit.* Eſt autem ætas pro Epiſcopali dignitate taxata 30. annorum exactorum.

14. Nota tertiò: circa conditionem literaturæ in eligendo ad Prælaturam Epiſcopalem, & ſimilem æquipollentem, ſufficere ſcientiam competentem, ita ut muneri ſuo ſatisfacere valeat; etſi non ſit eminens, ut conſtat ex *cap. nobis, 19. hoc tit.* Hanc ſcientiam competentem exprimit *Trident. ſeſſ. 22. cap. 2. de Ref.* ut eligendus antea *in Univerſitate ſtudiorum Magiſter ſive Doctor, aut Licentiatus in S. Theologia, vel in Jure Canonico meritò ſit promotus. Quòd ſi Regularis fuerit, à ſuperioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat.* Cujus ratio eſt; quia Epiſcopus univerſam S. Scripturam, & SS. Canones ſufficienter callere debet, ut gregem ſibi commiſſum inſtruere, ac gubernare valeat, atque in oblatis cauſis rectè judicare *can. 2. §. ecce. diſt. 36.* quam ſcientiam cenſetur habere SS. Theologiæ, vel Juris Canonici Doctor. Et conſultiùs eſt eligere Paſtorem in utraque facultate verſatum; cùm utraque ſummè neceſſaria ſit bonæ adminiſtrationi officij Epiſcopalis; Theologica quidem, quæ doctrinam fidei, Sacramentorum adminiſtrationem, & conſcientiæ regulas tradit: Canonica verò quæ Eccleſiaſticam gubernationem circa officia Eccleſiaſtica debitè diſtribuenda, mores ritè formandos, & judicia juſtè facienda tradit. In quibusdam tamen Provincijs conſuetudine longa videtur derogatum huic conditioni de literatura ſcientiæ Theologicæ, & Canonicæ præſcriptæ Epiſcopis eligendis à S. Canonibus; undè ſæpius eliguntur, & confirmantur à Summ. Pontif. Imperatorum, & Principum magnorum filij, parum literati, qui aliunde hunc defectum ſupplent, ſuâ potentiâ defendendo, & protegendo Eccleſiam: hi tamen obligationem graviſſimam in conſcientia habent, aſſumendi & conſtituendi Adminiſtratores Epiſcopatûs viros in utraque facultate eruditos, ac conſpicuos, ac ſaltèm Officiales, ſeu Vicarios generales in ſpiritualibus, ejusdem ſcientiæ, experimenti, & doctrinæ.

15. Nota quartò: à S. Canonibus quoque cohiberi ab Electione paſſiva ad Prælaturas Eccleſiaſticas eum, qui antea à Laico permiſit ſe eligi; ut habetur *cap. quisquis 43. hoc tit.* Item extraneum, ſeu qui non eſt de corpore, & gremio Eccleſiæ, ſi idoneus adſit in eodem gremio; ut colligitur ex *cap. Bonæ 4. de poſtul. Prælat.* Et *can. nullus, 13. diſt. 61.* Et habet Abbas, Engel, Pirh. Gloſſa, &c. Si tamen idoneus in tali Eccleſia non reperiretur, & extraneus illi Eccleſiæ peculiare emolumentum allaturus æſtimetur, poſſunt Capitulares extraneum validè eligere; nam in favorem Capitularium tantùm ſtatutum eſt, ut extraneus

Digitized by Google

ſieus non eligatur, aut obtrudatur; cui Capitulares renunciare poſſunt; ut habetur expreſſè *cap. cùm nobis 19. hoc tit.* & tenent citati DD.

16. Nota quintò: à nonnullis DD. etiã cenſeri inter inhabiles ad Prælaturas illos, qui liberos genuerunt ex uxore, quã virginem duxerant; quibus videtur patrocinari *can. de Syracuſane 13. diſt. 28.* Et *can. antepen. diſt. 6.* Sed probabilior eſt aliorum ſententia, quam amplectitur Abbas, Zoëſius, &c. docens tales liberos habentes non eſſe inhabiles ad Electiones paſſivas Prælaturarum, cùm nullus textus Juris Canonici hos apertè excludat, & ineligibiles faciat: unde adducti textus *diſt. 28.* & *6.* tantùm dant conſilium, ne tales eligantur; eò quòd per liberos poſſent deperdi bona Eccleſiaſtica; quem metum ſi auferat perſonæ Electæ qualitas, probitas, & cautela, ipſa non videtur excludenda ab Electione paſſiva. Et vel maximè ſi tali metui alio modo occurratur, *can. ſunt, 12. q. 1.* Quod etiam ſubſiſtere putat Zoëſius, etſi liberos habeant illegitimos; dummodo, & circa hos perſonæ eligendæ qualitas metum diſſipationis bonorum Eccleſiaſticorum tollat, & nulla infamia popularis adſit; aut vilitas, & contemptus eligendi timeatur.

17. Nota ſextò: etiam per triennium à voce paſſiva ad Prælaturas excluditur, qui ſcienter inidoneum elegit; ut habetur *cap. cùm in cunctis §. fin.* Et *cap. cùm Vintonenſ.* Et *cap. per inquiſitionem, hoc tit.* Hæc de inhabilibus perſonis ad Prælaturas, & dignitates Epiſcopales, vel quaſi Epiſcopales. De alijs, qui hiſce gradibus inferiores ſunt.

18. Dico duodecimò: ad dignitates inferiores Eccleſiaſticas, ac ad beneficia curata, Parochias, & ſimilia curam animarum annexam habentia eligi non poſſunt, niſi imprimis ætatis habeant annum 25. ſint ſufficienti literatura inſtructi, & moribus commendati. Ita determinatur in *cap. cùm in cunctis 7. §. inferiora; hoc tit.*

19. Nota autem ſeptimò: ut Parochus literaturâ ſufficienti dicatur inſtructus, debet noſſe exactè ea omnia, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem, & commiſſos ſibi parochianos docendos neceſſaria ſunt; ut habet Trident. *ſeſſ. 5. c. 2. de reformat.* quare callere debet totam Theologiam moralem; & in S. Biblijs, ſignanter in principalibus myſterijs fidei, ritibusque Eccleſiaſticis competententer eſſe verſatus.

20. Nota octavò: eligendus ad Parochiam etiam debet eſſe Sacerdos, aut ſuſcepturus Sacerdotium intra annum, à die electionis ſuæ numerandum; ut dicitur *cap. licet canon 14. hoc tit.* Item Parochus debet in Eccleſia, ad quam electus, & deputatus eſt, perſonaliter reſidere, ut commiſſi ſibi gregis curam diligentius gerere valeat, ut dicitur *eodem cap.* Super tali tamen reſidentia poteſt Ordinarius ad tempus diſpenſare, ſuppoſita cauſa rationabili, juxta *cap. extirpanda 30. §. qui verò de preb.*

21. Nota nonò: inhabiles tandem etiam cenſentur ad inferiores dignitates, & beneficia curata, qui perpetrârunt crimina Simoniæ, uſuræ, falſarij, & alia ſupra *not. 2.* recenſita: item cenſuris Eccleſiaſticis innodati: irregulares tam ex delicto, quàm defectu naturæ; neophyti, illegitimi, hæretici, vel hæreticorum fautores. Ratio eſt; quia hi omnes varijs capitulis Juris Canonici prohibentur à S. Ordinibus ſuſcipiendis, & beneficijs Eccleſiaſticis adeundis; ut alibi ſub ſuis ſpecificis Titulis ampliùs dicetur: & quia non decet Eccleſias habere ejusmodi Paſtores viles, maculatos, & defectuoſos.

CAP. III.

Quinam ſint habiles, & inhabiles Electores; & quæ eorum pœnæ, ſi malè eligant.

1. Nota primò: Electores Epiſcoporum, juxta varias temporum circumſtantias, & exigentias fuiſſe varios: unde & Canones antiqui de talibus diſparatè loquuntur; & intelligendi ſunt cum advertentia, & habitudine ad diverſa tempora, nam tempore naſcentis Eccleſiæ Apoſtoli, authoritate ſibi à Chriſto collata elegerunt Epiſcopos: his omnibus defunctis Summi Pontifices eos crearunt; utpote quibus ſumma poteſtas data eſt à Chriſto in totam Eccleſiam, juxta *can. omnes 1. diſt. 22.* Progreſſu temporis ſummi Pontifices in alios tranſtulerunt iſtud jus eligendi Antiſtites vacantium Eccleſiarum; & *primò* in Clerum totius Diœceſis, & populum; ut patet ex *can. Epiſcopus 13.* Et *can. lectis 18.* Et *can. Sacrorum 34. diſt. 63.* & alibi: ubi tamen obſervandum, populum non propterea elegiſſe per ſuffragia; ſed communi conſenſu aliquem tantùm nominaſſe, quem Clerus ſecundùm populi deſiderium tanquam ovibus gratum Paſtorem Canonicè poſtea elegit; quamvis non neceſſariò, ut habetur *can. 1. diſt. 62.* *Secundò* indulſerunt ijdem Summi Pontifices ſpeciali privilegio, ut etiam quidam Principes ſæculares deputarent Epiſcopos; aut ſaltem

ad Cleri Electionem ſuum conſenſum præſtare poſſent; ut habetur *can. nobis 17. diſt. 63.* Et *cap. quod ſicut 28. hoc tit.* ubi dicitur, *ſolemnis Electio debet Principi præſentari, ut poſtulationi præſtet aſſenſum.* *Tertiò* revocatâ rurſus iſtâ poteſtate deputandi, & nominandi tam quoad Principes, quàm quoad populum (ut quoad populum patet ex *can. non eſt permittendum 6. diſt. 63.*) ea data fuit omnibus Clericis, & Religioſis ſimul illius diœceſis; ita ut ſaltèm ſinè omnium horum conſilio Electio novi Epiſcopi celebrari non poſſet; ut habetur *can. obeuntibus 35. diſt. 63.* Sed quia Religioſi poſtea à Clero ſe ſepararunt, ſtatutum eſt, ut hi ſuos Prælatos Regulares duntaxat eligerent; Clerici verò ſæculares unitim ſuos Antiſtites, ut patet ex *cap. 1.* Et *cap. cum terra 14. hoc tit.* Tandem jus eligendi Epiſcopos ad ſolos Canonicos Eccleſiæ vacantis devolutum eſt; ut conſtat ex pluribus capitulis hujus tituli *in 1. & 6. Decretalium*: quod usque hodie reſidet in plurimis Germaniæ Capitulis Cathedralibus, in quibus ſoli Canonici eligunt ſuos Epiſcopos, & Archi-Epiſcopos, atque electos Sum. Pontifici præſentant pro confirmatione. In Hiſpania tamen, Gallijs, Luſitania, Polonia, & alijs quibusdam Provincijs, uti & quibusdam partibus hæreditarijs Imp. præſentis Leopoldi I. ipſimet Reges rurſus ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ privilegio inceperunt nominare, & usque hodie nominant Epiſcopos, & Papæ præſentant pro inſtitutione: in multis etiam Italiæ Eccleſijs ipſe Papa immediatè eos eligit, & creat. Et tandem idem Sum. Pontifex omnium Eccleſiarum Patriarchalium, Archi-Epiſcopalium, & Epiſcopalium Epiſcoporum inſtitutiones ſibi reſervavit per Extravag. *ad regimen, de preben.* Sive ij Electi ſint, ſive à Regibus, & Principibus nominati, utì fit in præfatis regnis. Præſens itaque *Cap.* procedet de illis Electoribus Epiſcoporum, vel quaſi Epiſcoporum, ubi penes Capitulares adhuc reſidet jus eligendi Epiſcopos. Unde

2. Dico primò: moderno Jure regulariter ſoli Canonici de gremio Eccleſiæ vacantis ſunt habiles Electores Epiſcopi. Ita Vallenſ. Pirh. Panorm. Engel, Zoëſius, & communis Canoniſt. Et patet ex diſpoſitione Juris *can. ult. cauſa 16. q. 7.* Et *cap. 1. hoc tit.* Et *cap. cum Eccleſia, de cauſa poſſ. & propr.* Dixi *regulariter;* quia aliquando quædam perſonæ, quæ etſi de gremio Eccleſiæ vacantis non ſint, tamen efficiuntur Electores habituales, puta vel ex ſpeciali privilegio Sum. Pontificis; vel ex conſuetudine, & præſcriptione; ut habet *cap. cùm dilectus 8. de conſuet.* Et *cap. Eccleſia, de cauſa poſſ. & propr.* vel conſenſu aliorum Electorum admittentium aliquem extraneum ad coëligendum, *cap. ſcriptum 40. hoc tit.* vel fundatione; ut ſi Patronus Eccleſiaſticus fundans Eccleſiam aliquam ſibi reſervâſſet jus ſimul cum Canonicis ejus coëligendi; utì ſibi reſervare poteſt, ex *cap. præterea 23. de Jure Patronat.* Et *cap. 4. de condit. appoſit.* Et quia in fundationibus Eccleſiaſticis honeſtæ conditiones admittuntur, ut major ſit hominum ad Eccleſias fundandas promptitudo.

3. Dico ſecundò: Laici etſi Principes ſæculares eſſent, cenſentur inhabiles Electores Prælati Eccleſiaſtici, non obſtante conſuetudine, præſcriptione, fundatione, vel pacto cum Capitulo inito. Ita Fagnan. Vallenſ. Panormit. Gloſſ. &c. Et conſtat ex diſpoſitione Juris in *cap. Meſſana 56.* Et *cap. ſacroſanctæ 51. hoc tit.* Poteſt tamen Summ. Pontifex Laicum aliquem Principem ſpeciali privilegio qualificare, ad ritè eligendum; utì olim factum fuiſſe conſtat ex *can. nobis 17. diſt. 63.* Poteſt etiam conſuetudine præſcribi, ut ſupremus Princeps terræ ob felix ſuum gubernium, & alias rationabiles cauſas conſtituat aliquos ſuos Commiſſarios Laicos pro Electione Prælatorum Eccleſiaſticorum; absque tamen voto electivo, & aſſiſtentia in Canonico Conclavi; quibus deinde Electio ſecuta ſolet intimari: Quod hodie practicatur in quibusdam Provincijs hæreditarijs Imperatoris de domo Auſtriaca, ſignanter in Regno Boëmiæ, ubi ad Electionem Prælatorum Ord. Benedictini, Ciſtercienſis, Præmonſtratenſis, Canonicorum Regularium, & quorundam aliorum, Commiſſarij Regij deputantur absque voto tamen, & aſſiſtentia in conclavi.

4. Dico tertiò: Pariter inhabiles Electores ſunt pupilli, impuberes, ſacris ordinibus necdum initiati, furioſi, & mente capti. Ita Vallenſ. Engel, Tholoſan. Pirh. Gloſſa, &c. Canoniſtæ. Primum conſtat ex determinatione Juris Canonici *cap. ex eo 32. hoc tit. in 6.* Eſtque Ratio quia pupillus, & impubes non cenſetur plenam rationis diſcretionem habere, quæ ad actum Electionis ritè faciendum requiritur. Impubes autem reputatur omnis qui ſi maſculus ſit, minorem habet ætatem, quàm 14. annorum; ſi verò fœmina minorem, 12. annorum. Secundum ſtatuitur in *Clem. 2. de ætat. & qual.* &c. Et Trident. *Seſſ. 22. de reformat. cap. 4.* ubi dicitur, quòd nullus in Eccleſia ſive Cathedrali, & Collegiata ſæculari; ſive in Regulari vocem in capitulo habeat, qui ſaltèm in Sacro Subdiacona-

Digitized by Google

conatûs Ordine conſtitutus non ſit. Ex quo etiam ſequitur, quòd ad ſuffragandum requiratur hodierno Jure ætas 22. annorum inchoatorum; tunc enim Ordo Subdiaconatûs tantùm ſuſcipi poteſt. Ratio tertij; quia in furioſis, & mente captis, uſus rationis ad actum Electionis debitè inſtituendum abeſt.

5. Dico quartò: Electores inhabiles ſunt, qui Cenſuris Eccleſiaſticis, & irregularitate irretiti ſunt. Ita Gloſſa, Tholoſ. Suar. Zoëſius, &c. Et patet ex ordinatione Juris ſic diſponentis; de *Excommunicatis* quidem *cap. conſtitutis 23.* junctâ Gloſſâ ver. *Excommunicatio.* De *ſuſpenſis* in *cap. cum inter 16. hoc tit.* De *Interdictis* ex *eodem cap. in fine.* De *Irregularibus* ex *cap. is qui 18. §. is verò, de ſent. Excom. in 6.*

6. Nota autem ſecundò: quòd ſola Excommunicatio Major inhabilitet ad activam Electionem; non verò Minor, quæ privat ſolâ voce paſſivâ tantùm; unde innodati Minori Excommunicatione validi ſunt Electores: uti conſtat ex *cap. illa 39. hoc tit.* Similiter ſuſpenſio tantùm ab Officio inhabilitat; non verò à beneficio tantùm; ut habet Gloſſa in *cap. cum Vintonienſis 25.* ver. *admiſerant*; & Abbas ibidem, Engel, Pirh. & Panormit. Tandem, ſolum Interdictum perſonale; non verò locale inhabilitat; ut bene advertit Engel.

7. Dico quintò: reſpectu ſui eligendi quisque eſt Elector inhabilis; item qui eligit indignum ſeu incapacem; item qui tribus menſibus diſtulit Electionem novi Prælati, pro illa vice privatur Jure Electionis. Ita Streinius, Abbas, &c. Et conſtat de ſingulis ex Jure Canonico; de primo *cap. fin. de Conſtit.* De ſecundo *cap. cùm in cunctis, de Elect. in 6.* De tertio *cap. ne pro defectu, de Elect. in 6.*

8. Nota tertiò: Electores autem ipſorum Canonicorum in Eccleſijs Cathedralibus ſunt ſpectato Jure communi vel Epiſcopi ſimul cum Capitulo; ut tradit Gloſſa in *cap. cum Eccleſia 31.* ver. *poſtulavit, hoc tit.* & tenet Fagnan. cum alijs DD. Vel Epiſcopi ſoli; ut patet ex *cap. cùm injuncto 12. in fine de hæret.* Et *cap. 1. de Capell. Monachor*; quia Epiſcopo cura Eccleſiarum, & Eccleſiaſticorum beneficiorum demandata eſt. *cap. 2. de preben. in 6.* Conſuetudine tamen, vel ex Fundatione, & erectione Canonicatuum, vel Sum. Pontificis indulto ſpeciali in nonnullis Eccleſijs maximè Germaniæ aliter diſpoſitum eſt, ut certi menſes Capitulo, certi Epiſcopo, & certi Sum. Pontifici aſſignati ſint; in quibus ſi contingat vacare locum alicujus Canonici, ejus creationem, ſeu electionem Canonici novi faciunt juxta ſuos menſes. Imò etiam ex conſuetudine radicata ſolum Capitulum in quibusdam locis Jus acquiſivit Canonicos Cathedrales creandi; uti patet ex *cap. cum Eccleſia 31. hoc tit.* Quare cujuslibet Eccleſiæ particularis obſervantiæ legitimæ, & longo uſu freqentatæ circa hoc colendæ erunt. Hæc de Electoribus inhabilibus: nunc de pœnis Electorum.

9. Dico ſextò: ſi Electores ſecluſo metu eligant per abuſum ſæcularis poteſtatis contra libertatem Eccleſiaſticam, ab officijs, & beneficijs ſuſpenduntur per ſententiam Judicis ad triennium, & ipſo facto Jure eligendi carent pro illa vice. Ita Hoſtienſ. Abbas, Laym. &c. Et patet ex *cap. quisquis 43. hoc tit.* Contingit autem tunc Electio per abuſum poteſtatis ſæcularis celebrari, ſi Electores petant, vel admittant Principem ſæcularem, vel ejus Commiſſarios, qui ſe immiſceant Electioni, ejusque libertatem impediant. Electus per abuſum ſæcularis poteſtatis, ſi conſentiat in ſui Electionem, inhabilitatur ipſo Jure, ſeu facto ad quamcunque dignitatem Eccleſiaſticam: ut notat Gloſſa hìc paſſim recepta, & tenet Abbas: Electio etiam eſt ipſo Jure irrita, ut patet ex *cit. cap. quisquis.*

10. Dico ſeptimò: qui in eligendo non obſervârunt formam, à SS. Canonibus ſtatutam, pro illa vice privantur Jure eligendi; quæ tamen privatio per ſententiam ſuperioris declarari debet. Ita Gloſſa, Pirhing. Abbas &c. Et deciditur in *cap. quia propter 42. §. qui verò hoc tit.* Forma autem à SS. Canonibus ſtatuta, ſignanter *cit. cap. quia propter* aſſeretur infra, agendo *de Scrutinio Electionum.*

11. Dico octavò: ſi Electores Epiſcopum eligant ſcienter inhabilem, & conſequenter indignum, maximè ob defectum natalium, ſcientiæ, & morum, pro illa vice ſunt ipſo Jure privati Jure eligendi; & inſuper ſuſpenſi à beneficijs Eccleſiaſticis per triennium. Ita Gloſſa, Hoſtienſ. Pirh. &c. Et determinatur in *cap. cùm in cunctis, hoc tit.* ubi poſt aſſignatam pœnam addit Jus, *dignum eſt enim, ut quos DEI timor à malo non revocat, Eccleſiaſtica ſaltèm coërceat ſeveritas diſciplinæ.*

12. Nota quartò: ſi aliqua duntaxat pars Canonicorum elegiſſet indignum, & ideo privetur Jure eligendi pro illa vice; tunc altera pars eorum etſi minor Electionem poſſunt renovare, & eandem publicare; nam penes hos etſi paucos remanſit, & reſidet poteſtas eligendi Prælatum; ut habetur *cap. bonæ 23. hoc tit.* Si verò omnes Capitulares indignum elegiſſent ſcienter, Jus eligendi pro illa vice devolvitur ad ſuperiorem proximum

Digitized by Google

mum; ut colligitur ex eodem *cap. bonæ*; & tenet Panormit. Gloſſa, Abbas, &c.

CAP. IV.

De ſolemnitatibus accidentalibus; & forma, ſeu triplici modo Electionis.

1. NOta primò: inter ſolemnitates accidentales Electionis celebrandæ recenſetur primò locus debitus, in quo celebrari debet Electio novi Prælati; qui debet eſſe ita capax, ut omnes Vocales ſimul in eo congregari poſſint. Ita habetur *cap. cum terra 14. hoc tit.* Et depromitur ex generali illa regula, quam habet *cap. auditis 29. hoc tit.* quia nimirum Electio eſt actus univerſitatis, ſeu collegij; unde collegialiter tractari debet, & conſequenter in loco, ubi totum Capitulum convenire poteſt. Talis locus cenſetur eſſe imprimis Eccleſia, vel ejus ambitus, intra quæ proinde Electio celebrari poteſt, juxta *cap. quod ſicut 28.* Et *cap. quia fronte 25. de appellat.* Deinde competens locus etiam eſt Capitulum: ut dicitur *cap. cùm inter 21. hoc tit.* Item chorus; ut habetur *cap. cùm nobis 19. hoc tit.* Vel alius locus ita decens, & honeſtus juxta conſuetudinem Regionis, ut in eo conclave Canonicale determinari poſſit. Poteſt etiam ſolitum conclave Electionis transferri juſta de cauſa, v. g. ob peſtem, vel probabilem metum violentiæ inferendæ; uti colligitur ex *cap. bona 23. hoc tit.*

2. Nota ſecundò: præterea accidentalis eſt ſolemnitas Electionis celebrandæ, non tamen omittenda, ut videlicet ipſo die Electionis celebretur Miſſa de Spiritu S. ſub qua omnes Electores etiam Presbyteri ſacra ſynaxi refici debent, eâque terminatâ ad locum Electionis accedere; ac ibi hymnum *Veni Creator Spiritus* clara voce recitare; ut habet, Streinius, Engel, Pirhing, &c. Item ut proteſtatio nomine Capituli totius ab aliquo Capitularium fiat, ſcilicet nolle ſe quemquam ad Electionem admittere, cui de Jure, conſuetudine, vel privilegio ſpeciali non competeret Jus eligendi; ut habent citati DD. Item ut omnes Capitulares abſolvantur ab omnibus Cenſuris Eccleſiaſticis, in ordine ad effectum Electionis, ut habet Streinius, Gutier., Emân. Rodriq. &c. Item ut præcedat aliquis tractatus, ſeu conferentia de ſubjectis magis dignis qualificandis, & nominandis pro Electione; uti & de formâ ſeu modo, quam in eligendo obſervare velint. Hæ, & ſimiles accidentales ſolemnitates juxta conſuetudinem cujuscunque Eccleſiæ quidem præmitti, & ſervari debent; quòd ſi tamen non ſervarentur, non propterea Electio ſecuta eſſet irrita, & nulla; cùm nullo Jure ejusmodi nullitas exprimatur: poterit tamen per ſententiam Judicis irritari tunc, quando locus Electionis ſinè juſta cauſa mutaretur; quia Electio facta eſt contra præſcriptum SS. Canonum, *arg. cap. quanquam 18.* ibi, *vel per ſententiam; hoc tit. in 6.* Circa formam

3. Nota tertiò: Per *formam Electionis* intelligitur modus, quô celebrari debet Electio, ut ſit Canonica. Innocentius III. in Conc: Lateran. & refertur *cap. quia propter 42. hoc tit.* tradit tres formas, ſeu modos legitimos Canonicæ Electionis celebrandæ; ſcilicet per ſcrutinium; per Compromiſſum; per inſpirationem, vel quaſi; de quibus omnibus in ſequentibus agendum. *Per ſcrutinium* fit, ſi Electio celebretur per ſecretam votorum collectionem. *Per Compromiſſum* ſi certis, & idoneis perſonis Electio committatur. *Per Inſpirationem, vel quaſi*, quando omnes Electores à Spiritu S. inſpirati uno conſenſu nominant aliquem in Prælatum. Si Electio alio aliquo modo celebretur erit nulla; & Electores aliter eligentes pro illa vice privandi ſunt poteſtate eligendi, juxta *cit. cap. quia propter.* Et *cap. Cumana 30. in fine*; & habet Gloſſa, Vallen. Sylv. Strein. &c. Canoniſtæ. Unde Electio facta per clamorem & acclamationem populi eſt nulla; & nulla ratione confirmanda; ut habetur ex *cap. Oſius 2. hoc tit.* Circa primum Modum.

4. Dico primò: Ut ſit canonica, & valida Electio per Scrutinium, *præſentibus omnibus, qui volunt, debent, & poſſunt intereſſe, eligantur tres de Capitulo fide digni, qui ſecretò, ſigillatim, ordinatè, ac diligenter exquirant vota cunctorum, & in ſcriptis redacta mox publicent in communi, nullô prorſus appellationis obſtaculô interjectô, ut is collatione habita eligatur, in quem major, & ſanior pars Capituli conſenſerit.* Ita in terminis *cap. quia propter 42. hoc tit.* Ex quo textu habetur, quòd principales act⁹ Electionis per Scrutinium ſint ſequentes quatuor; ipſum nimirum Scrutinium, ſeu ſecreta votorum, aut ſuffragiorum collectio facta per Scrutatores ſeu diſquiſitores à Capitulo electos; Scrutinij publicatio; votorum collatio; & decretum Capitularis, ſeu communis Electionis, ejuſque publicatio: de quibus pono ſequentia notabilia.

5. Nota quartò: Numerus Scrutatorum non poteſt augeri ultra ternarium præſcriptum; habetur *cit. cap. quia propter*; & tenet Fagnan. Sylveſt. Imol. & communis Canoniſta-

Digitized by Google

miſtarum: conſtringi tamen poteſt ad duos; imò & ad unum reduci, ubi valde pauci ſunt Electores; uti habent citati DD. ſimiliter Scrutatores regulariter non debent eſſe extranei; ſed de gremio Eccleſiæ vacantis aſſumpti; ut habet Vallenſ. Pith. Imol. & communis Canoniſtarum. Conſuetudine tamen, vel mutuo conſenſu Capitularium etiam extranei, Clerici tamen, aſſumi poſſunt ad hoc munus; uti fit in multis Germaniæ Electionibus Cathedralibus, & Regularibus; & tenet Panormit. Engel, Gloſſa, &c. Debent tandem eſſe fide digni, ut ſcilicet abſque fraude, & ſecreti evulgatione vota exquirant; ut patet ex *cit. cap.*

6. Nota quintò: Conſultum eſt, ut Scrutatores emittant juramentum de ſecreto celando, ſicque communi paci Capitularium magis conſulatur. Ijdem debent ſingulorum vota exquirere *Secretè*; ut Electores eò liberius in votando procedere valeant; quemadmodum & teſtis, ut liberius teſtificetur, ſecretè, & ſolitariè examinari debet; alioquin ejus depoſitio non valet, *cap. venerabili 53. de teſt.* Votum autem Electorum fieri poteſt in Electionibus ſæcularium Prælatorum vel viva voce, vel offerendo nomen Electi in ſchedula deſcriptum. Ijdem debent exquirere vota *ordinatè*; ordo autem ſcrutandi in hoc conſiſtit, ut *primò* à ſeipſis mutuò vota exquirant, ſi Electores ſimul ſint, & duo ſuſcipiant votum tertij; quia ſi Scrutatores poſt explorata vota reliquorum, demum ſua porrigerent, poſſent ex illorum notitia ſua vota inſtruere, ac pro arbitrio ſuo alicujus Electionem per additionem vel ſubtractionem ſuorum validare, vel invalidare, caſſare, vel impedire; ut bene obſervat Abbas, Tholoſ. Engel, &c. *Secundo loco* debent exquirere vota illius, qui Capitulo præſidet; deinde aliorum digniorum, & ſic ſucceſſivè juxta anzianitatem, & ſeſſionem in Capitulo. Debent pariter Scrutatores ſuffragia exquirere *diligenter*, examinando ſcil. Electores, & rationem indagando, ob quæ merita, quóve zelo moveatur ad tale potius ſubjectum eligendum præ altero; quibus qualitatibus nominatus ſit præditus &c. ut dicunt Abbas, Tholoſan. &c. Inſuper *ſigillatim* vota exquirere debent; id eſt ſuffragium cujuſcunque excipere ſeorſim ab alijs, qui Electores ſunt; ut ita major votandi libertas habeatur.

7. Nota ſextò: Vota à Scrutatoribus exquiſita, & debitè excepta debent ab ijſdem, vel Tabellione ad hoc ſpecialiter aſſumpto, in ſcripturam redigi; & mox, id eſt, in continenti (nè Electores variare, & mutare poſſint votum datum) promulgari, ac publicari coram toto Capitulo, ut appareat quiſnam, vel quinam ſuffragia paſſiva pro Prælato habuerit; alioquin neglecta tali publicatione, Electio corruit: utpote ad cujus formam ſubſtantialem pertinet publicatio; ut dicitur *cap. cit. quia propter.* Facta ejuſmodi publicatione Electores etſi pœniteant, nequeunt tamen revocare ſuum ſuffragium; cùm cenſeantur functi ſuô Officiô, ipſis à Jure conceſſô; ante verò talem publicationem locus erat pœnitentiæ, & mutationi, *cap. publicato 58. hoc tit.*

8. Nota ſeptimò: Si in publicato Scrutinio eluceat plures eſſe Electos, & ſuffragia Electorum in plures eſſe diſperſa; illicò collatio eſt facienda à Scrutatoribus, & Electio ſolemnis deſuper habenda per formationem decreti Electionis, quæ ſi poſt aliquod intervallum non ſequatur, ipſa deinde nulla cenſebitur, juxta *cap. quia propter.* Et *cap. cùm poſtea 46. hoc tit.* Et ne Electores in fraudem Canonis circa hanc induſtriosè moram protrahant, Superior eos poſt aliquod tempus breve compellere debet ad Electionem complendam; ut dicitur *cap. publicato 58. hoc tit.* Collatio porrò votorum inſtituenda debet eſſe numeri ad numerum, Zeli ad Zelum, & meriti ad meritum; ut habet *cap. in Geneſi 55. hoc tit.* Et hoc ideo fieri debet, ut appareat, quis fuerit à majori, & ſaniori parte Capitularium electus: quæ ſi omittatur, Electio eſt annullanda, ut patet ex *cap. Cumana 50. hoc tit.*

9. Nota octavò: tunc fit collatio Numeri ad Numerum, ſi calculentur numeri inter ſe, ut appareat, quis ex electis à majori parte Capituli ſit electus: nam ut aliquis cenſeatur Canonicè electus, non ſufficit quævis majoritas votorum, comparatione facta cum votis aliorum concurrentium, ſeu candidatorum; ſed requiritur majoritas votorum, comparatione facta cum toto Capitulo; ita, ut ſit ſaltèm minimus exceſſus ultra dimidium; v.g. ſi Electores in toto Capitulo ſint 24. ut quis majora vota dicatur habère, debent ſaltèm 13. pro eo ſuffragari; uti colligitur ex *cap. ſi cui, hoc tit. in 6.* Et *cap. Cumana.* Et *cap. in Geneſi. hoc tit. in 6.* Tunc verò fit collatio *zeli ad zelum*, quando expenduntur intentiones, ac motiva Electorum; ut dicitur *cap. in Geneſi hoc tit. in 6.* Nam ad valorem Electionis Canonicæ requiritur, ut tam major, quàm ſanior pars Capituli præſentis in electum conſentiat, *cap. quia propter, hoc tit.*

Digitized by Google

Et Abbas ibidem. Et *cap. dudum 22.* Et *cap. Eccleſia 57. eod. tit.* cenſetur autem illa ſanior, & Zelantior pars Electorum, quæ prudentiâ, & pietate præpollet; quæ ſincerô animô, & recta intentione eligit ſecundùm merita perſonæ; quæque non movetur carnali amore conſanguinitatis, vel amicitiæ, vel ſolicitatione precum, ut dicit Gloſſa in *cap. cit. Eccleſia* ver. *non conſenſerit*; Abbas, &c. DD. Inſuper ſanior putatur, quæ authoritate, antiquitate, ſcientiæ æſtimatione peculiari, & officij dignitate eminentiori Electorum nititur; ut indicatur *cap. dudum 22.* & tenet Abbas, Tholoſan. Pirhing. &c. Tandem collatio *meriti ad meritum* fit, quando merita præclariora, actiones laudabiles, ſcientia eminentior, ac virtutum eximiarum Eccleſiaſticarum ornatus ſpectantur, ratione quorum hic Electus æſtimatur futurus utilior Eccleſiæ; ut habet *cit. cap. Eccleſia 57. hoc tit.* Et tradunt Engel, Tholoſan. Panormit. &c. Quanta autem ſit obligatio Electorum eligendi ſecundùm majora merita, & digniores perſonas, vide quæ dico *tom. 4. Theol. tract. de Virt. Card. diſt. 15. q. 5.*

10. Nota nonò: poſteaquàm nomine totius Capituli collatio ejuſmodi triplex à Scrutatoribus peracta eſt (quæ omnino neceſſaria eſt ad validam Electionem) & repertô, quòd unus aliàs dignus habeat ſaniora, & majora reſpectu totius Capituli vota; ſtatim debet Electio ſolemnis inſtitui, quæ conſiſtit in formatione Decreti Electionis; quod ritè confectum debet ſinè interpoſitione alicujus alterius actûs ſolemniter coram toto Capitulo publicari, ut habet Gloſſa ver. *protractum.* Et patet ex *cap. quia propter*, ibi; *in collatione habitâ eligatur, in quem omnes, vel major pars Capituli conſentit.* Decretum porrò Electionis ſolemnis promulgandæ poſſet in hac, vel ſimili forma concinnari; *In DEI nomine amen. Hæc eſt Electio Reverendiſſimi Domini Epiſcopi Eccleſiæ N. N. per Dominos Electores Canonicos capitulariter, ac legitimè congregatos in loco N. anno Domini N. menſe N. die N. ritè ac Canonicè celebrata: in quâ Electione Reverend. D. N. habuit vota majora, & ſaniora tot N. vel omnia, & ego N. unus ex Scrutatoribus virtute compromiſſi in me, & Socios meos limitati, nomine meo, & omnium, qui in dictam Electionem conſenſerunt, præfatum Reverendiſſimum D. N. canonicè Electum, Epiſcopum Eccleſiæ N. eligo, & electum coram vobis nomino, ac pronuncio in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Amen.* Vel brevius ſic ſecundùm Tholoſ. *Ego N. nomine meo, & omnium Electorum legitimorum, mihique conſentientium invocatâ gratiâ Spiritus S. in Epiſcopum Eccleſiæ N. eligo, & electum pronuncio, ac coram vobis publicè in nomine Patris &c.*

11. Nota decimò: Quòd ſi in collatione habita reperiantur ſuffragia ita diſperſa, ut nullus habeat majora reſpectu totius Capituli; aut duo habeant æqualia; tunc ſolemnis Electio, ſeu decretum Electionis confici nequit; ſed procedendum eſt ad novam Electionem: prior enim non fuit Electio Capituli; cùm nullus Electorũ ex hypotheſi à majori parte Capituli fuerit electus.

12. Nota undecimò: in Electione per Scrutinium vota ſuffragantium debent eſſe pura, abſoluta, & certa; unde à Jure Canonico reprobantur, & pro nõ datis reputantur ſuffragia alternativa, conditionata, & incerta, *cap. 2. hoc tit. in 6.* Et eſt ratio Canonica; quia Electio numeratur inter actus legitimos, qui conditionem non recipiunt, *cap. actus legitimi 50. de Reg. Juris in 6.* Votum alternativum eſſet v. g. hoc, *eligo Joannem, vel Franciſcum: nam perinde mihi eſt*: conditionatum eſſet hoc, *eligo Franciſcum, ſi à majori Capituli parte electus fuerit*: incertum eſſet hoc, *eligo quem Antonius elegit.*

13. Nota duodecimò: Si contingat in diſcordia celebrari duas Electiones, quarum una facta eſt à majori parte Capituli; altera verò à ſaniori; tunc ut valida præferri debet prima Electio; ſi tamen vota ſint majora in duplo; ut conſtat ex *cap. ſi quando 9. hoc tit.* Quòd ſi verò ſic Electo opponi, & probari poſſit defectus, ob quem inhabilis ſit ad Prælaturam, tunc ſecunda Electio, etſi facta à minori, ſaniori tamen parte Capituli, cenſeri debet valida, & præferri; ut habetur *cap. dudum 22. hoc tit.*

14. Nota decimò tertiò: Electio Prælati per ſolemne Scrutinium celebranda neceſſariò terminari debet de die; uti ex communi Canoniſt: docet Gloſſa, Abbas, Pirh. Layman, Navar, &c. Et eſt ratio; quia actus, qui de nocte fiunt, meritò ſuſpecti ſunt; cùm multis fraudibus obnoxij ſint. Quòd ſi tamen gravis neceſſitas urgeret, ut de nocte potius, quàm de die celebretur Electio, poterit ſic celebrari; nam neceſſitas non habet legem. *cap. 2. de obſerv. jejun.* Oportebit tamen tunc luminaria frequentiora adhibere, ad tollendam omnem ſuſpicionem fraudis; & ne Electio clancularis dici poſſit; ut habet Rodriq. Pirh. &c. Si abſque tali neceſſitate de nocte celebrata fuiſſet Electio, ipſo facto non eſt irrita; cùm nullo Jure hoc expreſſum reperiatur: irritari tamen poterit à Superiore; ut habet Layman, Pirhing. cùm meritò ſuſpecta, & in fraudem facta cenſeatur.

15. Nota decimò quartò: Si Electio de die inchoata totaliter abſolvi non poſſit, ob multitudinẽ Capitularium, vel aliorum Electorũ tota

Digitized by Google

tota die expectatorum abſentiam, poterit differri in ſequentem diem; modò abſit grave periculum, ex tali dilatione naſciturum; tum enim potius de nocte terminanda erit; ut habet Joan. Andreas, Pirhing. Hoſtienſ. &c.

16. Nota decimò quintò: Si quiſpiam Electorum non vocatus ad Electionem, qui tamen de Jure vocari debuiſſet, & commodè comparere potuiſſet, vocatus ſuperveniat promulgatô jam Scrutiniô, is non poteſt ſuum votum adjicere, ut ita compleatur majoritas votorum, & decretum ſolemnis Electionis poſſit confici; ut habet Innoc. Joan. Andr. Abbas, & Gloſſa; & colligitur ex *cap. quia propter 42. hoc tit.* ubi dicitur, quòd Electio commmunis fieri debet ex votis auditis in ſecreto Scrutinio, in quem tunc vel omnes, vel major pars Electorum conſenſerit. Talis tamen Elector ſuperveniens poteſt petere inſtitutionem novi Scrutinij, & audiri debet. Circa Compromiſſum.

17. Dico ſecundò: Electio per Compromiſſum eſt valida; ut autem talis eſſe cenſeatur, debent omnes, & ſinguli Electores legitimi nemine diſcrepante in illud conſentire. Ita Gloſſa, Vallenſ. Abbas, Paſſerin. & communis Canoniſt. Primum patet ex ordinatione Juris in *cap. quia propter 42. hoc tit.* Secundum colligitur ex Regula *29. Juris in 6.* ubi dicitur, *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* Et Ratio eſt; quia in Compromiſſo agitur de Jure, & voce Capitulari ſingulorum, quâ nemo invitus privari debet; *arg. cap. 2.* Et *cap. ad audientiam 4. de his, quæ vi, & metûs causâ.* Et *L. invitum 11. C. de contrah. exempt.*

18. Nota autem decimò ſextò: Tunc cenſetur fieri verum Compromiſſum, quando Electores legitimi facultatê eligendi Epiſcopum communi conſenſu aliquibus perſonis idoneis, qui Compromiſſarij dicuntur, committunt, qui vice, & nomine omnium Capitularium Eccleſiæ vacanti, & viduatæ provideant de Paſtore; ut habetur *cap. quia propter 42. §. vel ſaltèm, hoc tit.*

19. Nota decimò ſeptimò: Compromiſſum poteſt eſſe duplex; abſolutum ſcilicet, & limitatum. *Abſolutum* erit, quando indefinitè, & abſque reſtrictione omnis poteſtas eligendi ab Electoribus transfertur in Compromiſſarios, ut ipſi quemcunque idoneum in Prælatum Eccleſiæ pro ſuo arbitrio deſignare, & eligere valeant; ſive is de gremio Eccleſiæ, ſive extraneus fuerit; ut dicit Gloſſa in *cap. cùm dilectus 32.* ver. *de gremio. hoc tit.* *Limitatum* erit, quando Electores poteſtatem eligendi transferunt in Compromiſſarios, cum reſtrictione ad certum genus perſonarum, v. g. ut unus de gremio Eccleſiæ deſignetur, & eligatur Prælatus; vel qui non ſit de Compromiſſarijs; vel ut fiat adhibitô conſiliô certorum *cap. cùm olim 7. de arbitrijs*; vel ut ſecretò, & ſigillatim exquiſitis voluntatibus ſingulorum Electorum, is eligatur, in quem major, & ſanior pars Capituli conſenſerit, ut habetur *cap. cùm dilectus 32. hoc tit* Et *cap. cùm expediat 29. in 6. hoc tit.*

20. Nota decimò octavò: Compromiſſum poteſt fieri, vel in unum; ut habetur *cap. ſi compromiſſarius, hoc tit. in 6.* Et *cap. poſt translationem, de renunc.* Vel in plures idoneos, *cap. cit. ſi Compromiſſarius.* In Compromiſſarios ejuſmodi poſſunt aſſumi etiam perſonæ idoneæ, & timoratæ extra gremium Eccleſiæ conſtitutæ, ut habetur *cap. cauſam 8. hoc tit.* junctâ Gloſsâ ver. *contulerunt.* Prudentiùs quidem, & pro praxi tutius fit, ut Compromiſſarij aſſumantur, numero impares, v. g. tres; uti colligitur ex *cap. cùm dilectus 32. & ſequentibus, hoc tit.* Et tenet Tuſchus, Sylveſt. &c. numerô tamen pares v. g. duo, etiam conſtitui poſſunt; ut dicitur ex *cap. cùm in veteri 52. hoc tit.* ubi Capitulares in 6. Canonicos compromiſiſſe leguntur; quod non improbatur. Etiam Superior, v. g. Epiſcopus à Canonicis Eccleſiæ alicujus Collegiatæ aſſumi poteſt in Compromiſſarium; ut colligitur ex *cap. quia propter*; & quia talis nullo Jure expreſsè prohibetur eſſe Compromiſſarius. Hoc caſu Superior diverſis actibus deberet procedere, unô eligendo Prælatum, & aliô ipſum confirmando; ut dicit Gloſſa, Abbas, & alij DD.

21. Nota decimò nonò: Qualitates neceſſariò requiſitæ in Compromiſſarijs ſunt ſequentes: ut videlicet ſint Clerici, & non Laici; ut habet Abbas, Engel Streinius, & communis Canoniſt. Ratio eſt; quia à Laicis tractari Eccleſiaſtica munia non convenit, *cap. 2. de Judic.* Et quia Jura Eccleſiaſtica non cadunt in Laicos *cap. ſacroſancta 51. hoc tit.* Præterea ijdem Compromiſſarij debent eſſe idonei, id eſt viri prudentes, qui poſſint utiliter tractare negotia Eccleſiæ viduatæ; ut habet Engel, & alij DD. Debent eſſe timorati, impartiales, & omni paſſione odij, aut amoris ſpoliati, ut ſalutarem faciant proviſionem Eccleſiæ vacanti. Hi etiam poſtulationem facere poſſunt, ſi ita judicent Eccleſiæ expedire. Ratio eſt; quia cui datur Jus eligendi, etiam Jus poſtulandi con-

Digitized by Google

ceſſum intelligitur, *cap. in cauſis 30.* & tenet Gloſſa, Engel, Innoc. &c.

22. Nota vigeſimò: Compromiſſarij non obligantur ad aliquam formam ſpecialem in electione per eos celebranda, *arg. cap. quia propter §. vel ſaltèm;* & tenet Abbas, Valenſ. Pirh. &c. ſi tamen Compromiſſum ſimul concurrat cum Scrutinio, & permiſtim exerceatur, puta ſi Electores ſic promittant, ut Compromiſſarij ſecretò, & ſigillatim ſingulorum vota exquirant, illúmque eligant, in quem major, & ſanior pars totius Capituli conſenſerit; tunc ea, quæ in Scrutinio aliàs obſervanda ſunt, etiam in tali Compromiſſoria Electione adhibenda erunt; juxta *cap. cùm dilectus 32. §. verùm, hoc tit.* Et *cap. ſi cui 23.* Et *cap. cùm expediat 29. hoc tit. in 6.* Ac proinde tunc Compromiſſarij obligantur ad formam Scrutinij.

23. Nota vigeſimò primò: Si Electio aliqua fieret inſtituta per Compromiſſum ſic modificatum, & clauſulatum, ut Compromiſſarij eligant in Prælatum, illum, in quem major pars Compromiſſariorum comparatione facta inter ipſas partes conſentit, talis Electio erit invalida, *arg. cap. ſi cui 23. hoc tit. in 6.* ſi v. g. ſint 9. Compromiſſarij, & tres cõſentiant in Petrum, duo in Paulum, & alij quatuor in Franciſcum, Electio Franciſci eſt invalida; niſi unus adhuc ex alijs Compromiſſarijs accedat. Ratio eſt; quia Compromiſſarij ſubſtituuntur in locum omnium Capitularium; ut patet ex *cap. quia propter §. vel ſaltèm*; ſicut ergo Electio ipſorum Capitularium circa aliquem valida non eſt, in qua tantùm eſt major pars votorum comparatione facta cum votis aliorum concurrentium Candidatorum; ſed requiritur, ut ſit ſimiliter major pars comparatione facta cum toto Capitulo; ita pariter Electio facta à Compromiſſarijs in qua conſentit ſola major pars cõparatione facta inter ipſas partes erit invalida: quare ut valida ſit requiritur, ut ſimpliciter major pars eorum, reſpectu omnium Compromiſſariorum conſentiat; quia ſubſtitutum, & ſubrogatum imitatur naturam ejus, cui ſubſtituitur, & ſubrogatur.

24. Nota vigeſimò ſecundò: in caſu, quo plures Compromiſſarij deputantur, poſſunt unum ex ſeipſis validè eligere in Prælatum; modò in Compromiſſo circa hoc expreſſa limitatio non fuerit à Capitularibus appoſita. Ita ſentit Innoc. Abbas, & Sylv. Ratio eſt; quia Compromiſſarij ratione Compromiſſi non cenſentur effecti deterioris cõditionis, quàm ſint alij Electores Capitulares; nam nemini Officium ſuum debet eſſe damnoſum: adeoque unus ex ipſiſmet Compromiſſarijs validè poteſt à ſuis collegis eligi in Prælatum. Nec Jura uſquam hoc prohibent. Imò unus Compromiſſariorum poteſt conſentire in ſui ipſius Electionem, & alijs ſe eligentibus accedendo augere numerum majorem, ac conſequenter Electionem de ſe factam complere; utì colligitur ex *cap. cùm in Jure 37. hoc tit.* Et tenet Imol. Abbas Joann. Andr. Calder. Strein. &c. Nec talis argui poteſt de ambitione per *can. cùm in Scripturis 8. q. 1.* ratione cujus ambitioſus ſit ineligibilis: quia in tali caſu electus primò immediatè principaliter, ac directè ſe non eligit; cùm Electio non ab ipſo, ſed ab alijs Compromiſſarijs ortum habeat, qui antea eum elegerant; ſed tantùm conſentit in Electionem aliorum de ſe factam, ac veluti perficit & complet eam, quod citra notam ambitionis fieri poteſt, juxta citatos DD. Si tamen ante aliorum Compromiſſariorum electionem quis ſeipſum nominaret, ambitionis argui poſſet.

25. Nota vigeſimò tertiò: Compromiſſum non poteſt ampliùs revocari à Capitulo, quando res jam non eſt integra; ut dicitur *cap. in cauſis 30. hoc tit.* Tunc autem res non dicitur ampliùs eſſe integra, quando in negotio Compromiſſi ad ſubſtantialia, ſeu ad illa quæ per ſe ſpectant ad Compromiſſum, proceſſum eſt; cujuſmodi ſunt tractatus inchoatus, & nominatio de perſona tali eligenda ut idonea; ut habet Engel, & Pirh. ſi verò res Compromiſſi quoad ſubſtantiam ſit adhuc integra, à Capitulo revocari poteſt Cõpromiſſum; utì colligitur ex *cit. cap. in cauſis*, per ſenſum contrarium: Et quia Compromiſſum habet ſe inſtar mandati, quod re integra revocari poteſt, *§. rectè Inſtit. de mandato.* Intervenire tamen debet major pars Capituli ad talem revocationem.

26. Nota vigeſimò quartò: expirat Compromiſſum tum revocatione mox dicta: tum lapſu temporis, ad terminandam Electionem à Capitulo Compromiſſarijs præfixi, *cap. cùm in veteri 12. hoc tit.* Tum Electione ſecuta. Tum Electione à Compromiſſarijs facta effectum non habente; puta vel quia Electus eam acceptare recuſavit; vel quia mortuus eſt; vel quia à Compromiſſarijs inſtituta eſt Poſtulatio, & rurſus ante præſentationem Superiori factam revocata: in his enim caſibus Compromiſſarij cenſentur Officiò ſuô functi; ac proinde ſinè nova commiſſione illud reaſſumere nequeunt, & ad Electionem aliam accedere non valent. Tandem expirat etiam facta electione indigni, & inhabilis; nam

Digitized by Google

tiam tunc redit ad Capitulum Jus eligendi; niſi & ipſum Capitulum talem Electionem indigni ratam habuerit, *cap. ſi Compromiſſarius, hoc tit. in 6.*

27. Nota vigeſimò quintò: Compromiſſarij ſcienter eligentes indignum à beneficijs Eccleſiaſticis per triennium ipſo Jure ſunt ſuſpenſi; ut habetur *cap. cùm in cunctis 7. hoc tit.*

28. Nota vigeſimò ſextò: quicunque etiam Epiſcopi, vel Principes ſæculares quovis modo, v. g. vel bonis ſpoliando, vel aliter injuſtè perſequendo ita gravaverint Compromiſſarios, aut alias perſonas cujuſcunque Eccleſiæ, Ordinis, ſexus, vel conditionis, canonicè eligentes in aliquo loco pio, ut certam perſonam eligant, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrunt; uti habetur *cap. quia, de ſent. excommunic. in 6.* Quam pœnam ſtatuit Gregorius X. in Conc. Lugdun. *cap. 11.* ut libertati Eligentium magis conſuleretur. Circa Inſpirationem Divinam.

29. Dico tertiò: Electio facta per inſpirationem Divinam, vel quaſi inſpirationem Spiritûs S. eſt valida Electio; hæc tamen communi Spiritûs S. impulſu per omnes, & ſingulos Electores celebrari debet. Ita Moſcon. Vallenſ. Panormit. Abbas, Armilla, & communis Canoniſt. Primum patet ex *cap. quia propter 42. hoc tit.* Ratio ſecundi eſt; quia niſi omnes, & ſinguli Electores ſimul concurrerent, & moverentur ad talem Electionem, ipſa non cenſeretur à Spiritu S. impellente procedere, qui eſt Spiritus unionis, ac ad certum ſubjectum qualificatum eligendum impellens; non verò Spiritus diſſenſionis.

30. Nota vigeſimò ſeptimò: hanc formam ſeu modum Electionis eſſe antiquiſſimum in Eccleſia Catholica inde conſtat: quòd olim ſic electus fuerit Fabianus Papa, & Nicolaus, Ambroſius, & Severinus Epiſcopi; & procedit à Divina quadam, vera, apertaque revelatione, quâ mentes Electorum in actu Electionis repentè ita illuſtrantur, & impelluntur, ut omnes unanimi conſenſu conſpirent in Eligendam certam perſonam magis idoneam; ut habent Armilla, Cuchus, Streinius, Durand. &c. *Electio per quaſi inſpirationem Divinam* ſecundùm Hoſtienſ. Abbat. Barboſ. Lancello. &c. eſt, quæ inſtar veræ revelationis fit, etſi non conſtet apertè, & clarè, quòd à DEO procedat; ſed præſumitur tamen, eò quod nullo præcedente tractatu Electores in certum ſubjectum eligendum unanimiter conſentiant, ita ut unus poſt alterum repentè, & ſinè intervallo eundem eligant.

31. Nota vigeſimò octavò: Hæc forma Electionis pro ſolis Prælatis Eccleſiaſticis ſæcularibus eligendis inſervit, & recepta perſeverat; ut habet Vallenſ. Nam pro Regularium Prælatorum Electione Trident. *Seſſ. 25. cap. 6. de Regular.* diſpoſuit, ut omnes præciſè eligantur per vota ſecreta, & ſcrutinium formale. Electionis per Inſpirationem Divinam non extat ulla forma Canonica, aut ſolemnitas legalis, præterquam ut omnes unanimiter conſentiant, & conveniant in talem Electionem à Spiritu S. inſpiratam. Hæc tamen à ſuperiori confirmante debet examinari, num reverà à Spiritu S. impellente procedat; ac facto examine confirmari; ut habet Durand. Pirh. &c. DD.

CAP. V.

De Conſenſu Electi; & appellatione contra eum.

1. Dico primò: Electio ritè peracta debet, quàm primùm commodè fieri poterit, Electo præſentari ab Electoribus, & ejus conſenſus deſuper peti. Ita communis Canoniſt. Et conſtat ex diſpoſitione Juris in *cap. quam ſi 6. hoc tit. in 6.* Ratio eſt; quia diuturna vacantia Eccleſiæ eſt pernicioſa; adeoque Electio nova, quâ providetur Eccleſiæ vacanti, quàm primùm intimanda eſt Paſtori Electo, & ejus conſenſus exquirendus. Unde *cap. cupientes 16. §. cæterum in eodem 6.* Nicolaus III. Pontifex Ly *quàm primum* extendit ſolùm ad octo dies, ab eo tempore numerandos, quo commodè potuerant intimare Electionem; intra quos dies infallibiliter ipſam Electo præſentare debent; aliàs ſi culpabiliter differant, excluſi ſunt ipſo Jure à proſecutione Electionis quoad ſuas perſonas, ita ut alterius partis Electionem impugnare nequeant, ut habet Gloſſa in *cit. cap.* Et inſuper ab omnibus beneficijs, quæ obtinent in illa Eccleſia per triennium eô ipsô ſunt ſuſpenſi; atque ſi durante tali triennali ſuſpenſione quovis modo temerè ſeſe ingeſſerint, eisdem ipſo Jure in perpetuum ſunt privati; ut dicit *cit. cap. cupientes.*

2. Dico ſecundò: Electus intra menſem in præſentatam Electionem, aut expreſſè conſentire, aut diſſentire tenetur. Ita Gloſſa, Panormit. Abbas, Navar. & communis Canoniſt. Et ordinatur in *cap. quam ſi 6. hoc tit. in 6.* Eſtque Ratio; quia alias nimiùm dilatus conſenſus Electi foret damnoſus Ec-

Digitized by Google

cleſiæ vacanti. Iſte porrò menſis numerari debet à die præſentatæ Electionis, vel quô Electo aliâ viâ innotuit certò ſui Electio; ut habet idem *cap. quam ſi.* Si Electus ultra terminum phyſicum menſis absque juſto impedimento diſtulerit conſentire, vel diſſentire præſentatæ Electioni, privatur Jure, ſi quod ex Electione tali acquiſivit; ut habetur *eodem cap. quam ſi.*

3. Nota autem primò: Electus regulariter compelli, aut cogi non poteſt ad præbendum ſuum conſenſum in præſentatam Electionem ſui in Prælatum; ſed poteſt illam recuſare; imò & jam acceptatam renunciare, antè confirmationem, etiam ſinè ſuperioris licentia, *arg. cit. cap. quam ſi.* Et *cap. ſi Electio 26. hoc tit. in 6.* Dixi *regulariter;* quia ſi gravis neceſſitas, vel magna Eccleſiæ utilitas poſtulet talis Electi gubernium, ſuperior poteſt eum cogere ad acceptandam Prælaturam; ut docet S. Thomas, Pirhing. &c. Et colligitur ex *can. ſicut 3. cauſa 1. q. 6.* Et *can. ante omnia 7. diſt. 40.* Nam lex charitatis tunc obligat graviter ad acceptandum.

4. Nota ſecundò: Si contingat in Prælatum eligi aliquam perſonam Religioſam, quæ absque ſuperioris ſui licentia nequit conſenſum dare in Electionem de ſe factam, ut dicitur *cap. ſi Religioſus 27. hoc tit. in 6.* tunc Electus, ſeu Electores locô ipſius omni, quâ fieri poteſt, celeritate talem licentiam impetrare debent; ut patet ex *cap. quam ſi 6. hoc tit.* Quòd ſi autem intra tempus, arbitriô prudentis viri taxandum, petita licentia ſuperioris non advenerit, Electores ad novam Electionem procedere valent, juxta *cap. quam ſi, hoc tit. in 6.* Si verò dicta licentia pro Religioſo Electo (quam ſuperior irrequiſito Conventu præſtare valet, ut habet *cit. cap. ſi Religioſus*) tempeſtivè advenerit, Religioſus Electus habet integrum menſem, à die licentiæ obtentæ numerandum, ad deliberandum, an Electionem in ſe factam acceptare velit; ut patet ex *cit. cap. quam ſi*, junctâ Gloſſâ *ver. conditio*; & tenet Engel, Pirhing. Joan. Honor. &c. DD.

5. Nota tertiò: Si Religioſus Electus ad Prælaturam extra ſuum Conventum, & Religionem conſentiat in Electionem de ſe factam, absque licentia prævia ſui ſuperioris, *conſenſus ſic præſtitus non tenet* (inquit *cap. cit. ſi Religioſus*) *& in pœnam præſumptionis illius, Electio eadem ipſo facto juribus evacuatur omnino.* Inhibetur etiam in *Clement. ult. hoc tit.* Superioribus Regularibus, ne generalem dent licentiam alicui ſuo Religioſo, vigore cujus poſſit in quamlibet Electionem Prælaturæ de ſe factam extra ſuum Conventum, & Religionem conſentire; talis enim licentia vitiô ambitionis non caret.

6. Nota quartò: in caſu, quô Electus vel non conſentiret præſentatæ Electioni de ſe factæ, vel diem claudat extremũ, vel renunciet, vel propter occultum vitium irritetur Electio; Electores ſortiuntur rurſus integrum novum trimeſtre pro celebranda nova Electione; ut habetur *cap. ſi Electio 26. hoc tit. in 6.* Et eſt ratio ulterior; quia (ut dicit *cit. cap.*) *Electores jam fecerant, quod ſpectabat ad ipſos intra Juris terminum eligendo.*

7. Nota quintò: ſecutâ autem acceptatione ex parte Electi, obſervandæ erunt ulterius nonnullæ ſolemnitates; quæ tamen cùm accidentales ſint, non evacuant Electionem factam: *Prima* eſt, ut Electionis acceptatio publicetur: *Secunda* eſt, ut deſuper ſolemnis gratiarum actio præſtetur: *Tertia*, ut Electus præſens inthronizetur, ſeu ad cornu Evangelij altaris collocetur, ubi omnes Electores, & Clerici Eccleſiæ reverentiam ei exhibeant. Solemnis porrò inſtallatio, quâ plenum jus in Epiſcopatum acquirit, fit tunc demum, quando confirmatio Electi ſecuta eſt. Tandem profertur Decretum Electionis ſolemnis, ab omnibus Electoribus ſubſcriptum, & ſigillô Capituli munitum, in quo authenticè regiſtratur totus Electionis Canonicæ proceſſus, illudque conſignatur in manus Electi, ut is illud ad ſuperiorem, vel Papam transmittat, unà cum petitione humili Confirmationis; cui petitioni apponi debet à Capitulo authentica ſubſcripta diſtincta informatio de perſona Electi, forma eligendi, ac ſuffragijs Electorum; ut notat ex Tholoſ. Pirhing, & Engel. Circa Appellationem

8. Dico tertiò: licitum eſt Canonicis Coëlectoribus, vel eorum Procuratoribus apud ſuperiorem, vel Sum. Pontificem, appellationem interponere, ſi juſta ſubſit cauſa. Ita Tuſchus, Streinius, Pirhing, &c. DD. Et patet ex *cap. cùm inter 22. de Elect.* Et Ratio eſt; quia zelus communis boni Eccleſiæ poſtulat, ut Eccleſiæ vacanti de Paſtore qualificato provideatur, in quo cujuslibet Canonici Capitularis conſcientia convenitur, ut beneficiô appellationis elidat indigni Electionem.

9. Nota autem ſextò: etſi aliquis Electorum, qui ſuffragium Electo non dedit, juſta de cauſa appellare valeat; tamen alij qui jam pro eo legitimè ſuffragati ſunt, licitè appellationem contra Electum à ſe interponere non poſſunt; & ſi talem interponant publicato jam ſcrutiniô, objiciendo ei defectum, vel crimen, vel ſcrutinij publicati imperfectionem.

Digitized by Google

ctionem, audiendi non ſunt; ut conſtat ex *cap. nulli 8. hoc tit. in 6.* Et quia tunc non eſt ampliùs locus variationi; ut dicitur *cap. publicato 58. hoc tit.* Si tamen hi poſt datum ſuum ſuffragium, & Scrutinij publicationem, primò reſcirent ſecretum aliquem defectum Canonicum Electi v. g. crimen adulterij, deficientis ætatis, vel irregularitatis, aut ſimilis; tunc & ipſis licitum eſt appellare contra Electum à ſe. Ab appellando ne fiat nova Electio, etiam removetur ille, qui renunciavit Electioni priori de ſe factæ; ut habetur *cap. cùm inter 16. hoc tit.* Niſi fortè talis Clericus nomine Eccleſiæ, ne indignus Prælatus eligatur, appellet; in quo caſu ei non eſt deneganda audientia; ut conſtat ex *cap. cùm inter 21. in principio, hoc tit.*

10. Nota ſeptimò: Appellationes contra Electum debent fieri in ſcriptis, cum inſertione cauſæ juſtæ; ne præſumantur eſſe malitioſæ, & litium protractivæ; ut habet Gloſſa. Nec facilè recipi debent, niſi manifeſtè juſtam, & rationabilem cauſam contineant; ſed tanquam manifeſtè frivolæ rejiciantur; ut habetur in Conc. Lugdunenſi ſub Gregorio X. *cap. 9. ad refrænandam.* tales enim damnoſæ ſunt Eccleſiis vacantibus.

11. Nota octavò: quando autem Appellationes juſta de cauſa fiunt, tunc juxta *cap. 1. hoc tit. in 6.* Servanda ſunt ſequentia. *Primò* tam Appellans ad Sedem Apoſtolicam pro irritanda Electione, quàm defendens debent per ſe, vel Procuratores ſuos ſufficienter ad cauſam inſtructos intra menſem à die interpoſitæ Appellationis numerandum iter arripere. *Secundò* una parte præſente, altera per 20. dies expectanda eſt: Si autem intra hunc terminum non comparuerit, in cauſa Appellationi ſubſtrata procedatur, prout de Jure procedendum eſt. *Tertiò* Appellans debet jurare coram Judice, ſe dicturum vera, & ſe probare poſſe dicenda. Quòd ſi verò impoſitos defectus, aut id, quod contra formam Electionis oppoſuit, non probaverit plenè, condemnandus eſt tam in expenſas, quas pars altera fecit; quàm à beneficijs Eccleſiaſticis, quæ in illa Eccleſia obtinet, per triennium ſuſpendendus; & ſi tali tempore temerè ſe ingeſſerit in ea propria authoritate, ipſo Jure in perpetuum, ſinè ſpe gratiæ, aut diſpenſationis illis ſit privatus; ut habet *cit. cap.*

12. Nota nonò: forma appellandi ſequens præſcripta eſt in *cap. ut circa 4. hoc tit. in 6.* ut ſcilicet Appellantes contra formam Electionis, vel contra qualitates perſonæ Electæ, v. g. Excommunicatione, vel ſuſpenſione innodatæ; vel patientis defectum ætatis Canonicæ, vel ſcientiæ, vel natalium, conficiant publicum Inſtrumentum per manum Tabellionis, ſeu Notarij ſuper Appellatione interpoſita, *in quo omnia, & ſingula* (inquit *cit. cap.*) *exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel perſonas, coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant veritati*, *ad quod optimè inſervit perſona publica* (puta Judex, vel Tabellio) *corporali præſtitò juramentò, quòd credat ea, quæ ſic exprimit eſſe vera, & ſe poſſe probare.* Cujus Juramenti teſtimonium debet inſeri illi inſtrumento: alioquin ſi opponere volentes, quædam in inſtrumento nō expreſſerint, non poterint deinde ipſi, vel eis tempore appellationis adhærentes ea objicere Electo: *niſi aliquid* (proſequitur canon) *opponendum poſtea emerſerit* (v.g. ſi Electus homicidium de novo commiſiſſet) *vel ſuper antiquis probandi facultas ſupervenerit, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes Appellationis tempore emiſſæ veriſimiliter ignorare potuerint, & etiā ignorarint.*

CAP. VI.

De Confirmatione, & poteſtate Electi.

1. Dico primò: Prælatus Electus conſentiens neceſſariò confirmari debet. Ita Vallenſ. Zoëſius, Engel, Innoc. & communis Canoniſt. Et patet ex deciſione *cap. poſtquam 3. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia confirmatio eſt Juris per Electionem quæſiti corroborativa declaratio; ideo de Jure communi peti & fieri debet talis confirmatio à ſuperiore gradatim; ita videlicet, ut confirmatio Abbatis petatur, & fiat ab Epiſcopo; niſi probet exemptionem, *cap. cùm Monaſterium 13. hoc tit.* Epiſcopi ab Archi-Epiſcopo, *cap. cùm dilectus 32. hoc tit.* Archi-Epiſcopi à ſuo Patriarcha, vel Primate, *can. mos antiquus, diſt. 95.* Patriarchæ à Sum. Pontifice, *cap. ſcriptum, hoc tit.* Hodie verò poſtquàm Romani Pontifices per regulam 3. Cancellariæ juxta concordata Germaniæ ſibi generaliter reſervârunt omnes Eccleſias Patriarchales, Archi-Epiſcopales, & Epiſcopales, confirmatio Prælatorum pro dictis Eccleſijs vel Electorum, ubi mos eligendi adhuc viget, vel nominatorum ab Imperatoribus, Regibus, ad eoſdem pertinet, & ab ipſis petenda eſt; ut habet Vallenſ. Pirhing, Eman. Rodriq. Streinius, Corvinus &c.

2. Dico ſecundò: Prælatus Electus inter tres menſes à die conſenſûs ſui præſtiti numeran-

merandos, Confirmationem petere tenetur; aliàs juſtô impedimento ceſſante, finitô trimeſtri cenſetur tacitè renunciâſſe, & Electio eô ipsô ſuis juribus evacuatur. Ita Gloſſa, Zoëſius, Menoch. Vallenſ. &c. Et patet ex deciſione *cap. quam ſi 6. in fine.* Hoc porrò trimeſtre petendæ confirmationis poſtea Nicolaus III. reſtrinxit circa Electos ad Cathedrales, & Regulares Eccleſias, quarum confirmatio pertinet ad Sum. Pontif. & ordinavit, ut Electus in perſona iter arripiat intra menſem à conſenſu præſtito numerandum, & ad Sedem Apoſtolicam accedat pro obtinenda confirmatione: & ad conficiendum iter tantùm temporis impendat, quantùm neceſſe fuerit pro talis loci, in quo moratur, ab Urbe diſtantia: vel ſi legitimè impeditus fuerit, Procuratorem debitè inſtructum ſui locô mittat; ut dicitur *cap. cupientes 16. in principio, hoc tit. in 6.* Et *cap. nihil 44. de Elect. ibid.* Et tenent Vallenſ. Engel, Zoëſius.

3. Dico tertiò: Epiſcopus, & quivis alius Prælatus major antè obtentam Confirmationem, non pollet poteſtate jurisdictionis, vel adminiſtrationis, ſive in rebus, aut juribus ſpiritualibus; ſive in temporalibus. Ita Gloſſa, Barboſa, Hoſtienſ. & communis Canoniſt. Et deſumitur ex *cap. noſti 9. hoc tit.* Unde ſi talis Epiſcopus, vel Prælatus noviter electus ante impetratam Confirmationem ſub quovis quæſito colore, vel prætextu, puta vel titulô Electionis, vel titulô Procuratoris, vel Oeconomi adminiſtrationi rerum Eccleſiæ ſeſe ingereret, recipiendo v. g. à Clericis, vel Laicis juramenta; ejus Electio in pœnam caſſari debet; ut habetur *cap. qualiter 17. hoc tit.* Et *Extrav. injunctæ 1. hoc tit.* Et privatur omni Jure ex tali Electione acquiſito, *cap. noſti 9.* Et *cap. qualiter 17. hoc tit.* Et *cap. avaritia, hoc tit. in 6.* *Cùm ſcire debuerit* (inquit *cap. cit. qualiter*) *quòd ſecundùm Apoſtolum ad Hebr. 5. nemo ſibi debet honorem ſumere; ſed qui à DEO vocatur, tanquam Aaron.* Inſuper Electus taliter ſe immiſcens efficitur inhabilis ad eandem, & aliam Eccleſiam, *arg. cap. ſuper eo 12. hoc tit.* Niſi conſuetudo immemorabilis aliud permittat, Franc. Gloſſa, Joan. Andr. &c.

4. Nota primò: attamen *Prælati ab Urbe remoti* (inquit *cap. nihil 44. hoc tit.*) *videlicet extra Italiam conſtituti, & in concordia electi diſpenſativè propter neceſſitates, & utilitates Eccleſiarum (ne iſtæ interim dum confirmatio à Sede Apoſtolica advenerit, damnum patiantur) adminiſtrationem in temporalibus, & Spiritualibus capere non prohibentur; ita tamen ut de rebus Eccleſiaſticis nil penitus alienent.*

5. Dico quartò: Confirmator antequam conferat Electo confirmationem, debet *diligenter examinare* (inquit *cap. nihil 44. in principio, hoc tit.*) *& Electionis proceſſum, & perſonam electam; ut ſi Electio fuerit Canonica, & perſona idonea confirmationem ei impendat.* Ita etiam ſentit Communis Canoniſt. Vallenſ. Abbas, Panormit. Innoc. Gloſſa &c. Examen præfatum de perſonæ electæ idoneitate fieri debet in loco nativitatis, & ubi diutiùs fuit converſatus, *cap. ſcriptum 40. hoc tit.* de ejus ſufficientia, vita, bona fama, moribus, ætate legitima, ſcientia, S. Ordine, ac alijs qualitatibus, *cap. nihil 44. hoc tit.* Et *cap. fin. eodem tit. in 6.* Quoad proceſſum Electionis Confirmator indagare debet, num omnia ritè obſervata ſint in ea, quoad Scrutinium, Scrutatores, tempus &c. quæ omnia conſtare poterunt ex inſtrumento confecto ſuper Electione ſolemni celebrata; quod plenam faciet fidem, ſi per publicum Tabellionem ſit confectum. Debet etiam Confirmator ante confirmationem ſpecialiter citare coëlectum, vel alium adverſarium Electionis illius, quæ ſibi pro confirmatione offertur, ſi quis adſit, ut is cauſam ſuam agere valeat. Si autem Electio fuerat concors, aut nullus nominatim ſe opponat Electioni, tunc generale edictum ad valvas Eccleſiæ, in qua Electio eſt celebrata, affigendum erit, quô contradictores, ſi qui ſunt peremptoriè citantur, ut ſtatutô die, ac locô confirmationis faciendæ conveniant, allaturi cauſas pro impedienda Confirmatione; alioquin omiſſâ tali obſervatione, confirmatio irrita cenſetur; ut habetur *cap. ult. hoc tit. in 6.*

6. Nota ſecundo: ſi contingat indignum confirmari; tunc imprimis *confirmatus* (inquit *cap. nihil 44. in principio, hoc tit.*) *dejiciendus eſt; ſed & ſuperior, qui indignum ad Prælaturam electum confirmavit, eſt puniendus; ita quidem, ut ſi per negligentiam id fecit, modo de illa conſtiterit, maximè ſi talem, qui inſufficientis ſcientiæ, vel inhoneſtæ vitæ, vel ætatis illegitimæ fuerit, approbaverit, poteſtate proximè ſequentem, ſeu primum illius ſucceſſorem confirmandi careat, ſeu privatus ſit ipſo Jure; & inſuper à proprij beneficij perceptione ſuſpendendus eſt, quàm diu ſuperiori, qui ſuſpenſionem intulit, viſum fuerit. Si verò per malitiam, vel dolum convictus fuerit indignam confirmâſſe, graviùs puniendus eſt.*

7. Nota tertiò: Confirmationis actus perfici poteſt in Eccleſia, vel palatio, aut Camera ſuperioris Eccleſiaſtici confirmantis; non autem in curia, aut palatio Principis ſæcularis; ut liquet ex *cap. quâ fronte 25. in princ. de appellat.* cujus executionem, inſtallationem, ac

Digitized by Google

ac inveſtituram Pontifex, ſi ad eum ſpectet, committere poterit alicui alteri Prælato vicino, Archi-Epiſcopo, Epiſcopo, vel alteri; ut habet Strein., &c. Praxim hanc petendi, & obtinendi reperies apud Moſconium *pag. 187.* Piaſecium, Luchum &c. Confirmatus debet ſuæ confirmationis teſtimoniũ in ſcripto exhibere, nec absque illo Eccleſia, vel Capitulum illum recipere, vel de proventibus quidquam elargiri tenetur; imò qui receperint absque literis Apoſtolicis, ſuſpenduntur; Extrav. *invicta, de Elect. inter Com.* Unde praxis Romanæ Curiæ habet, ut expediantur Bullæ confirmationis; Sæpe tamen, ne Eccleſia vacans ex mora damnificetur, à Summ. Pontifice conceditur Breve, vi cujus poſſeſſionem capiat ante Bullæ expeditionem; ut obſervat Piaſec. Strein. &c. Circa poteſtatem Electi, & confirmati

8. Dico quintò: Prælatus Electus, & ritè confirmatus illicò etiam ante conſecrationem acquirit Jure communi poteſtatem adminiſtrationis plenæ, & jurisdictionis. Ita Gloſſa, Strein. Vallenſ. Zoëſ. Panorm. Et petitur ex *cap. tranſmiſſam 15. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Prælatus v. g. Epiſcopus electus, & ritè confirmatus per confirmationem conſequitur jus in re; ut notat Gloſſa in *cap. cùm veniſſent.* ver. *renunciavit, de integ. reſtit.* junctò *cap. 2. §. ſicut, de tranſlat.* Inſuper acquirit perfectum quaſi dominium in Epiſcopatum, & ſpirituale matrimonium inter ipſum & Eccleſiam jam eſt contractum; fitque ratum, quod in Electione fuit inchoatum; & demum per confirmationem quaſi conſummatum *cap. 2.* Et *cap. ult. de tranſlat. Epiſ.* adeoque talis Epiſcopus acquirit poteſtatem plenæ adminiſtrationis, & Jurisdictionis. Unde ejusmodi Prælatus poterit validè, & licitè adminiſtrare omnia temporalia, & ſpiritualia Epiſcopatûs; item exercere omnes actus jurisdictionis Epiſcopalis; cujusmodi ſunt excommunicare, aliasque cenſuras ferre; ac ab eis abſolvere; judicare; corrigere; juramenta à Vaſallis recipere, & exigere; beneficia Eccleſiaſtica conferre, inſtituere; inveſtire; electos confirmare; gratias, & privilegia concedere; jurisdictionem delegare pro foro externo; cauſas matrimoniales cognoſcere; indulgentias concedere; & ſimilia operari, quæ recenſentur in *cap. accedentibus, de exceſſibus Prælat.* Et patet ex *cap. tranſmiſſam, de Elect.* junctâ Gloſſâ ver. *de talibus*; & teſtent Armilla, Sylv. Vall. Franc. &c. DD. Et ſi Archi-Epiſcopus ſit, poteſt committere ſuffraganeo, vel alteri Epiſcopo poteſtatem ordinandi, vel conſecrandi; ut patet ex *cap. ſuffraganeis 11. hoc tit.*

9. Nota quartò: Prælatus autem Electus, & confirmatus in Epiſcopum non acquirit ante conſecrationem poteſtatem in ea, quæ ſunt ordinis Epiſcopalis; cujusmodi ſunt Ordines conferre; ſacrum chriſma conficere; Sacramentum Confirmationis conferre; deponere, ſeu degradare Clericos; benedicere Virgines, ſacra vaſa, altaria &c. Eccleſias conſecrare; & his ſimilia; ut conſtat ex *cap. tranſmiſſam 15. hoc tit.* Et *cap. noſti 9.* Et alijs *eodem tit.* Præterea non poteſt etiam ea exercere, quæ competunt Epiſcopo ex privilegio; cujusmodi ſunt, quæ notantur in *cap. ult. de pœnit. & remiſſ.* Et *cap. quod nullus, de privileg.* Et *cap. ult. eodem tit. in 6.* Item quæ competunt ei ex delegatione; ut habet Felin. Vallen. Piaſec. &c. Similiter Archi-Epiſcopus confirmatus ante conſecrationem, & pallium acceptum non poteſt exercere illa, quæ ſunt jurisdictionis majoris, ſeu dignitatis Epiſcopalis; ut conſtat ex *cap. ſicut 28. hoc tit.* Unde non poteſt convocare Concilium, conficere chriſma, &c. quia hæc non faceret ut Epiſcopus ſimplex; ſed ut Archi-Epiſcopus; quod non licet ante pallij receptionem.

10. Nota quintò: Prælatus jam confirmatus poteſt jure communi actus adminiſtrationis, & jurisdictionis ſuprà *conc. 5.* recenſitos validè exercere, etiam ante poſſeſſionem corporalem, ſeu ſolemnem inſtallationem, inveſtituram, ſeu corporalem introductionem ſui in poſſeſſionem Prælaturæ; ut habet Innoc. Pirhing. Panorm. Abbas, Garcias, Joan. Andreas. Et colligitur ex *cap. cit. tranſmiſſam.* Et *cap. noſti 9.* junctâ Gloſſâ ver. *confirmata.* Et *cap. qualiter 17.* Et *cap. nihil 44. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia aliàs parùm, aut nihil operaretur confirmatio collata, ſi neceſſariò requireretur ſolemnis inveſtitura pro exercitio dictorum actuum. Circa hoc tamen obſervandæ erunt peculiares conſuetudines Eccleſiarum, ſi quæ fortè ab immemorabili ligarent Prælatum etiam confirmatum, ut adminiſtrationis, & jurisdictionis facultate non fungatur, ante ſolemnem inſtallationem, ac inveſtituram; ut advertit Abbas in *cit. cap. tranſmiſſam* &c. Imò Jure novo in *Extrav. injunctæ; de Elect. in Extrav. communibus* requiritur, ut Epiſcopus ſi velit exercere ea, quæ ſunt jurisdictionis immediatè poſt ſuam confirmationem, obtineat priùs literas Apoſtolicas, continentes ſuam confirmationem, quas Capitulo exhibere priùs tenetur; & tunc demum adminiſtrationem, & jurisdictionem licitè, ac validè aſſequitur. Quam ordinationem Apoſtolicam confirmavit, & ampliavit Julius III. *conſtit.* quæ incipit, *Sanctiſſimus in Chriſto Pater.*

Digitized by Google

CAP. VII.

De Conſecratione Epiſcopi electi, & confirmati.

1. Dico primò: Epiſcopi electi & confirmati tenentur intra tres menſes à die confirmationis acceptæ numerandos ſuſcipere Conſecrationem, ceſſante legitimo impedimento. Ita Gloſſa, Sylv. Barboſa, Engel, & communis Canoniſt. Et patet ex ordinatione *can. quoniam, diſt. 75.* Et ex Trident. *Seſſ. 23. cap. 2. de Reformat.* ubi ſtatuitur pœna negligentibus ſuſcipere dictam conſecrationem intra trimeſtre, quòd nimirum teneantur ad fructuum perceptorum reſtitutionem. Et ſi intra alios tres ſubſequentes rurſus eam poſtulare, & procurare negligant, ipſo Jure privati ſint Eccleſiâ ſuâ. Inſuper ſtatuit *Seſſ. 7. cap. 9.* ut prorogationes de non celebranda Conſecratione ultra 6. menſes conceſſæ nulli ſuffragentur. Et eſt ulterior ratio, quia per Conſecrationem matrimonium cum Eccleſia conſum̃ari dicitur, ex *cap. 2.* Et *ult. de translat. Epiſc.* quod in Eccleſiæ deſponſatæ præjudicium protrahi nequit notabiliter.

2. Nota autem primò: olim pro Conſecratione Epiſcopi intervenire debuit Metropolita, & omnes Epiſcopi comprovinciales; aut ſaltèm per literas ſuum aſſenſum dare; ut habetur *cap. Epiſcopi*, ex Conc. Niceno. Et *cap. Ordinationes*, ex Anacleto. Et tunc Metropolita cum duobus alijs Comprovincialibus Epiſcopis eum conſecrare, vel tres ad conſecrandum deputare debebat; *can. 1.* Et *2. diſt. 64.* Et *can. 2. diſt. 66.* Et *can. Archi-Epiſcopus 6.* Et ſequenti, *de tempor. ordin.* Verùm hodie, quia Summus Pontifex ſibi reſervavit jus confirmandi Epiſcopos, maximè in Germania per Concordata Germaniæ cum Nicolao V. inita; & in alijs Regnis per alias conventiones; idcirco idem Sanctiſſimus Pater ipſe determinat certas perſonas, à quibus Electus, & confirmatus conſecrari debet.

3. Nota ſecundò: Conſecratio Epiſcopi extra Curiam Romanam conſecrandi regulariter fieri debet in Eccleſia, ad quam is promotus eſt; ſi tamen id commodè fieri non poſſet, talis etiam in alia Eccleſia peragi poterit; præſertim ſi talis intra Provinciam ſita ſit; ut colligitur ex *cap. ult. diſt. 51.* Et Tridentino *Seſſ. 23. cap. 2. de Reform.* Item communiter peragi debet die Dominicâ, quando cantatur Tertia Hora Canonica in choro; ut dicitur *can. ult. diſt. 15.* Et *can. 1. in princ. diſt. 75.* Ratio eſt; quia Epiſcopi locum Apoſtolorum occupant, quibus in die Pentecoſtes horâ diei tertiâ Spiritus Sanctus datus eſt. In hoc tamen Summus Pontifex poteſt, & ſolet diſpenſare, ut alio die, & horâ fieri poſſit; ut ex Azorio notat Pirhing. Debet autem conſecrans conſecrationem præſtare ſub Miſſa lecta, inter Epiſtolam, & Evangelium.

4. Nota tertiò; Jure communi in *cap. ult. diſt. 51.* Et *can. comprovinciales, 4. diſt. 64.* & alibi, ſtatutum eſt, ut Epiſcopus novus à tribus Epiſcopis conſecretur; adeo ut ſi conſecraretur à minori numero, conſecratio eſſet invalida, *can. Archi-Epiſcopus, diſt. 66.* Attamen quoad numerum Epiſcoporum Sum. Pontifex poteſt, & ſolet diſpenſare, ut dicta Conſecratio peragatur ab uno duntaxat formali Epiſcopo, & duobus Abbatibus, vel alijs Prælatis Presbyteris aſſiſtentibus; ut habet communis Canoniſt. quamvis enim S. Apoſtoli ſic conſtituerint, ut pro Conſecratione intervenirent tres formales Epiſcopi, hæc tamen conſtitutio non cenſetur eſſe Juris Divini; unde à Papa juſtis de cauſis alterari poteſt; ut docent Azorius, Engel, Barboſa, Pirhing, Streinius, &c.

5. Nota quartò: Cœremonias, quæ in Conſecratione intervenire debent, vide in *Pontificali Romano.* Principales ejus actus ſunt, ut duo Epiſcopi, vel alij duo Prælati ad aſſiſtendum deputati teneant Codicem Evangeliorum ſuper caput, & cervicem conſecrandi; ut habetur *can. Ordinationes*, deinde ut unus ſuper eo fundat materiam Conſecrationis; reliqui verò manibus caput tangant, *can. Epiſcopus, diſt. 23.* illudque ſimul manibus inungant: materia porrò infundenda debet eſſe chriſma ex oleo, & balſamo confectum; oleô ſignificatur nitor, ſeu puritas conſcientiæ in Epiſcopo retinendæ; balſamô odor ſeu integritas famæ, quam diffundere debet novus Eccleſiæ Prælatus. Effectus Conſecrationis principalis eſt, quòd Prælatus conſecratus per Conſecrationem conſequatur plenitudinem Officij Epiſcopalis; ita ut omnia, quæ tam adminiſtrationis, & juriſdictionis, quàm Ordinis Epiſcopalis ſunt, exercere valeat, juxta *cap. tranſmiſſam 15. hoc tit.* Alius quoque ejus effectus eſt, quòd Prælatus novus poſt Conſecrationem vocetur abſolutè Epiſcopus; qui antè eam cum addito duntaxat, id eſt *Epiſcopus Electus* vocabitur; ut colligitur ex *cap. tua 8. §. vel electo, de his quæ fiunt à Prælat.*

6. Dico ſecundò: Peracta Conſecratione ipſo jure abſque alia ſententia vacant omnia beneficia talis Epiſcopi Conſecrati, quæ prius habebat

Digitized by Google

habebat; ita ut ab eo, qui Jus ea conferendi habet, liberè conferri poſſint alijs. Ita Gloſſa, Vallenſ. Garcias, Abbas, Barboſa, & communis. Et ſtatuitur in *cap. cum in cunctis 7. hoc tit.* dummodo conſecratus tempore conſecrationis jam adeptus fuerit poſſeſſionem Epiſcopatûs; nam ad talem vacantiam verum requiritur utrumque, ſcilicet tam Conſecratio, quàm adeptio poſſeſſionis novæ, *can. ſi quis Epiſcopus, diſt. 92.* Et tenet Innoc. Vallenſ. &c. Id etiam obſervandum hìc, quod dicit Abbas, Pirhing, & quidam alij DD. eſſe videlicet in Curia Romana uſu receptum, ut beneficia Electi Epiſcopi authoritate Summ. Pont. promoti ſtatim vacent poſt impertitam Confirmationem, & ante Conſecrationem ejus, ac adeptam poſſeſſionem; unde Juri communi per hujusmodi conſuetudinem videtur derogatum. Addit tamen Barboſa, ut hujusmodi vacantia beneficiorum ſecundùm ſtylum, & uſum Curiæ Romanæ fiat immediatè, requiri, ut Papa in actu promotionis conſiſtorialiter decernat, vacare beneficia promoti: quòd ſi tale decretum tunc non fiat, ſtandum erit Juri communi ſupra relato, de vacantia beneficiorum Epiſcopi primò poſt Conſecrationem.

7. Nota quintò: Epiſcopus conſecratus peractâ Conſecratione, tenetur Eccleſiæ Romanæ, & Summis Pontificibus præſtare juramentum fidelitatis, ſecundùm formam, quæ traditur in *cap. Ego N. Epiſcopus, de jurejurando.*

CAP. VIII.

De Electione, & Confirmatione Superiorum Ordinis FF. Minorum de Obſervantia, & Reformatorum.

1. Dico primò: Electiones omnes canonicæ Prælatorum, ſeu Superiorum Ordinis S. Franciſci de Obſervantia, & Reformatorum, id eſt Generalium, Provincialium, Cuſtodum regiminis, ac Guardianorum; item aliorum Officialium, ut Cuſtodum, Diffinitorum tum Generalium, tum Provincialium, & Prominiſtrorum fieri debent regulariter per vota ſecreta. Ita communis Canoniſtar. Ordinis S. Franciſci, ut Eman. Rodriq. Sanctorus, Lantuſca, Portel &c. Et ita ordinatur univerſaliter pro omnibus Prælatis, & Officialibus majoribus quorumcunque Ordinum Regularium in Trident. *Seſſ. 25. cap. 6. de Regular.* Et ex eodem Statuta Generalia Ordinis *cap. 8. de Elect.*

2. Nota autem primò: cùm Tridentinum *cit. loc.* non præſcribat certam formam Electionis Canonicæ per vota Secreta celebrandæ; nec explicet, in quo conſiſtat hujusmodi Electio per vota ſecreta; idcirco Capitulum Generale Romanum Ordinis noſtri Franciſcani anno 1587. condidit Decretum, ut Electiones omnes præfatæ per Secreta vota celebrentur, ſcil. per ſchedulas ſecretas, in Capitulis, & Congregationibus; quod etiã confirmavit Sixtus V. in Bulla, *& communis cura.* Sed limitavit aliquomodo hoc Decretum Urbanus VIII. per ſuum Breve, quod incipit *Religioſos viros*, datum Romæ apud S. Petrum, anno 1642. (quod vide per extenſum apud noſtrum P. Lantuſcam *in Theatro Regul.* verbô *Electio*) ut ſcilicet Electiones Prominiſtrorum, & Cuſtodum Vocalium proficiſcentium ad Capitula Generalia, extra Capitulum factæ; uti & Guardianorum, fiant per vota Secreta, & ballotationes: quæ ambæ formæ ſunt veræ Canonicæ, adhibitæ in praxi continua Religionis, ac approbatæ per S. Congregationem, approbantem Statuta Generalia ſub Reverendiſſimo P. Michaele Angelo de Sambuca Generali compilata: & ab Urbano VIII. in *cit. Brevi*. Et rurſus S. Congregatio S. R. E. Cardinalium negotijs, & Conſultationibus Epiſcoporum, & Regularium præpoſita reſolvit anno 1645. die 27. Jan. Electiones Commiſſariorum ad Comitia Generalia mittendorum, ſeu Prominiſtrorum debere fieri per ſchedulas Secretas duntaxat, teſte P. Lantuſca in *Theatro Regular.* verbô, *Commiſſarius ad Comitia generalia mittendus.*

3. Nota ſecundò: nomine *Generalium* per Schedulas ſecretas eligendorum in concluſione intelligi, tum ipſos Miniſtros Generales, tum Vicarios generales, in caſu vacantiæ, vel propter mortem Miniſtri Generalis, vel propter renunciationem, aut promotionem ejusdem extra Ordinem ad dignitatem, eligendos; tum Commiſſarios generales, qui pro familia Ciſmontana, vel Ultramontana in Capitulis, vel Congregationibus eliguntur per vota ſecreta; tum de Vice-Commiſſarijs Generalibus, tempore vacantiæ memorati Commiſſarij Generalis ob mortem, vel renunciationem, vel aſſumptionem ad dignitatem, eligendis. Similiter nomine *Provincialium* in eadem concluſione veniunt,

Digitized by Google

tum ipſi Miniſtri Provinciales, tum eorum Vicarij in caſu vacantiæ eligendi; uti & Commiſſarij, qui gubernant Provinciam in diſceſſu.

4. Nota tertiò: tunc vota cenſeri eſſe ſecreta in Electionibus Regularium Prælatorum, quando ſingulorum Religioſorum eligentium nomina nunquam publicantur; ut habet Trident. *Seſſ. 25. cap. 6. de Regular.* Si unus Eligentium publicè manifeſtet ſuum votum permittente Capitulo, Electio eſt irrita. Ita Rota in una Trevirenſi, anno 1624. Et Lantuſca, Rodriq. Leza. &c.

5. Nota quartò: tunc Electio cenſetur eſſe Canonica, ſi fiat à majori parte Capituli, ſeu Congregationis: majorem verò partem facit quilibet exceſſus; ut ſi ſint vota 9. quinque majorem partem conſtituunt. Ita Statuta generalia Ordinis *cap. 8. §. 2.*

6. Dico ſecundò: ad valorem Electionum Regularium Prælatorum Minoritarum Obſervantium, & Reformatorum requiritur Scrutinium formale, & diſquiſitorum pluralitas. Ita Communis Canoniſtarum Minoritarum. Et ita ordinant Conſtitutiones generales Ordinis *cap. 8. §. 3.* Et patet ex *Clement. Exivi. de verborum ſignificatione.* Et ex *cap. quia propter, de Electione*, quatenus hoc ordinat pro omni electione Canonica aliorum Prælatorum.

7. Nota autem quintò: Diſquiſitores neceſſarij ad Electiones præfatas nec poſſunt eſſe plures, quàm ſex; nec pauciores, quàm duo; ut habent Statuta Generalia *cit. loc.* Sex quidem in Capitulis generalibus; cùm Religio noſtra Seraphica Obſerv. & Reformat. ſit ampliſſima; ac in duas familias diviſa à Leone X. in Bulla *ite & vos*, unde tres ex una, & tres ex altera deputari ſolent Diſquiſitores. Duo verò ad minus in quovis Capitulo Provinciali, & Congregatione.

8. Nota ſextò: memorati Diſquiſitores in Capitulo Generali pro electione Generalis Miniſtri, & Commiſſarij proponi debent ab ipſomet Miniſtro Generali; vel in ejus abſentia ab antiquiori Diſcreto Ordinis; & debent communi conſenſu Diſcretorum Ordinis, & Diffinitorum Generalium veteris Capituli inſtitui; uti ordinant Conſtitutiones generales *loc. cit. n. 2.* In Capitulo autem provinciali, vel Congregatione annua proponuntur ab eo, qui Electioni præeſt, & communi conſenſu Patrū Provinciæ, & Diffinitorum provincialium inſtituuntur. Ita eædem Conſtitutiones *loc. cit.* Diſquiſitores ſic inſtituti ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda adſtringi debent ad ſervandum ſilentium Electionis, ita ut nec verbô, nec ſcriptô, nec nutu, aut aliquô aliô modô eligentium nomina ullô unquam tempore publicare velint, aut poſſint. Ita Eædem Conſtitutiones *loc. cit.* Et deſumitur ex *cap. quia propter, de Elect.* Et ex Trident. *Seſſ. 25. cap. 6. de Regular.* Unde ſi aliquis Diſquiſitorum publicaret unum votum nutu, vel verbô, vitiaretur Electio, *cap. in Geneſi, extra, de Elect.* Et tenet Miranda, Tambur. Melphi, Rodriq. & communis DD. Ordinis. Diſquiſitores debent conſidere in loco patenti; fideliter ſinguli evolvere, & aſpicere ſchedas eligentium, ac annotare accuratè vota in eis inventa; ſecuta Electione, & calculatis votis, Diſquiſitor Secretarius, ſeu ſcriba debet ea referre in formale inſtrumentum Electionis; cujus norma adeſt in Statutis generalibus *cap. 8. §. 3. n. 15.* & conſurgens Electionem publicare intelligibili voce. Ita Conſtitutiones Ordinis *loc. cit.* Deſuper ſchedulæ comburantur.

9. Dico tertiò: Electio Generalis, vel Provincialis ſemel inchoata terminari debet intra unum diem naturalem; hoc eſt, à ſolis ortu usque ad occaſum. Ita communis DD. Ord. Sanctorus, Rodriq. &c. Et habetur in Statutis generalibus Ordinis *loc. cit. n. 11.* Et fundatur in Clement. *exivi, de verborum ſignif.* Unde

10. Nota ſeptimò: ſi Electio Miniſtri Generalis non ſequatur intra diem unum, nempe in Vigilia Pentecoſtes, uti mandat S. Regula, devolvitur eô ipsô ad Sum. Pontificem; uti habet Clementina citata, & Conſtitutiones citatæ: Si verò fuerit Electio Provincialis, devolvitur ad Generalem, ex *eadem Clement. & Conſtit.* Idipſum continget, ſi Electores ſcienter indignum Generalem, & Provincialem elegerint.

11. Nota octavò: Electores ſub nullo prætextu poſſunt coarctari: arctans verò eô ipsô exiſtit privatus officiô. Abſentium vota nequeunt ſuppleri, nec quis Elector abſens ſuum votum alteri committere poteſt; aut per procuratorem votare. Ita citatæ Conſtitutiones *num. 19.* Infirmorum tamen Vocalium vota, ac non potentium ſcribere, ſumi debent à duobus Diſquiſitoribus, qui videlicet accedant ad locum infirmorum, accipiendo ab eis ſchedulas Electionis; vel eorum locô ipſi ſcribant illas, & deferant deorſum ad conclave Electionis, ponantque in urnam; uti habent Conſtitutiones generales Reformat. *cap. 8. n. 12.* Nemo poteſt ſibi ipſi dare votum, ſub pœna privationis vocis activæ, & paſſivæ. Electores priùs ante Electionis actum abſolvendi ſunt, juxta

for-

Digitized by Google

formulam ſtatutorum generalium *cap. 8. §. 9. n. 15.*

12. Nota nonò: qualitates eligendorum in ſuperiores Ordinis noſtri ſunt ſequentes, ut non ſint impediti vacantiâ aliqua canonicâ; de qua Statuta *cap. 8. §. 48.* item ut ſint literaturâ ſufficienti inſtructi, exemplaris vitæ, legitimè nati, non procreati ex concubitu ſacrilego, non deſcendentes ex Judæis, Mauris, Machometanis, vel Hæreticis non toleratis, ſeu ſpecialiter damnatis, ſeu quorum ſtatuæ, vel oſſa combuſta ſunt, nec ſint ſchiſmatici. Ita Conſtitutiones generales *cap. 8. §. 4.* per totum. Et Paulus IV. Bullâ, *cùm ſicut Apoſtolatus*; Et Gregorius XIII. Bullâ *conſuevit*; Et Sixtus V. Bullâ, *cùm de omnibus*; Et fundatur in Trident. *Seſſ. 22. de Reform. cap. 2.* Debent præterea eligendi ad determinata officia Ordinis habere certum quoque annorum numerum; ut pro Generali ad minus 35. annorum ætatis phyſicæ, & 15. vel 20. Religionis: cùm totidem pro Provinciali requirantur. Puto tamen ſufficere etiam 30. annos ætatis; cùm hic æquipararetur Epiſcopo, qui juxta *cap. in cunctis, de Elect.* tantùm 30. habere debet. Semper tamen vir ætatis provectæ eligitur: & meritò talis eligendus eſt; utpote qui praxim, & notitiam regiminis debitam præſumitur habere; uti & maturum judicium in agibilibus Ordinis. Pro Provinciali inter Obſerv. requiruntur anni 35. ætatis, & 20. Religionis completi; ita Statuta Generalia de Obſerv. *cap. 8. §. 37. n. 1.* Inter Reformatos 15. completi Religionis ſufficiunt, & 35. ætatis; ita Conſtitutiones generales Reform. *cap. 8. n. 31.* Pro Diffinitore provinciali, & Cuſtode inter Obſervantes 30. anni completi ætatis, & 15. Religionis; ita Statuta generalia de Obſerv. *cap. 8. §. 39. n. 12.* Pro Reformatis requiruntur ætatis anni 35. & Religionis 15. Pro Diffinitore Generali ætatis 35. anni completi, & 20. Religionis pariter completi; ita Conſtitutiones generales *cap. 8. §. 26. n. 7.* Requiruntur demum etiam in Prælatis FF. Minorum de Obſervantia, & Reformatorum eligendis eædem qualitates, quas de Jure communi habere debent omnes alij Prælati ad dignitates Eccleſiaſticas promovendi; uti ſunt non eſſe vitiô aliquô corporis affectum (v. g. furioſitatis, fatuitatis, & ſimilium, quæ aliàs irregularitatem ex natura inducunt) ita ut munere ſuo decenter fungi nequeat: item non eſſe criminoſum, reprehenſibilem, & infamem, ob crimen v. g. Simoniæ, ſacrilegij, falſarij literarum Apoſtolicarum, uſuræ, aleatoris, & ſimilium, quæ irregularitatem ex moribus inducunt: de quibus ac alijs, vide quæ dico ſupra *cap. 2.*

13. Nota decimò: Veri Electores cum voto electivo etiam in Capitulis generalibus Ordinis noſtri ſunt ſoli ſequentes, Miniſter Generalis; & Vicarius Generalis; Commiſſarius Generalis; & Vice-Commiſſarius Generalis electus per Scrutinium, vel Bullam; Patres diſcreti perpetui Ordinis, qui ſcilicet fuêre Miniſtri Generales, & Vicarij Generales, & Commiſſarij Generales per biennium; item Commiſſarius Generalis Indiarum in curia Regis Catholici reſidens; Procurator Generalis Ordinis; & Reformat; Commiſſarius Curiæ Romanæ; Diffinitores Generales actuales; duo Secretarij Generales Miniſtri Generalis, aut Vicarij Generalis; Miniſtri, vel Prominiſtri Provinciales; Cuſtodes regiminis; & Cuſtodes ordinarij Provinciarum. Ita Conſtitutiones Ordinis *cap. 8. §. 10.* per totum, & *12.* Et variæ Bullæ Pontificiæ, ut Pij V. Gregorij XIII. Leonis X. Sixti V. Urbani VIII. Gregorij XI. & Innocentij XI. quas vide ibidem. In Congregationibus Generalibus hodie ex noviſſima Bulla Papæ Innocentij XI. *Militantis Eccleſiæ regimini* comparere ad votandum poſſunt ſoli ſequentes; Commiſſarius, vel Vice-Commiſſarius Generalis; Diffinitores Generales actuales illius familiæ, in qua celebratur Congregatio; ac alij Patres, qui ſunt regulariter de corpore Diffinitorij Generalis præfatæ Familiæ. In Capitulis Provincialibus ſunt Canonici Electores Miniſter, & Vicarius Provinciæ; Commiſſarius Viſitator, ſi ei votum electivum à P. Generali committatur; Cuſtos; & Diffinitores actuales Provinciæ; & Guardiani; item Diſcreti perpetui Ordinis; Diffinitores Generales actuales, ſi qui ſint de corpore Provinciæ; & Procurator Generalis, ac Commiſſarius Curiæ, ſi adſit, & pertineat aliàs ad illam Provinciam. Ita Conſtitutiones Generales Reformatorum *cap. 8. n. 15.* In Congregationibus Provincialibus regulariter votant activè tantùm Miniſter; Diſcreti perpetui; Cuſtos; Diffinitores actuales provinciales, & generales; ac Procurator, vel Commiſſarius, ſi adſint in proprijs Provincijs. Ita Conſtitutiones Generales *cap. 8. §. 46. n. 5.*

14. Dico quartò: Generalis Miniſter Ordinis Canonicè Electus ſecuta Electione, & publicata regulariter non eget aliqua Confirmatione ſpeciali; ſed ipſo facto authoritate Apoſtolica confirmatus cenſetur: unde illicò officium ſuum exercere poteſt. Ita habent Statuta Generalia *cap. 8. §. 9. n. 25.* Miniſter verò Provincialis confirmandus eſt à Præſide Capituli, juxta Conſtitutiones Reform. *cap. 8. n. 28.* Uti etiam Cuſtodes, Diffinito-

Digitized by Google

nitores, & Guardiani in Capitulis Electi. Electi verò in Congregatione confirmantur à Miniſtro Præſidente; niſi adſit alius Præſes. Prælati ſeu Superiores Franciſcani non benedicuntur ſolemni aliqua Benedictione, uti Abbates ſolent.

CAP. IX.

De Electione; Confirmatione; & Benedictione Prælatorum aliorum Ordinum Regularium.

1\. Nota primò: Tametſi Jure communi, ac veteri Electio Abbatum, Priorum, ac ſimilium Prælatorum Superiorum, & Præpoſitorum Localium ſit penes Conventum, & Collegium ipſorum Religioſorum; uti habetur *cap. cùm dilectus 8. de conſuet.* Et *in can. quàm ſit 5. §. defuncto, cauſa 18.* & practicatur adhuc in Germania, ac Gallia apud Benedictinos, Præmonſtratenſes, Ciſtercienſes &c. Attamen hodie in pluribus Congregationibus, & Ordinibus Religioſorum per ſpeciales Conſtitutiones aliter ſancitum eſt, & alia praxis viget: unde Rectores Collegiorum Societatis JESU, ac etiam Provinciales ejuſdem Societatis conſtituuntur, ut habetur in *parte 9.* Conſtit. Societatis *cap. 3. §. 14.* Et in Italia, ac alibi plures Congregationes Monachorum, & Canonicorum Regularium eligunt ſuos Abbates, & Prælatos locales per vota vel ſolorum Generalium; vel Provincialium, ac Diffinitorum: idem practicant Ordines Mendicantium Auguſtinianorum, Carmelitarum, Conventualium, Capuccinorum &c.

2\. Dico primò: Ubi adhuc viget Jus vetus commune Regularium, juxta quod Conventus eligit Prælatum localem; ſoli profeſſi talis Conventûs habent votum in electione tali. Ita communis DD. & patet ex *cap. ex eo 32. de Elect. in 6.*

3\. Nota ſecundò: Soli Clerici profeſſi (modò non ſit annexa collegiata, vel Cathedralis Eccleſia) habent votum in Electionibus; non autem Laici converſi. ex *cit. cap. §. Eccleſijs,* niſi in aliquo Monaſterio immemorabilis conſuetudo, vel ſpeciale privilegium Laicis votum concederet. In Monaſterijs autem, quæ habent annexam Eccleſiam Cathedralem, vel Collegiatã Regularium, Clerici Canonici Electores debent eſſe ordinati, ſaltèm Subdiaconi; ita Clement. *2. de ætate, & qualit. præficiendorum.* Et Concilium Trident. *Seſſ. 22. cap. 4. de Reform.* Regulares mendicantes etiam authoritate Apoſtolicâ tranſeuntes ad Conventum aliquem Regularium non Mendicantium, non habent votum Electivum in Capitulo; ita Clement. *1. de Regul.* Nec illi qui ex varijs alijs Capitibus Juris Canonici aliàs reputantur inhabiles ad eligendum in communi; de quibus vide dicta ſupra *cap. 3.*

4\. Dico ſecundò: Suppoſito vigore ejuſdem Juris veteris, Eligendus in Abbatem, vel ſimilem Præpoſitum, & Prælatum Regularem, regulariter debet eſſe profeſſus in Ordine talis Conventûs. Ita communis DD. Et habetur *cap. in magiſtrum 49. tit. de Elect.*

5\. Nota autem tertiò: Attamen Summus Pontifex poteſt, & ſolet quandóque concedere Abbatias, & alias Prælaturas Regulares, tanquam in Commendas, Clericis ſæcularibus, maximè ex illuſtri ſanguine natis, ut commodiùs ſuſtententur: & tales Abbates Commendatarij poſſunt omnia exercere, & adminiſtrare, ſicut alij intitulati Abbates, & Prælati, uti habet Fagnan. Rebuff. Rodriq. Etſi autem profeſſus paulò ante Electionem ob neceſſitatem, & utilitatem publicam Conventûs Regularis poſſit ſimpliciter eligi in Prælatum (modò abfuerit in ingreſſu Religionis ambitio ad conſequendam ſtatim Prælaturam; & adſit in eo ſufficiens intellectus Regulæ, & inſtructio in rebus neceſſarijs Ordinis) uti docet Innoc. in *cap. Officij de Elect.* & habetur in *eod. cap.* attamen hujuſmodi Electio ordinariè non eſt practicanda, quia ut *cit. cap.* loquitur; *non decet aliquem Magiſtrum fieri, antequam Diſcipulus eſſet.*

6\. Nota quartò: In defectu idonei ſubjecti poteſt in Abbatem, Præpoſitum, & Prælatum alicujus Monaſterij eligi Religioſus alterius Conventûs, modò ſit ejuſdem Ordinis. Ita colligitur ex *cap. quam ſit 5. cauſa 18. q. 2.* Non autem ſi ſit diverſi Ordinis; ut colligitur ex *Clement. 1. hoc tit.* Ratio eſt; *cùm* (inquit Papa Clemens V.) *non congruat, ut homines diſparis profeſſionis, vel habitûs ſimul in eodem monaſterio ſocientur.* Idem judicium ferendum eſt de Monialibus diverſi Ordinis. Attendendæ etiam erunt ſpeciales conſtitutiones Monaſteriorum, quæ in quibuſdam locis non ſinunt, ut ex quovis Conventu ſui Ordinis poſſit aſſumi Abbas; ſed ex illis duntaxat, quæ intra eandem Provinciam continentur. Si contingat aliquem Religioſum aſſumi ex uno monaſterio in Abbatem, & Prælatum alterius monaſterij, is perdit Jus eligendi Prælatum in primo monaſterio,

ex quo

ex quo fuit aſſumptus. Ita colligitur ex *cap. conſtitutus 47. hoc tit.* & tenet Gloſſa, Abbas, Joan. Andreas, & communis Canoniſt. Unde nullus Abbas in duobus Monaſterijs vocem in Capitulo habere poteſt; niſi unum ab alio dependeat, eique ſit ſubjectum; ut habet Abbas, Pirhing. &c.

7. Nota quintò: etſi Novitius non poſſit eligi; poteſt tamen à Papa ex juſta cauſa poſtulari in Abbatem, & Prælatum ſui Conventûs. Ita habetur *cap. cùm Monaſterium 13. hoc tit.* Similiter Religioſus alterius Ordinis poteſt à Summo Pontifice ex juſta cauſa poſtulari in Prælatum Religionis diverſæ; ut habet Pirhing. &c. Ratio eſt; quia in hoc caſu non obſtat aliud impedimentum, quàm diverſitas Ordinis, & Clementina; Papa autem utrumque poteſt diſpenſare; & ſic deferre poſtulationi.

8. Dico tertiò: ut Religioſus unius Monaſterij poſſit eligi in Prælatum alterius Monaſterij ejuſdem Ordinis, requiritur neceſſariò conſenſus, & licentia ſuperioris, ſinè quo proinde electus nequit conſentire in electionem de ſe factam, ſub nullitate electionis. Ita communis DD. Et ſtatuitur in *cap. ſi Religioſus 27. hoc tit. in 6.*

9. Nota autem ſextò: quòd hujuſmodi licentiam poſſit dare ſuperior immediatus, v.g. Abbas, vel Præpoſitus, vel Prior; cùm is ſit verus ſuperior. Si hic recuſaret eam dare absque juſta cauſa; & tamen hoc exigat publica neceſſitas, & utilitas magna, cogi poteſt ab alio ſuperiore majori, v.g. ab Epiſcopo, vel Viſitatore, vel Provinciali; uti colligitur ex *cap. quamquam 18. hoc tit. in 6.* Sin autem nulla ſit publica neceſſitas, vel utilitas magna concedendi talem Religioſum ad Prælaturam alterius Conventûs, tunc cogi non poteſt, *arg. cap. ad aures 5. de tempor. Ordinand.* Et ratio eſt; quia ejuſmodi licentiæ conceſſio eſt quædam gratia; ad gratiam autem nemo cogi poteſt, *cap. precaria 4. cauſa 10. q. 2.*

10. Dico quartò: nullus Religioſus præfici poteſt alicui Eccleſiæ Cathedrali, absque Sedis Apoſtolicæ expreſſa licentia ſpeciali. Ita communis DD. Et habet *Clement. in plerisque, hoc tit.*

11. Dico quintò: Similiter nullus Religioſus Mendicans ex electione, poſtulatione, vel alia proviſione ad Prælaturam extra ſuum Ordinem, in diſcordia facta, acquirit ullum jus; neque tali electioni, aut proviſioni conſentire poteſt, etſi ſuperioris conſenſus accederet. Ita DD. communiter. Et patet ex *cap. quorundam 24. hoc tit. in 6.* Idem dicendum de Religioſo non Mendicante, qui à minore parte Capituli eligeretur; ut ſtatuitur in *eodem cap.*

12. Dico ſextò: Religioſus Ordinis Mendicantium hodie non poteſt etiam absque licentia Papæ aſſumi ad aliquam dignitatem extra Ordinem Epiſcopatu inferiorem. Ita DD. Regulares. Et liquet ex Extravag. *diſpendiis,* unica *de Poſtulat. Prælat.*

13. Nota ſeptimò: forma uſitata hodie electionis omnium Prælatorum Regularium eſt per modum Scrutinij, & ſchedulas ſecretas; etſi etiam non improbatus ſit modus eligendi Prælatum alicujus Religionis per compromiſſum, & communis quaſi inſpirationis Spiritûs S. cùm Concilium Lateranenſe *cap. quia propter, hoc tit.* omnes hos tres modos approbet.

14. Nota octavò: Prælati Regulares exempti ab Ordinarijs, & Papæ immediatè ſubjecti, à Summo Pontifice ſpecialiter confirmandi ſunt. Ita communis DD. & habetur *cap. ſi Abbatem 36. hoc tit. in 6.* Excipe niſi adſit generale privilegium Papale (uti adeſt pro Ordine FF. Minorum de Obſervantia, & Reformatorum) vigore cujus Generales eò ipsò, quòd ſint canonicè electi, cenſentur & confirmati per Papam. Non exempti confirmantur ab Epiſcopis, quibus ſubjacent. Generales verò Ordinum à Papa. Ratio eſt; quia ſolus Papa eſt horum immediatus ſuperior.

15. Nota nonò: pro Abbatibus canonicè electis, & confirmatis ordinatam eſſe quandam Benedictionem, ad ſimilitudinem Conſecrationis Epiſcoporum; in ea tamen non intervenit ſacri Chriſmatis unctio; Sed ſola manuum impoſitio deprecatoria: & hæc non imprimit ullum characterem, *can. 1. diſt. 69.* Et *can. manus, 1. q. 1.* Unde poteſt etiam dari Abbatiſſæ, *cap. meminimus 13.* Et *cap. de accuſat.* Clem. *attendentes §. ſtatuimus, de ſtatu Monach.* Ad faciendam hujuſmodi Benedictionem non requiritur duorum Epiſcoporum aſſiſtentia. Jure communi talis Benedictio ad Epiſcopum pertinet; uti colligitur ex *can. 1. diſt. 69.* Et *can. 1. de ſupplen. neglig. Prælat.* Poteſt tamen etiam à non Epiſcopis peragi, videlicet ab Abbatibus (modò Sacerdotes ſint) ſi v.g. Epiſcopus tertiò humiliter rogatus ſinè rationabili cauſa eam nollet impertiri; vel ſi abeſſet, & longo tempore non reverteretur; quo caſu Abbas neo-electus, & confirmatus exercere poterit functiones Abbatiales, *cap. cùm contingat;* & ibi Gloſſa *de ætat. & qualit. cap. 1. de ſupplen. neglig. Prælat.* Neque viget etiam ubique praxis ſuſcipiendæ ta-

Digitized by Google

dæ talis Benedictionis. Hæc Benedictio conferri poteſt non tantùm die Dominico; Sed quovis feſto: cùm Jure nil clarè expreſſum reperiatur; Gloſſa in Clem. 2. verbo *benedici, de ſtatu Monach.* Et Abbas, Pirhing, Tuſcus &c. DD.

CAP. X.

De Electione, Confirmatione, & Benedictione Præfectarum Regularium quarumcunque.

1. Dico primò: Electrices Canonicæ in Electione alicujus Abbatiſſæ, Præpoſitæ, aut alterius Præfectæ Regularis ſunt ſolæ Moniales profeſſæ. Ita communis DD. Et colligitur ex *cap. indemnitatibus 43. hoc tit. in 6.*

2. Dico ſecundò: Ut Monialis aliqua eligatur canonicè in Præfectam gubernatricem domûs Regularis, debet ad minus compleviſſe annum 30. Ita communis DD. Et habetur *cit. cap.* & 5. Religionis à profeſſione; uti ordinat Trident. *Seſſ. 25. cap. 7. de Reg.* ubi habentur ſequentia verba: *Abbatiſſa, & Prioriſſa, & quocunque alio nomine Præfecta, vel Præpoſita appelletur, eligatur non minor annis 40. & quæ 8. annis poſt expreſſam profeſſionem laudabiliter vixerit. Quod ſi his qualitatibus non reperiatur in eodem Monaſterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi poſſit. Si hoc etiam incommodum ſuperiori, qui electioni præeſt, videatur, ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & 5. ſaltem annis poſt profeſſionem rectè vixerint, Epiſcopo, vel alio ſuperiore conſentiente eligatur.*

3. Nota primò: Eligenda in Abbatiſſam, vel Præfectam Conventûs Sanctimonialium debet eſſe virgo; unde notoriè corrupta, & vidua nequit eligi; niſi cum diſpenſatione Apoſtolica; ut colligitur ex *can. ſi quis, 2. §. novimus, cauſa 1. q. 7.* Ubi dicitur, Mariam Magdalenam poſt converſionem, quamvis ſancta, & caſta eſſet, inter Diaconiſſas non eſſe computatam; id eſt Abbatiſſas; ut exponit Gloſſa in *can. Diaconiſſam 23. cau. 27. q. 1.* Et expreſſè habetur in *can. Juvenculas 12. ibi ſexagenariam, cau. 20. q. 1.* Si corruptio tamen eſſet privata, electio poterit permitti ad infamiam evitandam; ita Laym. Et probabile eſt poſſe diſpenſare ſuperiorem; ut habet Suar. &c. Eligenda pariter debet eſſe legitimè nata; ut habet Gloſſa in *cap. indemnitatibus*, verbô *Canonica.* Cum illegitimis tamen diſpenſare poſſunt ſuperiores Generales, & Provinciales Ordinis Mendicantium; ut habet Roder. *tom. 1. quæſt. Regul. 13. art. 22.*

4. Nota ſecundò: Electiones Abbatiſſarum, & aliarum Præpoſitarum Monialium ut ſint canonicæ, debent fieri pariter per vota ſecreta; uti conſtat ex *cap. indemnitatibus, hoc tit. in 6.* & quidem per Scrutinium, in quo vota, vel in ſchedulis ſecretis; vel ſolâ voce ſecretâ coram Præſidente ſolo, & ejus aſſiſtentibus dantur; uti praxis habet in Religione S. Franciſci de Obſervantia, & Reformat. & ordinant Conſtitutiones generales *cap. 11. §. 9.* Hujusmodi Præpoſitæ etiam eligi poſſent per compromiſſum; uti patet ex *cit. cap. indemnitatibus. Si ad Abbatiſſæ* (inquit *idem cap.*) *electionem per formam Scrutinij proceditur, & votis in diverſa diviſis electiones in diſcordia celebrari contingat, tunc ea, quæ à duabus partibus numerô electa eſt, non obſtante quacunque contradictione, vel appellatione partis alterius, ſi aliàs electio Canonica fuerit* (nempe ſervatâ formâ debitâ; & cadens ſuper dignam perſonam; ut advertit Gloſſa: verbô *Canonica*) *à ſuperiore confirmari debet, atque Confirmata Benedictio impendi, ſi Abbatiſſa ſit, premiſſa tamen prout ex officio tenetur, diligenti examinatione. Si verò neutra earundem electionum (ad quas proceſſum fuit per formam Scrutinij) à duabus partibus fuerit facta, ſive duæ partes Monialium in unam non conſenſerint, tunc poſſunt Moniales, quæ in aliam, vel alias vota ſua direxerunt etiam poſt publicatum Scrutinium, & factum electionem, mutatâ ſententiâ illi per ſuffragia ſua accedere, quæ à majori parte totius Capituli eſt electa; dummodo id fiat in continenti, antequam ad actus extraneos divertant, & omni pravitate ceſſante: quando per hujusmodi acceſſum pervenitur ad duas partes, illa confirmari, ac benedici debet, perinde, ac ſi ab initio duas partes habuiſſet; & non obſtante contradictione, exceptione, vel appellatione alterius partis ſi ad illam, quæ à majori parte electa fuit, aliæ Moniales accedere nolint; vel ſi acceſſerint, ſed non tot, ut faciant cum aliis priùs in eam conſentientibus duas partes totius Capituli; hoc caſu ſuper objectis, quæ oppoſuerat pars altera, ſcilicet minor, & ſuper aliis, quæ in tali negotio ex officio ſunt inquirenda* (ſcilicet de forma electionis debita, & perſonæ electæ dignitate) *ſuperior antequam electionem confirmet, vel reprobet; debet plenè inquirere; ſed ſine ſtrepitu, & figura judicij: interim verò Electa authoritate hujus conſtitutionis in ſpiritualibus, & temporalibus liberè adminiſtrare poterit; ſic tamen ut de rebus Monaſterij nihil alienet, nec aliquam in Monialem quoquo modo recipiat.*

5. Di-

Digitized by Google

5. Dico tertiò: Præfecta neo-electa Monaſterij exempti, immediatè à Papa confirmari debet: Si verò Monaſterium ſit ſub juriſdictione Ordinis aliquorum virorum, tunc ipſa confirmari debet à ſuperiore Generali, vel Provinciali, vel alio Prælato talis Ordinis: Si tandem ſit ſub Epiſcopo, ab eodem confirmanda eſt. Ita communis DD. Ratio eſt; quia in hoc aſſimilatur Prælatis Regularibus. Et quia eandem debere à ſuo ſuperiore legitimè confirmari, patet ex *cap. ſæpe citato, indemnitatibus*; & quidem ad ſummum intra ſpacium unius anni, à die electionis computandi; niſi obſtet rationabile impedimentum, v.g. infirmitatis; vel quia abeſt Epiſcopus; vel quia vacat Sedes Apoſtolica; ut habetur in *Clement. 2. §. ſtatuimus, de ſtatu Monach.* & Gloſſa ibidem.

6. Nota tertiò: Præfectæ novæ perpetuæ benedici debent à ſuo ſuperiore, ſi mos benedicendi ipſas vigeat in Monaſterio tali. Præfectæ autem triennales de jure non ſunt benedicendæ, ex Conſtit. Gregorij XIII. anno 1585. editæ, niſi conſuetudo, vel ſtatutum Conventûs aliud ordinet. Benedictio Abbatiſſarum fieri poteſt quocunque die; ut habet Pirhing, & alij DD.

CAP. XI.

De electione, & confirmatione Abbatiſſarum Ord. S. Claræ, & aliarum Ordini Franciſcano ſubjectarum.

1. DIco primò: dies electionis Abbatiſſarum Ord. S. Claræ, & aliarum Præfectarum Monialium, ut Tertiariarum, &c. Ordini noſtro Franciſcano de Obſerv. & Reform. ſubjectarum intimandus eſt Epiſcopo, & is uſque ad illum diem expectandus, atque ad Electionis locum, & actum admittendus. Ita Lantuſca, & Sanctor. Et habetur in Conſtit. Gregorij XV. quæ incipit. *inſcrutabilis*. Et declaratione S. Congreg. Cardinal. Concilij Trident. Interpretum, edita Romæ anno 1626. quam affert P. Lantuſca *in Theat. Reg.* ver. *Abbatiſſa*. Et ſtatuitur in Conſtitutionibus Generalibus Ordin. *cap. 11. §. 9. n. 3.* In quibuſdam tamen Provincijs, maximè Germaniæ, immemorabili conſuetudine practicatur contrarium licitè.

2. Dico ſecundò: Epiſcopus tamen præſens præfatæ electioni Abbatiſſarum, & aliarum Præfectarum Monialium nequit exquirere, nec recipere vota Monialium; Sed illa exquirere, & recipere debet ſuperior Regularis Ordinis noſtri. Ita Lant. Sanct. & alij DD. Ordinis. Et conſtat ex declaratione S. Congreg. Cardinal. Concilij Trident. Interpretum, edita anno 1650. die 10. Septemb. Similiter non poteſt Epiſcopus in privato Scrutinio, ſeu conferentia, quæ ſolet præmitti actui electionis, inveſtigare, & explorare vota Monialium pro Abbatiſſæ electione futura; ut reſolutum eſt à S. Congregatione anno 1628. die 4. Octob. reſolutionem hanc vide per extenſum apud Lant. in *Theat. Reg* ver. *Abbatiſſa*.

3. Nota primò: præfigere tempus, ſeu diem, & diei horam Electionis Abbatiſſæ pertinet ad ſuperiorem Regularem; non autem ad Epiſcopum; ut notat Sanct. ſuper Conſtitutiones Generales *cap. 11.* Et ſi Epiſcopus præfixo die & horâ non compareat per ſe, vel ſuum Commiſſarium; aut indulgendo ſuis commoditatibus, vel negotijs nimias moras uſque verſus noctem protrahat; licitè ſuperior Regularis ad electionem procedere poteſt: non enim debet talis graviſſima actio ab effectibus, & reſolutionibus Epiſcopi dependere; ut notat idem Sanct. Et quia aliàs electio fieri deberet de nocte; quod in Monialibus cenſet nefas, & ſcandalum Conzalez.

4. Nota Secundò: Epiſcopus præſens electioni Abbatiſſarum, & Matrum Ordini ſubjectarum, non habet jus eas ſolemniter confirmandi; Sed hoc pertinet ad ſuperiorem Regularem; ut habet antiqua & inconcuſſa praxis Ordinis; & notat Sanct. & Azor. Eſtque Ratio; cùm Epiſcopus nullum jus aut juriſdictionem habeat in Moniales noſtras exemptas; & confirmatio, ſit ſolemnis Juriſdictionis actus. Quando ergo in Bulla *cit.* Gregorij XV. & Decreto S. Congregationis Cardinal. Concilij Tridentini pariter *cit. pro 1. Concluſione*, datur facultas Epiſcopo præſidendi in actu Electionis, ly *præſidere* ſecundùm Sanctor. & Nebr. in Lexico Juris apud Joan. Calvin. ver. *Præſes* importat ſolam directionem, ut nimirum Electio quietè, & pacatè procedat; atque ne aliqua violentia, vel defectus in ea committatur. Non habet pariter Epiſcopus Jus in caſu diſcordantium votorum inſtituere unam Præfectam, quæ aliàs haberet qualitates requiſitas; ſed hoc ſpectat ad Superiorem Regularem, ad quem tunc devolvitur Electio; uti declaravit S. Congregatio Epiſc. anno 1585. die 20. Nov. Unde is nullâ habita relatione ad Epiſcopum ejuſmodi inſtitutionem facere poteſt, ſecun-

dùm Sanctor. Piaſec. Barboſ. &c. Si intra tempus præfixum non concordaverint Moniales.

5. Nota tertiò: quamvis Portel, & Sanctor. putent ſuperiorem Regularem Ord. Minorum poſſe ſuffragari, & dare votum electivum in Electione Abbatiſſæ Matris, aut alterius Præfectæ Ordini ſubjectæ: contrarium tamen conſtat ex quadam deciſione S. Congregationis Cardinalium Concilij Trident. Interpretum, edita anno 1621. die 23. Maji, quam dicit in regiſtro hujus Congregationis haberi P. Lantuſca *cit.* Electio Abbatiſſarum Ordini noſtro ſubjectarum facta ſinè intimatione Ordinarij, eſt nulla; uti conſtat ex declaratione Cardinal. Concil. Trident. edita anno 1600. teſte Lant. Quod verum eſt, ubi Epiſcopus eſt in poſſeſſione poteſtatis aſſiſtendi Electioni præfatæ.

6. Dico tertiò: in electionibus Abbatiſſarum, & Matrum Ord. S. Claræ, & Tertiariarum ſubjectarum Ordini ſolæ Clericæ, quæ duos in Ordine compleverunt annos poſt profeſſionem, habent votum electivum; non autem Laicæ, ſeu converſæ. Ita Tambur. Lant. &c. Et ita ordinant Conſtitutiones generales Ord. *cap. 11. §. 9. n. 6.* Eſtque Ratio; quia converſæ recipiuntur ad Ordinem ut ſerviant; non autem ut exerceant jura honoraria; ut notat Tamburin.

7. Dico quartò: eligenda in Abbatiſſam Ordinis S. Claræ, aut Præfectam, ſeu Matrem Tertiariarum, aut alterius Inſtituti Ordini ſubjectam, debet habere ætatem canonicam, à Tridentino Concilio taxatam; eſſe legitimo thoro nata; non notoriè corrupta; vel ex maculato ſemine deſcendens; non vidua; potens ſequi vitam communem; & probæ vitæ. Ita ſentiunt communiter DD. pro eligenda in Abbatiſſam, aut Præfectam aliarum Monialium, ut Gloſſa, &c. Primum de ætate Canonica patet ex Trident. *Seſſ. 25. cap. 7. de Regul.* ſupra *cap. 10. pro concl. 2.* relato, quod loquitur univerſaliter pro omnibus prorſus Ordinibus Sanctimonialium. De reliquis conditionibus patet à paritate aliorum Ordinum Monialium, quæ communiter requirunt illas conditiones pro Abbatiſſa eligenda; & patent ex varijs capitulis Juris, ut *can. ſi quis cau. 1. q. 7.* Et *can. Juvenculas cau. 20. q. 1.* Et *cap. indemnitatibus 43. de elect. in 6.* Et alijs juncta Gloſſa.

8. Nota tamen quartò: Superiores majores Regulares Ordinis, ut Generalis & Provincialis, etiam independenter à Capitulo poſſe diſpenſare cum Monialibus defectum natalium patientibus, viduis, & alijs, aliquô prædictorum defectuum vitiô laborantibus, ut licitè eligi poſſint in Abbatiſſas; uti ex conceſſione Leonis X. Et Gregorij XIV. probat Roderiq. *tom. 1. quæſt. reg. q. 13. art. 22.* Imò idem Author, Portel, & Miranda planè volunt, ſimiles Moniales non egere ullà diſpenſatione: cùm Canones in oppoſitum adducibiles loquantur duntaxat de viris incapacibus, quòd hi nimirum egeant diſpenſatione Apoſtolicâ ad electiones Prælaturarum; eò quòd hæ habeant annexam poteſtatem ſpiritualem, cujus fœminæ non ſunt capaces; ac proinde has ajunt ſinè diſpenſatione eligi poſſe. Verùm ſecurior eſt altera opinio, quæ aſſerit ipſas egere diſpenſatione Generalis, vel Provincialis.

9. Dico quintò: electiones Abbatiſſarum Clariſſarum, & aliarum Monialium ſubjectarum Ordini fieri debent à Præſide Regulari, extra ſepta Monaſterij conſtituto ad crates; non verò intrà; & inſuper aſſiſtentibus ſibi duobus alijs viris probatis. Ita ordinant Conſtitutiones Ordinis *cap. 1. §. 9. num. 3.*

10. Dico ſextò: eædem electiones fieri debent per ſecreta vota; ita ut eligentium nomina nunquam publicentur: aliter electio facta eſt nulla: ſuffragia verò non per ſchedulas; Sed oretenus dari debent, ſecundùm veterem Religionis conſuetudinem. Ita ſtatuunt eædem conſtitutiones *loc. cit. n. 4.*

11. Dico ſeptimò: Abbatiſſæ præfatæ, & aliæ Præfectæ, aut annuales, aut biennales, aut triennales, pro conſuetudine cujuſcunque Monaſterij ſint; triennium autem nullo modo excedant. Ita mandant eædem Conſtitutiones Generales *loc. cit. n. 8.* Et Bulla Gregorij XIII. In quibuſdam tamen Monaſterijs ultramarinis conſuetudo vetus obtinuit, ut ultra triennium durent ejuſmodi Præfectæ in officio.

CAP. XII.

De Electione Summi Pontificis.

1. NOta primò: cùm Salvator noſter JESUS Chriſtus Divinus Pontifex Eccleſiam ſuam ordinaverit in terris inſtar Ovilis viſibilis, duraturi usque ad conſummationem ſæculi; proinde in eo ſemper etiam debet durare, & reſidere determinatus unus Paſtor ſupremus Viſibilis, D. Petri Succeſſor, & Vicarius Chriſti in eodem Ovili Eccleſiæ, qui Oves regat, & *quarum curam* (inquit S. Chryſoſtomus *lib. 2. de ſacram*) *tum*

Petro,

Digitized by Google

Petro, tum Petri Succeſſoribus committebat Chriſtus. Et hic vocatur *Summus Pontifex* à Chriſtianis Catholicis; & ſic eum nominat tum S. Gregorius Mag. *lib. 1. cap. 4. Dialog.* Et S. Anſelmus in *præfat. lib. de Incarnat. Verbi.* Et S. Bernardus in varijs Epiſt. ad Rom. Pontifices. De cujus primatu, & ſucceſſione vera in Cathedra D. Petri vide, quæ dico *in Schola mea Theol. tom. 4. tract. 1. diſt. 3. q. 9.* Et infra *tit. 31. cap. 4.* Et hic Summus Pontifex eſt ipſe Romanus, & univerſalis Epiſcopus, ac Papa canonicè electus.

2. Nota ſecundò: circa Electores Canonicos Summi Pontificis, aliter olim; aliter nunc eſt diſpoſitum. Olim Apoſtolorum tempore is eligebatur à Clero, ſeu collegio Clericorum tantùm, inſciô Populô, teſte Bellarmino *lib. 1. de Cleric. cap. 7.* Deinde in ejus Electione etiam adhibebatur populus aliquando, ad teſtimonium ſolum ferendum de eligendis; aliquando etiam ad nominandum; unde populo nominante, & poſtulante à Clericis Papa eligebatur, ut ita populus magis eum diligeret, & revereretur. Sed hoc ob plures ſecutas confuſiones deinde fuit abrogatum. Rurſus cùm tractu temporis Eccleſia ob graviſſimas perſecutiones indigeret Imperatorum Patrociniô, eadem Eccleſia excluſô Populô indulſit, ut de eorundem Imperatorum conſenſu, & voto à Clero eligeretur Papa, ac ab ijsdem Cæſaribus Romæ confirmaretur; uti colligitur ex decreto Nicolai II. in Conc. Cartag. quod refertur in *c. 1. diſt. 23.* & hic modus eligendi perſeveravit usque ad Conſtant. IV. Cæſarem, qui deinde Juri prædeceſſorum ſuorum ceſſit, teſte Platinâ: ſicque Jus eligendi Summum Pontificem relictum eſt penes ſolum Clerum. Etiam Carolo Magno Adrianus I. & Ottoni I. Leo VIII. tribuêre jus eligendi Summum Pontificem; uti patet ex *Can. Adrianus, diſt. 63.* Et *can. in Synodo.* Sed huic Juri paulò poſt renunciavit tum Ludovicus Caroli filius, tum Otto; uti conſtat ex *can. Ego Ludovicus, diſt. 63.* Tandem hoc Jus ſtabiliter remanſit ſoli nobiliſſimæ parti Collegij Clericorum, videlicet ſolis Cardinalibus S. R. E. ut videre eſt in varijs Bullis; nam ipſi velut Capitulum Eccleſiæ Romanæ repræſentant. Unde ab anno 1279. usque modò omnes Summi Pontifices à ſolis Cardinalibus electi fuêre, citra omnem difficultatem, juxta Decretum Alexandri III. promulgatum in Concil. Lateran. ut habetur in *cap. licet, de Elect.* Ex quo colligitur etiam, quod jam ante id tempus à Cardinalibus facta fuerit Electio Papæ; quia tantùm in eo determinat Papa memoratus duas Cardinalium partes requiri, & ſufficere, ut quis legitimus Pontifex habeatur. Ita Barboſa *de poteſt. Epiſc. part. 1.* Tholoſanus, Baron. Streinius, & alij DD.

3. Nota tertiò: Si aliquo caſu fatali v. g. contagionis, vel belli totum collegium extingueretur, tunc Jus eligendi Sum. Pontificem vel devolveretur ad Clerum Romanum, uti putat Hoſtienſis, & Abbas; vel ad ſolos Canonicos Eccleſiæ Lateranenſis, utpote in qua Eccleſia Pontifex olim Cathedram, & Sedem habuit, & quæ eſt Mater omnium Eccleſiarum Urbis, & Orbis; ut vult Pirhing, & Azor; vel ad vicinos Romæ Epiſcopos; ut vult Bellarm. & Streinius; vel ad Generale Concilium, ut arbitratur Decius: cùm hoc totam Eccleſiam repræſentet. Si in caſu fatali ſaltèm duo Cardinales remanerent vivi, unus poterit alterum in Papam eligere; modò electus ſit aliàs idonea perſona; ut habet Pirhing. Si autem unicus duntaxat ſuperſtes maneret, is ſolus haberet poteſtatem eligendi; non tamen ſeipſum poſſet eligere.

4. Nota quartò: Electio Summi Pontificis jure veteri celebrari poteſt quatuor modis legitimis; uti patet ex Conſtitutione Gregorij XV. incipit *Patris æterni.* Scilicet *primò* per viam Spiritûs S. ſeu quaſi inſpirationem; ita ut nullo præcedenti tractatu de ſpeciali aliqua perſona, omnes Cardinales Conclavis intelligibili voce proferant ly *eligo*, aut ſcriptô id exprimant. *Secundò*, per compromiſſum, ab omnibus Cardinalibus præſentibus in conclavi initum. *Tertiò* per Scrutinium. *Quartò* per acceſſum. Ex his modis ille per Scrutinium, & ſchedulas ſecretas uſitatior eſt; ut annotat Strein. In hoc duæ partes ſuffragiorum ex tribus partibus Cardinalium concurrere debent, ut Canonica ſit electio Papæ; ut habet citata Conſtitutio Gregorij XV. edita anno 1621. in cujus obſervationem jurarunt Cardinales. Item ipſa fieri debet in Conclavi clauſo; ut habet eadem Conſtitutio; & ejusdem confirmatoria, edita ab Urbano VIII. incipit, *ad Roman.*

5. Nota quintò: vota Cardinalium votantium ſolent calici in altari collocato imponi à votantibus Cardinalibus, quæ primus Cardinalium Epiſcoporum, & primus Cardinalium Diaconorum extrahunt fortuitò; & primus Cardinalium Diaconorum legit; reliqui verò omnes notam apponunt ei, qui promulgatur. Si adſit incluſiva votorum, ſeu duæ partes eorum ex tribus pro aliquo, is electus cenſetur, & ſtatim promulgatur Electio ejus. Si paria ſint vota, tentatur electio

Digitized by Google

per acceſſum, ut fiant duæ partes: Si per hunc non ſequantur duæ votorum partes, receditur quaſi re infecta; nam unicum Scrutinium pro die ſolet admitti. In acceſſu Cardinalis accedens ad Electum ait, *ego accedo ad Reverendiſſimum Dominum N. eumque facio Papam.* Secutâ autem Electione Canonica, collocatur Neo-Electus Papa in throno, ornatur annulô Piſcatoris, nomen exquiritur, & is tandem ea, quæ à Cardinalibus antè electionem decreta fuêre, confirmat, & obſignat. Ita Azorius, Strein. &c.

6. Nota ſextò: Sum. Pontifex Canonicè electus, ſi non ſit Epiſcopus, conſecratur à Cardinali Oſtienſi; ſi verò jam conſecratus ſit, non eget aliâ conſecratione. Non confirmatur ab ullo; quia non acquirit ſuam Jurisdictionem ſupremam in totam Eccleſiam ab Electoribus Cardinalibus; Sed ea confertur ipſi immediatè à Chriſto, & vi promiſſionis, atque inſtitutionis Sancto Petro, ejusque Succeſſoribus factæ *can. 1. diſt. 23.* Et *cap. novit 12. de judiciis*: imponitur ei tamen triregnum, ſignans forſitan triplicem poteſtatem, Ordinis ſcilicet; jurisdictionis ſupremæ ſpiritualis; & jurisdictionis temporalis. Ad ejus Electionem non ſunt neceſſariò vocandi Cardinales abſentes; Sed tantùm expectandi per decem dies, qui computantur à die mortis, quia illa non præſumitur poſſe occultari; ita Gloſſa, Joan. Andreas &c. Exactis decem diebus concludunt ſe præſentes Cardinales in Conclavi; uti ordinatur *cap. ubi periculum 3. hoc tit. in 6. Si intra tres dies poſteaquam Conclave intraverint, Eccleſiæ de paſtore non fuerit proviſum* (inquit *cit. cap.*) *per ſpacium quinque dierum ſequentium ſingulis diebus tam in prandio, quàm in cœna unô ſolô ferculô ſint contenti: quibus (proviſione non factâ) decurſis, ex tunc tantummodo panis, vinum, & aqua miniſtrentur eisdem, donec eadem proviſio ſubſequatur: Si alij abſentes Cardinales* (proſequitur *cit. cap.*) *ſupervenerint, re integra, videlicet antequam eidem Eccleſiæ ſit de Paſtore proviſum, in eodem negocio, in illo ſtatu, in quo ipſum invenerint, admittantur.*

7. Nota ſeptimò: Sum. Pontifex Canonicè electus, & præconizatus acquirit Summam poteſtatem Spiritualem in totum orbem Chriſtianum; de quo infra *tit. 31. cap. 4.* Item eidem advenit poteſtas temporalis vaſta valde; nam directum hodie habet dominium temporale Papa in totum ſtatum Eccleſiæ; puta in Urbem Romanam, Latium, agrum Beneventanum, Comitatum Avinionenſem, Ducatum Ferrarienſem, Comachiam, Flamineam, Agrum Bononienſem, Sabinum, Peruſinum, Marcam Anconitanum, Umbriam cum parte Hetruriæ, Ducatum Spoletanum, partem Exarchatus Ravennenſis, Patrimonium S. Petri, Flaminium &c.

8. Nota octavò: Papæ noviter electi à tempore Sergij (qui prius vocabatur *Os porci*) mutant nomen baptiſmale: quæ tamen mutatio non eſt de aliqua obligatione: quia in principio Eccleſiæ non fiebat talis mutatio, nec extat ullum præceptum de ea inſtituenda. Fit autem, uti puto, exemplô S. Petri, qui prius vocabatur Simon, & deinde à Salvatore noſtro vocatus fuit Petrus, ut ſuper hanc Petram ædificaretur Eccleſia.

CAP. XIII.

De Electione Imperatoris.

1. Nota primò: cùm Jus Canonicum *cap. venerabilem 34. hoc tit.* pariter tangat Electiones Imperatoris Romani, & ad Papam pertineat de qualitatibus Imperatoris electi, an ſit idoneus, id eſt Catholicus, & non inimicus Eccleſiæ, excommunicatus, idoneus ad gubernium Imperij &c. inquirere: propterea quoque breviter de ea hic agam. Sciendum autem primò: Imperium Romanum authoritate Sedis Apoſtolicæ olim à Græcis tranſlatum fuiſſe in Carolum Magnum Germanum, nativum prope Moguntiam, natum ex Pipino Francone Orientali, & conſequenter Germano; ut habet Sigebertus, Pirhingus, Bellarm. Garzias, & alij apud Laym. hic. *n. 1.* & conſtat ex *cit. cap. venerabilem*: nam cùm Imperatores Græci Eccleſiam Romanam in Occidente à Longobardis, ac alijs hoſtibus partim nec poſſent, partim nec vellent defendere; eò quod eſſent Iconomachi; ideo Leo III. Papa Imperium Romanum tranſtulit in Carolum Magnum Occidentis Magnatem Germanum, illúmque coronavit Imperatorem anno Domini DCCXCI. juxta Gloſſam hìc, verbô *tranſtulit*; vel veriùs ſecundùm Hiſtoricos, annô DCCC. De electione porrò ejus Succeſſorum Cæſarum in Occidente

2. Nota ſecundò: ab initio tranſlati Imperij Romani in Germanos omnes Principes Germaniæ juxta Sedis Apoſtolicæ conceſſionem, qui volebant, poterant ad Imperatoris Romani electionem concurrere, & votare; uti liquet ex *cit. cap. venerabilem.* Deinde verò poſteris temporibus ſeptem duntaxat Electores ejus ſunt deſignati, & ſtabiliti ab eadem Sede Apoſtolica; tres ſcilicet Eccleſiaſtici, & quatuor ſæculares; uti patet ex Clement

ment. *Romani*, unica, *de jurejurando*: idque ſtatutum eſt vel à Gregorio V. Papa, ut putat Azor. vel ab Innocentio IV. ut autumant Baron. Pirhingus, & alij. Præfati porrò Electores ſunt Archi-Epiſcopus Moguntinus, qui eſt ſimul S. R. I. Archi-Cancellarius per Germaniam; & Archi-Epiſcopus Coloniensis, qui eſt Archi-Cancellarius per Italiam; & Archi-Epiſcopus Trevirenſis, qui eſt Archi-Cancellarius per Galliam; & Rex Bohemiæ, Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgenſis; Sed & hic numerus Electorum immutatus fuit; nam ſub Ferdinando II. Imper. expunctô Palatinô Rheni de linea Rudolphinâ, ejus locô Elector Conſtitutus fuit Dux Bavariæ de linea Guilhelmiana; ſed rurſus ſub Ferd. III. Cæſ. vigore Inſtrumenti pacis Cæſareo-Suecici, Oſnabrugis Weſtphalorum conditi, reaſſumptus fuit ad Electoralem dignitatem Comes Palatinus Rheni, ſicque octo Electores evaſêre.

3. Nota tertiò: in Bulla Aurea (edita pro Rom. Imperatoris electione, &c) ordinatur, ut Elector Moguntinus ſuis literis intimet electionem Imperatoris Romani alijs Electoribus, ab eiſdem Francofurti ad Mœnum intra tres menſes peragendam. Conditiones neceſſariæ eligendi in Imperatorem Romanum ſunt, ut ſit natione Germanus; ut habet Abbas in *cap. venerabilem*, Azorius, Pirhingus, &c. nam in *eodem cap.* & Clement. *Romani* dicitur, quòd *Apoſtolica Sedes Romanum Imperium à Græcis tranſtulit in perſonam Caroli Magni ad Germanos.* Debet præterea eſſe potens, ut Eccleſiam Catholicam poſſit defendere; ita Azorius, Pirh. &c. Debet eſſe Catholicus, non hoſtis Eccleſiæ, idoneus ad adminiſtrationem Imperij, & non excommunicatus, ut patet ex *cap. venerabilem.* Si omnes Electores indignum eligant in Imperatorem, monendi ſunt à Papa, ut aliam celebrent electionem: Si hoc negligant, Summus Pontifex poteſt providere de alio ſupremo Principe, *arg. cap. venerabilem.* Si autem aliqui tantùm indignum eligant; reliquorum qui dignum deſignârunt, Electio eſt canonica, & conſervanda à Papa; ut habet Azorius, & colligitur ex *cit. cap. venerabilem.*

4. Nota quartò: Imperator legitimè electus, id eſt, per majorem partem, ſcilicet hodie per 5. vota, per ſolam electionem acquirit Jus adminiſtrandi Imperium; ut habet Bulla Aurea; & tenent Imola, Gloſſa, Abbas &c. Imperator debet ſacro oleo inungi in brachio, vel humero; uti habetur *cap. venerabilem*; idque vel per Papam, vel alium ex privilegio Papæ. Item debet coronari poſt inunctionem; ut patet ex eodem *cap.* Et hoc à Papa, vel ejus delegato.

TITULUS VII.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI.

CAP. I.

De quidditate, authore, cauſis, & modo Tranſlationis Epiſcopi.

1. Nota primò: duobus modis promovendi ad Prælaturam, ſeu dignitatem Eccleſiaſticam in ſuperioribus *duobus titulis* relatis adjungitur rectè hic *tertius* de Tranſlatione Epiſcopi; de qua *hoc tit.* Unde

2. Dico primò: ritè deſcribitur Tranſlatio Epiſcopi, quòd *ſit mutatio Epiſcopi de una Sede Epiſcopali ad aliam, facta authoritate Summi Pontificis, juſta & legitima de cauſa.* Ita colligitur ex *can. mutatio*; Et *can. ſuas.* Et *can. ſicut vir. 7. q. 1.* Poſſe autem aliquando juſta de cauſa inſtitui hujuſmodi Tranſlationes patet, tum ex perpetua Eccleſiæ praxi: tum ex facto D. Petri Apoſtoli, qui ex Sede Antiochena ſe tranſtulit ad Sedem Epiſcopalem Romanam; uti habetur *can. beati Petrus, & Paulus, 2. q. 7.*

3. Nota ſecundò: ex hac deſcriptione haberi primò, quòd legitima Tranſlatio Epiſcopi debeat fieri ab una Sede ad aliam Epiſcopalem Sedem, ſeu Eccleſiam; & non ad minorem aliquam prælaturam, v. g. Præpoſituræ, vel Archidiaconatûs, &c. Ratio eſt; quia aliàs Tranſlatio talis fieret cum notabili præjudicio ſtatûs Epiſcopalis, ex ſe aliàs digniſſimi.

4. Nota tertiò: habetur ſecundò ex eadem deſcriptione, quòd Tranſlatio Epiſcopi nequeat inſtitui authoritate privata: Tum quia ita habetur *cap. de Clericis:* tum quia per hoc præcavetur ambitionis, & avaritiæ occaſio, *can. Epiſc. 8. q. 1.* Tum quia vinculum matrimonij ſpiritualis, quod Epiſcopus cum

Digitized by Google

priori Eccleſia contraxit, privatâ authoritate diſſolvi nequit; uti colligitur ex *cap. inter corporalia, hoc tit.* Ad ſolum itaq; Summum Pontificem pertinet authoritas transferendi Epiſcopos; ut habetur *eodem cap.* Et *can. ſicut, in fine.* Unde ſi quis Epiſcopus propriâ authoritate inſtitueret ſui translationem ad aliam Eccleſiam, nec in prima, nec in ſecunda manere permittendus eſt; ſed debet utrâque carere, *cap. quanto 3. hoc tit.* Sed ad hoc inſtitui debet proceſſus, & ſententia privationis ritè ei infligi; utì colligitur ex *can. ſi quis Epiſcopus 31. can. 7. q. 1.*

5. Nota quartò: ex eadem deſcriptione patet, ad translationem Epiſcopi præerequiri cauſam rationabilem, ac legitimam; ſicut enim matrimonium carnale diſſolvi nequit, abſque graviſſima cauſa; ita neque ſpirituale inter Epiſcopum, & Eccleſiam, *can. ſicut vir. 7. q. 1.* Et *cap. inter corporalia, hoc tit.* Rationabilis porrò, juſta, & legitima cauſa eſt, *primò* manifeſta neceſſitas Eccleſiæ; ut ſi Epiſcopus ob hoſtiles perſecutiones in propria Eccleſia tutè ſubſiſtere nequeat, *can. temporis, 7. q. 1.* *Secundò* manifeſta utilitas Eccleſiæ; ut ſi Epiſcopus in alia Eccleſia uberiores fructus facere poſſet: qua ratione S. Petrus Translatus de Antiochena Eccleſia ad Romanam, ut ubi caput ſuperſtitionis erat, illic fieret caput ſanctitatis, & Religionis, ſicque ipſe Princeps Apoſtolorũ eradicaret idololatriam in capitali Urbe. *Tertiò* pax, & concordia; ut ſi Epiſcopus in una Sede nulla ratione poſſet convenire cum terreno Principe, ob innatum odium erga eundem Præſulem; ita colligitur ex *can. mutationes 34.* Et *c. ſeq. can. 7. q. 1.*

6. Nota quintò: Translationem ex motivo utilitatis communiter debere fieri ad majorem Eccleſiam; non ad minorem; ita *can. legimus 24. in fine, diſt. 93.* Ratio eſt; quia tranſitus ad minorem Eccleſiam decens non videtur. Attamen Papa, & in hoc ſolet diſpenſare gravi de cauſa, ut v. g. de Archi-Epiſcopali Sede quis ſeſe transferre valeat ad Epiſcopalem, minorem dignitate; licet difficiliùs *cap. 1. hoc tit.*

7. Nota ſextò: etiamſi aliquis Epiſcopus necdum eſſet conſecratus, modò ſit canonicè electus, & confirmatus, is abſque Papæ facultate, & diſpenſatione tranſire nequit ad aliam Eccleſiam; utì colligitur ex *cap. corporalia, hoc tit.* Ratio eſt, *quia* (ut loquitur *cit. cap. cum Electo Epiſcopo etiam ſpirituale conjugium jam eſt initum poſt Canonicam confirmationem.*

CAP. II.
De Effectibus Translationis Epiſcopi.

1. Dico primò: Inter Epiſcopum, & Eccleſiam legitimè de una Sede ad aliam translatum authoritate Papæ diſſolvitur totaliter Matrimonium cum priori Eccleſia, ita ut totaliter liberetur ab ea, & nihil Juris in eadem retineat: conſequitur autem Jus in alteram Eccleſiam, ac ſi per electionem ejus ſponſus factus fuiſſet. Ita Cald. Vall. Pirh. & communis. Et habetur in *cap. 2. hoc tit.*

2. Nota primò: Papa poteſt etiam invitum legitimè transferre de una in aliam Eccleſiam, ſi adſit neceſſitas graviſſima, aut communis Eccleſiæ utilitas. Ita colligitur ex *can. mutationes. 7. q. 1.* Huc etiam facit gravis obligatio obedientiæ, quâ quivis Epiſcopus ſeſe obſtrinxit Summo Pontifici. Item textus in *cap. 6. infra de ætate & quali. præficiend.* Quo caſu tenetur translatus conſentire. Quòd ſi tamen translatus non conſentiret, nullum ſequeretur conjugium ſpirituale inter ipſum, & novam Eccleſiam; quia ad ejus valorem omnino requiritur conſenſus, *cap. cùm inter 2. de Elect.* ubi dicitur, *ut per mutuum conſenſum eligentium, & electi, quaſi conjugale vinculum ſpiritualiter ſit contractum.*

3. Quæres primò: qualiter intelligendus ſit textus Innocentij III. qui in *hoc tit. cap. 2.* refertur, quòd conjugium hoc ſit fortius carnali; cùm tamen carnale difficiliùs ſolvatur, quàm hoc ſpirituale, utpote quod varijs modis, puta translatione Apoſtolica (de qua hìc) renunciatione, & depoſitione ſolvi poteſt? Reſpondeo, ideo, vel quia conjugium Epiſcopi cum aliqua Eccleſia operatur fortius, imprimendo characterem, qui etiam poſt mortem manet: vel quia ſolius Papæ authoritate diſſolvi poteſt; carnale verò mutuo conſenſu conjugum, quô profiteri poſſunt Religionem, etiam poſt conſummationem, diſſolvi poteſt: & à fortiori ratum, per ingreſſum Religionis; ut habetur *cap. ex publico, de conv. conjug.*

4. Quæres ſecundò: cur idem conjugium ſpirituale Epiſcoporum ab eodem Innocentio III. *cit. cap.* dicatur non humana; Sed divina duntaxat authoritate diſſolubile; cùm tamen à Papa ſolvatur actu translationis eorum ad alias Eccleſias? Reſpondeo ideo; quia conjugium Epiſcoporum cum ſuis Eccleſijs à ſola Pontificia authoritate, non ab hominibus; ſed à Chriſto immediatè accepta Matth. 16. & Joan. ult. diſſolvi poteſt; utì etiam habetur *cit. cap. 2.* Et *3. hoc tit.*

TI-

Digitized by Google

TITULUS VIII.

DE AUTHORITATE, ET USU PALLII.

CAP. I.

Quid ſit Pallium; à quo procedat; & quis ejus effectus.

1. NOta primò: quibusdam Prælatis, qui Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas, vel per poſtulationem, vel electionem, vel translationem aſſequuntur, competit jus Pallij; quare de eo *hoc tit.* diſſerendum judicavit Sum. Pontifex.

2. Dico primò: bene deſcribitur Pallium, quòd *ſit principale ornamentum Eccleſiaſticum eminentiorum Epiſcoporum, de corpore B. Petri Apoſtoli ſumptum, à Summo Pontifice collatum, Pontificalis officij plenitudinem conferens.* Hæc deſcriptio eruitur ex *cap. ſignificaſti 4. de Elect.* junctô *cap. niſi ſpiritualibus 3. hoc tit.* circa quam

3. Nota ſecundò: Pallium omnino eſſe præcipuum Inſigne dignitatis eminentiorum Epiſcoporum, cujusmodi ſunt Archi-Epiſcopi, Primates, Patriarchæ, & Papæ: quod dicitur ſumi de corpore B. Petri juxta *cap. cit. ſignificaſti*, ubi habetur, *cùm igitur à Sede Apoſtolica veſtræ Inſignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri tantùm corpore aſſumuntur* &c. ideo autem de corpore B. Petri ſumi perhibetur, quia benedicitur, & conſecratur à Papa ſuper aram D. Petri Romæ, & inde traditur Archi-Epiſcopis præſentibus, aut eorum procuratoribus; ut putat Gloſſa, & Barboſa in *cit. cap. ſignificaſti.* Vel quia hujusmodi Pallium indicat veluti particulam poteſtatis Pontificiæ, collatâ eminentioribus Epiſcopis, quæ derivatur ex corpore D. Petri; id eſt de univerſali regimine Eccleſiæ, quæque in S. Petro, ejusque Succeſſoribus Summis Pontificibus reſidet; ut diſcurrit Hoſtienſis, & alij DD.

4. Nota tertiò: Pallium præfatum à ſolo Summo Pontifice authoritate propriâ confertur alijs Eminentioribus Eccleſiæ Epiſcopis; ut dicitur *cap. ſignificaſti, hoc tit.* etſi olim etiam ex privilegio Papæ quatuor principales Patriarchæ, ut Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, & Jeroſolymitanus, poſtquam id à Sum. Pontifice Romano acceperant, præſtitô prius eidem fidelitatis, & obedientiæ juramentô, licitè ſuis ſuffraganeis dare potuerint; ut habet Gloſſa, & Abbas: quod privilegium hodie extinctum eſt; ac proinde Pallium à Sum. Pontifice confertur; ut obſervat Azorius, Pirhingus, &c.

5. Nota quartò: Pallium dicitur demum conferre Pontificalis Officij plenitudinem in ſua Provincia; unde Archi-Epiſcopus ante ejusdem collationem, ſeu obtentionem, etſi jam eſſet confirmatus, & conſecratus, nequit ſe nominare Archi-Epiſcopum, nec exercere illa, quæ ſunt propria Officij Archi-Epiſcopalis; cujusmodi ſunt viſitare Provinciam, convocare Concilium provinciale, Epiſcopos conſecrare, dedicare Baſilicas, conficere chryſma, ordinare Clericos; in Summa ea, quæ in Pontificalibus inter Miſſarum ſolemnia peragi debent; ita colligitur ex *cap. niſi 3. hoc tit.* Et *cap. 18. §. præterea.* Et *cap. ſignificaſti 3. de Elect.* Attamen poteſt ſe Metropolitam appellare; ut colligitur ex *cap. ſuffraganeis 11.* & tenet Abbas, Vallenſ. Poteſt item ante ejus adeptionem exercere actus jurisdictionis; ut audire cauſas, delegare, cenſurare, calices conſecrare, cœmiteria benedicere, ac alia præſtare, quæ Epiſcopus ſtolâ indutus rectè exequitur; ut habet Vallenſ. Hoſtienſ. Engel &c.

CAP. II.

De Pallij uſu, ejusdem figura, & ſignificatione.

1. DIco primò: Palliô uti ſolent ſequentes, Summus Pontifex, quatuor Patriarchæ principales, Primates, Archi-Epiſcopi, & quidam Epiſcopi ex privilegio ſpeciali. Ita Hoſtienſ. Azor. Pirhing. & Vallenſ. De primo, videlicet de Summo Pontifice tanquam Archi-Epiſcopo Romano conſtat ex *cap. ad honorem 4. hoc tit.* De ſecundo, id eſt de Patriarchis, patet ex ordinatione *cap. antiqua 23. de privil.* De Tertio & quarto, puta de Primatibus, & Archi-Epiſcopis patet ex *can. 1. & 2. diſt. 100.* Et *cap. cit. antiqua*

tiqua. Quintum de quibusdam Epiſcopis inde conſtat; quia Summus Pontifex etiam quibusdam Epiſcopis ex ſpeciali indulto Apoſtolico, aut longa conſuetudine tradit Pallium; videlicet Quinqueccleſienſi in Ungaria; uti patet ex *cap. cùm in juventute 15. de præſumpt.* Item Epiſcopo Oſtienſi propè Romam, qui Papam conſecrat; item Papienſi in Lombardia; Lucenſi in Thuſcia; item Bambergenſi in Germania; ut habent Vallenſ. Hoſtienſ. Pirh. &c.

2. Nota primò; ſolus Sum. Pontifex poteſt uti Palliô ſemper, & ubique locorum, in Miſſarum ſolemnijs; idque in eo pleniſſimam denotat poteſtatem in univerſam Eccleſiam Chriſtianam, quæ ejus Provincia eſſe intelligitur, *can. cuncta per mundum.* Et *can. per principalem, cau. 9. q. 3.* Reliqui verò eminentiores Epiſcopi, quibus uſus Pallij collatus eſt, regulariter tantùm in ſua Eccleſia, & Provincia, & quidem certis duntaxat diebus uti poſſunt: nam hi in partem tantùm ſollicitudinis; non autem in plenitudinem poteſtatis ſunt vocati. Ita ordinatur in *cap. ad honorem 4. hoc tit.* Certi porrò dies cenſentur eſſe illi, qui juxta privilegium vel receptam conſuetudinem locorum ſunt feſtivi, & principales ſive in univerſali Eccleſia, ſive in illa particulari; item anniverſarium conſecrationis Eccleſiæ, dies ordinationis Clericorum, & conſecrationis Eccleſiarum, & dies anniverſarius conſecrationis Epiſcopi; ita conſtat ex *cap. 4. & ult.* cum Gloſſâ *ibidem, hoc tit.* Engel &c.

3. Nota ſecundò: poteſt tamen Archi-Epiſcopis, vel Patriarchis ſpeciale privilegium Apoſtolicum concedi, ut etiam extra ſuam Eccleſiam, & Provinciam Palliô uti valeant; dummodo Ordinarius, ad quem Eccleſia pertinet, & Metropolita conſenſum præſtent; uti colligitur ex *cap. ex tuarum, hoc tit.* Similiter ut illô utatur etiam extra Miſſarum ſolemnia: uti conſtat ex *can. contra morem 8. diſt. 100.* Archi-Epiſcopus, & alius Palliô utens, ab ejus uſu abſtinere debet in Miſſis defunctorum; prout colligitur ex *cap. ult. hoc tit.* & habet Gloſſa, Abbas, Pirhing. niſi adſit circa hoc ſpeciale privilegium. Item uſus ejus omittendus eſt, quando celebratur ſub papilione, ſeu tentorio in caſtris; ut habet Gloſſa, Joan. Andreas, &c. Item ejus uſus non conceſſus videtur extra Miſſarum ſolemnia, *cap. ad honorem 4.* ibi *in Miſſarum ſolemniis*: dicit tamen Gloſſa, quòd in Synodo ſit permiſſus. Similiter permittitur in Eccleſijs exemptis v. g. Regularium; ut habet Engel: & eſt ratio; quia etſi exemptæ Eccleſiæ Regularium v. g. non ſunt de diœceſi, & Provincia; ſunt tamen in diœceſi, & in Provincia.

4. Nota tertiò: figuram Pallij quod attinet, id regulariter confectû eſt ex lana alba contexta, in coronæ, ſeu circuli modum, pectus, & humeros circumdans; quatuor nigris, vel purpureis crucibus diſtinctum, anteriore parte non nihil dependens. Ejus ſignificatio myſtica eſt; ut, cùm Pallium ſit de ovium velleribus, intelligat ſe eſſe Paſtorem ovium ſpiritualiter; & quia eô Archi-Epiſcopus circumcingitur circa humeros, intelligat ſuam obligationem, quam habere debet, ne aliqua ovis ei commiſſa pereat, & ut errantes ſuper humeros in caulam reportet, cruce Domini ſignatam, ita Zoëſius, & alij DD.

CAP. III.

De obligatione petendi Pallium, ejus perſonalitate, & poteſtate inde reſultante.

1. Dico primò: Archi-Epiſcopus ceſſante juſto impedimento, tenetur petere obnixè, & inſtanter Pallium intra tres menſes, à die conſecrationis computandos, ſi antea non fuit conſecratus; vel à die confirmationis, ſi jam antea fuit conſecratus. Ita Vallenſ. Pirh. Hoſtienſ. &c. Deciſio iſta petitur ex diſpoſitione Juris Canonici, *can. priſca 2. diſt. 100.* Et *can. quoniam 1,* junctâ Gloſſâ, verbô *conſecrationis.* Quod ipſi à Papa confertur præſtito priùs, & non aliter, Romano Pontifici, fidelitatis, & obedientiæ juramento, *can. optatum, diſt. 100.*

2. Dico ſecundò: Pallium eſt merè perſonale, ita ut in alterum transferri nequeat; Sed quisque debet cum eo ſepeliri. Ita Zoëſ. Vall. Panorm. &c. Et habetur *cap. 2. hoc tit.* Unde ſi Archi-Epiſcopus ad aliam Eccleſiam transferatur, aliud Pallium petere debet, *cap. bonæ memoriæ 4. de poſt. Prælat.* Circa poteſtatem, quam Pallium in Archi-Epiſcopo illud habente indicat

3. Nota primò: Archi-Epiſcopus, Patriarcha, & Primas conſecutô Palliô eſt major omnibus Epiſcopis illius Diœceſis ſibi ſubjectis, *can. 1. 2. & 3. cau. 9. q. 3.* Differt autem hodie Primas ab Archi-Epiſcopo (olim erant idem) quòd Primas præſit alicui Provinciæ, quæ habet urbes habentes Archi-Epiſcopos. In quibusdam tamen Provincijs etiam hodie adhuc cohærent in eadem perſona officium Archi-Epiſcopi, & Primatis; uti patet in Toletano Archi-Epiſcopo, & Salisburgenſi; ut habet

Digitized by Google

habet Engel. Archi-Epiſcopus, Primas, & Patriarcha habent Juriſdictionem ordinariam in ſuam Provinciam, ac in omnes ejus ſuffraganeos non exemptos; eſtque eorum ordinarius Judex. *cap. paſtoralis, de officio ordin.* Quam ob rem impertitur eis confirmationem, vel infirmationem; de cauſis eorum civilibus, ac criminalibus cognoſcit, & judicat; uti habet Vallenſ. niſi illa crimina eſſent ſpecialiter reſervata Papæ; uti crimen hæreſis, ex Trident. *Seſſ. 24. de reform. cap. 5.* & alia, quæ mererentur depoſitionem, ſeu privationem officij, & dignitatis; ex eodem Trident. *loc. cit.* Attamen Archi-Epiſcopus in ſubditos ſuorum ſuffraganeorum non habet juriſdictionem ordinariam; niſi in quibusdam caſibus eam vel ex privilegio, vel conſuetudine acquiſierit, *cap. duo ſunt, de Officio Ordin.* puta *primò* in cauſis, quæ jure appellationis, aut devolutionis ad eundem pertinent; *cap. 1. de officio delegati.* *Secundò* ſi ſubditus Epiſcopi ſuffraganei delinquat in diœceſi Archi-Epiſcopi, vel in eâ prædium habeat. *Tertiò* ſi abſolutus ab Archi-Epiſcopo nolit parere Epiſcopo. *Quartò* ſi Clericus habeat cauſam criminalem contra ſuum Epiſcopum ſuffraganeum; quia eâ deduci debet ad Synodum, in qua Archi-Epiſcopus præeſt. Habet Archi-Epiſcopus præterea ad plura alia poteſtatem, quæ ſupra *cap. 1. notabili 3.* Specificata fuêre.

TITULUS IX.

DE RENUNCIATIONE.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit Renunciatio.

1. NOta primò: poſtquam D. Papa Gregorius IX. in *ſuperioribus titulis* diſſeruiſſet de modis aſſequendi Prælaturam, & dignitatem Eccleſiaſticam; proponit *præſentem tit.* de modo eandem amittendi per Renunciationem.

2. Dico primò: rectè deſcribitur Renunciatio, de qua hîc, quòd *ſit ſpontanea abdicatio, ſeu reſignatio beneficij Eccleſiaſtici, omnisq; juris in illud, coram legitimo ſuperiore eam acceptante facta, cum cauſa ſufficienti.* Ita communis Canoniſt. ut Vallenſ. Engel, Zoëſius, &c. Circa quam deſcriptionem

3. Nota ſecundò: quòd per ly *ſpontanea* intelligatur idem, quod *libera*; nam abdicatio coacta, & metu extorta nullitatem, reſciſſionem, ac irritationem ſecum trahit, *capite ſuper hoc 5. hoc tit.* Et *cap. 3. & 4. de his quæ vi metûve* &c. Per ly *abdicatio*, ſeu *reſignatio* intelligitur *ceſſio*, & *remiſſio*, ac *repudiatio* beneficij Eccleſiaſtici, quod renuncians jure poſſidet, quæ etiam *hoc tit. cap. ſuper hoc* appellatur *ejuratio*; quando ſcilicet renunciationis juramentô interpoſitô beneficium Eccleſiaſticum reſignat. Sub ly *beneficij Eccleſiaſtici* intellige officium, & dignitatem Eccleſiaſticam legitimè conſecutam; cujusmodi ſunt Canonicatus, Epiſcopatus, &c.

4. Nota tertiò: Renunciatio Canonica alia eſt tacita; alia expreſſa. *Tacita* eſt, ſi ponatur à beneficiato aliquis talis actus, qui ex conſequenti, & Juris diſpoſitione infert amiſſionem, & abdicationem beneficij Eccleſiaſtici, tametſi nulla verba prolata, vel ſcripta aliàs Renunciationem indicantia adſint: v. g. ſi beneficiatus quatuor duntaxat minoribus initiatus contrahat matrimonium, is beneficium ipſo facto ex Juris diſpoſitione amittit *cap. 1. & 3. de Clericis conjugatis.* Item ſi beneficiatus ſuſcipiat adhuc aliud beneficium, cum priori incompatibile *cap. de multa,* & Extrav. *execrabilis, de præbendis.* *Expreſſa* (de qua potiſſimè hîc agitur) eſt, quando beneficiatus diſtinctis verbis indicantibus voluntatem renunciandi coram legitimo ſuperiore abdicat, & reſignat beneficium.

5. Nota quartò: rurſus Renunciatio expreſſa ſubdividitur in puram, & conditionalem. *Pura* eſt, quæ peragitur coram legitimo ſuperiore absque omni pactione, conditione, modo, reſtrictione, vel reſervatione certæ penſionis in pecunia, vel parte fructuum, v. g. tertia, vel dimida. *Conditionalis* eſt, quæ fit cum aliquo pacto, modo, conditione, & reſervatione certæ penſionis, vel in pecunia, vel in fructibus beneficij reſignati, v. g. Canonicus reſignat Canonicatum cum con-

ditione expreſſa, ut Franciſco cognato, & non alteri conferatur; vel ut Franciſcus quotannis de annuis redditibus talis Canonicatûs renunciati tertiam fructuum renuncianti pendat.

CAP. II.

De acceptatione, & cauſis Renunciationis.

1. Dico primò: ut Renunciatio aliqua ſit valida, requiritur regulariter acceptatio ſuperioris Eccleſiaſtici, ſine cujus conſenſu beneficium Eccleſiaſticum dimitti non poteſt; & dimittens poteſt compelli per cenſuras ad illud reaſſumendum. Ita Gloſſa, Engel, Vallenſ. Flam. Garz. &c. Et ita diſponitur in Jure *cap. admonet 4. hoc tit.* Eſtque acceptatio iſta, & conſenſus ſuperioris ita neceſſarius ad valorem Renunciationis, ut nulla etiam conſuetudine contraria declinari poſſit; ſed omnis talis corruptela reputanda eſt *cap. cùm venerabilis 7. de conſuetudine.*

2. Dico ſecundò: ſimiliter ut ſubſiſtat Renunciatio, debet fieri ex cauſa gravi, & ſufficienti. Ita Vall. Engel. Azor. Pariſ. & communis Canoniſt. Ratio eſt; quia cùm ob utilitatem publicam permiſſum ſit renunciare beneficijs; propterea non conceditur cuilibet pro ſuo arbitrio illud reſignare; hoc enim cederet in detrimentum Eccleſiæ; quare debet ſubeſſe cauſa gravis, juſta, ac ſufficiens.

3. Nota autem primò: quòd in *cap. niſi 10. hoc tit.* junctâ Bullâ Pij V. *quanta Eccleſia*, ſex cauſæ afferantur, pro Renunciatione legitima ab Epiſcopo inſtituenda; quæ etiam ſufficiunt ad Renunciationem faciendam ab alijs beneficiatis; ut habet Rebuff. Pariſ. &c. Et ſequentibus verſibus comprehenduntur.

Debilis, ignarus, malè conſcius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans ſcandala cedere poſſit.

Itaque prima cauſa juſta, & ſufficiens eſt ad renunciandum beneficio, & dimittendum officium Eccleſiaſticum *debilitas corporis*; ſive talis oriatur ex morbo; ſive ex ſenio; ſitque talis, ut beneficiatum penitùs reddat inhabilem ad exercitium officij paſtoralis. Quòd ſi tamen beneficiatus, v. g. Epiſcopus ob ſui authoritatem, & æſtimationem eſſet valde neceſſarius, & utilis Eccleſiæ, licèt is morbô, & ſenectute (modò non extrema, & penitus inhabilitante gravetur) non poteſt renunciare; nec ejus Renunciatio acceptari debet à ſuperiori; uti patet ex *cap. 1. hoc tit.*

4. Nota ſecundò: altera cauſa ſufficiens eſt *ignorantia*, ſeu defectus ſcientiæ: hic debet eſſe tantus, ut beneficiatus idiota Eccleſiam ſibi commiſſam utiliter regere nequeat tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus; & qui tractu temporis non poſſit emendari à beneficiato; talis ignari beneficiati Renunciatio non tantùm non eſt acceptanda; ſed is etiam invitus poteſt, & debet dimitti à beneficio; de quo proinde procedit dictum Oſeæ 4. cap. quod allegatur in *cap. niſi, hoc tit. tu enim* (inquit Dominus) *ſcientiam repuliſti, & ego repellam te, ne Sacerdotiô fungaris.*

5. Nota tertiò: tertia cauſa ſufficiens eſt *mala conſcientia criminis*; nam beneficiatus, qui ſibi conſcius eſt ſe perpetrâſſe crimina talia, propter quæ ipſius officij executio etiam poſt peractam pœnitentiam ſuſpenditur per Jura Canonica, renunciare debet; & ejus Renunciatio acceptanda eſt; imò ei etiam inuito imponi poteſt: hujuſmodi autem crimina ſunt homicidium, Simonia, & alia in judicio probata, ex quibus ſequitur infamia, *arg. cap. fin. de tempor. ordin.* Et tenet Gloſſa in *cap. niſi*, & Engel, Pirh. Abbas, &c.

6. Nota quartò: quarta cauſa ſufficiens eſt *irregularitas*; nam, beneficiatus non tantùm poteſt renunciare, & petere dimitti à beneficio ob irregularitatem, v. g. bigamiæ, vel defectûs natalium; Sed etiam cogi poteſt ad renunciandum. Advertendum tamen, quòd ſuper irregularitate ex defectu natalium conſurgente peti poſſit, & à Papa dari ſoleat, diſpenſatio, ut defectuoſus modô prædictô remanere poſſit in beneficiô; dummodo culpa lateat, & cauſa; & irregularis paterna vitia non ſequatur; atque aliàs ſuum officium bene adimpleverit; ut habetur *cit. cap. niſi.*

7. Nota quintò: quinta cauſa ſufficiens eſt *malitia plebis*; nam quando malitioſus populus loci alicujus Epiſcopum, vel alium beneficiatum odit, eidem denegando obedientiam, inſidias ſtruendo, &c. tunc is renunciare poteſt officium; & præſtat, ut ſuperior reſignationem talem acceptet; in tali enim caſu plebi quandoque ad tempus cedendum eſt, ejuſque pertinacia tolleranda (quia ſanguinem elicit, qui nimis emungit) & ad vitandum majus ſcandalum, ne fortè oves in lupos convertantur.

8. Nota ſextò: ſexta cauſa ſufficiens inſtituendi Renunciationem eſt *grave Scandalum Populi*, quod Populus patitur ex præſentia v. g. Epiſcopi; ad quod vitandum poteſt

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopus renunciare; imò tenetur, & cogi poteſt, ſi ſcandalum aliter evitari, aut ſedari nequeat; ut habet Abbas, Pirh. Hoſtienſ. &c. Monet tamen Canon in *cit. cap. niſi*, quòd ſit diſtinguendum inter ſcandalum Phariſaicum, ſeu ex malitia ortum; & ſcandalum puſillorum, ſeu ex ignorantia, & infirmitate profectum; nam ob ſolum poſterius vitandum expedit inſtituere Renunciationem; non verò ob prius; quia hoc frequenter ſinè peccato permitti poteſt, & tunc vitari non debet per Renunciationem; & de hoc procedit illud Salvatoris Matth. *15. ſinite illos, quia Cæci ſunt, & duces cæcorum*; ac ſi diceret, non eſt curandum de eorum ſcandalo; ut habet Gloſſa *ibidem*.

CAP. III.

De Beneficijs Renunciabilibus.

1. NOta primò: regulariter ijs omnibus beneficijs Eccleſiaſticis poteſt renunciari, quæ jure ſpeciali ſcriptô non ſunt privilegiata à reſignatione; uti habent Azor. Pirh. Pariſ. &c. DD. Ratio eſt; quia Beneficiati non ſunt deterioris conditionis, quàm alij jus aliquod habentes; Ergo ſicut alij Juri ſuo cedere poſſunt, ita & Beneficiati, quando ſubeſt juſta cauſa. Ex hoc

2. Nota ſecundò: quòd licitè ſervatis ſervandis reſignari poſſit beneficijs ſequentibus: *Primò* beneficijs patrimonialibus, id eſt fundatis à parentibus, vel majoribus. *Secundò* manualibus, id eſt à ſuperiore revocabilibus, etiam in favorem alterius. *Tertiò* beneficijs affectis jure patronatûs: requiritur tamen regulariter ad hoc conſenſus Patroni; hujus enim intereſt, ne ipsô neglectô aliquis inſtituatur in beneficio, qui Patrono eſſet infenſus, & inimicus. Hujusmodi conſenſum poteſt Papa ſupplere. *Quartò* beneficijs electivis, ſeu quæ per electionem acquiruntur. *Quintò* beneficijs exemptis v. g. regularibus; modò coram Papa, vel aliô Prælato ſuperiori, cui talia beneficia ſubjecta ſint, fiat reſignatio. *Sextò* reſervatis Sedi Apoſtolicæ. Ita tenent de ſingulis Azor. Pariſ. Pirh. &c.

3. Nota tertiò: è contra regulariter nequit renunciari ſequentibus. *Primò* beneficijs unitis, v. g. ſi beneficium aliquod ſit unitum alicui monaſterio vel collegio; ut habet Trident. *Seſſ. 21. de Reform. cap. 5.* *Secundò* ijs, quæ ſunt beneficia data in Commendam temporalem ob utilitatem Eccleſiæ, donec ei proviſum fuerit de Rectore. *Tertiò* ijs, quæ vocantur penſiones, quæ jure, ac titulô beneficij Eccleſiaſtici ſunt conſtitutæ. *Quartò* quando beneficium eſt litigioſum lite pendente. Ita tenent de ſingulis Pariſ. Pirh. Azorius, Garc. &c. Et ratio eſt; tum quia in his beneficijs obſtant ſpecialia Jura: tum quia eorum Renunciatio eſt damnoſa tertio.

CAP. IV.

De Perſonis potentibus Renunciare.

1. DIco primò: Summus Pontifex poteſt renunciare Pontificatui. Ita Joan. Andreas, Zoëſ. Azor. Bellarm. Par. & communis DD. Et deciditur in *cap. 1. hoc tit.* Affertur ad hoc etiam factum S. Cœleſtini V. Papæ, qui reſignavit Sum. Pontificatum. Et tametſi aliorum beneficiatorum Renunciationes indigeant aſſenſu ſuperioris; nihilominus, hoc ſpeciale eſt in Renunciatione Summi Pontificis, quòd is aſſenſu alicujus ſuperioris non egeat; eò quòd ipſe in terris nullum ſuperiorem habeat. Itaque ſicut is ſinè ullius ſuperioris authoritate inſtituitur, & confirmatur Papa; ita & Renunciare poteſt Pontificatui adepto.

2. Dico ſecundò: etiam Patriarchæ, Primates, Archi-Epiſcopi, & Epiſcopi ob votum Religionis à ſe emiſſum ante electionem ad ſua officia renunciare poſſunt ſuis dignitatibus, & beneficijs; imò tenentur. Ita Zoëſius, & alij DD. Et habetur in *cap. per tuas, de voto.* Non licet autem memoratis Præſulibus renunciare dignitatibus ob ſolum motivum, ut Religionem ingredi poſſint, ad quam putant ſe habere cæleſtem inſpirationem; vel ut vitæ contemplativæ vacare, ac quietiùs vivere valeant; vel humilitatis causâ; quia hujusmodi motiva reprobantur in *cap. niſi, hoc tit.*

3. Dico tertiò: Clerici Beneficiati volentes ingredi aliquam approbatam Religionem poſſunt coram Epiſcopis renunciare ſuis beneficijs. Ita Gloſſa, Pirhingus, Pariſ. Azor. &c. Et ita permittitur in *cap. beneficium 4. de Regularibus.*

4. Dico quartò: Clerici crimen committentes poſſunt, antequam per Judicis ſententiam priventur, renunciare beneficio. Ita Garc. Azor. Rebuff. &c. Ratio eſt, quia hi adhuc habent jus in beneficium, quod proinde poſſunt cedere per Renunciationem.

5. Dico quintò: Clerici quoque minores annis 25, majores verò annis 14. poſſunt

ſua beneficia reſignare. Ita Gloſſa, Pirh. Pariſ. &c. Ratio eſt; quia hi poſſunt ſtare in judicio, agere, conſtituere Procuratorem, omneſque actus exercere abſque Curatore, ſicut major 25. annorum per *cap. ult. de judiciis in 6.* Ergo etiam poſſunt reſignare ſua beneficia.

6. Dico ſextò: tandem regulariter omnes beneficiati poſſunt ex juſta cauſa renunciare omnibus ſuis beneficijs, in quæ jus quæſitum habent exceptis ijs, quæ *priori cap. not. 3.* relata ſunt. Ita Pariſ. Pirh. Laym. &c. Ratio eſt; quia talis reſignatio eſt utilis Eccleſiæ; utilior enim ei præfigi poteſt; & ipſimet renuncianti, debili v. g. ignaro, Scandaloſo &c. imponi debet; cùm per eam periculum vel corporis vel animæ declinet.

CAP. V.

De Renunciationibus conditionalibus.

1. Dico primò: Renunciatio illa conditionalis beneficij, in qua renuncians ſibi reſervat certam penſionem vel in ære, vel in parte fructuum, vel in omnibus fructibus, non poteſt inſtitui coram Ordinario, vel Prælato Ordinis; Sed coram ſolo Papa. Ita Engel, Pirh. Azor. Pariſ. Tholoſſ. &c. De primo ita cavetur Jure Canonico; nam beneficium regulariter nequit dividi, *cap. Majoribus 8. de præben.* Et beneficia ſine diminutione ſunt conferenda, *cap. unic. ut Eccleſiaſtica beneficia ſine dimin. confer.* Ratio ſecundi eſt; quia Papa concedere poteſt juſtis de cauſis ut beneficium reſignetur cum reſervatione penſionis; uti deducitur ex *cap. ad audientiam 31. de reſcript.* Et *cap. niſi 21. de præbend.* Et *cap. quamvis 4. eod. tit. in 6.*

2. Dico ſecundò: Similiter coram ſolo Summo Pontifice fieri poteſt illa alia conditionalis Renunciatio beneficij, quæ cum reſervatione regreſſus, ingreſſus, & acceſſus ad illud perficitur. Ita Rebuff. Azor. Pariſ. Pirh. &c. Et colligitur ex *Trident. Seſſ. 25. cap. 7. de Ref.* Ratio etiam eſt; quia hujuſmodi Renunciatio, ſi coram alijs paſſim inſtitui poſſet, quàm coram Papa, eſſet frequens, & de facili occaſio captandæ, optandæque mortis alterius; præſeferret etiam ambitioſam cupiditatem in beneficijs obtinendis. Differt autem regreſſus ab ingreſſu, & acceſſu, quòd in regreſſu reſignetur beneficium jam poſſeſſum usque ad mortem reſignatarij; in ingreſſu verò, & acceſſu nondum poſſeſſum alteri relinquatur; in ingreſſu quidem usque ad mortem reſignatarij; in acceſſu, usque dum is, cui reſervatus eſt acceſſus, efficiatur habilis ad beneficium, perveniendo ad legitimam ætatem; ut notat ex Azorio Pirhingus.

3. Dico tertiò: Renunciatio beneficij conditionalis in favorem tertij facta, ſeu quæ ita inſtituitur, ut beneficium alicui perſonæ à renunciante nominatæ conferatur; & niſi conferatur, Renunciatio non habeat ſuum effectum; pariter coram ſolo Sum. Pontifice fieri poteſt. Ita Rebuff. Zoëſ. Tholoſſ. Navar. &c. Ratio eſt; quia hujuſmodi Renunciationes aliter factæ continere poſſunt periculum hæreditariæ ſucceſſionis; cùm affectus carnis vehementer impellat ad reſignandum amicis. Et quia non habita ratione ſcientiæ, & probitatis, & morum, ad Sacerdotia eveherentur ſæpè idiotæ, relaxati, & ſimiles defectuoſi.

4. Nota tamen primò: quòd ſi beneficiatus faciat ſimplicem, & puram Renunciationem ſui beneficij; per modum tamen recommendationis potiùs, quàm rigoroſæ obligationis, ſimul nominet aliquam perſonam Epiſcopo, non videtur jure vetitum, quin Epiſcopus tale beneficium conferat illi perſonæ, aliàs idoneæ; uti tenent Zoëſius, Engel, Covar. &c. Ratio eſt; quia tunc non ſubſunt illa pericula, memorata in *priori Notabili.*

5. Dico quartò: Similiter Renunciationes conditionales beneficij reciprocæ coram Ordinarijs, alijs Prælatis Papa inferioribus, ſub titulo, & colore permutationis nequeunt inſtitui; v. g. *reſigno beneficium meum in favorem tui fratris, ut tu reſignes tuum in favorem mei fratris.* Ita Leſſius, Pirh. Suar. &c. Ratio eſt; quia coram Ordinarijs, & alijs Prælatis Papa inferioribus ſolæ ſimplices, & puræ renunciationes fieri poſſunt; non autem mixtæ, & in favorem tertij; quæ coram ſolo Sum. Pontifice inſtitui poſſunt.

CAP. VI.

De Superiore Renunciationum, & earum effectu.

1. Dico primò: Renunciationes beneficiorum nequeunt pro privato cujusvis arbitrio inſtitui; Sed fieri debent coram Superioribus; id eſt Ordinarijs, aut alijs Prælatis immediatis majoribus, quibus renunciantes ſunt ſubjecti. Ita Gloſſa, Pariſ. Pirh. Zoëſ. &c. Et ita ordinatur in *can. non oportet 19.* Et *can. ſi qui verò 23.* Et *can. ſi quis 24. cau. 7. q. 1.* Eſtque Ratio; quia cùm

cùm beneficium à ſuperiore, ſcilicet ab Ordinario, aut alio immediato majori Prælato accipiatur; æquum eſt, ut coram eodem dimittatur; nam *res per quas cauſa naſcitur, per eaſdem diſſolvitur;* inquit Regula Juris vulgata.

2. Dico ſecundò: Si Beneficiatus intendat Religionem ingredi, ſufficit, ſi licentiam poſtulet ab Ordinario, vel alio majori ſuperiori ſuo immediato; licèt eam non obtineat; nam adhuc ingredi poteſt Religionem. Ita Gloſſa, Joan. Andreas, Pirh. Abbas &c. Ratio eſt; quia in tali caſu Jura ipſi facultatem ingredi Religionem faciunt, *arg. cap. licet 18. de Reg.*

3. Dico tertiò: Renunciationis admiſſæ effectus eſt, quòd excludat renunciantem, etiam pœnitentem. Ita Zoëſius, Engel &c. Et ita dicitur in *cap. 3. hoc titulo.* Unde facta renunciatione, & à Superiore admiſſa non eſt ampliùs locus pœnitentiæ; ſed renuncians etiam invitus compelli poteſt ad dimittendam beneficij poſſeſſionem, juxta *cit. cap.* & *cap. 6.* Et *12. hoc tit.* Dixi *& à ſuperiore admiſſa*; nam antequam ſuperior admittat Renunciationem, & res adhuc eſt integra, renuncians poteſt pœnitere, *cap. lectâ 14. hoc tit.* Similiter ſi renuncians conſtituat Procuratorem ad faciendam Renunciationem coram ſuperiore, re adhuc integra pœnitere, & mandatum Procuratoris revocare poteſt, *Clem. 1. hoc tit.*

CAP. VII.

De Renunciatione Officiorum in Ordine S. Franciſci.

1. Dico primò: permittitur Miniſtro Generali Ordinis noſtri de Obſerv. & Ref. extra Capitulum Officio ſuo renunciare, ſive propter infirmitates habituales; ſive propter ſenectutem; ſive propter exercitium humilitatis. Ita concedunt Conſtitutiones generales modernæ *cap. 8. §. 18. n. 1.* Et oſtendit praxis in S. Patre Franciſco Ordinis Fundatore, & primo Generale, ac alijs nonnullis piiſſimis viris ejus Succeſſoribus, qui cum inſigni humilitatis, & ſanctitatis nota renunciavêre Generalatui Ordinis. Circa hujusmodi autem Renunciationem

2. Nota primò: Si contingat P. Generalem ob aliquam ex præfatis cauſis renunciare; cùm Generale Capitulum ægrè congregari poſſet, ideo Capitulum Generale Romanum Ordinis, celebratum an. 1639. ſemel pro ſemper per uniforme compromiſſum omnium Vocaſium ſuam authoritatem delegavit ad hunc effectum Patribus illis, qui, aliàs de Jure ſunt Electores Vicarij Generalis reſpectivè (ſcilicet Ex-Miniſtro, & Ex-Commiſſario Generali; Diffinitoribus Generalibus familiæ, de qua Miniſter Generalis eſt aſſumptus; uti & illis ultramontanis, qui pro tempore in familia eadem adſunt; & Miniſtro Provinciæ, in qua fit Renunciatio.) Hi ergo nomine ſuo examinare debent cauſas Renunciationis; et ſi majori parti probentur eſſe legitimæ, poterunt eam admittere, & acceptare; uti habent Conſtitutiones Generales modernæ Ordinis *cap. 8. §. 18 n. 2.*

3. Nota ſecundò: modus autem Renunciationis, & acceptationis eſt iſte: Miniſter Generalis volens officio ſuo renunciare, debet convocare priùs memoratos Patres Electores novi Vicarij Generalis; qui congregati motiva renunciationis examinabunt; quæ ſi reperta fuerint realia, & Religioni proficua, tunc dignior Pater ex congreſſu coram alijs, & teſtibus, admittet atque acceptabit Renunciationem nomine Capituli Generalis; revocatâ quâcunque Lege, & conſuetudine in contrarium; uti habent Conſtitutiones Generales Ordinis *loc. cit. n. 3.*

4. Nota tertiò: tam Renunciatio; quàm acceptatio præfata debet fieri verbô, & ſcriptô coram teſtibus, & Secretario; & iis publicatis, tunc demum cenſetur vacare officium Generalatûs. Deſuper autem debet idem Ex-Miniſter Generalis, qui renunciavit, convocare eosdem Patres ad electionem Vicarij Generalis, in qua ipſe præſidebit cum ſuffragio; etiamſi concurrat alius antiquior Pater Ordinis. Quòd ſi verò dictus Ex-Miniſter hæc munera convocandi, & præſidendi etiam renunciaverit; tunc illa exercebit dignior Pater ex congreſſu. Ita Conſtitutiones Ordinis *loc. cit. n. 4. & 5.*

5. Nota quartò: quamvis de Renunciatione Commiſſariatûs Generalis familiæ Ciſmontanæ, vel Ultramontanæ in Conſtitutionibus Generalibus Ordinis nihil ſpecificè conſtituatur; arbitror nihilominus eandem quoque poſſe fieri ob easdem cauſas; & eodem modo, quô ſupra dictum eſt de Renunciatione Miniſteriatûs Generalis; ob paritatem rationis. Idem etiam judicium eſto de Renunciatione Officij Miniſteriatûs Provincialis, ob idem fundamentum, de quo pariter Statuta Ordinis apertè non diſponunt. Unde ſi Miniſter Provincialis extra Capitulum renunciare voluerit Provincialatui, hoc fieri debere coram toto Diffinitorio ex Provinciæ Patribus, Cuſtode, Diffinitoribus, &

Digitized by Google

alijs, qui intereſſe poſſunt, collecto; cujus erit examinare motiva Renunciationis, & ſi ea legitima, ſufficientia, & Provinciæ proficua fuerint, poterit Renunciationem admittere eô modô, quô de Renunciatione Generalis ſupra dictum eſt; & deſuper facienda erit electio Vicarij Provincialis, præſidente eodem Ex-Miniſtro, ſi is voluerit; aut eô renunciante, dignior Pater Provinciæ præſidebit; conſultò priùs P. Generali; ſi intra tres diætas diſtet à Provincia; uti colligitur ex Statutis Generalibus Ref. *cap. 8. n. 33.*

6. Nota quintò: Sed & Diffinitorum, & Guardianorum renunciationes fieri poſſunt ex cauſa ſufficienti; cujus examen, & acceptatio extra Capitulum, & Congregationem pertinet ad Diffinitorium Provinciale; & non ad ſolum Miniſtrum Provincialem; uti habent Conſtitutiones Generales Ord. *cap. 8. ſſ. 43. n. 12.*

TITULUS X.

DE SUPPLENDA NEGLIGENTIA PRÆLATORUM.

CAP. I.

Quid ſit negligentia; quot modis committatur; & ſuppleatur.

1. Nota primò: Solet nonnunquam contingere, ut promoti ad dignitates Eccleſiaſticas munere ſuo debitè non fungantur, ac negligentias committant, maximè circa proviſiones faciendas beneficiorum Eccleſiaſticorum; quare Pontifex *hoc tit.* de ſupplenda, tollenda, corrigenda, & punienda ejuſmodi negligentia agit.

2. Dico primò: rectè deſcribitur negligentia ſupplenda Prælatorum, quòd *ſit omiſſio illius, quod de jure, vel conſuetudine Prælatus facere tenetur ratione Officij, quod gerit.* Deſumitur ex *can. negligere 55. 2. q. 7.* Nomine autem *Prælati* hic venit non tantùm omnis ille, qui in eccleſiaſticis habet juriſdictionem contentioſam, quæ eſt uſurpatio ſtricta Prælati; ut notat Vallenſis ex Abbate; Sed omnis Eccleſiaſtica perſona, & collegium Juriſdictione aliqua Eccleſiaſtica, & ſuperioratu præditum, cujuſmodi ſunt Epiſcopi, Capitulum, Abbates, Priores, Archi-Presbyteri, Archi-Diaconi, & alij usque ad ſimplicem Curatum; uti habet idem Vallenſ. nam omnis Prælati negligentia ſupplenda eſt *cap. 2. & final. hoc tit.* ne damnificentur Eccleſiæ, vel ſubditi earum temporaliter, & ſpiritualiter.

3. Nota autem ſecundò: negligentiam Prælatorum varijs modis contingere poſſe; puta ſi ipſi ſubditorum lites nimium protrahant; aut juſtitiam eis denegent; item ſi ſint incurij in adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum, in cuſtodia templorum, reſtauratione diſciplinæ Eccleſiaſticæ, abuſuum publicorum extirpatione, &c. in hoc tamen capitulo Jus Canonicum potiſſimè agit de negligentia, quam committunt Prælati circa conferenda beneficia; quæ ſi inferiora ſint Epiſcopatu, ex Concilio Lateranenſi conferri debent intra 6. menſes computandos à die notitiæ habitæ de vacantia eorundem; Si verò ſint majora, ut Epiſcopatus, & Prælatura Regularis, intra trimeſtre providendæ ſunt, juxta *cap. ne pro defectu 41. de Elect.*

4. Nota tertiò: negligentiam à Prælatis commiſſam, variè juxta Juris diſpoſitionem ſuppleri poſſe; aliquando cenſurâ excommunicationis per duos menſes Prælato negligenti inflictâ, *can. quidquid, 1. q. 1.* aliquando pœnâ depoſitionis, vel privationis dignitatis, vel officij ejuſdem, *cap. 1. de officio Cuſtodis:* aliquando per adjunctionem Coadjutoris idonei, *cap. grandi, hoc tit. in 6.* aliquando per devolutionem Juris conferendi beneficium ad alium Prælatum majorem, *cap. 3. & 4. hoc tit.* aliquando aliter pro varietate, & majoritate negligentiæ.

CAP. II.

Pœnæ, & ſuppletores negligentiæ Prælatorum afferuntur.

1. Dico primò: ſi Capitulum, vel quiscunque alius Collator collationem Epiſcopatûs, vel Prælaturæ Regularis vacantis intra trimeſtre per electionem vel aliam proviſionem facere neglexerit, jure conferendi pro hac vice privatur; & poteſtas illud beneficium vacans conferendi devolvi-

volvitur ad alium immediatum ſuperiorem; & ab eo etiam in caſu novæ negligentiæ commiſſæ ulterius, & gradatim ad Papam, cujus eſt omnium negligentias ſupplere. Ita Zoëſ. Rebuff. Azor. Pirh. Engel &c. Et ita ſtatuitut in *cap. ne pro defectu 41. de Elect.* Et *cap. licet, hoc tit.* Et quia diuturna vacantia Epiſcopatûs, & Prælaturæ Regularis ultra trimeſtre protracta damnoſa eſt Eccleſijs, *cap. quam ſit 6. de Elect. in 6.*

2. Dico ſecundò: Si Ordinarius dignitates, & alia beneficia inferiora intra ſemeſtre conferre neglexerit, privatur Jure illa conferendi pro hac vice; & poteſtas ipſa conferendi devolvitur ad alium ſuperiorem, ut is negligentiam ſuppleat; quòd ſi & hic negligentiam novam committat, ad alium rurſus devolvitur, & demum ad Sum. Pontificem. Ita Azor. Pirh. Zoëſ. Vallenſ. Et ita colligitur ex *cap. licet 3. hoc tit.* Et quia quoque vacantia nimia ſimilium beneficiorum orta ex negligentia Ordinarij, officit Eccleſijs vacantibus; quare citò per nominatos ſuperiores ſupplenda eſt.

3. Dico tertiò: ſi aliquod Capitulum Eccleſiæ cathedralis committat negligentiam, & intra ſemeſtre non conferat beneficia Epiſcopatu inferiora vacantia, ad ſe ſpectantia, Jus ſupplendi, & ea conferendi ad Epiſcopum devolvitur; & vice verſa, ſi Epiſcopus negligens ſit in conferendis ſuis beneficijs, devolutio fit ad Capitulum. Ita habetur *cap. 2. de conceſ. preben.* Et quia talis Epiſcopus, & Capitulum habent quandum unionem inter ſe, ſicut caput, & membra ejuſdem corporis; unde meritò unius defectus per alterum ſuppletur.

4. Dico quartò: quòd ſi verò & Ordinarius, & Capitulum negligentiam committant in collatione beneficiorum inferiorum intra ſex menſes providendorum, tunc eorum proviſio ad Metropolitam, & hoc negligente, ad Patriarcham, & demum ad Papam devolvitur; quòd ſi autem Epiſcopus foret exemptus, tunc immediatè ad Papam devolvitur, & per eundem ſuppletur commiſſa negligentia. Ita Abbas, & alij DD. Et colligitur ex *cap. licet 3. hoc tit.* Et *cap. 2. & 8. de conceſ. preben.*

5. Dico quintò: Si demum ad Ordinarium, & Capitulum conjunctim pertineat collatio vacantium beneficiorum, & per ipſos non fiat intra tempus à Jure præfixum proviſio, eorum negligentia ſupplenda eſt per Archi-Epiſcopum, ſi quem habeant; vel immediatè per Papam, ſi alio ſuperiore careant. Ita Pirh. Engel, &c. Et ita ſtatuitur in *cap. dilecto, ult. hoc tit.*

6. Dico ſextò: Si contingat Prælatum Regularem Ordinario alias ſubjectum committere negligentiam in conferendis juxta Jura Canonica beneficijs ſive ſæcularibus, ſive regularibus, tunc Jus ea conferendi, & ſupplendi negligentiam ad Ordinarium devolvitur: ſi autem talis Prælatus quidem ſit exemptus; non autem beneficia, in tali caſu ad Ordinarium devolvitur. Ita Zoëſius, & communis DD. Et ita habet ordinatio Apoſtolica in *Clem. unica, hoc tit.*

7. Nota primò; Ordinarius non tantùm in caſu negligentiæ circa collationem beneficiorum à Prælatis Regularibus conferri ſolitorum ſupplere poteſt, vigore *cit. cap.* verùm etiam in multis alijs cauſis, in quibus procedit ut Sedis Apoſtolicæ delegatus, quæ ſub ſuis determinatis titulis, in progreſſu hujus operis afferentur; de eis etiam ſummatim tractat Barboſa de officio Epiſcopi *part. 2. in princ. a. num. 85.*

8. Nota ſecundò: Si Patronus Laicus negligat intra 4. menſes, Eccleſiaſticus autem intra 6. præſentare idoneam perſonam pro beneficio Eccleſiaſtico vacante, v. g. pro Parochia, perdit jus præſentandi pro illa vice, & illud devolvitur ad ſuperiorem. Colligitur ex *cap. 2. hoc tit.* & tenet Abbas, Vall. &c. Si Epiſcopus ter humiliter rogatus negligat benedicere Abbates ſubditos, hoc caſu Abbates noviter electi poterunt liberè omnia illa exercere quæ ad Officium hujuſmodi pertinent, *donec ipſe Epiſcopus ſuam duritiem recogitet* (inquit *cap. 1. hoc tit.*) *& Abbates benedicere non recuſet.*

9. Nota tertiò: in collationibus beneficiorum poſt elapſum tempus à Jure ſtatutum ad conferendum, non conceditur licentia purgandi moram; licet alias mora regulariter purgari poſſit. Ita habet Gloſſa, Rebuff. Abbas, Zoëſius. Ratio eſt; quia devolutio iſtius Juris ad ſuperiorem jam cenſetur eſſe facta, elapſo tempore à Sacris Canonibus præfixo, & privatio ob negligentiam illam decreta eſt ſententiæ ipſo Jure latæ; quilibet autem Canon, qui eſt latæ ſententiæ, habet in ſe executionem: ut habet Gloſſa in *cap. licet Canon 15. de Elect. in 6.*

10. Nota quartò: probabiliorem mihi videri illam ſententiam DD. quæ aſſerit, poteſtatem, & juriſdictionem Epiſcopi propter ejus negligentiam univerſaliter non devolvi ad Archi-Epiſcopum, nec per eum ſuppleri poſſe; ſed in determinatis duntaxat caſibus, à Jure ſpecificatis. Ita Barboſa, Pirh. Pialec. Abbas, &c. contra plures DD. quos refert Barboſa, & Quaranta. Ratio eſt; quia in

materia

Digitized by Google

materia prohibitoria quod non eſt permiſſum, cenſetur eſſe prohibitum, *cap. inter 2. de translat. Epiſcop.* Sed Jure Canonico eſt prohibitum Archi-Apiſcopo exercere Juriſdictionem in ſubditos ſuffraganeorum, *can. nullus 7. & ſequent. cum 9. q. 3.* Et *cap. Paſtoralis 11. de Offic. Ordin.* præterquam in caſibus à Jure ſpecificatis: nullibi autem invenitur ſpecificatum, Archi-Epiſcopum ſi negligentiam committat Epiſcopus poſſe ſupplere ipſius vices, exercendo juriſdictionem in ejuſdem ſubditos: Ergo &c.

11. Nota quintò: Si Epiſcopus ſit negligens in adminiſtratione Epiſcopatûs, poteſt Sum. Pontifex hujusmodi negligentiam ſupplere, adjungendo eidem Coadjutorem, ſeu Curatorem cum plena, & libera poteſtate adminiſtrandi; uti colligitur ex *cap. grandi 2. hoc tit. in 6.* Et tenet Gloſſa, Pirhing, &c.

CAP. III.

De ſupplenda negligentia Prælatorum Ordin. S. Franciſci.

1. Nota primò: graviſſimæ ſunt obligationes Prælatorum Ordinis noſtri Franciſcani, de Obſerv. & Ref. reſpicientes gubernium, viſitationes, correctiones, reformationes, & Regularis Obſervantiæ manutentiones; de quibus graviſſimè loquuntur Statuta Papalia Julij II. *cap. 10. parte 12.* Et Salmanticenſia. Et Aquilana. Et Romana. Et Valliſoletana, ac aliæ Ordinis Conſtitutiones, & Bullæ Pontificiæ: conſonatque Tridentinum *Seſſ. 25. de reg. cap. 1.* dicens; *præcipitur, ut omnes Regulares, tam viri, quàm mulieres, ad Regulæ, quam profeſſi ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant, & componant; atque imprimis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut Obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis vota; necnon ad communem vitam, & veſtitum conſervanda pertinentia, fideliter obſervent: omniſque diligentia, & cura à ſuperioribus adhibeatur tam in Capitulis, quàm viſitationibus, quæ ſuis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis non recedatur.* Eaſdem Prælatorum Ordinis noſtri, & aliorum obligationes decrevit Clemens VIII. in decreto *de reformat. Regular.* Et Leo X. in Bulla *ite & vos.*

2. Dico primò: Supremus Ordinis Franciſcani Prælatus, ſcilicet Miniſter Generalis, vi Prælaturæ, & officij quod gerit, obligatur ad viſitandum per ſe, vel ſuos Commiſſarios univerſum Ordinem, in ordine ad regularem diſciplinam collapſam reſtaurandam, aut adhuc vigentem conſervandam, & ad renovanda gubernia Provincialium, ac aliorum. Ita ordinatur in Conſtitutionibus generalibus Ordinis *cap. 8. §. 11. & §. 56.* Et fundatur in *cap. 10.* Seraphicæ Regulæ ibi, *Fratres qui ſunt Miniſtri & ſervi viſitent, & moneant Fratres ſuos, & humiliter, & charitativè corrigant eos.* Et conſonat Tridentinum *Seſſ. 25. de reg. cap. 8. & 20.* Quod dicitur de Generali Miniſtro, idem reſpectivè dicendum de Commiſſario Generali illius Familiæ, à qua abeſt Miniſter Generalis.

3. Notanter autem dicitur in concluſione *per ſe, vel ſuos Commiſſarios*: quia cum Ordo S. Franciſci in maximam excreverit amplitudinem, contineátque Provincias remotiſſimas Indiarum Orientalium, & Occidentalium, Ultramarinarum, &c. Ideo Generalis per ſemetipſum viſitandi, reformandi, corrigendi, & innovandi munus præſtare nequit; ſed ad ejuſmodi functiones Commiſſarios Viſitatores qualificatos ſingulis triennijs mittere debet; ut habent Conſtitutiones generales Ordinis *locis citatis*, quorum munus exactè deſcribitur *cit. cap. 8. §. 56.*

4. Nota ſecundò: Si hic ſupremus Ordinis Prælatus Generalis Ordinis noſtri, in præfato munere viſitationis, aut alijs ſuam Prælaturam concernentibus negligens fuerit; ejus negligentia ſuppletur, corrigitur, & ſyndicatur per Diffinitorium generale tempore Capituli generalis; uti habent Conſtitutiones generales *Ord. cap. 8. §. 9.*

5. Dico ſecundò: negligentia verò Viſitatorum Commiſſariorum ad Provincias viſitandas deſtinatorum ſyndicari, & ſuppleri debet per ſubſequens Capitulum generale. Ita conſtat ex *cap. ea, de ſtatu Monach.* ubi dicitur, *ſequentes autem Viſitatores perquirant priorum Viſitatorum veſtigia diligenter; & eorum negligentias, & exceſſus referant ſequenti Capitulo generali, ut juxta culpam publicè debitam pœnam portent.* Et Conſtit. generales Reform. *cap. 8. n. 14.*

6. Dico tertiò: Prælatus major Provinciæ, id eſt Miniſter, & Vicarius Provincialis obligatur quotannis, ſaltem ſemel univerſam provinciam viſitare, in ordine ad extirpandos abuſus, contra Regulam, aut receptas Conſtitutiones introductos, corrigendos Fratres, & alia ordinanda, ac præſtanda pro ſalutari Provinciæ ſtatu, & neceſſitate. Ita conſtat ex Conſtit. generalibus Ordinis *cap. 8. §. 47.*

7. Dico quartò: Si Prælatus major Provinciæ, videlicet Miniſter, aut Vicarius Pro-

vin-

vincialis negligens fuerit in Prælatura, & officio ſuo; ejus negligentia ſyndicari, & ſuppleri debet per Commiſſarium Viſitatorem cum aſſenſu majoris partis Patrum Provinciæ, & Capituli Provincialis. Ita conſtat ex Conſtitutionibus generalibus Ordin. *cap. 8. §. 56.* Et general. Ref. *cap. 8. n. 10.*

8. Dico quintò: Prælatus localis domuum regularium Ordinis S. Franciſci pariter habet obligationem aliquoties viſitandi cellas Fratrum, regularem diſciplinam conſervandi, aut reſtaurandi, Regulæ Obſervantiam implantandi, Conſtitutiones Ordinis, & Provinciæ manutenendi, ac alia præſtandi, quæ in Conſtitutionibus Generalibus, & Provincialibus eidem demandantur. Ita conſtat ex Statutis Generalibus *cap. 8. §. 43. num. 6.* Et ex Jure communi in *cap. ea, quæ, de ſtatu Monach.* Eſtque Ratio; quia ideo notanter vocantur *Guardiani* vocabulô Italicô, id eſt *Cuſtodes*; ut videlicet cuſtodiant immediatè Regulæ, & Conſtitutionum obſervantiam.

9. Dico ſextò: negligentia horum Prælatorum localium ſyndicatur, corrigitur, & ſuppletur tum per Miniſtros, & Vicarios Provinciales; tum per Viſitatores Commiſſarios; tum per Capitulum. Ita primum conſtat ex Conſtitutionibus Generalibus Ordinis *cap. 8. §. 47. n. 3.* Secundum ex eodem *cap. §. 56.* Tertium ex *cap. ea, quæ; de ſtatu Monach.* ubi dicitur, *ſi Abbates in corrigendis juxta Viſitatorum mandatum, & regularia inſtituta in ſeipſis, ſeu Monachorum inventi fuerint negligentes, proclamentur, & corrigantur, & ita puniantur publicè in Capitulo Generali, quòd pœna ipſorum ſit aliis in exemplum.*

TITULUS XI.

DE TEMPORIBUS ORDINATIONUM; ET QUALITATE ORDINANDORUM.

CAP. I.

De quidditate, numero, & effectu Ordinationum, & Ordinum.

1. NOta primò: Perſonæ Eccleſiaſticæ Prælaturas, ac alia beneficia Eccleſiaſtica obtenturæ ordinari debent, ac Ordines proportionatos & requiſitos ad tale beneficium recipere: unde *hic tit.* à Papa proponitur, in quo de Ordinationibus, Ordinibus, & qualitatibus Ordinandorum diſſeritur. Ordinatio autem, & Ordo dupliciter uſurpatur: *Primò* pro aliquo gradu eminente, & poteſtate in Eccleſia collata ad certas functiones, & miniſteria ritè in Eccleſia obeunda. *Secundò* pro ritu externo, & inſtitutione alicujus perſonæ idoneæ in aliquo gradu Eccleſiæ, quâ confertur poteſtas ad certa aliqua miniſteria obeunda: & de Ordinatione, ac Ordine in hac uſurpatione procedit potiſſimè præſens Titulus; eſtquè propriè Sacramentum; cujus effectus eſt Ordinatio, ſeu Ordo in præmiſſa *prima* uſurpatione acceptus.

2. Dico primò: Ordo, ſeu Ordinatio, de qua hìc, rectè deſcribitur dicendo; *Eſt inſtitutio alicujus in gradu Eccleſiæ præeminente, cui convenit aliquod Miniſterium circa Euchariſtiam exhibendam, facta à Miniſtro idoneo, certa verba proferente, & ſimul cum intentione debita miniſterium gradus illius aliquo ſigno viſibili repræſentante, ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans gratiam præeminentem, quâ Ordinatus dignè aliquod Miniſterium exequatur.* Ita Scotus in terminis *4. diſt. 24. q. un.* Ratio eſt; quia convenit omni, & ſoli, habetquè cætera requiſita ad bonam definitionem: Ergo &c. Explicatur hæc definitio: Ly *inſtitutio* eſt genus: reliquæ particulæ formant differentiam. Dicitur *alicujus in gradu Eccleſiæ præeminente*, ad oſtendendum Ordinatos diſtingui à Laicis, tali gradu carentibus. Dicitur *cui convenit aliquod miniſterium circa Euchariſtiam exhibendam*, ut exprimatur finis remotus Ordinationis. Additur *facta à Miniſtro idoneo*: quæ verba inſinuant Ordinantem Epiſcopum, vel Abbatem. Per ly *certa verba proferente*, oſtenditur forma hujus Sacramenti. Per ly *& ſimul cum debita intentione miniſterium gradus illius, aliquo ſigno viſibili repræſentante*,

Digitized by Google

inſinuatur materia hujus Sacramenti, quæ eſt aliquod inſtrumentum ſenſibile, v.g. calix, liber Evangeliorum, &c. Per Ly *ex inſtitutione Divina* monſtratur Author hujus Sacramenti Chriſtus. Reliqua verba manifeſtant finem *ad quem* proximum Ordinationis.

3. Nota ſecundò: Si quis compendioſiùs vellet definire Ordinationem Sacramentalem; ſic bene diceret; *Ordinatio eſt actio conſecratoria, quâ gradus alicujus poteſtatis ad Altaris miniſterium alicui confertur.* Hæc liquet ex terminis.

4. Dico ſecundò: Datur Ordo, ſeu Ordinatio, quæ eſt propriè dictum Sacramentum à Chriſto inſtitutum. Eſt communis Theologorum. Et conſtat ex definitione Florent. Et Trident. *Seſſ. 7. can. 1.* contrarium damnantis. Ratio etiam eſt; quia in Scriptura S. *Actor. 6.* legitur Diaconos fuiſſe Ordinatos per manuum impoſitionem. Et *Actor. 13.* Paulus, & Barnabas Ordinantur Epiſcopi per manuum impoſitionem, ab Apoſtolis factam. Accedunt plurimi SS. Patres, veritatem hanc atteſtantes; ut S. Clemens Roman. S. Ignatius Martyr, S. Dionyſius Areopagita, Baſilius, 3. Gregorij Nazian. Niſſenus, & Magnus, quorum ultimus *lib. 4 in cap. 10. libri 1. Regum* dicit; *Sacrorum Ordinum Sacramenta ab Eccleſiæ Doctoribus foris accipimus; ſed Sacramentorum virtute ab Omnipotente DEO interiùs roboramur; virtus verò Sacramenti gratia eſt Spiritus ſeptiformis.* Et D. Auguſtinus *lib. 2. contra Epiſtolam Parmeniani, cap.* comparans baptiſmum cum Ordine, ait; *Utrumque Sacramentum eſt, & quadam conſecratione utrumque homini datur: illud cùm baptizatur; iſtud cùm Ordinatur.* Unde concludit Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 3.* dicens; *Cùm Scripturæ teſtimonio, Apoſtolicâ traditione, & Patrum unanimi conſenſu perſpicuum ſit, per Sacram Ordinationem, quæ verbis, & ſignis exterioribus perficitur, gratiam conferri; dubitare nemo debet, Ordinem eſſe, verè & propriè unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis.*

5. Dico tertiò: Septem communiter recenſentur Ordines; Sacerdotium; Diaconatus; Subdiaconatus; Accolythatus; Exorciſtatus; Lectoratus; & Oſtiariatus. Ita Theologi omnes. Et quia tot enumerat Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 2.* Item Concilium Carthaginenſe IV. Cornelius Papa circa annum 255. Epiſtolâ *ad Fabium Antioch.* Cajus Pontifex circa annum 284. in Epiſtola *ad Felicem*; quæ & plurimæ aliæ SS. PP. & Conciliorum Authoritates docent, nomina præfata ſeptem Ordinum, & unius cujuſcunque proprium miniſterium ſtatim ab ipſo Eccleſiæ exordio fuiſſe in uſu.

6. Dico quartò: Epiſcopatus eſt etiam propriè dictus Ordo; aliquô modô à Sacerdotio ſimplici diſtinctus. Ita Canoniſtæ in *cap. cùm contingat*; & Theologi communiter cum Scoto; contra Durandum, Vaſq. Palud. &c. Primū conſtat ex epiſt. *1. ad Timoth. 4.* ubi legitur Timotheus Ordinatus in Epiſcopum. Et Ordinatio D. Pauli, & Barnabæ in Epiſcopos *Act. 13.* Ratio etiam eſt; quia in Ordinatione Epiſcopi intervenit ſignum ſenſibile collativum gratiæ in Ordine ad ſpeciales functiones: ergo eſt verus Ordo. Idem præterea indicat Anacletus Pontifex quartus poſt D. Petrum dicens; *Sacerdotum Ordo bipartitus eſt.* Similiter Tertull. in *lib. de Baptiſmo.* S. Ambroſius *lib. 3. de Sacramentis cap. 1.* Ratio ſecundi primò eſt; quia Trident. *Seſſ. 23. cap. 4.* habet ſequentia: *Proinde Sacra Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus* (id eſt ſeptem Ordines, quos ibidem enumerat ut verum Sacramentum) *Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere, eoſque Presbyteris ſuperiores eſſe:* Et addit deinde; *Docet inſuper Sacroſancta Synodus in Ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum* &c. quæ omnia indicant, quòd Epiſcopatus ſit Ordo, diſtinctus à ſimplici Sacerdotio. Ratio eſt ſecundò; quia illud eſt Sacramentum diſtinctum à ſimplici Sacerdotio, quod habet materiam, formam, poteſtatem, & functionem diſtinctam in Eccleſiaſtica Hierarchia, à materia, forma, poteſtate, & functione Sacerdotij: Sed Epiſcopatus habet hæc diſtincta; quia Materia Epiſcopatûs eſt manuum impoſitio per tres Epiſcopos ſuper caput Ordinandi; forma verò ſunt verba, quæ tunc proferuntur; poteſtas eſt facultas ordinaria conficiendi chriſma, & alios Ordinandi in Presbyteros; quæ omnia non habet ſimplex Sacerdotium: Ergo &c.

7. Objicies: Tridentinum numerat tantùm ſeptem Ordines: Ergo videtur Epiſcopatus non eſſe Ordo, diſtinctus à ſimplici Sacerdotio; aliàs eſſent octo Ordines. Reſpondeo Negando Conſequentiam, & dico; quando Tridentinum aſſignat ſeptem tantùm Ordines, loquitur ſolùm de Ordinibus requiſitis ad ſimplex Sacerdotium. Vel ſi loquatur de omnibus omninò Eccleſiæ Ordinibus; dico Epiſcopatum comprehendi in Sacerdotio enumerato à Tridentino; cùm ex Anacleto Papa, *Ordo Sacerdotum bipartitus ſit.*

8. Nota tertiò: Quando Scripturæ, & PP. præfer-

Digitized by Google

præſertim D. Hieronymus in *cap. 1. ad Titum*, confundunt nomen Presbyteri, & Epiſcopi quaſi idem ſint: intelligendi ſunt, quòd quoad poteſtatem conſecrativam Corporis Chriſti idem ſint Epiſcopus, & Presbyter; habent enim ejusdem rationis poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti: non verò quoad omnem poteſtatem, & Ordinem; cùm Epiſcopus præterea poſſit conficere Chriſma, & Ordinare Sacerdotes. Ex hactenus concluſis, & reſolutis.

9. Sequitur primò: Tonſuram primam non eſſe Ordinem verum; ſed ſolùm diſpoſitionem quandam ad Ordinem; cùm nulla ſpecialis poteſtas per eam conferatur Tonſurato; ſed ſolùm privilegium Canonis, & Immunitatis Eccleſiaſticæ; ut alibi dicetur.

10. Sequitur ſecundò: Neque Cardinalatum eſſe diſtinctum Ordinem, licèt ſtatim ab exordio Eccleſiæ fuerint aſſumpti à Sum. Pontif. pro Coadjutoribus Eccleſiæ; ut dicit Eugenius IV. in Epiſtola *ad Archiepiſc. Cantuar.* & poſtmodum primò à S. Sylveſtro Papa Cardinales nominati. Neque gradum Metropolitarum, Archi-Epiſcoporum, & Patriarcharum, eſſe verum Ordinem; cùm hi gradus ſinè ulla forma Sacramentali conferantur.

11. Dico quintò: Omnes ſeptem Ordines, etiam Epiſcopatus, ſunt vera Sacramenta partialia, conſtituentia unum Ordinis Sacramentum totale. Ita Scotus, D. Thomas, D. Bonaventura, & communior DD. Primum deſumitur ex Florentino *in Decreto Eug.* dicente; *Sextum Sacramentum eſt Ordinis; cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur*, &c. quâ generali doctrinâ exemplificatâ in materia Ordinis Presbyteratûs, Diaconatûs, Subdiaconatûs, qui vera Sacramenta ſunt; addit: *Et ſimiliter de aliis, per rerum, ad ſua miniſteria pertinentium, aſſignationem:* ubi ea, quæ de Sacramento Ordinis erant dicta, ad omnes Ordines extenduntur. Ergo omnes Ordines ſunt vera Sacramenta. Ratio ſecundi eſt; quia duo partialia Sacramenta Corporis, & Sanguinis Chriſti, diſtincta inter ſe, conſtituunt unum Sacramentum Euchariſtiæ: Ergo pariter omnia Sacramenta partialia Ordinis conſtituunt unum Sacramentum Ordinis unitate genericâ.

12. Nota quartò: Quemlibet Ordinem imprimere ſuum characterem; & quidem in ſententia Scoti ſpecie diſtinctum. Ratio primi eſt; quia iterari non poſſunt Ordines. Et quia Tridentinum *Seſſ. 23.* generaliter dicit, per S. Ordinationem imprimi characterem. Ratio ſecundi eſt; quia Ordines omnes diverſas ſpecie conferunt poteſtates ad diverſas functiones Eccleſiaſticas peragendas; adeoque imprimunt diverſum ſpecie characterem.

13. Nota quintò: Ex Ordinibus quosdam vocari Majores, & Sacros; quosdam Minores, & non Sacros. Majores & Sacri Ordines ſunt Epiſcopatus, Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus. *Sacri* dicuntur; quia votum continentiæ perpetuæ habent annexum, & propiùs ad confectionem Corporis Chriſti accedunt. Minores, & non Sacri ſunt Accolythatus, Lectoratus, Exorciſtatus, Oſtiariatus; qui non habent annexum votum caſtitatis perpetuæ.

CAP. II.

Definitiones ſingulorum Ordinum, Munera eorum, Materiæ, & Formæ producuntur.

1. Dico primò: Ordo *Epiſcopatus* rectè definitur: Eſt poteſtas conſecrandi Corpus Chriſti, remittendi peccata, conficiendi Chriſma, & Sacerdotes, aliosq; Miniſtros ordinandi, confirmandi, ac Eccleſias, vaſa Sacra, altaria &c. conſecrandi. *Presbyteratus*, eſt poteſtas, per quam Ordinatus poteſt conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti, remittere, ac retinere peccata. *Diaconatus*, eſt poteſtas per quam Ordinatus poteſt ſolemniter cantare in Miſſa Evangelium, & diſpenſare Corpus Chriſti. *Subdiaconatus*, eſt poteſtas, per quam Ordinatus poteſt portare Calicem cum vino, & pane ad altare, præparare neceſſaria ſacrificio Miſſæ, & ſolemniter cantare Epiſtolam. *Accolythatus*; eſt poteſtas portandi candelabrum cum cereo, & urceolos cum vino & aqua ad ſacrificium Miſſæ. *Exorciſtatus*; eſt poteſtas conjurandi Dæmones, eosque expellendi ab hominibus, & rebus eorum. *Lectoratus*; eſt poteſtas legendi publicè Prophetas, & alias ſacras lectiones. *Oſtiariatus* tandem eſt poteſtas recipiendi dignos, & expellendi indignos ex Eccleſia DEI, volentes ſacram ſumere Euchariſtiam, Diviniſquè adeſſe. Hæc doctrina eſt in re communis. Et ratio ejus eſt; quia omnes aſſertæ Definitiones ſunt ſecundùm Ordinarias Dialecticas leges exactæ Definitionis traditæ. Ex his ulterius

2. Dico ſecundò: *Munus ſpecialis Or-*

dinis Epiſcopalis, eſt conſecrare Chriſma baptiſmale, oleum infirmorum, & materiam Confirmationis; Ordines minores, & majores conferre; conſecrare Eccleſias, & Altaria, & ſacra vaſa, ubi Chriſma intervenit; confirmare; & alias nonnullas ſubliniores functiones in Eccleſia DEI exercere. *Munus Sacerdotis*, eſt conficere, offerre, & adminiſtrare S. Euchariſtiam; deinde debet eſſe mediator inter DEUM, & hominem, pro homine, & Eccleſia orando; infirmos viſitando, ac benedicendo; debet populum docere legem DEI; colere caſtitatem; & horas Canonicas recitare quotidie. *Munus Diaconi*, eſt Epiſcopum perpetuò ſequi; concionantem cuſtodire; eique, & Sacerdoti celebranti, vel Sacramenta adminiſtranti aſſiſtere; in Miſſa ſolemni Evangelium cantare: olim ex commiſſione Sacerdotis debebat etiam Sanguinem Chriſti ex calice diſpenſare; imò & Euchariſtiam; quæ tamen conſuetudo jam eſt abrogata; item debet baptizare in abſentia Sacerdotis; & alia officia ſubire; ut videre eſt in *cap. perlectis, diſt. 25.* hic, ſicut & Subdiaconus, obligatur ad ſervandam caſtitatem, & recitandum Officium Divinum ſub mortali; ut habetur *cap. Quando. diſt. 28.* Et *cap. 1. de celebratione Miſſ.* *Munus Subdiaconi*, eſt Diacono ad altare inſervire; Sacra linteamina, vaſa, panem, & vinum ad ſacrificij uſum neceſſaria præparare in altari; Epiſcopo, & Sacerdoti aquam præbere; Epiſtolam in Miſſa ſolemni cantare; ad eumque ſpectat in proceſſionibus Crucem præferre. *Munus Accolythi*, eſt parare materiam neceſſariam ad Euchariſtiam in vaſis non ſacris; deinde Subdiaconis, & Diaconis miniſterio adeſſe; deferre lumina, cùm Miſſa celebratur. *Munus Exorciſtæ*, eſt conjurare, & ejicere Dæmonia ex hominibus, & eorum rebus. *Munus Lectoris*, eſt lectiones Prophetiarum pronunciare populo clarâ voce. *Munus Oſtiarij*, eſt claves templi, & januam cuſtodire; pulſare campanas, ut populus conveniat; ab aditu templi arcere eos, quibus ingredi interdictum eſt, v. g. Hæreticis &c. Hæc omnia tradunt diverſæ diſpoſitiones Canonum, & Ordinationes Conciliorum; maximè Carthaginenſis IV. Florentini, & Trident.

3. Dico tertiò: Sola manuum impoſitio ſuper caput Ordinandi eſt Materia Ordinationis Epiſcopalis: Forma ſunt verba tunc prolata ſcilicet; *Accipe Spiritum Sanctum*, &c. Ita communior DD. Armilla, Soto, Henriq. Bellarm. contra Arriagam, & alios. Ratio eſt; quia Timotheus legitur *1. ad Timoth. 4.* ſolâ manuum impoſitione Ordinatus in Epiſcopum. Et SS. PP. Epiſcopalem conſecrationem appellant manuum impoſitionem. Inſuper Eccleſia utraque, Latina, & Græca, in ſola manuum impoſitione conveniunt; non in alijs actionibus intervenientibus in Ordinatione Epiſcopi.

4. Ex quo ſequitur contra Arriagam: Unctionem chriſmatis in capite; item unctionem manuum; uti & impoſitionem libri Evangeliorum inter ſcapulas Ordinandi, eſſe tantùm cæremonias, de præcepto humano nunc obſervandas. Et ideo horum non meminit vetuſtum Concilium IV. Carthaginenſe; ubi ritus Ordinandi Epiſcopum præſcribitur. Circa Materias Ordinum

5. Nota primò: eas eſſe duplices; proximas & remotas; quæ omnes ſequentibus Concluſionibus exprimentur. *Remota* eſt aliqua res, vel inſtrumentum, quod traditur ab ordinante. *Proxima* eſt ipſa traditio.

6. Dico quartò: Ordinationis Presbyteralis duplex eſt Materia, & Forma: *Prima* & quidem *remota*, eſt calix cum vino, & patena cum pane triticeo: *proxima* eſt traditio utriusque: Forma verò ſunt verba Epiſcopi: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium DEO* &c. *Secunda* Materia ejus eſt impoſitio manuum facta ab Epiſcopo; *Forma* verò ſunt verba Epiſcopi: *Accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata* &c. Ita Scotus *4. diſt. 24.* Con. Valenſ. Rich. Laym. &c. Primum deſumitur primò ex Concilio Florentino, in *Decreto Eugenij*, & ex Pontificali. Secundũ patet ex Tridentino *Seſſ. 23.* Et Concilio Carthaginenſi IV. *cap. 3.* dicente; *Presbyter, cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſupra caput ejus tenente.*

7. Ex concluſione infert Scotus: meritò duplicem imprimi characterem in Sacerdotis anima; quorum unus deſignat poteſtatem in corpus myſticum Chriſti, alter in corpus verum Chriſti: & idem ſentit Arcadius, Reginaldus, &c.

8. Dico quintò: Ordinationis Diaconi Materia, & Forma probabiliter etiam duplex eſt: *Prima remota* eſt liber Evangeliorum; *proxima* eſt traditio ejuſdem; *Forma* eſt; *Accipe poteſtatem legendi Evangelium* &c. *Secunda* eſt impoſitio manuum; *Forma*; *Accipe Spiritum S. ad robur, ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus.* Prima pars eſt communis. Secunda eſt Bellarmini, Conink, Herincx &c. Primum colligitur ex Concilio Florentino; aſſignante pro Materia Diaconatûs librum Evangeliorum, ejusque traditionem: ergo &c. Secundum habetur *Act. 6.* ubi leguntur Diaconi Ordinati per manuum impoſitionem.

Digitized by Google

nem. Et Tridentinum generaliter dicit, eſſe anathema dicere, quòd *per Ordinationem non detur Spiritus Sanctus, & proinde fruſtra Epiſcopum dicere Accipe Spiritum S.*; hoc autem dicunt Epiſcopi in Ordinatione Diaconi; ut patet ex *Pontificali Romano*: ergo &c. Stat pro hac parte etiam Carthaginenſe IV. *cap. 4.*

9. Dico ſextò: Materia Ordinationis Subdiaconi *remota*, eſt calix vacuus cum patena ſuperpoſita; *proxima* traditio ejus; *Forma* ſunt verba Epiſcopi tunc prolata: *Videte cujus Miniſterium vobis traditur.* Ita communis Canoniſtarum. Et ita habet Concilium Carthaginenſe IV. *cap. 5.* ex Ordine. Et Florentinum in *Decreto Eugen.*

10. Dico ſeptimò: Materia *remota* Ordinationis in Accolythum, eſt candelabrum cum cereo extincto, & urceolus vacuus; *proxima* traditio eorundem; Ordinationis in Exorciſtam Materia *remota* eſt liber Exorciſmorum; *proxima* ejus traditio: Ordinationis in Lectorem Materia *remota* eſt liber Lectionum; *proxima* eſt traditio ipſius: Ordinationis in Oſtiarium Materia *remota* ſunt claves Eccleſiæ; *proxima* traditio eorum: *Formæ* autem horum quatuor Ordinum minorum, ſunt verba quæ enunciantur ab Epiſcopo, in traditione inſtrumentorum. Eſt communis Theologorum. Et ita docent Concilium Carthaginenſe; Florentinum; & Pontificale Romanum.

11. Dico octavò: De communi Eccleſiæ ritu requiruntur in omnibus Ordinibus recipiendis contactus phyſicus inſtrumentorum materialium: probabiliter tamen ſufficit etiam moralis ad valorem Sacramenti. Ita Herincx, Vict. Albertus, Zambran. &c. contra S. Thomam, Sylv. &c. Ratio primi eſt; quia ita practicatur apud Latinos Epiſcopos, qui petunt ſemper phyſicum inſtrumentorum contactum in Ordinandis; & conſonat tenor Formarum: *Accipe* &c. ac ſi vellet dicere, phyſicè tange hæc, vel illa inſtrumenta. Ratio ſecundi eſt; quia contactus phyſicus tanquam neceſſarius, non poteſt oſtendi ex Chriſti inſtitutione; neque ex natura hujus Sacramenti; quod cùm conſiſtat in traditione cujuſdam poteſtatis, ſeu deputatione ad certa miniſteria Eccleſiaſtica, potiùs exigit contactum moralem: quemadmodum contactus moralis ſufficit in traditione Civilium, & aliorum Eccleſiaſticorum Officiorum. Tum quia uſus Eccleſiæ Græcæ, toleratus Romæ, apud unitos Græcos, habet ſolùm exhibere, & oſtendere calicem cum vino, & patenam cum hoſtia in Ordinatione Sacerdotis; ſine ullo phyſico contactu. Tum quia dum Sacerdos Ordinatur, nunquam tangit phyſicè materiam ſeu vinum; ſed tantùm continens.

CAP. III.

De capacibus Ordinum recipiendorum, deque ætate, qualitate, ac tempore Ordinandorum.

1. Dico primò: Solus mas; non verò fæmina eſt capax recipiendi Ordines. Ita communis Theologorum poſt D. Thomam, S. Bonaventuram, &c. Ratio eſt; Tum quia ſtatim ab Eccleſia naſcente leguntur ſemper ſoli mares Ordinati: unde nec ipſa Sanctiſſima Mater Chriſti fuit aliquo Ordine inſignita; ut notant hìc Theologi plerumque: quod ſignum manifeſtum eſt, ſolos mares eſſe capaces Ordinationum. Tum quia ex D. Paulo *1. ad Cor. 14.* prohibentur fæminæ loqui, etiam ad interrogandum in Eccleſia. Unde quandò in Epiſtola *ad Roma. 16.* legitur Phæben fæminam eſſe in miniſterio Eccleſiæ in Cenchris: & alibi dicuntur fuiſſe *Diaconiſſæ* miniſtrantes; non eſt hoc intelligendum de miniſterio altaris, vi alicujus Ordinis Diaconatûs, vel alterius; ſed de ſervitijs communibus, quæ miniſtris Eccleſiæ, & advenis fidelibus præſtabant devotæ quædam mulieres, in caſtitate viventes; quæ & aſſiſtebant baptiſmatibus, propter decorem, & honeſtatem: Unde dicit Concilium Nicænum *can. 74. Diaconiſſæ ad hoc etiam paratæ ſint, ut fæminas in baptiſmo ſuſcipiant.*

2. Nota primò: Quod etiam maſculus antè rationem aſſecutam, validè, licèt illicitè Ordinetur in minoribus; ut habet S. Thomas *4. diſt. 25. q. 1. art. 1.* S. Bonav. Sylv. &c. Ratio eſt primi: quia nullo jure invalidatur hujuſmodi Ordinatio. Ratio Secundi; quia in Ordinatione infantis agitur contra taxatam à Sacris Canonibus ætatem, pro recipiendis Ordinibus.

3. Dico ſecundò: *Nullus impoſterum ad Subdiaconatûs Ordinem ante 22. ad Diaconatum ante 23. ad Presbyteratum ante 25. ætatis ſuæ annum promoveri poteſt licitè.* Ita in terminis Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 12. de Reform.* cujus authoritate etiam maneat probata Concluſio.

4. Nota autem ſecundò: ſecundùm Gloſſam, & communem DD. ſufficere enumeratos annos eſſe ſolùm inchoatos; quia nullo modo de jure requiruntur completi. Adverte etiam pro Minoribus nullam eſſe taxa-

Digitized by Google

taxatam ætatem; ſed relinquitur judicio Ordinarij: infans tamen ex Bonifaciana Conſtit. quæ habetur in *6. de Temp. Ordinand.* non debet Ordinari. Præterea Tridentinum *cit. cap. 4.* decernit: *Ut primâ tonſurâ non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non receperunt, & fidei rudimenta edocti non fuerunt; quique legere, & ſcribere neſciant;* Et *cap. 11. Minores Ordines iis, qui ſaltèm Latinam Linguam intelligant &c. conferantur.*

5. Nota tertiò; circa alias Ordinandorum qualitates; quòd Ordinandus regulariter debeat habere bonæ vitæ teſtimonium; item ſcientiam; & ut in inferiori aliquo Ordine aliquando miniſtraverit; niſi Epiſcopo aliud viſum fuerit: item ut non ſit aliqua cenſurâ ligatus; vel irregularitate impeditus; aut mortali peccato obſtrictus: ut non ſit ſervus; deſcendens ex genere maculato circa fidem; de quo infra *tit. 12.* &c. item ſi debeat Ordinari ab alieno Epiſcopo, debet habere literas dimiſſorias proprij Epiſcopi, ut habet Trident. *cit. cap. 8.* Proprius autem Epiſcopus eſt, ſive Epiſcopus originis; ſive domicilij; ſive beneficij; ut habetur *cap. Cum nullus, de Temporibus Ordinand. in 6.* Epiſcopus *Originis* eſt ille, in cujus Diœceſi quis naſcitur. Epiſcopus *loci*, in quo quis habitat animô perpetuô manendi. Epiſcopus *beneficij*, eſt ille in cujus Diœceſi obtinet quis beneficium Eccleſiaſticum etiam tenue. A quolibet itaque horum Epiſcoporum Ordinari quis poteſt.

6. Nota quartò circa Dimiſſoriales: Sede vacante eas dari non poſſe à Capitulo, aut ejus Vicario, niſi poſt annum à die Vacationis; vel occaſione beneficij accepti: Capitulum tamen poteſt dare licentiam etiam intra annum Vacationis alicui Epiſcopo, ut in Diœceſi vidua Capituli Ordinet illos, qui Dimiſſorialibus non indigent, ſed eas habent à proprijs Prælatis.

7. Nota quintò: Ordinandum debere habere titulum congruæ ſuſtentationis; id eſt, ut pacificè obtineat beneficium Eccleſiaſticum, quod ei ad victum honeſtè ſufficit. Ita Trident. *Seſſ. 21. cap. 2. de Reform.* Patrimonium verò, vel penſionem obtinentes ordinari non poſſunt; niſi quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate ſuarum Eccleſiarum. Ita Tridentinum *cit.* Excipiuntur à præfatis Decretis Religioſi profeſſi, quibus locô beneficij, vel patrimonij ſuccedit voluntaria paupertas; quæ Regum opibus præſtat.

8. Nota ſextò: Inſufficientem ſuſtentationem poſſe ſuppleri per patrimonium; ut habet Zerola, Quaranta, Barboſa, &c. Quantitas porrò & ſufficientia ejus taxatur judiciô Epiſcopi; ut notat Sanch. Diana &c. Beneficium, ad cujus titulum quis ordinatur, debet eſſe perpetuum; unde non ſufficit Vicaria, vel Capellania temporalis, ad nutum amovibilis. Ita Doctores communiter. Ordinatum titulô patrimonij poſſe illud alienare, etiam ſinè licentia Epiſcopi: quando ſufficiens beneficium obtinet; docet Garcias, Azorius &c. contra Barboſam.

9. Nota ſeptimò: Sat probabile eſſe, promotum cum titulo ficto, quem tamen Epiſcopo ſufficienter probavit, non incurrere ſuſpenſionem, expreſſam *cap. Neminem,* & *cap. Sanctorum, diſt. 70.* Ita Toletus, Sayrus, Henriqu. Diana, &c. Circa tempora Ordinationum

10. Nota octavò: Epiſcopum debere Ordinari die Dominicâ, vel Natali Apoſtolorum, ſecundùm Pontificale Romanum. Sacri autem Ordines ſunt conferendi regulariter Sabbathis quatuor temporum, Sabbathô Sanctô, vel Sabbathô ante Dominicam Paſſionis; uti habetur *can. finali, diſt. 75.* Et *cap. de eo, de tempor. Ordinand.* Ordinati extra dicta tempora ſunt ſuſpenſi, ſi præſumpſerint ſic Ordinari, ex Bulla Pij II. *cùm ex Sacrorum* &c. Minores verò Ordines poſſunt conferri ſingulis Dominicis, & Feſtis duplicibus; idque ubique. Prima tonſura quandocunque, & qualibet horâ dari poteſt.

11. Nota nonò: Sunt autem obſervanda certa temporum interſtitia; ſic ut nullus eodem die poſſit ſuſcipere duos Ordines Sacros, etiam Regularis, ut habet Tridentinum *Seſſ. 23.* Imò ſecundùm idem Tridentinum requiritur interſtitium unius anni poſt unum Ordinem Sacrum ſuſceptum, uſque ad ſuſceptionem alterius: in quo tamen Epiſcopi paſſim ſolent diſpenſare in hiſce regionibus ultramarinis; quæ facultas etiam tranſit ad Capitulum Sede vacante.

CAP. IV.

De Varijs Ordinationes concernentibus.

1. Dico primò: Ordinarius, & proprius Miniſter Ordinationis eſt Epiſcopus. Eſt communis Canoniſtarum. Et ita definit Tridentinum *Seſſ. 23.* Et Florentinum in *Decreto Eugenij.*

2. No-

Digitized by Google

2. Nota autem primò: Epiſcopum excommunicatum, & degradatum, vel Hæreticum adhuc validè poſſe Ordinare; ut docet Scotus, S. Bonavent. &c. Ratio eſt; quia talis retinet characterem, & poteſtatem ſemel collatam; quam Eccleſia auferre nequit per excommunicationem, vel degradationem.

3. Nota ſecundò: Ex delegata poteſtate Papæ, Minores Ordines poſſe conferri à non Epiſcopo; ſicut ſæpius conferuntur ab Abbatibus: & conferri poſſunt etiam à ſimplici Sacerdote; ex Papæ commiſſione ſpeciali, ut docet Vict. Henriqu. Reginaldus &c.

4. Nota tertiò: Non eſſe improbabilem Opinionem aſſerentium, Abbates jam habentes jus mitræ, & benedictionem ab Epiſcopo, non tantùm ſuis Monachis; ſed etiam non ſubditis ſuis poſſe conferre Minores; dummodo Epiſcopus det Dimiſſoriales; ut habet Paſius, Alciatus, Oſtienſis, Armilla &c.

5. Quæres primò: Quinam ſint effectus Ordinationis? Reſpondeo: primum eſſe gratiam ſanctificantem, & ſuo tempore, gratias quaſdam actuales. Secundum impreſſionem characteris cum certa poteſtate. Ita Florent. & Tridentinum, *cit. loc.*

6. Quæres ſecundò: Quo Jure ſit annexa continentia Sacris Ordinibus? Reſpondeo quòd tantùm Jure Eccleſiaſtico; ut habet Scotus, S. Bonav. &c. Ratio eſt; quia nullibi extat Jus Divinum: & Græci Sacerdotes etiam uniti non reprehenduntur ab Eccleſia Latina, habentes Uxores; quod tamen fieri deberet, ſi extaret Jus Divinum. De Eccleſiaſtico autem conſtat, quòd ſtatim ab initio naſcentis Eccleſiæ Sacerdotibus, & Diaconis ſaltèm prohibitum fuerit contrahere Matrimonium: ſic enim ordinatur in *Canone 27. Apoſtol.* item in Concilio Ancyrano, *Canone 10.* Carthaginenſi II. *Canon. 2.* Eliberitano *Can. 33.* Concilio Romano, ſub Sylveſtro Papa: ut proinde impudenter mentiantur Melanchthon, & Kemnitius, dicentes, hanc legem continentiæ à Romanis Papis, contra antiqua Concilia introductam. Dixi notanter *ſaltèm Diaconis*; quia fortè Subdiaconatui non ſtatim fuit annexa continentia; eò quòd ab initio non putetur fuiſſe Sacer Ordo; ut colligitur ex *cap. à multis, de ætate, & qualitate Ordinand.*

7. Nota quartò: Si quis Ordinaretur in infantia, non tenetur ad caſtitatem. Ita Sanch. &c. Ratio eſt; quia non tenetur ex voto; cùm ad hoc emittendum non habuerit ſufficientem libertatem, vel judicium; nec ex Eccleſiæ præcepto, quæ non obligat, niſi volenter, & ſcienter Sacros Ordines aſſumentes. Similiter diſcurrit Herincx de Ordinatis ante pubertatem, in Subdiaconum, & Diaconum: Et de Ordinatis per metum injuſtum, & gravem; ut etiam docet Vaſquez, & alij; eſtque Stylus Curiæ Romanæ, ut teſtatur Rota in deciſionibus noviſſimis, deciſione 561. referente Averſa.

8. Nota quintò: Contra Wicleph, & alios Hæreticos, Eccleſiam juſtiſſimis de cauſis potuiſſe Sacris Ordinibus annectere continentiam: nam, ut inquit Scotus hìc *diſt. 37.* Clericus deputatus miniſterio Sacro debet habere munditiam mentis, & carnis, perſpicacitatem intellectûs, & fervorem affectûs; ad quæ omnia diſponit continentia; & ad eorum oppoſita frequentia actûs carnalis. Deinde ſi Abimelech *1. Reg. 21.* noluit dare panem ſanctificatum, niſi mundis à mulieribus; quantò ampliùs munditia ab ijs Miniſtris requiritur, quorum indies eſt ſumere, & offerre Agnum Immaculatum.

CAP. V.

De Privilegijs Franciſcanorum, & aliorum Regularium circa Ordines ſuſcipiendos; & de Miniſtro eorum; alijsque huc pertinentibus.

1. Dico primò: Prælati noſtri & aliorum Regularium poſſunt concedere ſuis ſubditis Regularibus literas dimiſſoriales, ad ſuſcipiendos Ordines à quovis Epiſcopo, ſinè dimiſſorijs Epiſcopi loci. Ita conceſſit Benedictus IX. Innocentius III. Eugenius IV. Et nobis Minoritis in ſpecie Alexander IV. Omnibus etiam deinde Regularibus Leo X. & Paulus III. quæ privilegia non ſunt revocata per generales clauſulas Tridentini; ut clarè habetur ex Bulla Pij V. *Etſi Mendicantium*, dicentis, Tridentini Decretum *Seſſ. 23. In regularibus locum non habere, ita quòd Fratres hujuſmodi præfatos etiam Sacros Ordines à quolibet Antiſtite Catholico, Ordinarij licentiâ minimè requiſitâ, recipere poſſint.* Ita tenor Bullæ. Totum hoc iterum renovavit Clem. VIII. Anno 1596.

2. Dico ſecundo: Iidem Prælati Regulares poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis in interſtitijs, quæ ſunt intervalla temporis unius videlicet anni, inter aſſumptum Ordinem, & aſſumendum. Ita conceſſère Alexander IV. Eugenius IV. & alij. Quæ privilegia ſimili-

militer non eſſe revocata à Tridentino *cit.* oſtendit Rodrigu. March. Præpoſitus, Diana: eſſeque tutum in praxi hoc practicare docet Averſa: & ait hoc Romæ eſſe ſæpiùs practicatum. Et conceſſit totum hoc de novo Clemens VIII. poſt Trident. Ex quibus liquet; Regulares, maximè Mendicantes, poſſe Ordinari tribus Dominicis, vel Feſtis duplicibus conſequenter.

TITULUS XII.

DE SCRUTINIO IN ORDINE FACIENDO.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit Scrutinium, & quæ ejus Obligatio.

1. NOta primò: ad Sacras Ordinationes, & Ordines admitti debent ſolæ perſonæ idoneæ, quæ volunt, & valent exercere miniſteria in Eccleſia DEI: quare ut de hoc meliùs conſtare poſſit, præmittendum eſt Scrutinium; de quo in hoc tit.

2. Dico primò: rectè deſcribitur Scrutinium in Ordine faciendum, quòd *ſit diligens examen, ac inquiſitio Ordinandorum facta ab eo, ad quem ſpectat.* Ly *Scrutinium* derivatur à *Scrutando*, id eſt interrogando; nam is qui examinat, interrogat *cap. un. hoc tit.*

3. Dico ſecundò: Omnes Ordinandi, etiam Regulares, adveniente tempore Ordinationum Scrutinium Epiſcopi ſubire debent, & examinari; & qui digni reperti fuerint admittendi ad Ordines, indigni verò repellendi. Ita Quar. Barboſ. Mirand. & communis Canoniſtarum. Primum colligitur ex *can. nullus.* Et *can. quando, diſt. 34.* Et Trident. *Seſſ. 23. cap. 12.* Ratio ſecundi eſt; quia etſi olim Regulares habuerint privilegia, vigore quorum erant exempti à Scrutinio, & examine Epiſcopi; & hoc pertinebat ad ſuperiores: attamen hujuſmodi privilegia revocata fuêre per Concilium Tridentinum *loc. cit.* uti teſtatur Mirand. Item per Conſtitutionem Sixti V.

3. Nota ſecundò: Scrutinium triplex in Sacris Canonibus præſcriptum reperitur: primum per menſem ante Ordinationes coram Parocho, vel alio delegato faciendum, Ordinat Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 5.* quod in Germania non eſt in uſum poſitum. Secundum feriâ quartâ ante ipſam etiam Ordinationem coram Epiſcopo, vel ejus deputatis peritis Examinatoribus inſtituendum præcipit idem Trident. *cit. Seſſ. cap. 7.* Tertium demum fieri debet in ipſa Ordinatione die ſabbathi; de hoc loquitur *cap. un. hoc tit.* & conſiſtit in hoc, ut Epiſcopus in actu Ordinationis quærat, utrùm Ordinandi ſint digni, ut eis conferantur Ordines? cui interrogationi olim reſpondebat Archidiaconus (ad cujus officium pertinebat Scrutinium facere ſuper Ordinandos, & Epiſcopo dignos præſentare ad Ordines) ſic, *quantum humana fragilitas noſſe ſinit, ſcio, & teſtificor illos dignos eſſe.* Verùm hodie quibuſdam locis vel Capellanus, vel Diaconus reſpondet Epiſcopo per eadem verba.

CAP. II.

De quibus Scrutinium inſtituendum.

1. NOta primò: In primo, & ſecundo examine ſeu Scrutinio Examinatores diligenter inquirere debent ex Tridentino *Seſſ. 23. cap. 7.* ſuper ſequentia: *Primò* ſuper genus Ordinandi, an ſcilicet ſit ex genere maculato circa fidem; quia Jure Canonico arcentur à ſuſceptione Ordinum deſcendentes ab hæreticis non toleratis, fautoribus, & defenſoribus eorum usque ad ſecundum gradum per lineam maſculam; & usque ad primum per lineam fæmineam; niſi eorum parentes pœnituerint ante mortem, & Eccleſiæ reconciliati fuerint; uti colligitur ex *cap. 2.* Et *cap. Statutum, de hæret. in 6.* Ita Barboſa, Pirh. Engel, & alij DD. quare iſta pœna hæreſis aſſimilatur crimini læſæ Majeſtatis, quâ etiam filij puniuntur *cap. urgentes 10. de hæret.* Et *L. quiſquis C. ad L. Juliam Majeſt.* Et ſtatuitur in execrationem ſceleris, ut parentes ſaltèm in pœna filiorum terreantur. Hujuſmodi pœna tamen in Germania tam accuratè non obſervatur, ob hæreſis nimiam dilatationem, & permixtionem Catholicorum cum

cum hæreticis, & quia hìc plerique ſunt hæretici tolerati poſt Conc. Conſtant. ac veluti Excommunicati tolerati; quorum filij proinde non ita cenſentur eſſe ex genere maculato circa fidem. Ad genus maculatum reducuntur etiam Neophyti, id eſt ex Judaiſmo, & Paganiſmo recenter converſi ad fidem Chriſtianam, & baptizati *c. 1. diſt. 48.* Hi tamen poſtquam moribus, & diſciplina Chriſtiana ſufficienter ſunt inſtructi, Ordinari poterunt; ut habet Covarr. Pirhing. &c. Nam hi ſicut tempore infidelitatis extra jurisdictionem Eccleſiæ conſtituti defectu Baptiſmi, ob infidelitatem puniri non poterant; ita nec poſt ſuſceptum Baptiſma, & poſt completam inſtructionem in fide, & moribus impediri debent ab Ordinibus.

2. Nota ſecundò: *Secundò* in Scrutinio examinari debent Ordinandi circa perſonam; an videlicet ſit ſervus formalis; an obligatus; an bigamus; an legitimè natus, an corpore vitiatus, an ſufficienti ætate præditus pro Ordinibus ſuſcipiendis à Tridentino præfixa; an non confirmatus; an irregularis; an cenſuratus; hi enim omnes per varios Canones repelluntur à ſuſceptione Ordinum.

3. Nota tertiò: *tertiò* examinari debent circa mores; nam qui eſt in moribus defectuoſus, & infamis infamiâ Juris, vel facti, ob adulterium v.g. vel perjurium; vel falſum teſtimonium; aut aliud enorme crimen; item publicè pœnitens prohibetur Ordinari *cap. final. de tempor. Ordin.* Et *can. ex pœnit. diſt. 50.* Et *can. infames 17. cau. 6. q. 1.* Et *cap. ex tenore 4. de tempor. Ordin.* Debet autem Ordinandus probare ſuos incorruptos mores teſtimoniô Parochi, & Magiſtri Scholæ, juxta Trident. *Seſſ. 23. cap. 5.*

4. Nota quartò: *quartò* examinari debent circa doctrinam, an ſint ſufficienter literati; nam & illiterati prohibentur regulariter Ordinari; *nam literis carens ſacris non poteſt eſſe aptus officiis*, inquit *c. 1. diſt. 36.* Quæ autem, & quanta literatura requiratur ad ſingulos Ordines, declarat Tridentinum; & quidem ad primam Tonſuram ſufficit, ſi quis ſciat Fidei rudimenta, legere & ſcribere, ſaltèm in lingua patria; ut docet Barboſa, Azor. &c. Quatuor Minores ſuſcepturi intelligere debent Linguam Latinam; ut habet Trident. *Seſſ. 23. cap. 11.* Suſcepturi Subdiaconatum, & Diaconatum præter Linguam Latinam, etiam ſcire debent illa, quæ pro executione illorum Ordinum neceſſaria ſunt; ut habet idem Concilium *cit. cap. 13.* nempe quòd Subdiaconus in Miſſa ſolemni deferre debeat Calicem ad altare, cantare ſolemniter Epiſtolam, deferre habitum, & tonſuram Clericalem, recitare Breviarium, ſervare Caſtitatem, &c. Diaconus verò; quòd Sacerdoti ſolemniter celebranti in omnibus debeat immediatè miniſtrare, cantare Evangelium, populo prædicare, aliquando etiam in caſu neceſſitatis, & abſente Sacerdote baptizare. Presbyterandus præter Latinam Linguam debet etiam eſſe ſufficienter imbutus doctrinâ, ut Populum inſtruere valeat, & Sacramenta adminiſtrare eidem, ut habet idem Trident. *cit. cap. 14.*

5. Nota quintò: *quintò* circa fidem debet examinari Ordinandus, an credat fideliter omnia, quæ Eccleſia Catholica proponit credenda. *Sextò* præter ſupradicta à Tridentino præcepta ut in examine Ordinandorum inquirantur, etiam inveſtigari debet, an ſit uxoratus; nam talis Ordinari nequit *cap. fin. de tempor. Ordin.* Debent etiam interrogari quandoque Neophyti, an bis baptizati fuerint; nam tales ab Ordinum ſuſceptione excluduntur *can. confirmandum 65. diſt. 50.* Et *can. qui bis, de conſecr. diſt. 4.* Itē an extra caſū neceſſitatis ab hæretico baptizati fuerint; quia hi ſimiliter excluduntur ab Ordine *can. qui in qualibet 10. cauſ. 1. q. 7.* Quod intellige de baptizatis adultis; non de infantibus, quibus parentum error non officit, *can. placuit, cauſ. 1. q. 4.* Item ab alienigena literæ Dimiſſoriales ſunt petendæ. Sunt autem Literæ Dimiſſoriales, ſcripta licentia Epiſcopi Ordinarij, vigore cujus Ordinandus licentiatur, ut ab Epiſcopo alieno poſſit Ordinari. Debet quoq; Ordinandus interrogari de titulo congruæ ſuſtentationis: nam ſinè hoc nemo debet Ordinari; ut habetur *cap. Epiſcopus, de præben.*

6. Nota ſextò: Si quis abſque prævio Scrutinio ſe Ordinari permittat, debet deponi, juxta *can. ult. diſt. 24.* Si ſit ignotus, aut inhabilis: Si verò ſit notus, & aliàs habilis, ſuſpenſionem incurrit ab exercitio Ordinis ſuſcepti, à ſolo Papa relaxandam, ſi Epiſcopus præviam Excommunicationem publicaverat ante Ordinationem, ne quis non approbatus, & examinatus ad Ordinationem accedat.

Digitized by Google

TITULUS XIII.

DE ORDINATIS AB EPISCOPO, QUI EPISCOPATUI RENUNCIAVIT; ET AB EXCOMMUNICATO.

CAP. I.

De Epiſcopo renunciante, & de ſuſcipientibus Ordines ab eo.

1. NOta primò: Ratione Ordinum receptorum (de quibus *priori tit.*) quandoque naſcitur dubium, circa Miniſtrum, ſeu Epiſcopum Ordinantem, quando is jam renunciaverat Epiſcopatui; aut fuit cenſurâ Eccleſiaſticâ excommunicationis innodatus. Poteſt autem Epiſcopus duobus modis renunciare ſuo Epiſcopatui, videlicet vel renunciando loco tantùm; vel loco ſimul, & dignitati Epiſcopali, ſeu Ordini; id eſt executioni Ordinis; ut habetur *cap. 1. hoc tit. Loco tantùm renunciare* contingit, quando Epiſcopus renunciat curæ ſeu officio, & adminiſtrationi Epiſcopali, *cap. ad ſupplicationem 9. de renunciat.* & hoc vel ob hoſtilitatem aliquam v.g. vel ob aëris intemperiem dimittendo diœceſim; retentô tamen titulô, & authoritate Epiſcopali; quo caſu poteſt adhuc appellari Epiſcopus illius loci; cùm dignitatem, & alia quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis retineat, quoad habitum; etſi non quoad exercitium; quia caret ſubditis; ut diſcurrit Abbas, Hoſtienſ. Pariſ. &c. *Loco autem ſimul & dignitati Epiſcopali renunciare* contingit, quando Epiſcopus cedit, & amittit dignitatem Epiſcopalem, denominationem Epiſcopi, & authoritatem exequendi Ordinem Epiſcopalem: quæ renunciatio plerumque fit vel propter aliquod crimen, ut præveniat depoſitionem promeritam, vel ob ingreſſum in Religionem aliquam approbatam; niſi ſpecialiter à Papa retineat facultatem exercendi Pontificalia.

2. Dico primò: Epiſcopus qui renunciavit Epiſcopatui quoad locum tantùm, poteſt validè, & licitè quoscunque Ordines conferre, ſi ab altero Epiſcopo invitetur, ad hujusmodi functiones in diœceſi invitantis peragendas: unde ſubditi Epiſcopi invitantis à tali Epiſcopo ordinati, licitè & validè Ordinantur: Ita Zoëſ. Engel. Pirh. & communis DD. Primum reſolvitur in *cap. 1. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Epiſcopus renuncians loco tantùm, adhuc retinet omnia, quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis; ac proinde adhuc poteſt licitè, & validè exercere actus pontificales, de licentia, & invitatione Epiſcopi diœceſani. Ratio ſecundi eſt; quia cùm Epiſcopus loco tantùm renuncians licitè, & validè ordinet ſubditos Epiſcopi invitantis, ſequitur & ipſius ſubditos licitè, & validè Ordinari ab eodem; unde valet hic illa regula, *relativorum eadem eſt ratio.*

3. Dico ſecundò: Epiſcopus renuncians loco tantùm, non poteſt ampliùs licitè Ordinare ſubditos illius Epiſcopatûs, cui renunciavit. Ita communis Canoniſt. Ratio eſt; quia talis Epiſcopus renuncians non habet ampliùs diœceſim, nec jurisdictionem in illos ſubditos, quos dimiſit.

4. Dico tertiò: Epiſcopus qui & loco, & dignitati Epiſcopali ſimul renunciavit, non poteſt ampliùs ullos Ordines majores licitè conferre; & Ordinati à tali Epiſcopo, validè quidem Ordinantur; attamen privantur executione Ordinum. Ita Zoëſ. Engel, Vallenſ. Pirh. Ratio primi eſt; quia collatio Ordinum majorum, eſt actus proprius Epiſcopalis dignitatis, quam talis Epiſcopus non cenſetur amplius habere, ob factam renunciationem omnimodam. Ratio ſecundi eſt; quia renuncians loco, & dignitati Epiſcopali, adhuc manet Epiſcopus cum charactere, qui eſt indelebilis; adeoque validè Ordinare poteſt; etſi cum peccato, & illicitè. Ratio tertij eſt diſpoſitio Juris in *1. cap. hoc tit.* ubi taxatur pœna privationis quoad exequendos Ordines Majores, ſuſceptos ab Epiſcopo renunciante loco, & dignitati.

5. Nota autem ſecundò: quòd ſuſcipiens ſcienter Ordines majores ab Epiſcopo, qui renunciavit Epiſcopatui quoad locum, & dignitatem, privatur executione Ordinum; à qua relevari non poteſt niſi à Sum. Pontifice

cit.

cit. cap. modò delictum ſit notorium, ſecundùm Trident. *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* Suſcipiens verò ab eo Ordines majores ignoranter, poterit diſpenſari ab Epiſcopo in privatione præfata executionis Ordinum; niſi ignorantia fuerit ſupina, & craſſa; colligitur ex *eodem cap.* Suſcipiens tandem Minores duntaxat, permittitur in eis deſervire, ex *eodem cap.*

CAP. II.

De Epiſcopo excommunicato Ordinante; & Ordinatis ab eo.

1. Dico primò: Epiſcopus excommunicatus validè quidem; ſed illicitè Ordinat; & Ordinati ab eo recipiunt characterem, validéque Ordinantur; ab executione tamen Ordinum ſuſpenduntur. Ita Zoëſius, Vallenſ. Engel, Pirh. &c. Primum colligitur ex *cap. 1. & 2. de ſchism.* Et eſt Ratio; quia Epiſcopus, excommunicatus adhuc eſt verus Epiſcopus, retinens characterem Epiſcopalem: adeoque validè Ordinat. Ratio ſecundi eſt; quia Ordinati ab Excommunicato Ordinantur à vero Epiſcopo, retinente Epiſcopalem characterem, valideque Ordinantur; quò facit etiam *cap. 1. & 2. de ſchismat.* Ratio tertij eſt; quia ita patet ex *cap. 2.* hoc, ubi dicitur, quòd *cum Clericis, qui ab Excommunicato Epiſcopo ignoranter Ordines ſuſceperunt, per ſuos Epiſcopos poterit diſpenſari;* quæ verba ſupponunt ſic Ordinatos ab executione Ordinum impeditos. Porrò cum recipientibus ſcienter Ordines ab Excommunicato Epiſcopo, à ſolo Papa diſpenſatur, ut habet Engel, Pirhing. &c. niſi tales Religionem ingrediantur; quo caſu à ſuis Prælatis Regularibus diſpenſari poterunt; ut habet Barboſa, &c.

TITVLVS XIV.

DE ÆTATE, QUALITATE, ET ORDINE PRÆFICIENDORUM.

CAP. I.

De ætate Præficiendorum.

1. Nota primò: Præficiendi, ſeu promovendi ad beneficia Eccleſiaſtica primò habere debent ſufficientem ætatem, quæ pro muneris diverſitate, & Jure antiquo, ac moderno Tridentini eſt diverſa. Similiter debent habere debitas qualitates, & Ordines determinatos; hæc proinde *hoc tit.* explicantur.

2. Dico primò: ut quis ritè præfici poſſit Cardinalatui, & Epiſcopatui regulariter habere debet 30. annos. Ita Azor. Garc. Pirh. &c. Et colligitur ex Tridentino *Seſſ. 22. cap. 2. de Reformat.* Et *cap. 1.* & *2. diſt. 28.* Et hæc ætas aſſignata eſt à Sacris Canon. juxta exemplum Chriſti, qui *Luc. 3.* cæpit prædicare, & Eccleſiam univerſam plantare, ac inſtruere, quando erat annorum 30. Procedit autem Præfata ætas tantùm de Cardinalibus Epiſcopis promovendis; non autem de Cardinalibus Presbyteris, pro quorum creatione ſufficiunt anni 25. Neque de Cardinalibus Diaconis, pro quorum creatione ſufficiunt anni 23. incepti juxta Conſtit. Sixti V. ut notat Garc. Azorius, &c. Dixi etiam *regulariter* requiri 30. annos ad Epiſcopatum; quia Sum. Pontifex ſolet circa hujusmodi annos nonnunquam diſpenſare; maximè cum filijs Magnorum Principum, uti nuper factum eſt cum Sereniſſimo Domino Franciſco Duce Neoburgico, Fratre Imperatricis regnantis, qui cum 22. annis præfectus eſt Epiſcopatui Wratislavienſi.

3. Nota etiam ſecundò: præfatos annos ad Cardinalatum, & Epiſcopatum non debere neceſſariò eſſe completos (idem dicendum de annis ad alias dignitates, & perſonatus de quibus infra) ſed ſufficiunt inchoati. Ita tenet Gloſſa, Azorius, Engel, Barboſa, & communior Theologorum, ac Canoniſtarum. Canones enim nihil de hoc determinant: in ijs autem ubi Canones apertè non loquuntur, quod favorabilius, & minimum eſt, ſequi licet; juxta *reg. 30. Juris in 6.*

4. Dico ſecundò: ut quis ritè præfici poſſit dignitati inferiori Epiſcopatu, cui cura animarum eſt annexa, cujusmodi eſt Abbatia,

Archidiaconatus, Decanatus, &c. habere debet 25. annos. Ita Vallenſis, Zoëſius, Azor. &c. Et colligitur ex Tridentino *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Et *cap. cùm in cunctis 7. §. inferiore ſup. de elect.* Ratio etiam eſt; quia cum tali ætate quis munere curæ animarum debitè cenſetur poſſe fungi.

5. Dico tertiò: pro obtinendis verò dignitatibus, & perſonatibus, curam animarum non habentibus, Jure novo anni 22. completi requiruntur. Ita Garc. Pirh. Zoëſ. Vallenſ. &c. Et conſtat inde; quia etſi Jure antiquo Decretalium *cap. indecorum 3. hoc tit.* videbantur ſufficere anni 14. completi; hodierno tamen Jure Tridentini *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* ad obtinendas dignitates, & perſonatus, quibus cura animarum non eſt annexa, requiruntur 22. & quidem completi; ut declaravit S. Cardinalium Congregatio *ibidem*; & tenet Garc.; quamvis Zerola, & Azor. putent adhuc ſufficere annos inchoatos, quorum opinio à Rota Romana dicitur eſſe recepta, teſte Barboſâ *de Offic. Epiſc. alleg. 60. num. 66.*

6. Dico quartò: ut quis poſſit legitimè præfici beneficio curato, etſi nullam dignitatem annexam habenti, & effici Parochus, aut Vicarius perpetuus, aut Coadjutor Parochi cum cura animarum, requiruntur 25. anni. Ita Pirh. Vallenſ. Garc. &c. Et colligitur ex Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Et *cap. nemo 15. de elect. in 6.* Unde collatio alicujus curati beneficij ante 25. annum inchoatum ſaltèm, eſt nulla, *cap. licet canon 14. de elect. in 6.*

7. Dico quintò: ad obtinendum Canonicatum, & præbendas Eccleſiarum Cathedralium Jure novo requiritur ætas illa, quam Canonicatus, & præbenda, ſeu portio illa talis Eccleſiæ requirit ratione Ordinis, quem annexum habet. Ita Vallenſ. Pirh. Azor. &c. Et ita ordinatur in Tridentino *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Unde ſi beneficium Canonicatus talis Eccleſiæ Cathedralis, ſeu præbenda, & portio eſt Sacerdotalis, promovendus debet eſſe Sacerdos, & habere 25. annos inchoatos, qui ad Sacerdotium requiruntur; vel ſaltèm inchoâſſe 24. ut intra annum poſſit fieri Sacerdos. Et ſic diſcurrendum de præbendis Diaconalibus, Subdiaconalibus, & 4. Minorum tantùm, juxta fundationem, inſtitutionem, & probatam conſuetudinem talis Cathedralis Eccleſiæ.

8. Dico ſextò: pro obtinendo Canonicatu in Collegiata duntaxat Eccleſia requiruntur 14. anni inchoati. Ita Gloſſa, Vallenſ. Garc. Azor. &c. Et ita colligitur ex *cap. ſuper inordinata, de præbend.* Nec Tridentinum circa hoc aliquid innovavit, juxta Cardinal. declarationem. Excipe, niſi aliter ſit cautum in fundatione.

9. Dico ſeptimò: ad obtinenda alia beneficia ſimplicia, & inferiora requiritur Jure novo ætas quoque 14. annorum. Ita recentiores Canoniſtæ. Et ſtatuitur in Tridentino *Seſſ. 23. cap. 6. de Reform.* quod Juri antiquo quoad hoc derogavit, quod ſeptenniô completô (quo tempore conferri poteſt prima tonſura) permittebat beneficiorum ſimplicium collationem, juxta Gloſſam in *cap. ſi eo tempor. 9.* verbo *ætatem, de reſcrip. in 6.*

10. Nota tertiò: circa ætatem Abbatiſſæ, Prioriſſæ, vel alterius Præfectæ Religioſæ ſtatuit Trident. *Seſſ. 25. cap. 7.* ut præficienda ſaltèm 30. annos ætatis habeat, & 5. Religionis poſt emiſſam profeſſionem. Circa pœnitentiarium in Eccleſia Cathedrali inſtituendum ordinat idem Trident. *Seſſ. 24. cap. 8. de Reform.* ut ſit 40. annorum.

CAP. II.

De qualitate Præficiendorum.

1. Dico primò: generaliter loquendo; qui habet qualitates ad ſuſcipiendos Ordines Sacros, cenſetur quoque habere qualitates, ut poſſit præfici beneficio Eccleſiaſtico. Ita Pirh. & alij DD. Et deſumitur ex *cap. accepimus 13. hoc tit.* De his particulariùs diſcurrendo

2. Dico ſecundò: in Præficiendis itaque, præter ætatem de qua *priori cap.* requiritur morum honeſtas, & vitæ bonæ exemplum ab Apoſtolo *ad Timoth.* & *ad Tit.* deſcriptum; item ſcientia proportionata, & ſufficiens pro illo munere, cui beneficium eſt annexum; & ut Præficiendus ſit Monogamus, & non Neophytus, nec vitiatus corpore. Ita communis Canoniſt. Primum, & ſecundum ordinatur in Concilio Lateranenſi ſub Alexandro III. quod refertur in *cap. cùm in cunctis 7. de elect.* Et docet Apoſtolus *1. ad Timoth. 3.* Et *ad Titum 1.* ubi etſi loquatur de qualitatibus morum tantùm Epiſcopi præficiendi; attamen SS. Patres, ſignanter Auguſtinus in *can. Apoſtolus, diſt. 81.* Et Ambroſius in *can. cognoſcamus, diſt. 34.* eaſdem ad alios quoque Clericos præficiendos extendunt; qui proinde etiam omni morum honeſtate, & doctrina, de qua infra *notabili 2.* præfulgere debent. Ratio tertij eſt; quia bigamus nequit Ordinari; ut dicetur infra *ſub titulo.* adeoque

Digitized by Google

que nec poteſt præfici beneficio Eccleſiaſtico. Præficiendus itaque debet eſſe monogamus, id eſt unius uxoris Vir. Quartum patet ex D. Paulo *loc. cit.* Et quia Neophytus pariter ante ſufficientem in fide inſtructionem nequit Ordinari; ut ſupra docui: adeoque nec præfici muneri Eccleſiaſtico. Enumeratæ qualitates Præficiendorum continentur ſequentibus verſibus.

Primùm præcipitur, quòd ſit ſinè crimine Præſul,
Monogamus, ſobrius, prudens, ornatus, & hoſpes,
Caſta docens, non percuſſor, non litigioſus,
Non cupidus, bene diſpoſitus, non Neophytusve.
Talis Apoſtolica quòd præſit regula juſſit.

3. Nota primò: ſub ly *criminoſus* intelligitur omnis infamis ſive de jure, ſive de facto ob enorme aliquod crimen, v. g. homicidium, adulterium, &c. *infamibus enim portæ dignitatum patere non debent. L. unic. C. de infamibus.* Sub ly *bene diſpoſitus* vult, ut præficiendus non ſit corpore vitiatus, & irregularis exinde ad Sacros Ordines, neceſſarios ad beneficium tale obtinendum, & adminiſtrandum.

4. Nota ſecundò: circa qualitatem doctrinæ proportionatæ: quòd Præficiendus Epiſcopatui debeat regulariter ſecundùm Trident. *Seſſ. 22. cap. 2. de Reform.* eſſe ita literatus, ut Epiſcopali muneri ſatisfacere valeat; quare debet eſſe vel SS. Theologiæ, vel Canonum Doctor, aut Licentiatus, vel teſtimonio alicujus univerſitatis ad docendum idoneus judicatus. Archidiaconus in Eccleſia Cathedrali pariter debet eſſe Doctor, vel Licentiatus in S. Theologia, vel Jure Canonico, juxta Trident. *Seſſ. 24. cap. 12.* quod intelligendum eſt de illo, qui ſimul curam animarum, & juriſdictionem habet. Similiter Pœnitentiarius eandem doctrinam habere debet, ex eodem Trident. *cit. Seſſ. cap. 8.* Uti & Vicarius Sede Vacante eligendus, ex eodem Trident. *cap. 16.* Idem dic de Scholaſtico, juxta Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 8.* Curati debent ſcire Canones pœnitentiales, & qui pro adminiſtratione debita Sacramentorum ſunt conditi, ac alia concernentia Officium paſtorale, & curam animarum. Promovendi ad beneficia ſimplicia, & inferiora tenentur ſaltèm ſcire Latinè legere, & conſtruere, ut horas Canonicas recitare valeant; ut habet *Clem. unic. de conceſſ. præbend.* pro beneficijs verò, quæ Ordinem annexum habent, neceſſaria eſt illa ſcientia, quæ requiritur ad Ordinem annexum; ut habent Garc. Azor. &c.

5. Nota tertiò: Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 12.* etiam adhortatur, ut in Provincijs, ubi id commodè fieri poteſt, dignitates omnes aut ſaltèm dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Eccleſijs, & Collegiatis inſignibus conferantur duntaxat Magiſtris, vel Doctoribus, vel etiam Licentiatis in S. Theologia, aut Jure Canonico.

6. Dico tertiò: Præficiendus quoque non debet eſſe excommunicatus, ſuſpenſus, perſonaliter interdictus, aut irregularis. Ita Leſſ. Azor. Pirh. & communis. Primum ſtatuitur in *cap. poſtulaſtis 7. de Clerico excommunicato.* Secundum deducitur in *cap. cum dilectus 8. de conſuet.* Tertium colligitur *arg. cit. cap. cùm dilectus.* Et *cap. ult. de Cler. excomm.* Ratio quarti eſt; quia beneficium datur propter officium, *cap. ult. de reſcript. in 6.* irregularis autem eſt inhabilis ad Officium, & per conſequens etiam ad beneficium, *cap. ult. de Cler. excomm.*

CAP. III.

De Ordine requiſito in Præficiendis.

1. Dico primò: Ut quis ritè Epiſcopatui, Archi-Epiſcopatui, Patriarchatui, & Primatui præfici poſſit, regulariter debet ad minimum eſſe Subdiaconus, dum eligitur. Ita communis Canoniſtarum. Et ita ordinatur in *cap. à multis 9. hoc tit.*

2. Dico ſecundò: Præficiendi Abbatijs, Decanatibus, Præpoſituris, Archipresbyteratui, ac alijs ſimilibus dignitatibus curam animarum annexam habentibus, debent eſſe actu Presbyteri, aut in brevi creandi. Ita communis Canoniſt. Et ita deciditur *cap. 1. hoc tit.*

3. Dico tertiò: Præficiendus Archidiaconatui, debet ſaltèm eſſe Diaconus. Ita communis Canoniſt. Et extat de hoc ordinatio Juris *cit. 1. cap.*

4. Dico quartò: Præficiendus Parochijs, ac alijs Curatis beneficijs regulariter debet eſſe ſaltèm Subdiaconus, & habere 25. annos, ut brevi in presbyterum Ordinari poſſit. Ita communis Canoniſt. Et ita dicitur *cap. præterea 5. hoc tit.* Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare, ut in Minoribus conſtitutus poſſit præfici; modò in brevi Presbyter Ordinandus, id eſt, intra annum; ut habent DD. communiter.

5. Dico quintò: ut Canonicus poſſit vocem habere in Capitulo Cathedrali, debet

eſſe ſaltèm Subdiaconus; niſi in fundatione aliter cautum ſit. Ita Gloſſa, Pirh. Garc. &c. Primum, & ſecundum ordinat *Clement. 2. hoc tit.* Et Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.*

6. Dico ſextò: Præficiendi dignitatibus, & perſonatibus in Cathedralibus Eccleſijs, quibus cura animarum non eſt annexa, debent regulariter eſſe Subdiaconi: niſi in fundatione aliter diſpoſitum fuerit ab initio, vel conſuetudine legitima aliter introductum: in Collegiatis verò ſufficiunt 4. Minores. Ita communis Doctorum. Primum ordinatur in Tridentin. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* Ratio ſecundi eſt; quia juxta *cap. ſuper inordinata, de prebend.* ad obtinendum beneficium in Collegiata Eccleſia ſufficiunt 14. anni; ac proinde etiam 4. Minores.

7. Dico ſeptimò: ad quodcunque beneficium Eccleſiaſticum obtinendum requiritur, ut promovendus ſit actu Clericus, ſeu habeat ſaltèm primam tonſuram, ſinè qua quivis eſt incapax beneficiorum. Ita Garc. Leſſius, Pirh. &c. Et ita colligitur ex *cap. cùm adeo, de reſcript.* Et *cap. ex literis 6. de translat.*

8. Dico octavò: tandem Præficiendi debent habere illos Ordines, quos beneficium ex ſua fundatione, vel radicata conſuetudine poſtulat. Ita communis. Et ita ſancit. Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* poſtulat autem in Canonicis v. g. aliquando Diaconatum, aliquando Presbyteratum, aliquando Subdiaconatum.

CAP. IV.

De ætate, qualitate, & Ordine Præficiendorum in Ordine Franciſcano.

1. NOta primò: quæ hìc dicenda forent; jam ſupra *tit. 6. cap. 8. notab. 9.* allata ſunt; quò remittitur Lector.

TITULUS XV.

DE SACRA UNCTIONE.

CAP. I.

Quid ſit Unctio, quæ ejus materia; & Miniſter eam conficiens.

1. NOta primò: quoniam in collatione Ordinum, ac alijs quibuſdam miniſterijs Eccleſiaſticis ſolet intervenire uſus Sacræ Unctions; ideo Pontifex de ea præſentem proponit *tit. iſtum.*

2. Dico primò: Sacra Unctio rectè deſcribitur, quòd *ſit delibutio materialis ſacri olei, facta ſecundùm formam traditam ab Eccleſia.* Ita Hoſtienſ. Vallenſ. &c. Ly *delibutio* eſt genus; reliqua habent rationem differentiæ; & eorum explanatio patebit ex dicendis.

3. Nota ſecundò: Unctionem communiter duplicem aſſignari externam, & internam *Unctio interna* (quæ & *inviſibilis,* & *ſpiritualis* dicitur) eſt illa, quæ ut habet *cap. unic. hoc tit.* fit in corde, ſive anima per Spiritum S. *Unctio externa* (quæ & *viſibilis,* & *materialis* vocatur) eſt, quæ fit in corpore, & quâ ungitur corpus; & eſt ſignum interioris unctionis.

4. Nota tertiò: pro peragenda Unctione externa priùs benedici, & conſecrari debet oleum ſimplex olivarū; quod duplex eſt, ſcilicet oleum Catechumenorum, quod inſervit in Baptiſmo; & oleum Infirmorum, quod inſervit in Extrema Unctione. Deinde pariter debet confici chriſma, compoſitum ex oleo, & balſamo; oleum ſignat myſticè nitorem conſcientiæ, balſamum odorem bonæ famæ; ut habet *cit. cap. unic. hoc tit.* Chriſma inſervit etiam in Baptiſmate, in Confirmatione, in Conſecratione Epiſcopi, Altarium, calicum, & Eccleſiæ. Confici autem debet tum Oleum utrumque, tum Chriſma à ſolo Epiſcopo.

CAP. II.

Quibus ſubjectis impertiatur S. Unctio.

1. DIco primò: S. Unctio chriſmatis confertur Epiſcopo in ejus conſecratione. Ita communis Canoniſtarum. Et ita ordinatur *cap. unic. hoc tit.* Ungitur autem Epiſcopus in capite, & in manibus

nibus; per caput mens intelligitur; per manus opera, ex ſenſu *citati capitis*. Caput præterea inungitur propter authoritatem, & dignitatem; manus verò propter miniſterium & Officium, quod accipit, benedicendi & conſecrandi *cit. cap.*

2. Dico ſecundò: etiam Sacerdotes in manibus unguntur oleô benedictô ſimplici. Ita Gloſſa, Hoſtienſ. Vallenſ. &c. Ratio petitur ex ordinatione, & traditione ſtabili Eccleſiæ.

3. Dico tertiò: Similiter Imperatores, ac Reges quidam unguntur. Ita communis Canoniſtarum. Et ita ſtatuitur in *cap. unic. hoc tit. ſſ. unde in veteri.* In veteri Teſtamento Reges quidem ungebantur in capite; in novo autem, ubi Chriſtus eſt caput, & ejus perſonam repræſentant Pontifices, tantùm Summi Pontifices, & Epiſcopi in capite delibutionem ſubeunt; Reges verò in brachio, humero, vel armo unguntur; quia per hujusmodi membrum deſignatur propiè Principatus, juxta illud Scripturæ S. *Iſaiæ 9. cap. Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Miniſter ungens Imperatorem eſt Papa, vel alius ab ego delegatus Epiſcopus. Reges Hieroſolymitanos ſolet ungere Patriarcha Jeroſolymitanus; Reges Franciæ Archi-Epiſcopus Rhemenſis; Angliæ Archi-Epiſcopus Cantuarienſis; Siculorum Archi-Epiſcopus Borienſis; Bohemiæ Archi-Epiſcopus Pragenſis; alios alij Metropolitæ, vel Epiſcopi, vel Cardinales, quos vel Sum. Pontifex delegat, vel qui longæva conſuetudine, aut conſtitutione ſpeciali regni hanç prærogativam ſunt adepti.

4. Dico quartò: Omnes demum Baptizandi, confirmandi, & omnes Chriſtiani morituri unguntur ſacris liquoribus. Ita communis Catholicorum. Primum, & ſecundum ita ordinatur in *cit. cap. ſſ. quia verò*, & *ſſ. per frontis chriſmationem.* Tertium patet ex *cap. 5. Jacobi.*

5. Dico quintò: ſimiliter altaria Eccleſiæ, & calices dum conſecrantur, inunguntur. Ita communis Canoniſt. Et ita ſtatuitur in *cap. unic. hoc tit. ſſ. ungitur præterea.* Cæremonias harum unctionum vide in Pontificali Romano.

CAP. III.

De S. Unctione in Baptiſmo; Confirmatione; & Extrema Unctione.

1. NOta primò circa unctiones Baptiſmi: in hoc Sacramento fieri duas unctiones, una fit oleô ſanctô tanquam materiâ propriâ ante baptiſmum in pectore, & inter ſcapulas; altera poſt baptiſmum chriſmate in vertice, & fronte baptizati; ut habet *cap. unic. hoc tit.* quarum unctionum myſticas ſignificationes, vide in *eodem cap.*

2. Nota ſecundò circa unctiones in Confirmatione: eas chriſmate tanquam materiâ propriâ fieri ab Epiſcopo confirmante in fronte confirmandi; ut habet *idem cap.* & tunc proferuntur hæc verba, quæ rationem formæ habent; *ſigno te ſignô crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.* ut dicitur *can. nunquid, de conſecr. diſt. 5.* Miniſter Ordinarius Unctionis Confirmationis eſt ſolus Epiſcopus; ut dicitur *can. presbyteris, de conſecr. diſt. 4.* Et in Florent. *in inſtruct. Armen.* Ex conceſſione tamen ſpeciali Summi Pontificis ſimplex Sacerdos eam licitè, & validè peragere poteſt; ut habet Scotus, S. Bonav. S. Thomas, & patet ex *can. pervenit, diſt. 95.* ubi legitur hoc aliquando tempore neceſſitatis actu conceſſum fuiſſe Presbyteris Sardiniæ à S. Gregorio Magno. Vide plura quæ dico circa unctionem Sacramenti Confirmationis *in Schola mea Theolog. tom. 3. diſt. 3, per totum.*

3. Nota tertiò circa delibutionem Extremæ Unctionis: de ea loqui illum textum D. Jacobi *5. cap. infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum Oleô in nomine Domini*, &c. Unctio hujus Sacramenti perficitur S. Oleô particulari infirmorum, tanquam materiâ propriâ, quô inunguntur Oculi, aures, nares, manus, pedes, labia, & renes in viris; & ad cujuslibet membri præfati unctionem profertur iſta forma, *Per iſtam ſanctam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum deliquiſti*; ſi inungat oculos: pro reliquis membris ungendis nominatur ſemper membrum illud, quod actu inungitur. Miniſter Extremæ Unctionis eſt ſolus Sacerdos; ut habet Conc. Florent. Et Trident. *Seſſ. 14. cap. 3.* Et patet ex *cit. 5. cap.* D. Jacobi.

4. Nota quartò: unctiones hujus Extremæ Unctionis in caſu neceſſitatis poſſunt licitè conferri à pluribus Sacerdotibus, modò unusquiſque ungat independenter ab altero, & formam pronunciet; ut tenet Henriqu. & Suar. Ratio eſt; quia hoc Sacramentum Extremæ Unctionis habet plures partiales materias, & formas. Extra tamen caſum neceſſitatis non eſt licitum eas fieri per plures Miniſtros; cùm ſit contra Eccleſiæ praxim. Si Parochus morte, vel morbo præventus unum duntaxat unxiſſet locum; reliqui

Digitized by Google

qui ſenſus ungendi ſunt ab alio Sacerdote; ut perficiatur Sacramentum; ut notat S. Thomas, Poſſevin. &c.

5. Nota quintò: Unctio Extrema eſt verum Sacramentum, inſtitutum à Chriſto; uti dogmatizant contra Hæreticos plura Concilia vetuſta, & nova, Cabilonenſe, Senonenſe, Moguntinum, Florentinum, & Tridentinum. Plurimique SS. PP. quos vide cit. *in Schola mea Theologica, tom. 3. de Sacram. diſt. 14. q. 1.* Tempus autem inſtitutionis ejus à Chriſto fuit probabilius poſt Reſurrectionem, quando inſtituit pœnitentiæ Sacramentum, *Joan. 20.*

6. Nota ſextò: unguenta Extremæ Unctionis, & Confirmationis ſunt materiæ omnino diſtinctæ; ut habet Valent. Sotus, Zambranus, &c. Eſtque Ratio; quia unguento confirmationis admiſcetur balſamum; oleo autem Unctionis Extremæ non: Unde unum pro altero applicari non debet. Si Sacerdos caſu, & per errorem unguentô baptiſmatis, ſeu chriſmate ungeret infirmum; probabiliùs tenent Henriqu. Svar. & alij, Sacramentum Extremæ Unctionis validè conferri; nihil eſſe repetendum; ſed rem DEO commendandam: & ijdem DD. dicunt, olim fuiſſe conſuetum talem materiam adhibere. Et quia mixtio balſami communiter tam modica eſt, ut natura olei nec phyſicè, nec moraliter mutata cenſeatur. Quòd verò hac, vel illa benedictione conſecratum ſit, non videtur pertinere ad ſubſtantiam Sacramenti; uti poſt Scotum, & S. Thomam notat P. Pitigianus. Plura de hac Unctione S. vide in *Schola mea Theologica loc. cit. priori notab.*

CAP. IV.

Quid poſſint Franciſcani, & alij Regulares, circa S. Extremam Unctionem.

1. DIco primò: Fratres Minores poſſunt licitè Unctionem Extremam adminiſtrare cuilibet infirmo ſibi confeſſo, & dicenti quòd proprius Parochus injuſtè eam ipſi deneget. Ita Henriqu. Laym. &c. Et conſtat ex ſpeciali Bulla Sixti IV. quæ incipit, *Regimini Univerſalis Eccleſiæ.* Requirit tamen Leo X. in Bulla. *Dum intra mentis arcana*, ut infirmus coram Fratre Minore adminiſtraturo Extremam Unctionem doceat teſtimoniô vicinorum, aut Notarij publici, eam ſibi fuiſſe injuſtè denegatam à proprio Parocho.

2. Dico ſecundò: ijdem Fratres, ac alij Regulares poſſunt ſuis famulis, operarijs, & quibusvis hoſpitibus ſæcularibus, in ſuis monaſterijs infirmantibus eandem Extremam Unctionem miniſtrare, independenter à Conſenſu Parochi loci. Ita Rodrig. Marcellus à S. Benedicto, & varia Compendia Privileg. Mendicantinm; & non Mendicantium. Et conſtat ex privilegio Apoſtolico Clement. IV. conceſſo nobis Minoritis. Et ex alio à Martino V. conceſſo Ordini S. Benedicti. Et alio Alexandri IV. conceſſo Carmelitanis. Et alio Pij IV. conceſſo Theatinis.

3. Nota primò: in *Clement. 1. de Privileg.* ſtatuitur, quòd ſi quis absque conſenſu proprij Parochi alicui Parochiano conferret Unctionem Extremam, incurrat excommunicationem. Non cenſetur tamen incurri prædicta excommunicatio ab eo, qui in manifeſta neceſſitate, abſente proprio Sacerdote ſeu Parocho; vel ex ſimplicitate illam miniſtraret. Cenſetur enim tunc adeſſe conſenſus præſumptus talis Parochi; ut notat Henriq. & Laym. Soto, Ledesma.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XVI.

DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

CAP. I.

De quidditate, exiſtentia, numero, & charactere Sacramentorum.

1. NOta primò: Occaſione *priorum titulorum* tractantium de Sacramentis Ordinis, Confirmationis, & Extremæ Unctionis, quorum unum eorum eſt iterabile, ſcilicet, Extrema Unctio; alia verò duo non, proponitur *præſens tit.* agens de Sacramentis non iterabilibus, & pœnis ea iterantium. Dimiſſis autem varijs uſurpationibus hujus vocis *Sacramentum*, quas vide *in Schola mea Theologica, tom. 3. diſt. 1. q. 1.* Sacramentum hic accipitur pro ſigno aliquo ſenſibili collativo gratiæ: Quod Magiſter ſententiarum ex D. Auguſtino definit, quòd *ſit inviſibilis gratiæ viſibilis forma*: Catechiſmus Romanus ſic, *quòd ſit res ſenſibilis ſubjecta, quæ ex DEI inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiæ tum ſignificandæ, tum efficiendæ vim habet.* Scotus noſter in *4. diſt. 1. q. 2.* aptiùs ſic ipſum definit. *Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, gratiam, vel effectum DEI gratuitum ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.*

2. Nota ſecundò: pro ſtatu cujuscunque Legis etiam naturæ fuiſſe à DEO ordinata aliqua Sacramenta. Et quidem quoad ſtatum legis naturæ id diſertè docet S. Auguſtinus *lib. 5. contra Julian. cap. 21.* dicens; *non ideo tamen credendum eſt, & ante datam circumciſionem, famulos DEI, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides, nullô Sacramentô eis opitulatos eſſe parvulis ſuis; quamvis quid illud eſſet, aliquâ neceſſariâ causâ ſcriptura latere voluerit.* Suſpicatur autem idem S. Pater, ac alij, hujusmodi Sacramentum legis naturæ fuiſſe aliquem actum proteſtatorium fidei Meſſiæ venturi. Quoad ſtatum legis ſcriptæ fuit Circumciſio Sacramentum; cui deinde ſucceſſit Baptiſmus in ſtatu legis gratiæ; ut docet Innocentius III. *cap. Majores, de Baptiſmo.*

3. Dico primò: in ſtatu Legis Evangelicæ, ſeu gratiæ ſeptem Sacramenta inſtituta fuêre à Chriſto Salvatore; ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Ita communis Catholicorum. Et ita dogmatizat Tridentinum *Seſſ. 7. can. 1. de Sacramentis.* Et Florent. *in decreto Eugenij.* Et fuit conſtans utriusque Eccleſiæ ſenſus usque ad tempora Lutheri, & Calvini. Singulorum porrò Sacramentorum iſtorum rationes probativas, vide *in Schola mea Theologica, tom. 3. diſt. 1. q. 16.*

4. Dico ſecundò: quædam ex his 7. Sacramentis poſſunt iterari, ut Pœnitentia, Extrema Unctio, Matrimonium, & Euchariſtia; quædam verò non poſſunt reiterari, ut Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Ita communis Theologorum, & Canoniſt. Primum colligitur ex varijs Juribus. Et eſt Ratio, quia Pœnitentia, Extrema Unctio, Matrimonium, & Euchariſta non imprimunt characterem, (cujus impreſſio aliàs reiterationem impedit) ut docet de Pœnitentia *cap. ut omnis, de pœnit. & remiſſ.* De Extrema Unctione Tridentinum *Seſſ. 14. can. 3.* De Matrimonio *totus Titulus de nuptiis.* De Euchariſtia *Canon quotidie; & Canon ſi non frequentius, de conſecrat. diſt. 2.* Ratio ſecundi eſt; quia Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt characterem, propter quem iterari nequeunt; ut habet Trident. *Seſſ. 7. can. 9.* Et ſanè cùm character ſit indelebilis, absque graviſſima injuria tria præfata Sacramenta reiterari nequeunt.

5. Nota autem tertiò: Characterem ex Scoto, & communi TT. eſſe qualitatem quandam ſpiritualem indelebiliter animæ impreſſam, ut ſit ſignum conſignativum Chriſtiani, & ſignificativum ſpecialis obligationis animæ ejusdem ad Chriſtum. De hoc loquitur Scriptura ad Epheſ. 1. *in quo credentes ſignati eſtis.* Et ad Epheſ. 4. *nolite contriſtare Spiritum S. in quo ſignati eſtis in diem redemptionis.* Plura de Charactere, & Sacramentis iterabilibus, & irreiterabilibus, vide *in Schola mea Theologica tom 3. diſt. 1. per totum.*

CAP. II.

De ſupplendo defectu Sacramentorum; & pœnis ea iterantium, ac alijs.

1. NOta primò: ſi in adminiſtratione Sacramentorum non iterabilium contigerit aliquis error quoad cæremonias aliquas, quæ non ſunt de ſubſtantia, ille ſtatutô tempore eſt ſupplendus; unde ſtatuitur *cap. 1. hoc tit.* quòd ſi quis ſinè impoſitione manuum ad Ordinem Subdiaconatûs fuiſſet promotus; vel ſi quis Sacramento Confirmationis per errorem non chriſmate; ſed oleô ſimplici fuiſſet unctus, id cautè ſuppleatur, quod incautè fuerat prætermiſſum.

2. Nota ſecundò: ex iteratione Sacramenti Baptiſmi ſcienter facta, tam baptizans quàm baptizatus redduntur irregulares, ita ut Ordinari nequeant; ut habetur *can. 2. de Apoſt.* Et *can. qui in qualibet, 1. q. 7.* Et *can. eos quos, de conſecrat. diſt. 4.* Idem putat evenire in reiteratione Sacramenti Confirmationis Navarrus, quaſi ſit par ratio de utroque Sacramento: ſed negant Covarr. Engel, &c. Ratio eſt; quia cum irregularitas ſit quædam pœna, & odium; propterea non debet afferi per argumentum paritatis; ſed quatenus lege ſpeciali expreſſa decernitur; *cap. is, qui, de ſent. excomm. in 6.* Eadem eſt ratio de reiteratione Ordinis, quæ quidem prohibetur; ſed nulla irregularitas pro ejuſdem reiteratione ſtatuitur; ut obſervat Zoëſius, contra Navarr.

3. Sed quid ſentiendum de reiteratione Baptiſmi ignoranter facta, an contrahatur aliqua irregularitas? Pro utraque ſententia militant graves AA. quos vide apud Navarr. Covarr. Laym. &c. & in caſu ſimili recurre ad Ordinarium, ut is ante collationem Ordinum in Jure dubio utatur in cautelam diſpenſatione, vel declaratione, quâ reverà uti poteſt tunc; ut tradit Garcias, Engel, &c.

4. Quæres primò: quomodo ſit intelligendus ille textus *cap. fin. hoc tit. Presbyter, & Diaconus cum ordinantur, manus impoſitionem tactu corporali (ritu ab Apoſtolis introducto) recipiunt: quod ſi omiſſum fuerit, non eſt aliquatenus iterandum; ſed ſtatuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos cautè ſupplendum, quod per errorem extitit prætermiſſum:* cùm tamen manûs impoſitio non pura cæremonia; ſed quid ſubſtantiale, maximè Presbyteri, eſſe videatur; quia eâ Sacerdoti confertur poteſtas dimittendi peccata? Reſpondeo præfatum textum loqui de illa impoſitione prima manûs, quæ contingit ante Ordinationem Presbyteri, antequam ei porrigatur calix cum vino, & patena cum hoſtia (quæ traditio eſt materia eſſentialis Presbyteri ordinandi) hujusmodi autem impoſitio non eſt quid eſſentiale; ſed mera cæremonia Ordinationis Presbyteri: nec per eam Presbyter accipit poteſtatem dimittendi peccata; ſed per ſecundam impoſitionem manuum Epiſcopalium (quæ eſt quoque materia eſſentialis Ordinationis Sacerdotis) quando ſimul Epiſcopus profert formam illam; *accipe Spiritum S. quorum remiſeris peccata*, &c. vide Pontificale Romanum.

5. Nota tertiò: *in 2. cap. hujus tit.* demum inquiritur, quid videlicet fieri debeat de mortuorum corporibus, qui à ſchiſmaticis ſepulta fuêre in loco ſacro; num debeant exhumari: & an veſtes Sacerdotales, cum quibus, & altaria, in quibus Presbyteri degradati celebrarunt, iterum benedici, vel conſecrari debeant? Reſpondet Papa Honorius III. corpora fidelium à ſchiſmaticis tumulatorum in locis ſacris non eſſe exhumanda; (dummodo ipſi tumulati non elegerint ſcienter ſepulturam à ſchiſmaticis peragendam, quo caſu exhumanda eſſent, *arg. cap. fin. diſt. 88.*) ſimiliter indumenta illa ſacra rurſus non ſunt benedicenda; nec altaria reconſecranda; quia non cenſentur amiſiſſe benedictionem, & conſecrationem: Et quia ita tradit Gloſſa, Pirh. & alij DD.

TITULUS XVII.

DE FILIIS PRESBYTERORUM ORDINANDIS, VEL NON.

CAP. I.

De Ordinationibus illegitimorum.

1. NOta primò: inter cætera, quæ impediunt ab Ordinum receptione (de quibus *ſuperioribus tit.*) eſt quoque natalium defectus, quem habent filij Presbytero-

terorum, & dicitur *impedimentum originis*, & examinatur in *hoc tit.* Tametſi autem titulus iſte inſcribatur de ſolis illegitimis, qui à Preſbyteris nati ſunt; attamen Canoniſtæ paſſim ſub hoc titulo tractant de omnibus illegitimis, quatenus hi irregulares ſunt; ita ut Ordines ſuſcipere nequeant, nec præfici beneficijs; unde in *6.* etiam ſic proponitur hic titulus; tit. *de filiis Presbyterorum, & aliis illegitimè natis.* Excluduntur autem hi omnes ab Ordinatione propter tres potiſſimùm cauſas: *primò* ob excellentiam Sacramenti Ordinis, & eminentiam, ac excellentiam ſtatûs Clericalis: nam filij Presbyterorum, ac alij illegitimi habentur pro perſonis vilibus, ac indignis, quibus tam excellens dignitas, cujusmodi eſt Clericalis ſtatus, conferri non debet; uti colligitur ex *cap. inter dilectos, de exceſſibus Prælat. Secundò* in deteſtationem paterni criminis; *can. propoſuiſti, diſt. 87.* non enim expedit, ut Eccleſia in ſuos Miniſtros aſſumat, ſed ut potius execretur tales, qui originis honeſtatem non habent; ſed parentes criminoſos, & ſacrilegos, ac damnato coitu generantes; aliàs memoria paterni criminis ſemper recens in liberis repræſentaretur in Eccleſia; quod indecentiam quandam continet. *Tertiò* ob timorem incontinentiæ; eò quòd de illegitimis rationabiliter timendum ſit, ne paternæ incontinentiæ ſint imitatores, *can. priusquam, diſt. 28.* Et *can. ſi gens Anglorum, diſt. 56.*

2. Dico primò: omnes Filij Presbyterorum, quos in Sacerdotio procrearunt; ac omnes alij illegitimi, ſive ſint ſpurij ex nefario, & damnato concubitu geniti, ſive ex ſimplici fornicatione orti, repellendi ſunt à ſuſceptione Ordinum. Ita communis Canoniſt. Et ita ſtatuitur *cap. 2. & fin. & cap. ad hæc 12. hoc tit.* Et *cap. cùm in cunctis 7. de elect.*

3. Dico ſecundò: ſi tamen ejusmodi illegitimi efficiantur Monachi, vel ingrediantur aliam Religionem, ſive Religioſorum Regularium, ſive Canonicorum Regularium, poterunt ad omnes Ordines admitti; ad Prælaturam tamen nequeunt promoveri. Ita communis Canoniſtarum. Et ita conceditur in *cap. 1. & fin. hoc tit.* Et *can. niſi, diſt. 56.*

4. Nec obſtat huic Concluſioni Conſtitutio Sixti V. quâ vetuit, ex inceſtu, aut ſacrilego concubitu natos admitti ad Religionem, niſi in numero Converſorum. Quia Gregorius XIV. per aliam Conſtitutionem poſteriorem relaxavit hujusmodi prohibitionem Sixtianam.

5. Nota ſecundò: quòd Sum. Pontifex poſſit diſpenſare, & quidem is ſolus, ut illegitimi Religionem ingreſſi poſſint aſſumi ad Prælaturas, ſi morum honeſtas eos commendabiles faciat; ut patet ex *1. cap. hoc tit.* Quod currit etiam de Prælaturis inter Moniales, ad quas ſpuriæ profeſſæ cum ſolius Papæ diſpenſatione in Abbatiſſas vel Præfectas eligi valent; ut colligitur ex *cap. indemnitatibus 9. §. ſinè,* & ibi Gloſſa in verbo, *canonica, de Elect. in 6.* Circa hoc tamen extant varia privilegia Certorum Ordinum, quorum Generales, vel Provinciales poſſunt hujusmodi diſpenſationem impertiri Monialibus ſibi ſubjectis promovendis ad Prælaturas Abbatiſſarum, & Præfectarum: & pro Ordine Auguſtino, & nico Franciſcano extat privilegium Leonis X. & Gregorij XIV. quæ refert Roder. *tom. 1. queſt. reg. q. 13. art. 22.*

6. Nota tertiò: cum illegitimis verò qui Religioſi non ſunt, poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut 4. Minores ſuſcipere valeant: ita habetur *cap. 1. hoc tit. in 6.* Idem poteſt præſtare Capitulum Sede vacante; quia ſuccedit Epiſcopo in omnibus, quæ Jure communi aliàs pertinent ad ordinariam Jurisdictionem Epiſcopi; ut obſervat Barboſa, Navarr. &c. Ad Majores Ordines diſpenſat ſolus Papa; ita habetur *cap. 1. hoc tit. in 6.*

7. Nota quartò: quidam defectum natalium patientes poſtquam ſunt debitè legitimati, licitè ordinari poſſunt; non tamen omnes. Ita Gloſſa Panorm. Piaſec. Suar. Garc. Pirh. Engel. &c. Ratio primi eſt; quia quidam debitè legitimati æquiparantur poſt legitimationem legitimè natis quoad Ordines, & dignitates *cap. tanta, qui filij ſint legitimi.* Hujusmodi legitimati ſunt *primò* illi filij ex ſoluto, & ſoluta nati, nullo impedimento Canonico irretitis in ordine ad contrahendum Matrimonium tempore nativitatis; hi per ſubſequens Matrimonium legitimantur debitè ex quadam Juris Canonici benignitate, & purgatur per dictum Matrimonium præcedens macula, & turpitudo contracta ex actu fornicationis ſimplicis. *Secundò* Tales debitè legitimati etiam ſunt illi ſpurij, qui à Sum. Pontifice, vel alio Prælato Eccleſiaſtico ad id à Papa authoritatem habente, legitimantur. Ratio ſecundi eſt: quia quidam legitimati per actum legitimationis non efficiuntur habiles ad Ordines ſacros recipiendos; Puta *primò* illi, qui nati ſunt ex adulterio, inceſtu, vel alio concubitu à lege damnato; hi enim etiam per ſubſequens Matrimonium non legitimantur ſufficienter, nec habilitantur ad licitam Ordinum ſuſceptionem; ut habet-

Digitized by Google

Pariſ. Garc. Pirh. Suar. &c. *Secundò* neque illi, qui à Principe ſæculari, etiam Imperatore, Rege, (minùs qui à Comite Palatino, & Lateranenſi) legitimantur; hi enim tantùm ſpurios legitimare poſſunt ad Jura, & Officia civilia; non autem Eccleſiaſtica; uti rectè ex Svar. Piaſec. & Garcia obſervat Pirhingus.

8. Nota quintò: etiam illos filios Presbyterorum cenſeri illegitimos, irregulares, & inhabiles ad ſuſcipiendos Sacros Ordines, quos Presbyteri jam in Sacerdotio conſtituti genuêre ex uxore, cum qua ante Sacerdotium legitimum quidem, ratum, vel conſumatum Matrimonium habuerunt; ſed poſtea illud diſſolverunt, & Sacerdotium, vel alium Ordinem ſuſceperunt; deſuper tamen rurſùs Uxorem eandem cognoverunt, & genuerunt. Ita habetur *cap. literas 14. hoc tit.*

9. Nota ſextò: quòd illegitimus ſinè diſpenſatione promotus ad Ordines, characterem quidem recipiat; ſuſpenditur tamen ab eorum executione; uti & à beneficio, quod deſuper obtinuit; *cap. conſtitutus, hoc tit.*

CAP. II.

De beneficijs illegitimorum, & Expoſitorum.

1. Dico primò: filij Presbyterorum, & quicunque illegitimi, etſi jam ordinati, ſunt inhabiles ad conferenda ipſis beneficia majora; ut dignitates, perſonatus, & curam animarum annexam habentia; abſque debita diſpenſatione. Ita communis Canoniſt. Et ita colligitur ex *cap. nimis 18.* Et *cap. fin. hoc tit.* Et *cap. 1. hoc tit. in 6.* Poteſt autem pro his obtinendis ſolus Papa diſpenſare; ut colligitur ex *cap. 1.* & *ult. hoc tit. in 6.*

2. Dico ſecundò; cum filijs Sacerdotum, ac alijs illegitimis poſt ſuſceptos Ordines poteſt diſpenſare Epiſcopus ad obtinenda beneficia ſimplicia, & non curata; niſi aliter ordinatum ſit in ipſa fundatione talis beneficij. Ita Garcias, Vallenſ. Piaſec. Et ita colligitur ex *cap. 1. hoc tit. in 6.* Ex his

3. Infertur primò: Epiſcopos etiam de Jure communi, & ſecluſô ſtylô Curiæ Romanæ poſſe diſpenſare cum illegitimis jam ordinatis ad obtinendum Canonicatum tam in Cathedrali, quàm in Collegiata; ut habet Gloſſa, Joan. Andreas, Franc. Rebuff. &c. niſi aliter in fundatione, vel Juratis Statutis cautum ſit. Ratio eſt; quia talis Canonicatus reputatur inter beneficia non curata, & ſimplicia; nec cenſetur eſſe dignitas, aut perſonatus. Dixi *ſecluſô ſtylô Curiæ Romanæ*; nam in Curia Romana uſus obtinuit, quòd Epiſcopus diſpenſare nequeat illegitimos ad Canonicatus Eccleſiarum Cathedralium; ut dicit Rebuff., & ad principalem in Eccleſia Collegiata; ut refert Garc.

4. Dico tertiò: probabile etiam eſt Epiſcopos poſſe ad beneficia curata diſpenſare cum illegitimis, quorum defectus natalium eſt penitus occultus. Ita Engel, Barboſa, &c. contra Piaſec. Navar. Zoëſ. Pirhingum &c. Ratio eſt; quia Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* dat Epiſcopis amplam poteſtatem diſpenſandi in omnibus Cenſuris, & irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus; hæc autem irregularitas defectûs natalium provenit ex delicto occulto parentum illegitimi, ſaltèm mediatè: & illa diſpoſitio Concilij eſt quoddam privilegium, in favorem Epiſcopis conceſſum, abſque ullius præjudicio; atque adeo latè interpretandum, *cap. 4. de præb. in 6.* Et Reg. 15. *de reg. jur. in 6.*

5. Dico quartò: Diſpenſatio Summi Pontificis data alicui filio Presbyteri, vel alteri illegitimo ſuper receptione Ordinum, & obtentione beneficij Eccleſiaſtici eſt ſtrictè interpretanda. Ita communis Canoniſt. Ratio eſt; quia diſpenſatio hujuſmodi exorbitat à Jure communi, & relaxat vinculum Juris; adeoque tanquam odioſa eſt reſtringenda, & ſtrictè interpretanda, juxta *cap. 1. hujus tit. in 6.* quare nequit extendi ultra ea, quæ verba ſtrictè, ac propriè accepta ſignificant; ut monet Rebuff. Covarr. &c. Ex hac concluſione

6. Infertur ſecundò: quod filius Presbyteri, vel alius illegitimus ſimpliciter diſpenſatus à Papa ad Ordines, cenſeatur tantùm diſpenſatus ad Minores Ordines; non autem ad Majores; ut tenet Azorius Barboſa, &c. Item diſpenſatus ab eodem ad Ordines Sacros ſuſcipiendos, non cenſetur diſpenſatus ad beneficia, ſecundùm eoſdem DD. niſi fortaſſis ad ſimplicia; ut putat Laym. Engel, &c. Cùm præſumatur de benigna mente Papæ diſpenſantis, quòd ordinatum non velit mendicare: & verba intentioni ſunt accomodanda, *cap. 2. requiris, de appellat.* Item diſpenſatus generaliter ad omnia beneficia, adhuc non judicatur eſſe diſpenſatus ad penſiones Eccleſiaſticas; Secundùm eoſdem AA. quia penſio Eccleſiaſtica non eſt beneficium. Item diſpenſatus ad beneficia curata, non cenſetur diſpenſatus ad dignitates, & perſonatus; juxta eoſdem DD.

Digitized by Google

DD. Similiter diſpenſatus ad dignitates ſinè cura animarum, non putatur diſpenſatus ad dignitates curam animarum annexam habentes; ut docent memorati DD. Item diſpenſatus ad dignitates Eccleſiaſticas, non cenſetur diſpenſatus ad Epiſcopatum, vel Cardinalatum; juxta eosdem AA. hæ enim dignitates egent ſpeciali expreſſione, ob ſui præeminentiam. Tandem illegitimus diſpenſatus generaliter ad beneficium, non poteſt prætextu hujus diſpenſationis obtinere duo beneficia; & ita habetur *cap. 1. hoc tit. in 6.*

7. Dico quintò: ſpecialiter cautum eſt à ſacris Canonibus, ne filius Presbyteri, aut alterius Clerici, quamvis ad Sacros Ordines diſpenſatus, in illâ Eccleſia admittatur ad beneficiũ Eccleſiaſticum, vel quôquô modô ad miniſtrationẽ in officio, in qua Pater ejus dignitatem, vel beneficiũ obtinet, vel obtinuit; minùs poteſt immediatè eidem ſuccedere in eodem beneficio: & ſi quod miniſterium in ejusmodi Eccleſia jam eſſet aſſecutus, jubetur illicò ab eo removeri. Ita communis Canoniſtarum. Primum ita ſtatutum eſt in *cap. cùm decorem;* Et *cap. ad abolendam; hoc tit.* Et in Conc. Trident. *Seſſ. 25. de Reform. cap. 15.* Et *quia indecorum eſt* (inquit Canon cit. *cap. cùm decorem;*) *ut in altaris officio illegitimus filius impudico Patri miniſtret.* Ratio ſecundi eſt; quia aliàs multa beneficia talis Eccleſiæ induſtriâ Parentum ad hujusmodi filios ſpurios pervenirent. Ratio tertij eſt; quia ſi filius immediatè ſuccederet Patri, hæreditariæ ſucceſſionis ſpecies reſultaret in beneficijs obtinendis; quam tamen Sacri Canones plurimùm deteſtantur, *cap. præſentium*; Et *cap. ex transmiſſa; hoc tit.* Et *can. Apoſtolica 7. cauſ. 8. q. 1.* Quartum etiam patet ex *cap. cit. ad abolendam.* Ex his

8. Infertur tertiò: Filium Clerici nec quidem penſionem ullam ſuper fructibus beneficiorum, quæ Pater obtinet, vel aliàs obtinuit, poſſe obtinere in Eccleſia Patris; ut habet Engel: Et patet ex *cit. cap. cùm decorem:* imò nec quidem Muſici eſſe poſſunt ibidem; utì declaravit Cardinal. Congregatio teſte Garciâ.

9. Nota tamen primò: Papa poteſt, & quidem is ſolus, diſpenſare, ut filius Clerici in eadem Eccleſia cum Patre beneficium obtineat; vel eidem ſuccedat in eodem beneficio. Ratio eſt; quia Sum. Pontifex de plenitudine poteſtatis Pontificiæ eſt ſupra Jus Canonicum; adeoque illud rationabili de cauſa poteſt relaxare in hoc, & alijs caſibus.

10. Nota ſecundò: Spurium Clerici poſſe in aliquo beneficio ſuccedere mediatè in eadem Eccleſia; etſi unica duntaxat perſona intermedia interceſſerit; ut habet Vallenſ. Gloſſa &c. Et ita colligitur ex *cap. transmiſſis 7. hoc tit.* Et quia etiam unica tantum intermedia perſona interrumpit ſucceſſionem quaſi hæreditariam, quam Jura abominantur. Similiter poteſt nepos ſuccedere Avo; ut habet Zoëſ. Joan. Andr. Abbas, &c. Ratio eſt; quia verba Canonis non faciunt mentionem niſi filiorum; quorum nomine non veniunt nepotes.

11. Nota tertiò: ſecundùm communiorem DD. filium non teneri credere ſuæ matri aſſerenti ipſum illegitimum eſſe; ac proinde ſe tenere pro inhabili ad Ordines, & beneficia. Et ita colligitur ex *L. 6. D. de his, qui ſui, vel alieni juris ſunt.* Et quia eſt præſumptio cauſata per conſtans inter parentes Matrimonium, quòd filius inde procreatus ſit legitimus. Eſtquè Ratio, quia filius non obſtante dubio, quod ſuboritur ex matris aſſertione oppoſita, eſt in poſſeſſione; qui proinde ſe illâ non tenetur privare. Et quia demum hìc valet illud axioma; *alleganti propriam turpitudinem non eſt credendum.*

12. Nota quartò: circa Expoſititios, ſeu expoſitos in plateis, aut alijs locis, quorum parentes ignorantur, duplicem extare ſententiam circa eorum habilitatem ad Ordines, & beneficia obtinenda: nam quidam, ut Zoëſius, Piaſecius, Paleotus, Feling, &c. arbitrantur eoſ non eſſe tenendos pro illegitimis ob ſolam expoſitionem; ſed & habiles tam ad Ordines, quàm beneficia; tum quia pro hac facit Regula Juris, quòd in dubio pro legitimatione filij tanquam pro parte favorabiliori præſumendum ſit. Tum quia contingit etiam legitimos quandoque exponi, ob inopiam parentum; utì patet ex *cap. uni. de infant. expoſit.* Quidam verò DD. tenent, ejusmodi Expoſitos recenſendos eſſe inter illegitimos; ac conſequenter inhabiles ad Ordines, & beneficia; ut habet Engel, Covarr. Garc. &c. Tum quia huc facit illa Regula Juris, quòd præſumptio in dubio deſumatur ex illis, quæ communiter, & ordinariè accidunt; communiter autem, & ordinariè (uti quotidiana docet experientia) accidit, ut illi tantùm exponantur, qui ex copula illicita nati ſunt. Tum quia in Curia Romana petuntur, & dantur diſpenſationes pro expoſitis, ut poſſint ordinari, teſte ipſô Piaſeciô.

Digitized by Google

CAP. III.

Quid Juris regularis hìc de illegitimis Ordinem S. Franciſci profeſſis.

1. Dico primò: ſi filius Presbyteri, vel alius illegitimus Ordinem S. Franciſci de Obſerv. & Reform. profiteatur, eo ipſo legitimatur, & habilitatur ad omnes Ordines ſuſcipiendos. Ita Roder. & communis DD. Ordinis. Et conſtat ex *cap. 1. & fin. hoc tit.* Et *can. niſi, diſt. 56.* quæ Jura communia cùm generaliter loquantur de Monachis, & Religioſis, quòd per ingreſſum ſeu profeſſionem in Religione approbata legitimentur, & habilitentur ad omnes Ordines; conſequenter etiam valent pro filijs Presbyterorum, & alijs illegitimis Ordinem S. Franciſci de Obſerv. & Reform. profitentibus. Extat etiam privilegium ſpeciale antiquum Sixti IV. relatum in compendio Privilegiorum Ordin. FF. Min. quô dictus Papa conceſſit Generalibus, & Provincialibus noſtris authoritatem cum fratribus illegitimis dicti Ordinis diſpenſandi, ut promoveri poſſint ad quoscunque Ordines; ſed cùm Jus commune Ordini faveat, opus non eſt hôc privilegiô.

2. Dico ſecundò: Filij tamen Presbyterorum, aut alij illegitimi Ordinem S. Franciſci profeſſi non habilitantur eô ipsô ad Prælaturas, dignitates, & perſonatus Ordinis; ſed egent diſpenſatione. Ita Roder. Navar. Panorm. Gloſſa, & communior Interpretum Juris Canonici, quatenus id univerſaliter negant de quibusvis Religioſis illegitimis profeſſis. Et idipſum conſtat ex Bulla Gregorij XIV. quæ incipit *circumſpecta*; ubi Papa ad ejusmodi legitimationem, & habilitatem requirit ſuperiorum Ordinis diſpenſationem. Unde

3. Dico tertiò: Generalis, & Provincialis Ordinis noſtri Franciſcani, poſſunt cum conſenſu Capituli Generalis, & Provincialis, vel etiam congregationis intermediæ diſpenſare cum filijs Presbyterorum, ac quibusvis alijs illegitimis Ordinem FF. Minor. de Obſer. & Reform. profeſſis, ut ad Prælaturas, dignitates, & perſonatus Ordinis quoscunque poſſint promoveri, atque easdem licitè poſſidere. Ita Roder. Sanctor. Portel, & alij DD. Ordinis. Et conſtat expreſſè ex Bulla *cit.* Gregorij XIV.

4. Nota autem primò: quòd ſuperiores memorati diſpenſantes debeant habere legitimas cauſas; uti conſtat ex *Conſtitutione citata*, ubi dicitur, quòd diſpenſationes præfatæ fieri debeant *ſuffragantibus meritis, & dignitate perſonarum*. Relinquit verò idem Pontifex *loc. cit.* arbitrio Prælatorum diſcutiendas cauſas legitimas. Legitimæ autem cauſæ cenſeri poſſunt idoneitas perſonæ legitimandæ, ejusdem zelus, fervor, merita Lectionum, vel prædicationis, bona indoles, &c. quibus natalium defectus ſuppletur. Signanter autem attendere debent Diſpenſatores ad eorum continentiam; quia illegitimi ut plurimùm parentum vitia, & incontinentiam imitari ſolent, *can. priusquam, diſt. 28.* Et *can. ſi gens Anglorum, diſt. 56.*

5. Nota ſecundò: illegitimos in Ordine noſtro Franciſcano egere diſpenſatione P. Generalis, vel Provincialis cum Capitulo, vel Congregatione Generali, vel Provinciali ad ſequentes Prælaturas Ordinis, videlicet Guardianatûs, Commiſſariatûs Viſitationis Canonicæ, Miniſteriatûs, aut Vicariatûs Provincialis, Cuſtodiatûs regiminis, & Vicariatûs Conventualis, & ſimiles, quæ jurisdictionem aliquam ordinariam, vel quaſi ordinariam annexam habent. Item ad perſonatus Ordinis, ut Diffinitoriatus Generales, & Provinciales; ad Cuſtodiatus vocales, Procuraturas Generales Ordinis, & ſimiles dignitatem quandam, ſeu præeminentiam referentes: ut notat Roder. *tom. 1. quæſt. reg. q. 13.* Non egent tamen diſpenſatione, ut fiant Magiſtri Novitiorum, & Confeſſarij Monialium. Diſpenſatio illegitimorum debet fieri in ſcriptis, juxta communem DD.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XVIII.

DE SERVIS NON ORDINANDIS; ET EORUM MANUMISSIONE.

CAP. I.

De varia Servitute, & inhabilitatione ejus ad Ordines; ac pœnis Ordinatorum Servorum.

1. NOta primò: proſequitur Summus Pontifex in *hoc, & ſequentibus 4. tit.* reliqua impedimenta, ob quæ Ordines non debent conferri: & primò hîc proponit impedimentum conditionis, quod eſt Servitus. Obſervandum autem circa hoc, quòd *Servorum* nomine non veniant in Jure illi, qui inſerviunt Dominis pro annua mercede; hi enim in ſenſu Juris verè liberi ſunt. Illi itaque reputantur hîc Servi veri, qui Jure gentium contra naturalem libertatem ſubjiciuntur Domino ſuo; tales fuêre apud Romanos Mancipia, ſeu bellô capti; & omnes ex matre ſerva nati; ut docent DD. ad *tit. Inſtit. de Jure Perſonarum*; tales etiam ſunt Turcæ à Chriſtianis in bello capti. Ad Servos etiam revocantur per Juris Canonici extenſionem *Adſcriptitij*, id eſt, qui alicui fundo colendo in perpetuum adſcripti ſunt; cujusmodi ſunt coloni in regno noſtro Bohemiæ, qui communiter Germanicè Leibeigene vocitantur: item *Originarij*, id eſt illi, qui ex Adſcriptitijs procreati ſunt, de quibus in *tit. Cod. de agricolis, & cenſitis*: & demum omnes illi, qui ſimili conditioni ſunt obnoxij, & perpetuò obligati; de quibus *can. quamvis leges.* Et *can. generalis.* Et *can. admittuntur.* Et *can. fin.* Et ibi Gloſſ. *diſt. 54.*

2. Dico primò: Servi & mancipia nequeunt ordinari; niſi priùs à Domino manumiſſionem, & libertatem aſſequantur. Ita communis Canoniſt. Et pro hoc eſt diſpoſitio Juris *cap. 1. 2. & 5. hoc tit.* Et quaſi tota *diſt. 54.* Eſtque Ratio; quia (ut loquitur *canon cit. cap. 1.*) *quod infirmari, ſive revocari, vel vituperari poteſt* (uti cum Servo fieri poteſt à Domino) *id eſt, in vituperium Eccleſiæ, vel miniſtrorum ejus cedere, præcaveri debet.* Et quia Servus nequit ſecurè vacare Divinis, ob ſervitia Domino ſuo præſtanda; cùm tamen is, qui Divinæ militiæ eſt aggregatus, debeat eſſe immunis ab alijs; nec à caſtris Dominicis, quibus nomen dedit, aliquando neceſſitatis caſu abſtrahendus. Ex his

3. Infertur *primò*: quòd Liberti, & Libertini ordinari nequeant ante plenam libertatem aſſecutam; nam promovendi ad Ordines ab omni jugo Dominico liberati eſſe debent, *can. ſi quis 7. diſt. 54.* *Secundò*: Neque Adſcriptitij, & Originarij ad Ordines admittendi ſunt; juxta *can. admittuntur 21. diſt. 54.* *Tertiò*: Neque nati ex matre ancilla, tametſi Pater fuerit liber: quia partus ſequitur ventrem, *L. partum 7. C. de rei vindic.*

4. Nota ſecundò: ſi Servus inſciô, & non conſentiente Domino per calliditatem, & fraudem obtinuerit ſui ordinationem, manet quidem validè ordinatus; ſi tamen ſolos Minores ſuſceperit, Dominò ſuo eſt reſtituendus, juxta *can. ex antiquis, & can. frequens, diſt. 54.* Et reſtitutus reducitur ad priſtinam conditionem, quam habuit ante ſuſceptos Minores, *can. nulli 2. diſt. 54.* Sicque amittit privilegium fori, & Canonis; etſi de privilegio Canonis dubitet Zoëſius. Si verò Subdiaconatum doloſè ſuſceperit, gaudebit hodie privilegio Subdiaconi, ex *cap. miramur; hoc tit.* Quòd ſi ad Diaconatum promotus fuerit eadem arte, & inſciô pariter, & non conſentiente Domino, tunc poteſt pro ſe dare Domino vicarium, ſeu ſimilem Servum; vel ex proprio peculio ſe pretiô redimere: vel ſi neutrum præſtare valeat, ipſe Domino reſtituendus eſt, *can. ex antiquis 9. diſt. 54.* ita ut Dominus eum in Servitutem revocare poſſit ſpaciô unius anni, *can. ſi Servus, eadem diſt.* qui annus calculari debet non à die ſuſcepti Diaconatûs; ſed à die notitiæ, ut habet Gloſſa. Quòd ſi finitô annô Dominus hujusmodi Servum ſibi non vendicet, cenſetur eum manumittere, & plena libertate donare; uti colligitur ex eodem *cap. ſi Servus.* Quòd ſi tandem in Presbyterum ſe fraude ordinare curaverit; manet quidem in gradu ſuo, ob reverentiam Sacerdotij, *can. ex antiquis.* & *can. frequens diſt. 54.* mulctatur tamen amiſſione peculij, ſi quod

Digitized by Google

quod habet; & hoc cedit Domino; cui etiam talis Sacerdos eſt reſtituendus; non tamen ad operas ſerviles; ſed ad ſpirituales præſtandas.

CAP. II.

Qua ratione Servus evadat liber; & habilis ad Ordines.

1. NOta primò: ſi ſervus ſciente, & non contradicente Domino ordinatus fuerit, hoc ipsô libertatem aſſequitur; etſi ſolos 4. Minores, aut primam tonſuram accepiſſet, juxta *can. ſi Servus 20. diſt. 54.* & Gloſſam, Abbat. &c.

2. Nota ſecundò: ſi Epiſcopus ſcienter Sacros Ordines contulerit Servo ignorante Domino, Servus pariter libertatem aſſequitur: Epiſcopus tamen Domino duos alios Servos ſubſtituere tenetur, æquè bonos; vel duplicatum pretium ſolvere, *can. ſi ſervus 19.* junctâ Gloſſâ in *cap. 2.* verbô, *deponatur, hoc tit.* Et ibidem Abbas &c. Quod ſi Epiſcopus bona fide proceſſit, tunc ij, qui teſtati fuere, ordinatum non eſſe Servum; aut pro eo ſupplicuêre; aut eum præſentavêre, ad hujusmodi duplam ſatisfactionem tenebuntur; uti patet ex *cit. can. ſi Servus.*

3. Dico primò: Servus manumiſſus poteſt ordinari, & aſſequi beneficia. Ita communis Canoniſtarum. Ratio eſt; quia irregularitas ex Servitute reſultans non eſt perpetua; Sed quàm diu duntaxat durat Servitus, & non conſentit Dominus; cujus conſenſus ſufficit, ut poſſit ordinari. Ita DD. communiter. Et patet; quia ita habetur ex *can. Apoſtolico 81.* Et *can. generalis, diſt. 54.*

TITULUS XIX.

DE OBLIGATIS AD RATIOCINIA ORDINANDIS, VEL NON.

CAP. I.

Quinam Obligati ad rationes reddendas nequeant, & qui poſſint ordinari.

1. NOta primò: *hoc. tit.* affertur tertium impedimentum, arcens à receptione Ordinum; & eſt obligatio ad ratiocinia, ſeu id, quod ex ratiociniis provenit. Nomine autē *Obligatorum ad ratiocinia* veniunt omnes illi, qui tenent, vel tenuerunt adminiſtrationem aliquam, ratione cujus ſunt obligati reddere rationes publicas ſuis principalibus; cujusmodi ſunt varij Officiales, ut Syndici Univerſitatum, & Collegiorum Procuratores, Curatores, Tutores, Actores, Executores ſententiarum, & Teſtamentorum; & id genus hominum.

2. Dico primò: Obligati ad ratiocinia nequeunt ordinari ante officium finitum, redditas rationes, & plenam liberationem à ſuis principalibus obtentam. Ita communis Canoniſt. Et ita ordinatur in *cap. unic. hoc tit.* Et *can. legem, diſt. 53.* Ratio etiam eſt, quia de facili Eccleſia poſſet diffamari per ejusmodi Miniſtros, qui doli, fraudisque principalium quibus inſervierunt, argui poſſent; ac ad juriſdictiones civiles trahi. Inſuper tales varijs litibus & negotijs involvi poſſent; atque ita diſtrahi à Divinis officijs, ut officijs Eccleſiaſticis ritè inſiſtere nequirent. Tandem quia tales obligati præſumuntur magìs intentione fugiendi ratiocinia, & declinandi forum civile in præjudicium Principalium, quàm Religionis causâ ad Clericatum tranſire.

3. Nota tamen ſecundò; quòd quidam Officiales, & adminiſtratores non comprehendantur citatis canonibus; unde promoveri poſſunt ad Ordines. *Primò* tutores actuales, ſeu defenſores miſerabilium perſonarum, ut orphanorum, pauperum, & ſimilium. *Secundò* adminiſtratores locorum piorum, cauſarum piarum, & rerum Eccleſiaſticarum. *Tertiò* defenſores perſonarum Eccleſiaſticarum. *Quartò* qui legitimam tutelam proximorum agnatorum ſuſceperunt. Ratio eſt; quia Clericis conceditur ſimilium adminiſtratio, & tutela; *can. pervenit. diſt. 86.* Et *can. judicatum, diſt. 89.* Et *can. in nona, 16. q. 7.* Et *can. 1. cauſ. 21. q. 3.* Et tenent Sylv. Pirh. Suar. Piaſ. Gloſſa &c.

4. Nota tertiò: quòd tametſi Officialis ratiocinarius poſt rationes redditas remanſerit

ſerit

Digitized by Google

ſerit debitis gravatus, quibus non eſt ſolvendo; non propterea videtur is remanere irregularis, & ab Ordinatione repellendus: modò liberationem à ſuo principali ſit aſſecutus: ut habet Svar. Zoëſ. Pirh. &c. Ratio eſt; quia hoc nullo Jure expreſſum reperitur.

TITULUS XX.

DE CORPORE VITIATIS NON ORDINANDIS.

CAP. I.

Qui cenſeantur vitiati corpore.

1. Nota primò: *hoc tit.* affertur quartum impedimentum removens à licita Ordinum ſuſceptione, quod eſt vitium corporis: *Corpore* autem *vitiati* generaliter cenſentur illi, qui habent defectum talem in ſuo corpore, ut ratione ejuſdem vel impediantur à congruo exercitio Ordinum; vel illos adminiſtrare oporteat cum ita notabili difformitate corporis, ut meritò ſint humano horrori. Hujuſmodi ſunt maximè, habentes labia penitus corroſa; ligati linguâ, vel penitus præcipites, monoculi, habentes, valde deformem gibbum, carentes naſô, &c.

2. Dico primò: corpore ita notabiliter vitiati, ut nec congruè fungi poſſint miniſteriô Ordinum, vel nonniſi cum magna indecentia, & ſcandalo ob deformitatem, non ſunt regulariter ordinandi. Ita communis Canoniſt. Et ita ſtatuitur in tota *diſt. 49.* & *55.* Et varia capita *hoc tit.* Ex hac concluſione

3. Infertur primò eſſe irregulares, & inhabiles ad Ordinationes paſſivas ex primo capite ſequentes: *primò* ita debiles, ut nequeant ſtare, aut gradi; ita lippi, & debilitati in viſu, & cæcutientes, ut nequeant ampliùs legere diſtinctè Canonem; ita balbutientes, ut nequeant intelligi in legendo; quaſi muti; febri continua, vel ingenti capitis dolore continuò laborantes, ut citra irreverentiæ periculum miniſterio ſacro aſſiſtere nequeant; paralytici; apoplectici: phrenetici; arreptitij; Lunatici; Dæmoniaci; ita periculosè reſperſi leprâ, aut morbô gallicô, vel peſte, ut membra corporis ad miniſterium peragendum neceſſaria penitus collapſa, ac debilitata ſentiant, irreverentiæque committendæ exponantur.

4. *Secundò* notabiliter mutilati in ijsdem membris; ut ſi ordinandus careat oculô canonicô, ſeu ſiniſtro ad inſpiciendum Canonem neceſſario; niſi dextrô ſine indecora facie ad populum converſione Canonem Miſſæ legere poſſet, ut habet Barboſa, Navarr. &c. Item ſi careat brachiô, vel manu, vel pede, aut digitis indicibus, & pollicibus; ſi habeat utramque aurem deſtructam, vel abſciſſam. Item qui propriâ culpâ ſeſe caſtravit, etiam ad tollendam libidinem carnalem; vel ob cantûs ſuavitatem conſervandam; talis enim ſui homicida, & DEI conditionis inimicus vocatur, *can. ſi quis 4.* & *can. 5.* & *9. diſt. 55.* Qui verò paſſus eſt hujuſmodi injuriam à Barbaris, aut Domino ſuo, vel à Medicis; vel qui Eunuchus natus eſt; vel qui in cunis caſtratus eſt, vel ante ſeptennium, poteſt ordinari; ut colligitur ex *can. ſi quis à Medicis 8. cum ſequent. diſt. 55.* Et *cap. ex parte, hoc tit.* & habet Gloſſa, Engel &c. Nec tenetur violenter caſtratus genitalia abſciſſa ſecum deferre pulverizata; uti autumat vulgus.

5. Infertur ſecundò: ex ſecundo capite eſſe irregulares, & ab Ordinibus ſuſcipiendis excludendos ſequentes: *Primò* quibus nares, & aures ſunt truncatæ; niſi fortè illa aurium decurtatio capillis tegeretur. Item habentes duo capita, vel dentes difformiter eminentes extra labia; Naſones monſtroſi; habentes labia penitus corroſa, faciem valdè uſtulatam; monſtroſum gibbum; corpus variè, & turpiter retortum, ac incurvatum; qui oculum unum, etiam dextrum tantùm totaliter erutum habent, cum notabili deformitate: quod procedit, etſi vitreô oculô ſuppleri poſſet difformitas; nam hic de facili excidere poteſt, aut amitti totaliter.

6. *Secundò* leproſi, quorum leprâ cum horrore aſpicientium apparet; epyleptici; & ænergumeni, qui pariter horrorem in aſpicientibus cauſant; qui articulos manuum nimium retortos, inflexos, aut improportiona-

tos habent. Quos, & ſimiles defectus Epiſcopus in Scrutinio Ordinandorum diligenter obſervare, ac inveſtigare debet; difformesque, ac monſtroſos ab Ordinatione repellere: nam ſi olim apud Ethnicos non admittebantur in ſacrificulos niſi integri corpore; & ſi in veteri Lege, ut habetur *Lev. 21.* repudiabatur à miniſterio DEI maculam habens, cæcus, claudus, grandem vel nimis parvum, aut tortum naſum, vel fractum pedem habens, mancus, lippus, & ſimiles; quantò magis in lege gratiæ, quæ eſt longè perfectior, repelli debent, & per Sacros Canones repelluntur ejusmodi defectuoſi, & vitiati corpore; imò promoti aliquando abjiciuntur *cap. expoſuiſti 6. hoc tit.* Imò & à beneficio; ut habetur *tit. de Clerico ægrotante.* Ratio communis ulterior hactenus dictorum poteſt eſſe, quòd incompoſitio corporis inæqualitatem indicet mentis, *can. ult. diſt. 41.* & habet Abbas, Vallenſ. Et quia natura membra componit prout moribus animæ convenit, ita ut cujus difformis eſt facies, is vix queat eſſe præditus bonis moribus, juxta Vallenſ. Et fœda facies malos mores ſignat, juxta Rhaſim Medicum, & communem Phyſionomicorum; de quo, vide plura quæ dico, *in Schola mea Philoſophica, tom. 3. tract. integro de Phyſionomia.*

CAP. II.

Qui non cenſeantur vitiati, & inhabiles ad Ordines.

1. INfertur tertiò: è contra non cenſeri eſſe irregulares ex hoc titulo de corpore vitiatis non ordinandis, ſed poſſe ordinari, ſequentes: *Primò* claudicantes aliquomodo, modò inter Miſſarum ſolemnia baculô non egeant, *can. ſi quis 10. diſt. 55.* junctô *can. nullus Epiſcopus 57. diſt. 1. de Conſecr.* Item qui oculum dextrum habet deſtitutum virtute viſivâ; modò non ſit aliàs valde deformis; & ſiniſter, ſeu Canonicus ſit bonus, atque ſufficienter videns. Item aliquomodo luſci, & obliquatos oculos habentes, ita ut modicam duntaxat corporis inclinationem ad legendum requirant. Secus dicendum, ſi requirant multam inclinationem, ita ut riſum populo cauſent. Item caſtrati per vim; modicâ maculâ reſperſi in oculo, quæ viſu non privat: item non habentes ungues in pollice; affecti lippitudine tali ex qua non oriatur notabilis deformitas, vel defectus viſûs; habentes 6. digitos; modò non inducant deformitatem notabilem, & uſum miniſterij impediant; aliquomodo ſurdaſtri, blæſi; parvæ ſtaturæ; modò non ſint pygmæi; habentes aliqualem tremorem manuum, modicum gibbum, diſtorta crura, carentes dentibus; ad Æthiopes in colore declinantes. Ita Piaſec. Vall. Zoëſ. Pirh. Laym. Abbas &c. Ratio horum omnium communis eſt; quia ob ſimilia vitia corporis non impediuntur ordinandi ab exercitio Ordinum; neque notabilem deformitatem habere cenſentur; nec indecentiam; neque ſcandalum pariunt in populo.

CAP. III.

De Hermaphroditis, immutatis in ſpecie, & alijs.

1. NOta primò: Hermaphroditi, etſi in eis prævaleret ſexus virilis, & viris annumerentur *L. quæritur ff. de ſtatu hom.* adhuc ab Ordinatione repudiandi videntur ſecundùm Navarr. Zoëſ. Engel. Et Ratio eſt; quia tales abſolutè, & ſimpliciter non ſunt viri; & indecentiam quandam continet, ſimiles monſtroſos ad Ordines admittere. Alij tamen volunt tales Hermaphroditos viriles eſſe capaces Ordinum; eô quòd viri reputentur per *L. cit.* Prior opinio eſt fundatior.

2. Nota ſecundò: Si contingeret fœminam mutari in virum perfectum, uti ſæpius factum legimus apud Plinium, Majolum &c. tunc talis vir poſſet ordinari; niſi ſcandalum obſtaret, & aliqua monſtroſitas remanſiſſet.

3. Nota tertiò: diſpenſationem pro corpore vitiatis impertitur ſolus Summus Pontifex; ut tenent Covarr. Zoëſ. Engel: Epiſcopus ergo tantùm declarare poteſt circa vitiatos vitiô deformitatis, & debilitatis, num talis deformitas, vel debilitas admittat vitiatum ad Ordinem.

4. Nota quartò: qui poſt Ordines ſuſceptos ſe mutilavit, exſcindendo virilia, etiã ad ſedandos ſtimulos carnis, arceri debet ab executione Ordinum jam ſuſceptorum; ut patet ex *can. qui partem 6. diſt. 55.*

TITULUS

Digitized by Google

TITULUS XXI.

DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit Bigamia.

1. NOta primò: quintum impedimentum excludens certas perſonas ab Ordinibus *hoc tit.* recenſetur, & diſcutitur, quod eſt Bigamia, ſeu ut alij legunt Digamia *cap. 1. & 2. hoc tit.*

2. Dico primò: rectè deſcribitur Bigamia, quòd *ſit ſtatus conjugati cum duabus Conjugibus vel realiter, vel interpretativè, vel ſimilitudinariè.* Unde

3. Nota ſecundò: ſecundùm Gloſſam, & communem DD. tres conſtitui ſpecies Bigamiæ, ſcilicet veram, interpretativam, & ſimilitudinariam. *Bigamia vera* habetur ex *can. præcipimus, diſt. 34.* quando quis duas ſucceſſivè duxit uxores legitimas, easque carnaliter cognovit, conſummando matrimonium cum utraque.

4. Nota tertiò: *Bigamia interpretativa* dicitur illa, quæ ex Juris interpretatione, fictioneque cenſetur eſſe talis; & contingit pluribus modis; puta ſi quis ducat mulierem jam ab alio corruptam ſive extra, ſive intra matrimonium juſtum, *can. maritum 2. diſt. 33.* item ſi maritus reddat debitum conjugale ſuæ conjugi adulteræ, etiamſi ignoret illam eſſe adulteram; aut debitum pendente lite ad Eccleſiæ præceptum reddat, *can. ſi cujus, & ſeq. diſt. 34.* Item ſi quis duo matrimonia ineat de facto; non de jure, id eſt, ambo invalida; *cap. nuper.* Et *cap. fin. hoc tit.*

5. Nota quartò: *Bigamia ſimilitudinaria* dicitur illa, quæ contrahitur ab aliquo initiato ſacris Ordinibus, vel voto ſolemni profeſſionis adſtricto, dum contrahit, & conſummat matrimonium, *can. quotquot, 27. q. 1.* Et *cap. à nobis, hoc tit.* Dicitur *ſimilitudinaria* à ſimilitudine, quam habet cum vera Bigamia.

CAP. II.

De Bigamia vera.

1. DIco primò: Bigamia vera facit irregularem, & impedit à ſuſceptione Ordinum. Ita communis Canoniſtarum. Et ita ſtatuitur in *can. præcipimus, diſt. 34.* Et *can. fin. diſt. 26.* Et *fin. diſt. 51.* Et *cap. debitum; hoc tit.* Et ita etiam colligitur ex *1. ad Timoth. 3.* ex illis verbis, *oportet Epiſcopum unius uxoris virum eſſe:* ubi etſi Apoſtolus tantum loquatur de Epiſcopo; attamen hoc idem extendunt SS.PP. etiam ad Presbyterum: & Concilium Nicænum addit, nec ad quemcunque Ordinem Clericalem poſſe aſſumi Bigamum, *can. cognoſcamus, diſt. 34.* Ratio etiam eſt; quia Bigamia tollit perfectam ſignificationem Sacramenti Matrimonij; nam Matrimonium conſummatum ſignificat arctiſſimam conjunctionem Chriſti cum Eccleſia per Incarnationem factam, juxta illud ad Epheſ. 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia:* Chriſtus autem uni duntaxat ſponſæ Eccleſiæ ſeſe conjunxit; Bigamus verò duabus ſucceſſivè carnaliter copulatur per Matrimonij conſummationem cum utraque conjuge.

2. Nota primò: tametſi quis duas ſucceſſivè legitimas duxiſſet uxores, modò cum altera non conſummaſſet Matrimonium per copulam carnalem, non efficitur irregularis; ſed poteſt ordinari; ut habetur *cap. 5. hoc tit.* Ratio eſt; quia ut loquitur canon cit. cap. *talis non diviſit carnem ſuam in plures;* unde non tollitur perfecta ſignificatio myſterij Incarnationis Chriſti, ſeu ejus conjunctionis cum Eccleſia unica ſponſa.

3. Nota ſecundò: rurſus licet is, qui ſæpius copulatur fornicariè uni, vel pluribus fœminis, ſive ante Matrimonium contractum cum una virgine; ſive eo ſtante; ſive poſt illud, non fit irregularis; ſed poteſt ſuſcipere Ordines. Ita colligitur ex *can. fraternitatis 7. diſt. 34.* Et *cap. quia circa 6. hoc tit.* Et Ratio eſt; quia per conjunctionem fornicariam non ſignificatur conjunctio Chriſti cum Eccleſia facta per carnis aſſumptionem; non enim fit diviſio carnis in præfatis caſibus affectu maritali, & intuitu matrimonij veri, vel attentati ſaltem. Quod requiritur ad incurrendam Bigamiæ veræ irregularitatem.

4. Nota tertiò: & quamvis etiam præceſſerint vera ſponſalia cum pluribus fæminis, quibus fornicariè poſtea quis copulatur;

adhuc

adhuc non incurritur irregularitas Bigamiæ. Ratio eſt; quia requiritur Matrimonium verum, vel ſaltèm attentatum, ad ejus incurſionem; ut habet Piaſec. Barbo. Bonac. &c.

CAP III.

De Bigamia interpretativa.

1. Dico primò: etiam Bigamia illa interpretativa, quæ reſultat ex eo, quòd quis in uxorem duxerit Viduam, à priori viro carnaliter cognitam, vel ab aliquo extra Matrimonium corruptam, ſi cum ea deinde conſummet Matrimonium, inducit irregularitatem, & inhabilitatem ad Ordines. Ita communis Canoniſt. Et ita deciditur in *can. maritum 2. diſt. 33.* Et *can. curandum 9.* Et *can. præcipimus 10.* Et *can. ſi quis viduam 13. & 15. diſt. 34.* Eſtque Ratio; quia ducens viduam, vel ab alio jam priùs corruptam, & cum ea conſummans Matrimonium fit una caro cum ipſa; & per conſequens ſicut ipſa Uxor verè carnem ſuam in plures diviſerat, ratione copularum carnalium cum pluribus habitarum; ita & iſte ultimus conſummans Matrimonium ex Juris interpretatione cenſetur carnem ſuam dividere in plures; unde deficit tale Matrimonium à perfecta ſignificatione Matrimonij Chriſti cum Eccleſia, quod eſt unius cum una intenta. Et

2. Nota primò: quòd contrahatur hæc Bigamia interpretativa irregularitatem inducens etiam ab illo, qui in uxorem ducit, mulierem ab alio viro repudiatam; ſed priùs carnaliter cognitam; ut habet communis DD. Et colligitur ex *cap. 1. hoc tit.* Similiter hæc Bigamia conſurgit in ducente viduam, vel ab alio corruptam, ſive ſciverit, ſive ignoraverit ſtatum viduitatis, & corruptionis mulieris ductæ; ut habet Sanch. Pirh. Engel, & communis DD. Ratio eſt; quia irregularitas iſta non provenit ex aliqua culpa, vel infamia perſonæ; ſed ex defectu ſignificationis; quæ etiam locum poteſt habere in ignorante.

3. Nota ſecundò: non incurrit Bigamiam hanc, vel aliam interpretativam, is qui Matrimonio ſibi jungit fœminam, quam ipſe ſolus priùs ſæpius carnaliter cognovit: ut habet Gloſſa, Pirh. &c. Ratio eſt; quia in tali Matrimonio non adeſt defectus ſignificationis ſacramenti; nam talis fœmina non diviſit carnem ſuam in plures viros; nec vir in plures uxores. Neque is fit Bigamus interpretativè, qui viduam duxit, à priori marito non cognitam; uti colligitur ex *cap. debitum 5. hoc tit.* Ratio eſt, quia (ut dicit canon *cit. cap.*) *ubi deficit inter hujuſmodi conjuges commixtio corporum, non deeſt hujuſmodi ſignaculum Sacramenti:* cùm non cenſeatur in tali Matrimonio adeſſe diviſio carnis in plures.

4. Dico ſecundò: præterea etiam Bigamia illa interpretativa, quàm contrahit maritus reddendo debitum conjugale uxori adulteræ, etiamſi ignoret illam adulteram eſſe, arcet à ſuſceptione Ordinum, & inducit irregularitatem. Ita Zoëſ. Engel, & communis DD. Et colligitur ex *can. ſi cujus; & ſeq. diſt. 34.* Eſtque Ratio; quia talis maritus patitur defectum Sacramenti; nam ejus matrimonium amplius non ſignificat perfectè conjunctionem Chriſti cum Eccleſia unica unici.

5. Dico tertiò: illa pariter Bigamia interpretativa, quæ contrahitur, quando quis duo matrimonia contraxit de facto; non de jure, id eſt, ambo invalida, inducit irregularitatem, & impedit ab Ordinatione. Ita communis DD. Et colligitur ex *cap. nuper; hoc tit.* Ratio etiam eſt; quia etſi in tali caſu non adſit defectus ſignificationis Sacramentalis; cùm ex ſuppoſito nullum verum fuerit matrimonium, aut Sacramentum; fuit tamen matrimonium attentatum; & in tali viro contrahente adfuit affectus intentionis ad duo matrimonia ineunda, cum ſubſecuto opere carnalis copulæ; quia quantum in ipſo fuit ſecundam mulierem ſibi matrimonialiter junxerat, ut dicit *cap. nuper.* Et *cap. fin. hoc tit.* adeoque Sacri Canones Bigamiam ab Ordinatione impedientem in tali contrahente interpretati fuère.

CAP. IV.

De Bigamia ſimilitudinaria.

1. Dico primò: etiam Bigamia ſimilitudinaria cauſat irregularitatem, & inhabilitatem ad recipiendos Ordines. Ita communis Canoniſtarum. Et ſtatuitur *can. quæ Chriſto, 27. q. 1.* Et *cap. 1. & 2. qui Clerici, C. voventes.* Et *cap. fin. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia licèt Clericus initiatus Ordinibus, & ſolemniter profeſſus ducens uxorem, non propter defectum Sacramenti; (quia matrimonium de jure nullum inſtituit, nec eſt verus maritus mulieris dictæ) Bigamus efficiatur, & irregularis ad Ordines ſuſcipiendos; propter tamen pravam intentionem matrimonij contrahendi cum opere carnali ſubſecuto Bigamus ſimilitudinarius evadit; prout habetur *cap. à nobis 7. & ult. hoc tit.* eò quòd ordinatus, & adſtrictus ſolemni voto profeſ-

profeſſionis cenſeatur ſimilitudinariô matrimoniô cum Chriſto, & Eccleſiâ conjunctus; quare dum poſtea aliam ſponſam ducit, & eam carnaliter cognoſcit, non quidem de jure; ſed de facto propter affectum ad alias nuptias, Bigamus evadit cum ſimilitudine quadam ad verùm Bigamum. Et incurritur hæc Bigamia, etſi Clericus, vel profeſſus duceret virginem; & quidem unicam; ut habet Svar. Zoëſ. &c.

2. Nota primò: ſi Clericus in Minoribus conſtitutus Bigamiam ſimilitudinariam contrahat, ipſo jure perdit Clericalia privilegia; ut patet ex *can. quiſquis, diſt. 84.* ubi habentur hæc verba, *mox denudetur*; privilegiô ſcilicet Clericali. Et clariùs *cap. unic. hoc tit. in 6.* ubi dicitur, *mox omni privilegiô Clericali declaramus denudatum*; adeò ut etiam tonſuram, & habitum Clericalem deferre prohibeatur ſub anathemate. Si verò talis Bigamus jam ſuſceperat antè Sacros Ordines, non perdit quidem privilegia canonis, & fori; ob reverentiam Sacrorum Ordinum; ut notat Gloſſa: privatur tamen uſu, & exercitiô ſuſceptorum Ordinum. Poterit autem Epiſcopus talem reſtituere officio ſuo, poſtquam dimiſſâ uxore, debitam egerit pœnitentiam. & apparuerit certa emendatio; imò & diſpenſare, & admittere ipſum ad ulteriores Ordines, *cap. ſanè*; Et ibi Gloſſa, *de Clericis conjug.* dummodo non duxerit viduam, vel ab alio corruptam, *cap. nuper, & fin. hoc tit.* Et habet hæc pœna ſolùm locum in Clericis minoriſtis ſæcularibus; non regularibus, qui ob Bigamiam non amittunt privilegia Clericalia; ut habet Sylv. Franc. &c.

3. Nota ſecundò: omnis Bigamus abſque diſpenſatione prævia ordinatus, manet ſuſpenſus ab uſu, & executione ſuſceptorum Ordinum; uti cònſtat ex *cap. 2. hoc tit.* Et Epiſcopus ordinans ſcienter Bigamum, incurrit ſuſpenſionem à collatione eorum Ordinum, quos ei contulit, per annum; nec non à celebratione Miſſæ; uti conſtat ex *can. nullus, diſt. 55.* Et *cap. 2. hoc tit.* Bigamus tamen ordinatus recipit characterem; ut habet Pirh. Gloſſa, & communis DD.

4. Nota tertiò: ſolus Papa poteſt diſpenſare cum Bigamis veris, & interpretativis; ut docet Abbas, Joan. Andreas, Garcias, Barboſa &c. Ratio eſt; quia Epiſcopi nequeunt diſpenſare in Canone Concilij Generalis; niſi in caſibus à Jure expreſſis: extat autem Canon Concilij Generalis, ut Bigami veri, & interpretativi non ordinentur; ut refertur in *can. cognoſcamus 14. diſt. 34.* & nullibi legitur ejus diſpenſatio Epiſcopo conceſſa: Ergo &c. In Bigamia tamen ſimilitudinaria poteſt Epiſcopus diſpenſare, ut ſupra dictum; & patet ex *cap. ſanè, de Clericis conjug.* Idem poſſunt ſuperiores Regulares quaſi Epiſcopalem Juriſdictionem habentes, reſpectu ſuorum ſubditorum Regularium.

5. Ex his infertur: Bigamiam quamcunque eſſe duntaxat Juris poſitivi, & humani; cùm Papa, & Epiſcopus eam poſſint diſpenſare; & quia in Lege Evangelica nulla ejus fiat mentio. Unde quamvis Apoſtolus *1. ad Timoth. 3.* voluerit Epiſcopum eſſe unius uxoris virum; per hoc tamen non fecit Jus aliquod Divinum; ſed traditionem ſuam, & ordinationem humanam, neceſſariam pro inſtitutione bona Eccleſiæ; quare ſicut multis alijs dictis in Epiſtolis Canonicis S. Pauli; ita & in his accomodari poſſunt illa verba ejuſdem Apoſtoli, *cæteris ego dico; non Dominus* &c. *1. ad Cor. 7.*

TITULUS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS NON ORDINANDIS.

CAP. I.

Clerici, & Laici peregrini quando ordinandi.

1. Nota primò: *hoc tit.* ſextum impedimentum repellens ab Ordinum receptione agitatur, quod eſt qualitas extranei, ſeu peregrini. Sciendum autem per *Clericos Peregrinos* hìc intelligi illos extraneos Clericos, qui non ſunt de Epiſcopatu, vel diœceſi, ſive juriſdictioni Epiſcopi loci non ſubjecti, uti obſervat Hoſtienſ. & præſertim horum nomine veniunt Clerici vagi, ac ignoti.

2. Dico primò: Clerici peregrini, vagi, ac penitus ignoti non ſunt ordinandi; niſi afferant debitas literas teſtimoniales ſuorum Epiſco-

Epiſcoporum de vita, carentia cenſurarum, moribus, & Ordinibus Minoribus acceptis, vel illis ſacris, quos ſe jam ſuſcepiſſe aſſerunt; item dimiſſoriales legitimas eorundem Præſulum. Ita communis Canoniſtarum. Et ſtatuitur in *cap. 1. hoc tit.* quod caput etſi loquatur de Clericis duntaxat Transmarinis; tamen obſervari debet circa alios quoque Clericos, ex communi DD. Item habetur *can. 3. diſt. 98.* Et Trident. *Seſſ. 23. cap. 16. de Reformat.* Eſtque Ratio; quia Clerici peregrini, vagi, & ignoti meritò ſunt ſuſpecti; nam ſæpius ſolent eſſe criminoſi, infames, excommunicati, vel aliàs irregulares, fugitivi, in exilium miſſi &c. & interdum mentiuntur ſe ſuſcepiſſe Ordines, etiam Majores in regione longinqua, quos reverà non ſuſcepêre; unde ne ſubrepant indigni ad Ordines, aut per ſaltum aliqui promoveantur; meritò Eccleſia hujusmodi Clericos arcet ab Ordinibus ſuſcipiendis; niſi purgent ſuſpicionem literis authenticis Epiſcopi.

3. Nota ſecundò: quòd etiam Laici peregrini, vagi, & ignoti repellendi ſint à ſuſceptione Ordinum, imò planè à prima tonſura ſuſcipienda, absque teſtimonio Diœceſani; ut habetur *cap. ult. de tempor. ordin. in 6.* ubi dicitur, *nullus Epiſcopus abſque ſuperioris licentiâ, homini alienæ diœceſis Clericalem præſumat conferre tonſuram.* Cenſetur autem diœceſanus eſſe ille Epiſcopus, in cujus diœceſi, vel eſt oriundus; vel habet domicilium; aut beneficium; ut colligitur ex *cap. fin. de foro compet.*

4. Nota tertiò: Clericus peregrinus etiam jurans ſe à ſuo Epiſcopo aliquos Ordines percepiſſe, & occaſione belli, vel alio accidente perdidiſſe literas teſtimoniales, non eſt ulteriùs ordinandus; niſi per alia argumenta conſtet de ejus priori Ordinatione Canonica; ut habetur *cap. 2. hoc tit.*

CAP. II.

Sacerdotes peregrini quando admittendi ad Miſſam.

1. DIco primò: Similiter Sacerdotes peregrini, vagi, & ignoti non debent ab Epiſcopo ſine literis commendatitijs ſuorum Epiſcoporum admitti ad publicam coram populo celebrationem Miſſæ. Ita communis Canoniſt. Et ordinatur *cap. 3. hoc tit.* Et *cap. 2. & 3. de tempor. ordinat. in 6.* Et in Trident. *Seſſ. 23. cap. 16. de Reform.* Et quia ſi ejusmodi peregrini Sacerdotes ad publicam celebrationem Miſſæ admitterentur, poſſet contingere, quòd Sacerdotes non eſſent; & ſic populum deciperent, irreverentiamque magnam committerent circa rem Divinam; ut loquitur Tridentinum *cit.* Debent autẽ illæ literæ commendatitiæ eſſe munitæ veris ſigillis 5. Epiſcoporum, ſi Sacerdotes tales ſint ex longinquis regionibus; ut habetur *cap. 1. hoc tit.*

2. Nota tamen primò: quòd ſi ejusmodi Sacerdotes peregrini per teſtes, vel aliis legitima documenta probarent, ſe legitimè ordinatos eſſe in Sacerdotes, & aliàs dent ſpecimina compoſitæ vitæ Clericalis; poſſunt admitti ad celebrationem publicam: qui verò talia documenta exhibere nequeunt, poſſunt in privata Capella permitti celebrare; juxta *cap. 3. hoc tit.*

3. Nota etiam ſecundò: inferiores Prælati aliàs Epiſcopo ſubjecti habentes jus inſtituendi in quibusdam Parochijs, vel beneficijs Eccleſiaſticis, non poſſunt inſtituere Clericos peregrinos, priusquam coram Epiſcopo Ordinario producant literas ſuas dimiſſoriales, & teſtimoniales ſuper ſuum Sacerdotium; & is conſentiat; ut habet Panorm. Engel, Joan. Andreas, Pirh. &c. Et Epiſcopus aliter inſtitutos poterit removere. Uti dicitur *cap. te nobis 4. & ult. hoc tit.* Et quia *eſt contrarium* (inquit canon *cit.*) *honeſtati, & à SS. PP. inſtitutionibus alienum.* Aliud eſſet, ſi ejusmodi Eccleſiæ eſſent pleniſſimè exemptæ, etiam quoad populum; ut habet Hoſtienſ. Abbas &c. Regulares etiam exempti invigilare, & attendere debent, nè in ſuis Eccleſijs accurrentes Clericos peregrinos Miſſas legere ſinant; niſi viſis priùs teſtimonialibus literis Ordinarij; uti ordinant varia decreta S. Congregationis.

CAP. III.

Quid de Clericis peregrinis Ordinis S. Franciſci.

1. DIco primò: Clericus Minor Ordin. S. Franciſci de Obſerv. & Reform. peregrinus, ſeu alienæ Provinciæ profeſſus, poteſt ordinari cum dimiſſorijs illius Provincialis, in cujus Provincia pro tempore cum legitima licentia moratur de familia. Ita Sanctorus, & alij DD. Ordinis. Ratio eſt; quia talis Clericus tunc eſt ſubditus talis Provincialis, & obtinet in illius Provincia domicilium; ac proinde talis Provincialis eſt verus ejus ſuperior domicilij, potens tali Clerico Minori peregrino dare dimiſſorias

Digitized by Google

rias ad Ordines; non minùs quàm ſuis. Et Epiſcopus hac ratione fit ejus Epiſcopus domicilij; atque ita licitè eidem poteſt Ordines conferre. Et conſtat etiam ex *cap. nullus, de temp. Ord. in 6.* ubi dicitur, *Religioſi verò à ſuis ſuperioribus in non exemptis Prioratibus deputati Priores, & eorum ſocij poſſint à locorum diœceſanis, quàm diu morantur in ipſis Prioratibus ordinari licitè, licèt non ſint de eorum diœceſibus.* Cenſentur autem Clerici peregrini Minores cum legitima licentia tunc morari in aliena Provincia de familia, ſi ibidem habitent ob negotium aliquod ſuæ Provinciæ de Provincialis facultate tractandum; vel à P. Generali ob ſtudium, aut ob ſuam quietem Religioſam, aut ſimilem cauſam ſtabiliantur de cœtu Religioſorum talis Provinciæ, ut notat Sanctorus.

2. Dico ſecundò: Clericus Minor peregrinus nequit licitè in aliena Provincia ordinari, nec ei dimiſſoriæ ab alieno Provinciali dari, ſi ibidem duntaxat ut hoſpes, & per tranſitum commoretur. Ita Sanctorus &c. Ratio eſt; quia talis non cenſetur habere domicilium, nec abſolutè eſſe ſubditus alieni Provincialis; licèt quoad tempus, & ex communi diſciplina Ordinis, quæ obligat Fratres, ubicunque fuerint, obedire Guardianis, & Provincialibus, in quorum Conventibus, & Provincijs peregrinantur, in ejus Provincia commoretur.

TITULUS XXIII.

DE OFFICIO ARCHIDIACONI.

CAP. I.

Quid nominis, Officij, & poteſtatis Archidiaconi.

1. NOta primò: poſteaquam Sum. Pontifex in hactenus diſcuſſis titulis Juris Canonici egiſſet de modis aſſequendi Prælaturas, & dignitates Eccleſiaſticas; atque de perſonis idoneis pro Ordinibus ſuſcipiendis qui neceſſarij ſunt in miniſtris Eccleſiæ Prælaturas, & dignitates obtinentibus: conſequenter in *hoc* & *ſequentibus titulis* incipit tractare de Officijs, & juriſdictione eorundem, quo pacto nimirum quivis in dignitate conſtitutus ſuô officiô fungi poſſit, & debeat: & primò *hoc tit.* agit de officio Archidiaconi. Advertendum ergo hoc vocabulum *Archidiaconus* componi ex ly Græco *archos,* quod ſonat *primum,* & ly *Diaconus,* quod importat miniſtrum; eò quòd Archidiaconus eſſet primus miniſtrorum, & princeps omnium Diaconorum, qui tempore Apoſtolorum conſtituti fuerant in ſingulis urbibus ad pauperum miniſterium; uti patet ex Actibus Apoſtolorum *cap. 6. & ſeq.* Tractu temporis Archidiaconi Officium valde elevatum fuit per Epiſcopos, vicaria officia ipſi concedentes; ita ut is eſſet primus in dignitate poſt Epiſcopum, & *Epiſcopi oculus* appellaretur *cap. 7. hoc tit.* & Vicarius Epiſcopi eſſet in omnibus *cap. 1. hoc tit.* Verùm hodie ejuſdem vicariæ & amplæ poteſtati in pluribus Eccleſijs rurſus derogatum fuit per conſuetudines ſtabiles, & particularia decreta illarum; ita ut tantùm præeminentiam quandam inter alios Canonicos habeat, abſque juriſdictione; & juriſdictio ejus tranſlata, fit ad Vicarium Generalem in Spiritualibus, ſeu Officialem Epiſcopi.

2. Nota ſecundò: Jure ergo communi, & ſecluſis ſtatutis, ac conſuetudinibus particularibus Eccleſiarum, Archidiaconus obtinet ſequentia munera, & prærogativas. *Primò* obtinet primam dignitatem poſt Epiſcopum, *cap. 1. & 7. hoc tit.* *Secundò*: eſt perpetuus Vicarius Epiſcopi, habetque juriſdictionem ordinariam, & quidem contentioſam; ſubordinatam tamen tribunali Epiſcopi; uti colligitur ex *cap. 1.* junctâ Gloſſâ, verbo, *Vicarium.* Et ex *cap. ad hæc*: & ibi Gloſſa, verbô, *jurgia, hoc tit.* unde minores cauſæ Eccleſiaſticæ Clericorum, ſeu modica jurgia eorum ad Archidiaconi tribunal deferenda ſunt; ut notat Innocen. Joan. Andreas &c. Majores autem cauſæ, ut matrimoniales, & criminales ſecundùm Trident. *Seſſ. 24. cap. 20.* ad Epiſcopi forum pertinent. *Tertiò* etiam habet curam animarum, *can. cùm in cunctis 7. de elect.* *Quartò* Diaconis, Presbyteris, Archi-Presbyteris, alijsque Clericis ſubjectis imperat; ut colligitur ex *cap. 1. hoc tit.* *Quintò* tertio quoque anno univerſam diœceſim viſitare poteſt, *cap. 1. hoc tit.* & corrigere minora delicta; majora verò debet ad Epiſcopum deferre; ut colligitur ex *cap. 3. hoc tit.* & habet Abbas &c. *Sextò* parochias verò ſui Archidiaconatûs poteſt ſingulis annis viſitare

Digitized by Google

ſitare ſemel duntaxat; niſi gravis neceſſitas frequentiorem viſitationem urgeat, *cap. mandamus 6. hoc tit.* Ordinat autem Concilium Trident. *Seſſ. 24. cap. 3. de Reform.* ut Archidiaconi, & alij inferiores Viſitatores aſſumant pro viſitatione Notarium de conſenſu Epiſcopi, & per ſeipſos viſitent, ac viſitationis factæ intra menſem rationem reddant, & depoſitiones teſtium, ac acta integra eidem Epiſcopo exhibeant. *Septimò* officium Archidiaconi eſt, ut Eccleſiæ ſarta tecta conſerventur, & ſollicitè cuſtodiantur, *cap. 3. hoc tit.* *Octavò* ipſe etiam debet examinare, & ſiſtere Epiſcopo Ordinandos; ſed examen hujuſmodi hodie Jure Tridentini ad Epiſcopum devolutum eſt. *Nonò* debet pariter examinare beneficiandos, eoſque corporaliter inſtituere in beneficijs; ac mittere in poſſeſſionem, Abbates, & Abbatiſſas ſubjectas, *cap. ut noſtrum 9. hoc tit.* *Decimò* ipſe quoque debet Clericis, & Miniſtris Eccleſiæ, quæ facienda ſunt, præcipere, Eccleſiaſticum & Divinum Officium mediante Primicerio diſponere, & lectiones aſſignare, ac Accolythos conſtituere mediante eodem ſubordinato Primicerio *cap. 1. & 2. hoc tit.* *Undecimò* ipſi competit habere primariam Sacrorum vaſorum, & apparamentorum Eccleſiaſticorum, atque Eccleſiæ cuſtodiam mediante Sacriſtâ, *cap. ea quæ hoc tit.* Unde ei ſubordinatur Sacriſta; de quo infra *ſuo tit. ſpeciali.*

CAP. II.

Ad quæ nō ſe extendat poteſtas Archidiaconi; qui ejus anni; ac literatura.

1. NOta primò: Archidiaconus non poteſt præſtare ſequentia: *primò* nequit alicui abſque Epiſcopi licentia curam animarum committere, *cap. 4. hoc tit.* *Secundò* de Jure non poteſt infligere alicui cenſuras, *cap. 5. hoc tit.* *Tertiò* nequit dare dimiſſoriales pro ſuſcipiendis alibi Ordinibus, *cap. ſignificaſti 8. hoc tit.* *Quartò* nequit viſitare Monaſteria, aut alios juriſdictionis actus ibidem exercere; niſi in quantum hoc radicata conſuetudine eidem permiſſum eſt; *cap. ult. hoc tit.* *Quintò* nequit cognoſcere hodie cauſas criminales, & matrimoniales; Trident. *Seſſ. 24. cap. 20.* nec cauſas concubinatûs; idem Concilium *Seſſ. 25. cap. 14. de Reform.*

2. Nota ſecundò: ut quis creari poſſit Archidiaconus, debet habere ad minimum 25. annos; & eſſe ſaltèm Diaconus, ex Trident. *Seſſ. 24. cap. 12.* Item debet eſſe Licentiatus in S. Theologia, vel Jure Canonico, ex eodem Tridentino.

TITULUS XXIV.

DE OFFICIO ARCHIPRESBYTERI.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit Archi-Presbyter.

1. NOta primò: *hoc tit.* Papa Officio Archidiaconi ſubtexuit meritò officium Archipresbyteri; utpote qui ei ſubditur. Hoc autē nomen *Archipresbyter* derivatur ab *Archos*, id eſt *primū*, & *presbyter*, quod eſt *Senior*; eò quòd Archipresbyter ſit primus ſeniorum, & digniorum Sacerdotum. Dicuntur autem Sacerdotes *Seniores* non tantùm propter ætatem, & ſenectutem (quæ equidem venerabilis eſt, & gloria ſenum canities, utpote quæ ſapientiam deſignat, *can. porrò, diſt. 84.*) Sed etiam ob dignitatem Eccleſiaſticam, quam obtinent. Archipresbyter ergo, ſeu primus Seniorum eſt ille, qui præeſt, & imperat alijs Presbyteris in ijs, quæ ſunt Sacerdotalis Officij.

2. Nota ſecundò: Archipresbyter ſubeſt Archidiacono quoad juriſdictionem, etſi eô major ſit ordine, *cap. 1.* & Gloſſa *hoc tit.* Archidiaconus enim eſt Vicarius Epiſcopi natus, & ad ipſum ſollicitudo univerſæ diœceſis pertinet.

3. Nota tertiò: duplex communiter diſtinguitur Archipresbyter ſecundùm Hoſtienſ. Asor. Pirh. Engel, &c. unus Urbanus, alter plebanus, ſeu ruralis. *Urbanus* eſt ille, qui in urbe Epiſcopali præeſt omnibus Presbyteris; hic ordinariè eſt Decanus cathedralis, de quo in *cap. Officium 3. hoc tit.* *Ruralis* eſt ille, qui foris extra Epiſcopalem Urbem alijs Presbyteris ruralibus præeſt; & vocatur paſſim *Decanus foraneus.*

CAP. II.

Digitized by Google

CAP. II.

De Officio Archipreſbyteri Urbani, & Ruralis.

1. NOta primò: ſecundùm Jus commune Archipreſbyteri Urbani Officium eſt; *primò* abſentis Epiſcopi vices ſubire, vel præſentis curam ſublevare in omnibus ijs, quæ Sacerdotalis ſunt Officij; *cap. 1. hoc tit.* *Secundò* præeſt horis Canonicis in Cathedrali Eccleſia; & attendere debet, ut reliqui Preſbyteri in pſallendo ſint aſſidui, utì & in adminiſtratione Euchariſtiæ. *Tertiò* debet perficere ea omnia, quæ ad officium Sacerdotale pertinent; ut benedicere fontes, infirmis dare extremam unctionem, publicè pœnitentem reconciliare de aſſenſu Epiſcopi, pœnitentias alijs Sacerdotibus injungere. Quædam ex his per contrarias conſuetudines, & particularia ſtatuta Eccleſiarum moderata fuêre, & aliter obſervantur in praxi.

2. Nota ſecundò: Officium Archipreſbyteri Ruralis eſt; *Primò* obſervare mores, & vitam aliorum Preſbyterorum, & Clericorum in ſuo Archipreſbyteratu, & defectus eorum referre ad Epiſcopum, *cap. fin. hoc tit.* *Secundò* debet habere curam animarum in plebe, & attendere, ut alij Preſbyteri Parochijs præfixi oves ſibi concreditas diligenter cuſtodiant, Sacramenta eiſdem adminiſtrent. *Tertiò* poteſt minores defectus Clericorum ſibi commiſſorum abſque figura judicij corrigere, & minora jurgia, & alia componere; uti habet Gloſſa, Pirh. Engel, &c. majora verò debet ad Epiſcopum referre *cap. ult. ut ſingula; hoc tit.* Unde etiam inobedientes, & delinquentes ſinè authoritate Epiſcopi punire nequit, ſed eos ipſi denunciare debet. *cap. Officium.* Et *cap. fin. hoc tit.*

TITULUS XXV.
DE OFFICIO PRIMICERII.

CAP. I.

Quid nominis, & Officij habeat Primicerius.

1. NOta primò: *hoc tit.* breviter Papa perſtringit Officium Primicerij. Generatim loquendo Primicerius dicitur is, qui in quocunque Ordine primum locum tenet; unde in *novella, conſtit. 8.* primus notarius vocatur Primicerius; & *L. 2. C. de fabricenſibus* legimus Primicerium fabricæ; & alibi ſæpe in Jure Civili Primicerij nomen legimus, dum primus aliquis in ordine nominatur. In propoſito titulo Juris Canonici nomine *Primicerij* (*quaſi primi in cera*, ſeu tabella cerata Eccleſiæ ſcripti) intelligitur ille Clericus, qui primum locum in choro pſallentium, & in Schola inter Diaconos obtinet; etſi alioquin non ſit primus; cùm Archidiacono ſubſit, *cap. unic. hoc tit.* Solet alio nomine etiam appellari *Præcentor*; utì patet ex *cap. cùm olim 6. de conſuet.* Et *Magiſter chori*; ſeu *Cantor*; & *Magiſter Scholarum*; & *Scholaſticus*; ut notat Hoſtienſ. & Azor.

2. Nota ſecundò: munus Primicerij à Jure *cap. unic. hoc tit.* conſtitutum eſt, docere ſcilicet Diaconos, & alios Clericos formam cantandi, & pſallendi: & ut diſciplina inter eoſdem ſervetur, ne videlicet riſus fiant, & colloquia, ne feſtinetur nimiùm, &c. item is debet aſſignare lectiones, quæ ad nocturna officia Clericorum pertinent; item operam dare debet, ut omnes ab ipſo, vel alio ejus juſſu inſtruantur circa ea, quæ Divinum Officium ritè perſolvendum concernunt; ipſe dirigere debet Accolythos; corrigit etiam Clericos cantantes, ſi delinquant; graviores tamen eorum exceſſus deferre debet ad Epiſcopum.

3. Nota tertiò: Primicerius de Jure non habet curam animarum; niſi conſuetudine aliter eſſet ſtabilitum; ut notat Azor. Nec habet ratione Officij ullam præeminentiam ante alios Canonicos Eccleſiæ; niſi aliter per ſpeciale ſtatutum talis Eccleſiæ ſancitum fuiſſet; utì in Eccleſijs quibusdam Hiſpaniæ ordinatum eſſe teſtatur Valenſ. apud Barboſam, & Tholoſſ.

TITULUS XXVI.
DE OFFICIO SACRISTÆ.

CAP. I.
Quale ſit Officium Sacriſtæ.

1. NOta primò: *hoc tit.* ſuccinctè tangitur munus ſacriſtæ: circa quod advertendum, quòd nomine *Sacriſta* veniat ille Miniſter Eccleſiæ, qui immediatam habet curam, & cuſtodiam Sacrorum vaſorum, Theſauri Eccleſiaſtici, apparamentorum Eccleſiaſticorum, & luminum ex cera, ſive oleo, ut dicitur *cap. unic. hoc tit.* Hic vocatur etiam aliàs Theſaurarius, *can. 1. diſt. 25.* Et in *L. fin. C. de bonis auctor. Jud. poſſid.* dicitur Cimeliarcha. *Sacriſta* porrò nominatur à Sacrario, quod cuſtodit.

2. Nota ſecundò: ad Officium Sacriſtæ pertinet præter jam dicta *precedenti notab.* etiam ordinatio Baſilicarum, & Oſtiarij, incenſi, & luminum præparatio; item cura baptiſterij; uti notat Vallenſ. *hoc tit.* Munus Sacriſtæ de jure eſt nudum Officium, abſque ulla Juriſdictione, & præeminentia; ut habet Rota *tit. de præben. deciſ. 9.* Ex conſuetudine tamen, & particularibus ſtatutis in quibuſdam Eccleſijs inter dignitates relatum fuit; ut obſervat Abbas &c.

TITULUS XXVII.
DE OFFICIO CUSTODIS.

CAP. I.
Quale ſit Officium Cuſtodis.

1. NOta primò: *hoc tit.* expeditur munus Cuſtodis: circa quod notandum, quòd *Cuſtos* ſit quaſi Miniſter ſubordinatus Sacriſtæ, uti notat Gloſſa; & uterque Archidiacono ſubordinatur. Sacriſta ergo, & Cuſtos communia quaſi habent Officia: unde in quibuſdam Eccleſijs unus horum tantùm obtinet Officium. Et in quibuſdam alijs, maximè in Germania, Sacriſta ſubeſt ipſi Cuſtodi: & hic inter Prælatos recenſetur.

2. Nota ſecundò: de Jure communi Cuſtodis Officium eſt, *primò:* exequi ea omnia, quæ imprimis Archidiaconus, deinde Sacriſta circa Eccleſiæ ornatum faciendum mandat. *Secundò:* ſpecialiter ut *in horis Canonicis* (verba ſunt Canonis *cap. 1. hoc tit.*) *ſigna tintinnabulorum* (id eſt campanarum) *pulſanda, ipſo Archidiacono jubente, ab eo pulſentur, pallia, vel linteamina altaris, ſeu cuncta utenſilia Eccleſiæ indeſinenter cuſtodiat, lampades & laternas in accedendo, ſeu extinguendo pervigil exiſtat: ne aut ſupra modum oleum lucendo pereat, aut minùs lucendo obſcurior ſit Eccleſia. Tertiò* ejus Officium eſt, *ut ſollicitus ſit*) (inquit alter Canon *cap. 2. hoc tit.*) *de omni apparamento Eccleſiæ, & luminariis, ſive incenſo, necnon panem, & vinum omni tempore præparatum ad Miſſam habere debet; & omnes oblationes, ſeu eleemoſynas, & decimas cum conſenſu Archidiaconi, abſente Epiſcopo, inter fratres dividat.*

3. Nota tertiò: Circa hujuſmodi Officia Cuſtodis per particularia ſtatuta, & conſuetudines Eccleſiarum multa ſunt immutata; & hodie per Subcuſtodes, & Subſacriſtas, Campanatores, & alios præfata pleraque peraguntur. Officium Cuſtodis Jure communi non recenſetur inter dignitates; nec habet Juriſdictionem: etſi aliter ſervetur in Germania.

Digitized by Google

TITULUS XXVIII.
DE OFFICIO VICARII.

CAP. I.
Quid, & quotuplex ſit Vicarius.

1. Nota primò: egerat Sum. Pontifex in præmiſſis 5. *titulis* de Officijs illorum Clericorum, qui in Eccleſia peragunt Eccleſiaſtica miniſteria nomine proprio: nunc in *hoc, & ſubſequentibus quibusdam titulis* hujus libri agit de Officijs eorum, qui nomine alieno deſerviunt; cujusmodi ſunt Vicarij &c. de quibus *hoc tit.* tractatur. Nomine autem *Vicarij* hìc intelligitur perſona aliqua Eccleſiaſtica, quæ vices gerit alicujus Prælati, vel Rectoris Eccleſiarum in Officio Eccleſiaſtico. Duplicis autem generis reperiuntur Vicarij Eccleſiaſtici, ſecundùm Panorm. Abbat. &c. alij enim ſunt, qui in Divinis myſterijs, ac cura animarum, ſeu in foro conſcientiæ vices gerunt; de his procedunt capitula *hujus tituli, & Clement. unic. eodem tit.* & dicuntur *Vicarij in Divinis.* Alij ſunt Vicarij in foro contentioſo, qui quoad jurisdictionem externam vices gerunt; & de his agitur *tit. hoc in 6.* & dicuntur *Vicarij Jurisdictionales.* Rurſus Vicarius in Divinis alius eſt perpetuus, alius temporalis. *Perpetuus* dicitur, qui eſt electus, & inſtitutus authoritate Epiſcopi in aliqua Eccleſia parochiali, cum certa & congrua portione annua, tanquam laboris mercede; & de hoc fit mentio in *cap. extirpandæ 30. de præben.* Et *cap. ad hæc 3. hoc tit.* *Temporalis* eſt; qui ad tempus conſtitutus eſt, & ad nutum Rectoris Eccleſiæ amovibilis; de hoc fit mentio in *cap. pervenit 28. de appellat.*

2. Nota ſecundò: rurſus alij vocantur *Vicarij nati*, cujusmodi ſunt Archidiaconi, & Archipresbyteri, quibus ipſo Jure, & cum Officio Archidiaconali, & Archipresbyterali quaſi agnaſcitur Vicariatus: Et alij dicuntur *Vicarij dati*; qui ſcilicet ab Epiſcopo creantur; ut habet Barboſa, Engel, &c. Iterum alius eſt Vicarius Epiſcopi; & alius Rectoris alicujus Eccleſiæ, vel dignitatis infra Epiſcopalem; qui ſic vocantur à ſuis principalibus, quorum vices gerunt. Item dantur Vicarij Epiſcopi; & alius quidem eſt *Generalis*, qui habeat mandatum generale ad totam Epiſcopi jurisdictionem exercendam tantùm in Spiritualibus; & vocatur *Vicarius Generalis in Spiritualibus*, ſeu *Officialis Epiſcopi*; & alius qui in temporalibus tantùm præſit, & vocatur *Vicarius Generalis in temporalibus*; & alius *Foraneus*, quem conſtituit Epiſcopus in parte duntaxat ſuæ amplæ diœceſis foris. Demum datur etiam Vicarius Capituli Sede vacante, & Vicarius Papæ in Urbe; primus eſt, qui conſtituitur à Capitulo poſt mortem Epiſcopi pro ſua diœceſi; ſecundus eſt, quem conſtituit Papa in Urbe Romana, & pro diœceſi Romana.

CAP. II.
De Vicarijs perpetuis.

1. Dico primò: Vicarius perpetuus regulariter nominatur, & quaſi conſtituitur à Rectore principali Eccleſiæ, dignitatis, vel beneficij; accedere tamen debet conſenſus, & præſentatio Patroni; inſtitutio ejusdem demum propriè fit ab Epiſcopo. Ita communis Canoniſt. Primum colligitur ex *cap. ad hæc 3. hoc tit.* Secundum colligitur ex *cap. ad audientiam 3. de Eccleſ. ædific.* Tertium habetur ex eodem *cap. ad hæc 3. hoc tit.* Et ratio eſt; quia ad Epiſcopum propriè pertinet, beneficia Eccleſiaſtica curata conferre, & inſtitutiones facere.

2. Dico ſecundò: Vicarius perpetuus ſemel ritè inſtitutus nequit à Rectore Eccleſiæ removeri à Vicaria præter Juris Ordinem; nec portione vicariali fraudari. Ita communis Canoniſt. Et habetur *cap. ad hæc, hoc tit.* Et *cap. extirpandæ 30. de præbend.* Et *Clement. uni. hoc tit.* Imò nec Epiſcopus eundem privare poteſt hujusmodi beneficiô; niſi juſtis de cauſis, *cap. ad hæc 3. hoc tit.* nam talis Vicarij Vicaria refertur inter beneficia, in *cap. poſtulaſti 27. de reſcript.*

3. Nota primò: idem Vicarius perpetuus nequit obtinere ſimul duas Vicarias in diverſis Eccleſijs; ut habetur *cap. 1. & 2. hoc tit.* Neque poteſt ſibi ſubſtituere alium Vicarium perpetuum; ut habet Zoëſius, Vallenſ.

Digitized by Google

Abbas, & communis: ſed per ſemetipſum deſervire compellendus eſt per ſubtractionem fructuum, vel planè ipſarum Vicariarum; ut habetur *cap. ult. hoc tit.* Nec favet tali illa Regula Juris 72. *qui facit &c. in 6.* nam ipſa non procedit in eo, cujus perſonæ induſtria ſpectatur; uti contingit in Vicario. Ad breve tempus tamen poſſet ſibi ſubſtituere alium Vicarium; ut docet Abbas, Hoſtienſ. Azor. &c.

4. Nota ſecundò: hujuſmodi Vicarius perpetuus inſtitui poteſt authoritate Epiſcopi in Eccleſijs Parochialibus, quæ alicui alteri Eccleſiæ, vel Collegio Canonicorum, vel Monaſterio, vel Seminario Clericorum, vel Academiæ, vel Hoſpitali, vel alteri loco pietatis causâ conſtructo, ac fundato, vel Eccleſiaſticæ dignitati, aut præbendæ in perpetuum ſunt annexæ, ſeu unitæ; ita colligitur ex *cap. extirpandæ, de præbend.* Et habet Gloſſa ſuper *Clement. unic.* verbô *Parochialium, hoc tit.* Et Trident. *Seſſ. 7. cap. 7. de Reform.* Præterea etiam quandoque nominatur à principali Rectore, & inſtituitur ab Epiſcopo Vicarius in filiali Eccleſia, perpetuò unita; ſi Parochialis nimis ſit ampla, & populoſa; uti colligitur ex *cap. ad audientiam 3. de Eccleſ. ædif.* Item quando quis cum diſpenſatione obtinet plures Eccleſias, vel beneficia curata, perſonalem reſidentiam poſtulantia; ut habet Hoſtienſ.

5. Nota tertiò: Vicarius perpetuus ritè inſtitutus acquirit jus reale, & verum canonicum titulum beneficij; non quidem directum, qui eſt penes Rectorem principalem Eccleſiæ; ſed utilem portionis annuæ ſibi aſſignatæ ex redditibus Eccleſiæ, quæ ei tanquam beneficium ab Epiſcopo inſtituente datur; ut colligitur ex *cap. poſtulâſti 27.* junctâ Gloſſâ, verbô, *beneficium*; *de reſcript.* Item acquirit eandem poteſtatem, quam habet Parochus, & totam curam actualem quoad exercitium; Rector verò principalis tantùm eam retinet quoad habitum.

6. Nota quartò: Vicarius perpetuus non Sacerdos amittit Vicariam; niſi intra annum poſt ejus pacificam poſſeſſionem, & legitimè non impeditus ſuſcipiat Sacerdotium; ut habetur *Clement. unic.* & ibi Gloſſa, verbô *Sacerdotium.* Et quia æquiparatur Rectori principali Eccleſiæ, qui ipſo Jure amittit Parochiam; ſi intra annum non curet ſe ordinari in Sacerdotem. Poteſt tamen Epiſcopus diſpenſare, ut aliquis Vicarius perpetuus Eccleſiæ curatæ intra ſeptennium non teneatur ſuſcipere Sacerdotium, ratione ſtudiorum; ſicut poteſt diſpenſare ex ſimili cauſa cum Rectore Eccleſiæ parochialis, juxta *cap. cùm ex eo 34. de elect. in 6.* quo caſu non talis Vicarius; ſed ipſe Epiſcopus ſubſtituit alium Vicarium ad ſeptennium.

7. Nota quintò: Vicarius perpetuus non perdit Vicariam morte Rectoris principalis; neque ob depoſitionem, excommunicationem, vel ſuſpenſionem ab Officio ejuſdem; ut habet Abbas, Pirh. Azor. Ratio eſt; quia non à Rectore; ſed ab Epiſcopo principaliter eam eſt conſecutus; adeoque cum poteſtate ordinaria, & independente à Rectore principali. Unde mortuo Rectore tali ejus Succeſſor nequit Vicarium perpetuum removere ex Vicaria; uti colligitur ex *cap. ad hæc 3. hoc tit.* Cæterum Officium Vicarij perpetui finitur ijſdem modis, quibus Parochia; puta per mortem, reſignationem, vel depoſitionem talis Vicarij perpetui.

CAP. III.

De Vicarijs temporalibus.

1. Nota primò; Vicarius temporalis, ſeu temporaneus juſta de cauſa removeri, & revocari poteſt à Vicaria, quam obtinuit; ut habet Vallenſ. & alij. Juſta porrò cauſa eſt, ſi nequeat pluribus Eccleſijs, quas obtinet, deſervire, *can. & temporis*; *16. q. 1.* item ſi pluribus negotijs ratione Officij ſui diſtrahatur nimiùm: item ſi ob peregrinationem, ægritudinem, aut juſtam abſentiam ab Epiſcopo cognitam, & approbatam, ſcilicet ob neceſſitatem, & utilitatem Eccleſiæ, debitè inſervire nequeat.

2. Nota ſecundò: Vicarius temporalis non habet ſe inſtar beneficiarij; quia titulum & jus in Parochiam non habet, ſicut Vicarius perpetuus; ut notat Gloſſa *in Extrav. Joan. 22. execrabilis*; *de præbendis.* Et Pirh. Azor. &c. Sed jure Parochiali penes Rectorem principalem remanente talis Vicarius ſolummodò habet adminiſtrationem Parochiæ, quam exercet nomine Rectoris principalis, aut eum conſtituentis; ut obſervat. Azor. Vallenſ. Abbas &c. Quæ proinde expirat morte dicti Rectoris principalis; item per revocationem ejuſdem, vel renunciationem ipſiuſmet Vicarij; quam facere poteſt pro arbitrio; niſi obligaſſet ſe ad certum tempus deſervire; ut habet Pirh. Vallenſ. &c. Non poteſt ſpectato jure communi ſibi ſubſtituere alium Vicarium, demandando ei totam curam; niſi cum licentia Ordinarij; ut tenet Laym. Sanch. &c. Ratio eſt; quia talis Vicarius non habet titulum.

3. No-

Digitized by Google

3. Nota tertiò: Vicarium temporalem poteſt conſtituere Parochus, & Rector plurium Eccleſiarum, quibus legitimè præeſt, & deſervire nequit; uti colligitur ex *can. & temporis 48. cauſ. 16. q. 1.* Item dum Eccleſia vacat, cui non ſtatim poteſt præfici Rector; ut habetur *cap. cùm vos 4. de Offic. Jud. Ord.* Item quando Rector alicujus Eccleſiæ multis gravibus negotijs diſtrahitur ratione ſui Officij; aut ægrotat; aut eſt ſeniò confectus; vel quando ob aliam juſtam cauſam ab Epiſcopo approbatam, nequit peragere curam animarum, Vicarium ponere poteſt. Item Capitula Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum, penes quæ cura animarum reſidet, poſſunt in Parochialibus Eccleſijs ſibi plenariè ſubjectis, & unitis ſecundùm jus commune ponere Vicarios temporales, ad nutum eorum amovibiles.

CAP. IV.

De Vicario Generali Epiſcopi in Spiritualibus, ſeu Officiali; & Vicario ejuſdem in temporalibus.

1. Dico primò: Epiſcopus poteſt conſtituere Vicarium Generalem in Spiritualibus per ſuam Diœceſim; & quidem ſolus ſinè conſenſu Capituli; ac eundem amovere. Ita Abbas, Hoſtienſ. Vallenſ. Azor. &c. Et ita conſtat ex *can. in nona; 16. q. 7.* Ratio etiam eſt; quia Epiſcopus etiam induſtrioſiſſimus, ob negotiorum molem plerumque non ſufficit ad tractanda commodè ſingula negotia ſpiritualia, quæ ad Epiſcopale munus & animarum curam pertinent; adeoque aſſumere poteſt Vicarium in adjutorium; imò debet: & ſi in eo aſſumendo fuerit negligens, ad Metropolitam devolvitur hujuſmodi deputatio; eôque deficiente antiquior Epiſcopus ex ſuffraganeis eum cogere poteſt, juxta Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 16. de Reform.*

2. Nota primò: Vicarius Generalis in Spiritualibus, ſeu Officialis debet præter morum honeſtatem, & laudabilem vitam, habere ſaltèm 25. annos, *arg. cap. cùm in cunctis 7. §. inferiora; de elect.* Debet eſſe vir peritus in cauſis forenſibus *L. penult. C. de judiciis,* & *L. ad Remp. D. de muner.* Debet eſſe in SS. Theologia, vel Jure Canonico Doctor, vel ſaltèm Licentiatus, juxta Trident. *Seſſ. 24. cap. 16. de Reform.* Debet eſſe in ſtatu Clericali, & ſaltèm primam habere tonſuram; non tamen neceſſariò in Sacris conſtitutus; ut habet Franc. Sbroz. Vallenſ. & alij DD. *in hunc tit.* Et ratio eſt; quia aliàs non eſſet capax juriſdictionis Spiritualis, *can. nullus 18.* Et *can. in nona 22. cauſ. 16. q. 7.* *Et quia* (ut dicit canon *loc. cit.*) *indecorum eſt Laicum Vicarium eſſe Epiſcopi, & ſæculares in Eccleſia judicare.* Aſſeſſorem tamen Laicum Epiſcopus habere poteſt; ut tenet Abbas, Vallenſ. Felin. &c. Præterea non debet eſſe conjugatus, etiam cum una Virgine; quia aliàs non gaudet Clericalibus privilegijs. Etiam regularis poteſt aſſumi ad hujuſmodi munus Officialis; cum conſenſu Regularis Prælati; modò habeat Socium Religionis adjunctum; ut tenent Rebuff. Pirh. &c. Mendicantes tamen Religioſi ab hoc munere videntur excludi per *Clement. 1. §. ad Prioratus; de Regular.*

3. Dico ſecundò: poteſt quoque Vicarius Generalis Epiſcopi in temporalibus, ſeu juriſdictionalis, ſeu Oeconomus Eccleſiæ inſtitui ab Epiſcopo. Ita communis DD. Ratio eſt; quia Epiſcopus etiam ad judicanda temporalia non poteſt ſeſe extendere; adeoque Vicariô eget: Unde hic ſubit vices Epiſcopi in juriſdictione temporali, & adminiſtratione ſæculari; habetque illam poteſtatem, quæ aliàs de jure, vel conſuetudine Epiſcopo quoad temporalia debetur.

4. Nota ſecundò Epiſcopus poteſt etiam plures Vicarios Generales in Spiritualibus inſtituere, & quidem in ſolidum Juriſdictionis ſingulos, ſi diœceſis ſit ampla, & abundet negotijs; ut habet Gloſſa in *Clement. 2.* & Sbroz. Barboſ. &c. Ratio eſt; quia nuſquam invenitur hoc Jure prohibitum. Et quia publica neceſſitas Diœceſis quandoque pluralitatem poſtulat. Item unus eorum poteſt eſſe Generalis quoad totam Diœceſim judicandam; alter verò quoad aliquod territorium particulare tantùm, vel partem Diœceſis; ut habet Vallenſ. Sanch. Pirhing. &c. Idem judicium eſto de Vicario Generali in temporalibus.

5. Dico tertiò: Vicarius Generalis in Spiritualibus, ſeu Officialis habet probabiliùs juriſdictionem ordinariam, ſicut habet Epiſcopus. Ita Vallenſ. Gloſſ. Abbas, Covarr. & communior Canoniſt. contra Gotfrid. & alios DD. Ratio eſt; tum quia licèt hujuſmodi Vicarius deſignetur ab Epiſopo; à Canonibus tamen acquirit poteſtatem, & juriſdictionem, *cap. 2. de conſuet. in 6.* ac proinde ordinariam. Tum quia hujuſmodi Vicarius habet eandem juriſdictionem cum Epi-

Digitized by Google

Epiſcopo, idemque tribunal, conſiſtorium, & auditorium, in quo cauſas agitat, & judicat vice Epiſcopi, *cap. Romana 3. de appellat. in 6.* Et *cap. 2. de conſuet. in 6.* adeoque ſicut Epiſcopi juriſdictio eſt ordinaria, ita & hæc Vicarij Generalis. Tum quia à Judice delegato licet appellare ad delegantem, *cap. ſuper quæſtionum 27. de officio delegati*; & à Vicario Generali in Spiritualibus, ſeu Officiali Epiſcopi non licet appellare ad Epiſcopum, ſaltem in ijs, quæ ipſo Jure ex Officio Vicarij ipſi competunt; ſed ab eodem ad Archi-Epiſcopum oportet appellare, *cap. Romana 3. de appellat. in 6.* adeoque Vicarius non eſt judex delegatus: ut prætendunt adverſarij; ſed ordinarius habens ordinariam juriſdictionem cum Epiſcopo.

6. Nec obſtat in oppoſitum *primò*; quòd Juriſdictio ordinaria ſit perpetua, & non expiret morte concedentis; Juriſdictio autem Vicarij Generalis expiret morte Epiſcopi. Nam hoc procedit tantùm de Juriſdictione illa, quæ alicui primò principaliter, per ſe, ac proprio nomine ineſt; non autem acceſſoriè, & quæ nomine alterius exercetur; uti ſe habet Juriſdictio ordinaria Vicarij Generalis. Nec obſtat *ſecundò*; quòd ordinaria Juriſdictio à lege deſcendat *L. & quia 6. ff. de juriſd. omn. Jud.* Juriſdictio verò Vicarij ab homine ſcilicet Epiſcopo concedatur. Nam ſufficit, quòd Jus Canonicum permittat Epiſcopo ſibi Vicarium conſtituere, *cap. cùm Epiſcopus 7.* illis verbis *per ſe, vel per alium.* Nec demum obſtat *tertiò*; quòd non poſſint unius rei dare duo poſſeſſores in ſolidum *L. 3. ff. de acquir. poſſeſſ.* adeoque Vicarius, & Epiſcopus nequeant ſimul poſſidere ordinariam Juriſdictionem. Nam licèt duo poſſeſſores non poſſint eandem rem ſimul poſſidere eôdem modô, poſſunt tamen diverſô; ita ut unus eam poſſideat naturaliter, alter civiliter; & unus nomine alterius; & alter per ipſum nomine ſuo; uti fit cum Juriſdictione Epiſcopi, & Vicarij; quam Epiſcopus poſſidet principaliter; Vicarius verò acceſſoriè, & nomine alterius.

7. Nota tertiò: poteſtas ordinaria, & officium Vicarij Generalis in Spiritualibus, ſeu Officialis ſibi generaliter commiſſum non extendit ſe ad omnes prorſus cauſas, ad Epiſcopalem Juriſdictionem pertinentes, non enim ſpeciales, quæ ſpecialem conceſſionem, & mandatum requirunt, poteſt expedire; uti patet ex *cap. licet 2. hoc tit. in 6.* Et *arg. cap. qui generaliter 5. de Procurat. in 6.* Et quia ut canon *cit. cap. licet,* dicit; *in generali conceſſione nequaquam illa veniunt, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.* Sunt autem ſpeciales cauſæ, quæ ſpeciale mandatum, & conceſſionem requirunt, cauſæ criminales, uti conſtat ex *cap. licet 2. hoc tit.* Poteſt tamen de ſimilibus Officialibus inquirere, non ut puniat; ſed ut ad Epiſcopum referat. Item viſitatio totius Diœceſis; Congregatio Synodi; executio ultimarum piarum voluntatum; expeditio dimiſſorialium literarum præſente Epiſcopo; alienatio rerum Eccleſiæ; cognitio cauſarum feudalium; receptio juramentorum fidelitatis à Vaſallis, qui feudum Epiſcopale habent; conceſſio indulgentiarum; conſecratio Eccleſiarum; collatio Ordinum, niſi ſit ſimul Vicarius Generalis in Pontificalibus conſtitutus, publicarum & ſolemnium pœnitentiarum injunctio; & ſimiles, ut habet Rebuffus, Azorius, Pirh. Sbroz. Barboſa, &c.

8 Nota quartò: cenſentur pariter cauſæ ſpeciales (quas Vicarius Generalis in Spiritualibus Epiſcopi, & ex commiſſione generali, ſeu vi Officij Vicariatûs Generalis expedire nequit; ſed ſpecialem deſuper commiſſionem ab Epiſcopo obtinere debet) cauſæ beneficiales, ſeu collatio beneficiorum; uti conſtat ex *cap. cùm in generali 3. & ult. hoc tit.* Ratio etiam eſt; quia collatio beneficiorum eſt quædam veluti donatio, ſeu alienatio: unde cùm Officium Vicariatûs Generalis ſit ordinatum duntaxat ob neceſſitatem, & in ſubſidium Epiſcopi, non poteſt Vicarius Generalis præſtare ea, quæ ſunt liberalitatis Epiſcopi. Sed neque poteſt Vicarius Generalis vi ſui Officij præſentare ad beneficia, quorum præſentatio ad Epiſcopum ſpectat: quia & hæc liberalis gratia, & donatio cenſetur eſſe. Neque poteſt reſignationes beneficiorum admittere; ut habet Rebuff. Sbroz. &c.

9. Nota quintò: rurſus inter cauſas ſpeciales, quæ ſub Officio Vicariatûs Generalis, & Generali ejus commiſſione non continentur, computantur uniones, diviſiones, erectiones, tranſlationes, vel ſuppreſſiones beneficiorum; ut habet Pirh. Barboſ. &c. Similiter facultas pro erigendo Monaſterio novo, quæ ad Epiſcopum Jure ſpeciali pertinet, *can. quidam 10.* Et *can. Monachis 12.* Et *can. Cellulas 13. cauſ. 18. q. 2.*

10. Nota ſextò: ſimiliter reputatur cauſa ſpecialis, quam abſque ſpeciali Epiſcopi mandato aſſumere nequit Vicarius Generalis, poteſtas diſpenſandi in votis, juramentis, Canonicis impedimentis, & legibus; in quibus conceſſum eſt Epiſcopis diſpenſare; ut habet Rebuff. Pirh. & Gutier. Ratio eſt; quia diſpenſatio cenſetur eſſe quædam actio gratio-

Digitized by Google

gratioſa, ac remiſſio, quæ in conceſſione generali Vicariatûs regulariter non continetur; & quia diſpenſatio æquiparatur reſtitutioni in integrum, quæ non comprehenditur in mandato generali, *L. Illud 25. ff. de minorib.* Solet tamen ut plurimùm Vicarijs Generalibus per generalem conceſſionem expreſſè committi poteſtas generalis diſpenſandi, quo caſu is etiam in juramentis, votis, & impedimentis Canonicis diſpenſare valet.

11. Nota ſeptimò: cauſa ſpecialis eſt etiam caſuum Epiſcopalium abſolutio; unde ejusmodi poteſtatem abſolvendi à caſibus Epiſcopo reſervatis in foro interno pœnitentiæ non obtinet regulariter Vicarius Generalis vi ſui Officij, & conceſſionis generalis; & conſequenter nec ſimilem dare poteſt alijs, abſque ſpeciali mandato Epiſcopi; uti colligitur ex *cap. 2. de pænit. in 6.* Minùs obtinet facultatem abſolvendi à caſibus Papæ reſervatis, qui per accidens ad Epiſcopum devolvuntur, puta ob impedimentum, ſeu difficultatem adeundi Papam, vel aliam. Poteſt nihilominus Epiſcopus ſuper hoc dare facultatem ſuo Vicario Generali; ut habet Navar. Garc. &c.

12. Nota octavò: non computantur in probabiliori ſententia inter cauſas ſpeciales, cauſæ matrimoniales; ut habet Abbas, Barboſa, Azor. &c. contra Rebuff. &c. unde eas vi conceſſionis generalis, & ratione Officij cognoſcere poteſt Vicarius Generalis; uti colligitur ex *cap. 1. de frigidis*, junctâ Gloſſâ, verbô, *Miſſum*. Et quia cauſæ matrimoniales non ſunt tam arduæ, ac difficiles, ut à ſolo Epiſcopo cognoſci, & expediri deberent. Et quia Tridentinum non prohibet Vicario cognoſcere cauſas matrimoniales; ſed tantùm alijs inferioribus Epiſcopo; Vicarius autem cenſetur unum quid cum Epiſcopo, cujus vices gerit.

13. Nota nonò: poteſtas, & Jurisdictio Vicarij Generalis utriusque, id eſt in Spiritualibus, & temporalibus (ſi ſint diviſæ in duas diſtinctas perſonas) finitur, *primò* morte naturali ipſius Vicarij Generalis; ut habet communis DD. *Secundò* ob mortem, vel excommunicationem Epiſcopi Vicarium conſtituentis, *cap. 1. hoc tit. in 6.* Et habet Gloſſa, Azor. Pirh. Sbroz. nam cùm ſit idem tribunal utriusque, eademque utriusque perſona reputetur, *cap. 2. de conſue.. in 6.* ideo ceſſante unius tribunali per mortem, vel excommunicationem, ceſſat quoque & alterius. *Tertiò* finitur ob reſignationem Epiſcopi; vel ejusdem depoſitionem; aut tranſlationem; aut ingreſſum in Religionem; ut habet Gloſſa, Vallenſ. Abbas &c. *Quartò* per revocationem ab Epiſcopo conſtituente factam, etiam ſine conſenſu Capituli; ut habet Abbas, Vallenſ. Joan. Andre. Gloſſa &c. Debet tamen ipſa revocatio intimari Vicario; alioquin ſi revocationem ignoret, non ceſſat ejus jurisdictio; ſed geſta ejus valent, donec ei innoteſcat. Vallenſ. Garc. Pirh. nam univerſaliter non ceſſat jurisdictio alicujus Judicis ab alio conſtituti, donec ei inſinuetur revocatio *L. ſi fortè 17. ff. de Offic. Præſid.* Quin imò ſi adſit error communis revocationis, geſta per illum, etiam revocationis aliunde conſcium, valent *arg. L. barbarius, D. de Offic. Prætor.* quia publicè adhuc habetur pro legitimo Vicario.

CAP. V.

De Vicario Capituli Sede Vacante; & Papæ in Urbe.

1. Dico primò: Capitulum mortuo Epiſcopo debet intra octiduum vel conſtituere novum Vicarium Generalem; vel jam ab Epiſcopo conſtitutum confirmare. Ita Recentiores Canoniſtæ. Et ita ordinatur in Tridentino *Seſſ. 24. cap. 16. de Reform.* Et ſi Capitulum in hoc negligentiam commiſerit, debet ſuppleri hujusmodi conſtitutio Vicarij per Metropolitanum; & hoc deficiente per ſeniorem ſuffraganeum.

2. Nota primò: Vicarius Generalis Capituli Sede Vacante obtinet ſimilem poteſtatem, & jurisdictionem, quam habet aliàs Vicarius Generalis Epiſcopi viventis; ut habet Barboſ. Pirh. &c. Unde de ejus poteſtate pariformiter eſt diſcurrendum; ita ut non omnia ex commiſſione & mandato generali poſſit præſtare; ſed ad cauſas ſpeciales ſpeciale quoque mandatum obtinere debeat. Hujusmodi Vicarius poteſt revocari à Capitulo, modò intra octiduum alium conſtituat, juxta declarationem Cardinalium Congreg. Concilij; apud Fagn. & Ricc. Ad ejusmodi tamen revocationem requiritur prævia cauſa rationabilis; ut habet Quarant. Ejus Officium exſpirat poſtquam confirmatus eſt novus Epiſcopus, & accepit poſſeſſionem Epiſcopatûs. Debet reddere rationem ſuæ adminiſtrationis novo Epiſcopo; & Epiſcopus poteſt eū punire pro commiſſis erroribus, uti & alios Officiales Epiſcopatûs; ut habet Tridentinum *loc. cit.* Circa Vicarium Papæ

3. Dico

3. Dico ſecundò: hodierno Jure Vicarius Papæ exercere poteſt Jurisdictionem non tantùm in Urbe Romana; ſed etiam in tota Diœceſi, ſeu Provincia Romana. Ita Tholoſ. Azor. Pirh, &c. Ratio eſt; quia ita à Sum. Pontifice eisdem conceditur in creatione eorundem; ut referunt præfati AA. Hujusmodi Vicarius tamen non poteſt cognoſcere cauſas ſubditorum Cardinalium, qui in Eccleſijs ſui Tituli, jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habent; ut notat Fagn. Neque poteſt intra Urbem conferre beneficia, etſi ſit Cardinalis; ut habet Rebuff. Garc. &c. neque promovere ad Ordines eos, qui ſubſunt alteri Epiſcopo.

CAP. VI.

Quid Juris Regularis de Vicarijs in Ordine S. Franciſci.

1. NOta primò: variæ ſortes Vicariorum reperiuntur in Ordine Franciſcano de Obſerv.& Ref. Alij enim ſunt Vicarij Generales, alij Provinciales, alij locales. *Vicarij Generales* ſunt in duplici differentia, quidam enim eliguntur per ſuffragia ſecreta; & quidam delegantur per patentes Miniſtri Generalis, & quidam à Summo Pontifice aliquàndo conſtituuntur. *Vicarij Generales per ſuffragia electi* ſunt illi, qui in caſu vacantiæ Officij P. Miniſtri Generalis, vel ob mortem, vel renunciationem, vel promotionem ejus ad dignitatem extra Ordinem, canonicè eliguntur à Patribus ad Diffinitorium Generale pertinentibus. *Vicarij per delegationem Miniſtri Generalis* ſunt illi, qui per Patentes literas Miniſtri Generalis, in ejus abſentia Familiam Cismontanam, vel Ultramontanam, vel partem ejus regunt; & hodie vocantur *Commiſſarij Generales delegati.* *Vicarij Generales per inſtitutionem Summi Pontificis*, ſunt illi, qui per Breve Apoſtolicum quandoque inſtituuntur pro regendo Ordine, in caſu vacantiæ Miniſteriatûs Generalis. His tribus ſortibus Vicariorum Generalium aſſimilantur quoque Vice-Commiſſarij Generales Ordinis, qui in caſu, vel abſentiæ; vel realis vacantiæ propter mortem, aut renunciationem, aut promotionem ad dignitatem extra Ordinem P. Commiſſarij Generalis unius Familiæ, delegantur, aut eliguntur, aut conſtituuntur à Papa pro gubernio illius Familiæ, de qua aſſumptus erat Commiſſarius Generalis. *Vicarius Provincialis eſt*, qui in caſu vacantiæ Officij Miniſteriatûs Provincialis canonicè eligitur à Patribus Diffinitorij Provincialis. *Vicarius localis eſt*, qui à Capitulo, vel Diffinitorio Provinciali conſtitutus eſt vices gerens Guardiani localis.

2. Dico primò: Canonici Electores Vicarij Generalis per electionem Canonicam aſſumendi in Familia Ultramontana Ordinis ſunt omnes Patres Ordinis, qui nimirum fuerunt Miniſtri, & Commiſſarij Generales Familiæ, Commiſſarius Generalis Indiarum, Diffinitores Generales ejusdem Familiæ; uti & Ciſmontani, ſi aliquos eorum adeſſe contingat in loco electionis; & ſex Miniſtri, ac totidem Cuſtodes Provinciarum, quæ viciniores ſunt Provinciæ illius Patris, cui competit habere ſigilla. Ita Conſtitutiones Generales Ordinis *cap. 8. §. 15. n. 5.*

3. Dico ſecundò: Electores verò Canonici Vicarij Generalis in Ciſmontana Familia ſunt Exminiſtri, Exvicarij, & Excommiſſarij Generales, qui bienniò gubernârunt; Diffinitores Generales actuales ejusdem Familiæ; Procurator uterque Curiæ; & Diffinitores Generales Ultramontani, ſi qui adſint in loco electionis. Ita Conſtitutiones Generales *loc. cit. n. 6.* Iidem etiam eligunt Vice-Commiſſarium Generalem, in caſu Commiſſariatûs Generalis vacantis.

4. Nota ſecundò: forma electionis canonicæ Vicariorum Generalium eſt eadem ſervanda, quæ pro Miniſtri Generalis electione; de quâ ſupra *tit. 6. cap. 8. hoc lib.* Si talis electio fiat in caſu vacantiæ Miniſteriatûs Generalis propter mortem, vel promotionem ejusdem ad dignitatem extra Ordinem, in ea præſidet dignior, & antiquior Ordinis Pater; uti habent Conſtitutiones Generales *cap. 8. §. 18. n. 5.*

5. Dico tertiò: Officium Vicarij Generalis per electionem canonicam aſſumpti eſt, tempore, & loco opportunis convocare, ac congregare omnes Vocales ejus Familiæ tantùm, ex qua Miniſter Generalis erat aſſumptus, ad eligendum alium Miniſtrum Generalem in eadem Familia; ſi prior mortuus ſit, aut promotus ad dignitatem extra Ordinem, aut renunciavit Officio, nondum exactô trienniô ſui muneris. Ita Conſtitutiones Generales *cap. 8. §. 21. n. 1. & 3.*

6. Dico quartò: Officium pariter talis Vicarij Generalis eſt, gubernare Ordinem, ac omnia præſtare usque ad Capitulum Generale, quæ aliàs Miniſter Generalis ſolitus erat præſtare; ſi is poſt exactum jam triennium Miniſteriatûs moriatur, aut ex Ordine ad dignitatem aſſumatur, aut renunciet. Ita eædem Conſtitutiones *loc. cit. n. 4.*

7. No-

7. Nota tertiò: Officium, & Poteſtas Vicariorum, ſeu Commiſſariorum delegatorum Generalium ea erit, quæ in Patentibus literis Miniſtri Generalis delegantis ipſis conceditur: Mihi nuper à Reverendiſſimo P. Petro Marino Sormanno Miniſtro Generali, (qui fuit electus in Toletano Capitulo Generali) delegato ſuo Vicario, ſeu Commiſſario Generali pro Ciſmontana Familia Reform. conceſſa fuit indefinitè omnimoda, nullâ factâ exceptione, per ampliſſimas literas Patentes delegationis, datas Toleti anno 1682. die 20. Maji. Similiter Vicariorum Generalium inſtitutorum à Sede Apoſtolica depromenda erit ex Brevibus Apoſtolicis inſtitutionis eorundem.

8. Nota quartò: Vicarius Provincialis in caſu mortis, vel renunciationis, vel promotionis ad dignitatem extra Ordinem Miniſtri Provincialis, eligendus eſt ab omnibus Patribus Diffinitorij Provincialis; præſidente in eo digniore Patre Provinciæ; cujus erit quàm primùm convocare dictos Patres ad electionem præfatam celebrandum; uti ordinant Conſtitutiones Generales *cap. 8. §. 10.* Officium ejus, & poteſtas ſunt eadem, quæ Miniſtri Provincialis; & durant uſque dum triennium illud effluat, quô defunctus Miniſter in Officio durare poterat; & non ultra; uti habent eædem Conſtitutiones *loc. cit.*

9. Nota quintò: Vicariorum localium Officium, poteſtas, & qualitates exprimuntur in Conſtitutionibus Generalibus Ordinis *cap. 8. §. 44.* Hi præterea Vicarij in Conventibus non habentibus ſuperiores conſtituti, ſunt verè Prælati, ſecundùm Rodrig. Lantuſc. &c. habent enim Juriſdictionem ordinariam; & eandem quam Guardiani; his enim ſubrogantur; & *ſubrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur. cap. majores, de Baptiſmo.*

TITULUS XXIX.

DE OFFICIO, ET POTESTATE JUDICIS DELEGATI.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit Delegatus; & quis poſſit eum conſtituere.

1. Nota primò: inter eos, qui alieno nomine inſerviunt, & vices aliorum gerunt ſunt quoque Judices Delegati; quorum officium, poteſtas, & alia *hoc tit.* ventilantur. Et eſt obſervandum, quòd ab *hoc tit.* deinceps uſque ad finem totius hujus Lib. I. tradantur præparatoria judiciorum, in II. Lib. diſcutiendorum. Inter ejusmodi autem præparatoria primum cenſetur eſſe examen Judicis, ſive is delegatus, ſive Ordinarius ſit. De Delegato hìc; de Ordinario autem dicetur infra.

2. Dico primò: bene definitur Judex Delegatus, quòd *ſit perſona aliqua, quæ non ſuo jure, vel ex proprio munere; ſed ex commiſſione vel ipſius Juris, vel alterius perſonæ ordinariam juriſdictionem habentis ſibi facta, exercet juriſdictionem contentioſam.* Ita colligitur ex Valenſ. Molina, Pirh. Per ly *non ſuo jure, vel ex proprio munere,* inſinuatur differentia Judicis Delegati à Jure: Ly verò *vel alterius perſonæ ordinariam juriſdictionem habentis* ponitur ut excludatur Judex arbiter, qui acquirit poteſtatem judicandi non ab Ordinario Judice, propriam juriſdictionem habente; ſed à partibus compromittentibus, lege approbante. Dicitur demum *exercet juriſdictionem contentioſam;* quia hic titulus non agit de divinis Officijs, ſicuti priores mox explicati; ſed de Officio, & juriſdictione contentioſa, id eſt reſpiciente lites, & cauſas judiciales.

3. Nota ſecundò: variæ ſortes Judicum Delegatorum ſolent aſſignari à DD. ſignanter Tholoſ. Engel &c. Nam alij ſunt Delegati à Jure, alij ab homine. *Judices delegati à Jure* dicuntur illi, qui juriſdictionem commiſſam obtinent ab ipſo Jure communi, abſque alio mandato; tales ſunt Epiſcopi, qui in quibusdam caſibus ſunt Sedis Apoſtolicæ Delegati contra exemptos, & privilegiatos, ad conſervandam diſciplinam Eccleſiaſticam; uti patet in Trident. varijs in locis, ſignanter *Seſſ. 5. cap. 2.* Et *Seſſ. 6. cap. 2. & ſe-*

Digitized by Google

quem. ac aliquós caſus vide ventilatos in *Schola mea Theologica tom. 3. tract. de Privilegiis diſt. 2. q. 7.* Et *cap. irrefragabili, de Officio Ordinarij;* Et *Clement. 1. de ſupplend. negli. Prælat.* & alibi. *Judices delegati ab homine* ſunt, qui juriſdictionem obtinent per commiſſionem alterius Ordinarij Judicis, v. g. à Papa, Epiſcopo, Generali, Cæſare, vel Magiſtratu; tales ſunt v. g. Commiſſarij Viſitatores in Ordine S. Franciſci, qui à P. Generali ad viſitationes, & judicia Provinciarum deputantur. Rurſus alij ſunt Delegati ad univerſitatem cauſarum; alij ad certam duntaxat cauſam. *Primi* ſunt illi, quibus omnes cauſæ alicujus territorij cognoſcendæ, & terminandæ committuntur; tales ſunt in Jure Canonico Vicarij Generales Epiſcoporum, quibus generalia, & ſpecialia mandata ad omnes cauſas Diœceſis conceduntur; in Jure verò Civili talis erat olim Legatus Proconſulis, *L. 3. ff. 6.* Et *L. Legati 13. ff. de Offic. Proconſ.* *Secundi* ſunt, quibus committitur una duntaxat, vel altera cauſa particularis expedienda. Demum alij quoque dantur Delegati, quibus juriſdictio primùm fuit delegata, ſeu demandata. Alij verò qui à Delegatis iterum ſubdelegantur, & hi dicuntur ſubdelegati. Primi generis eſt v. g. Commiſſ: Viſitator Provinciæ in Ordine S. Franciſci, miſſus à Patre Generali in ordine ad viſitandam Provinciam, & celebrandum Capitulum Provinciale: Secundi generis eſt alius v. g. Pater à dicto Commiſſario ſubdelegatus, ad viſitationem quorundam Conventuum duntaxat Provinciæ.

4. Dico ſecundò: Judices Delegatos conſtituere, ſeu delegare poteſt omnis ſupremus Princeps ſive Eccleſiaſticus, ut Papa, ſive ſæcularis, ut Cæſar, Rex, & Reſpublica in ſuo territorio. Ita communis Canoniſtarum, & Juriſtarum. Primum colligitur ex *cap. ſi pro debilitate 3. hoc tit.* Et quia habet Papa ordinariam juriſdictionem in univerſam Eccleſiam. Secundum deducitur ex *L. 5. C. de Judic.* Et quia hi quoque ſunt Judices, habentes ordinariam Juriſdictionem; quam proinde in alios deſpergere poſſunt.

5. Dico tertiò: Etiam Epiſcopi, & Magiſtratus Civiles poſſunt delegare Judices ad cognoſcendas cauſas ſubditorum ſuorum; ac demum omnis, ad quem ordinario Jure pertinet definitio cauſæ. Ita communis Canoniſt. & Legisperit. Primum ſtatuitur in *cap. cùm Epiſcopus 7. de Offic. Jud. Ordin. in 6.* illis verbis, *per ſe, vel per alium.* Et quia Epiſcopus in ſua Diœceſi eſt Judex Ordinarius; adeoque poteſt delegare. Secundum conſtat ex *L. unic. C. qui pro ſua Jurisd.* Et *L. fin. ff. de Officio ejus &c.* Et eſt Ratio; quia Magiſtratus civiles habent juriſdictionem ordinariam. Tertium conſtat ex *cap. cùm viceſimum, 41. hoc tit.* Et *L. unic. cit.*

6. Dico quartò: Judex Delegatus à Summo Principe ſæculari, vel Eccleſiaſtico, puta Cæſare, vel Papa poteſt ſubdelegare cauſam ſibi delegatam; ſi eandem ob corporis debilitatem, vel aliam cauſam gravem expedire nequeat. Ita Vallenſ. Zoëſ. Pirh. Engel, & communis Canonſt. Et ita conſtat ex utroque Jure, ſcilicet ex *cap. ſi pro debilitate 3.* Et alijs *hoc tit.* Et *L. 1. C. qui pro ſua Juriſdictione.* Et *L. à Judice C. de Judiciis:* Et conceſſum eſt hujusmodi ſpeciale privilegium propter eminentiam ſupremæ poteſtatis.

7. Nota tertiò: Et quidem Delegatus ſupremi Principis poteſt ſubdelegationem cauſæ ſibi commiſſæ facere, vel in conjudicem, ſibi aſſociatum, ad conjudicandum; vel in alterum extraneum; ut habetur *cap. quamvis 6. hoc tit.* Idque ſubdelegando vel principium, vel medium, vel finem talis cauſæ; ſive conjunctim, ſive diviſim, hoc eſt unam partem uni, & alteri alteram, *cap. ſuper quæſtionum 27. hoc tit.* niſi in ipſis literis delegationis aliter eſſet ordinatum. Ratio etiam eſt; quia Delegatus ſupremi Principis habet authoritatem hanc ſubdelegandi à Jure, *cap. paſtoralis 28. hoc tit.* Et *L. unic. in fine C. qui pro ſua Juriſdictione.*

CAP. II.

Quis nequeat ſubdelegare.

1. DIco primò: Judex Delegatus ab alio Judice inferiore, quàm à ſupremo Principe regulariter non poteſt ſubdelegare. Ita Zoëſ. Pirh. & communis. Et ita dicitur *cap. cùm cauſam, 62. in fine de appell.* Et *L. 1. & L. 3. de officio ejus cui mand. eſt jurisd.* Et *L. à Judice 5. C. de judic.* Eſtque Ratio; quia Judex delegatus nihil habet proprij Juris; ſed alterius fungitur officiô, & vicibus; ut dicitur *cit. L. 3.* adeoque nullum Jus alteri committere poteſt per delegationem.

2. Nota primò: modificatur tamen hæc generalis doctrina *primò*: niſi Ordinarius Judex delegans expreſſè, vel tacitè conceſſerit Delegato ſubdelegare; ut notat Gloſſa; quo caſu Delegatus non tam ſuâ, quàm delegantis perſonâ poterit delegare. *Secundò* Delegatus ad univerſitatem cauſarum, ſeu ad omnes cauſas certi generis, v. g. matrimoniales, unam, vel plures cauſas poteſt ſubdelegare;

Digitized by Google

legare; ut colligitur ex *L. 1. ff. quis, & à quo appelletur*; & habet Gloſſa. Eſtque ratio; quia talis Delegatus cenſetur quaſi ordinariam Jurisdictionem habere. Unde ſic Decanus foraneus v. g. conſtitutus ab Epiſcopo in certa parte Diœceſis ad univerſitatem cauſarum, unam, alteramve ſubdelegare alteri poteſt, ſic etiam Commiſſarius Viſitator Provinciæ, utpote ad univerſitatem cauſarum à Generali miſſus in Ordine meo Seraphico, ſubdelegare poteſt aliquas cauſas viſitationum alijs perſonis idoneis.

3. Nota ſecundò: Delegatus etiam à Legato Summi Pontificis, vel Principis nequit ſubdelegare, ut habet Zoëſius, Covarr. &c. Ratio eſt; quia hujusmodi privilegium ſubdelegandi conceditur duntaxat delegato Summi Pontificis, & Principis, *L. 5. C. de judic.* Et *cap. fin. in princ. hoc tit.* Ubi Pontifex loquitur cum excluſione aliorum, qui non ſunt delegati à Sum. Pontifice, aut Principe; qualis non eſt delegatus à Legato Papæ.

CAP. III.

Quis poſſit eſſe Delegatus Judex.

1. DIco primò: Judices Delegati poſſunt eſſe omnes, qui Judices Ordinarij inſtitui poſſunt; & qui vel natura, vel lege, vel moribus non prohibentur. Ita Hoſtienſ. Pirhing. &c. Ratio eſt; quia quoad qualitates æquiparantur Judex Ordinarius, & Delegatus. Ex hac concluſione

2. Nota primò: quòd ob defectum naturæ, ſurdi, muti, perpetuò furioſi, impuberes, ac minores 20. annis prohibeantur eſſe Judices Delegati: nam hi judiciô ſufficienti, & diſcretione carere cenſentur, *can. 1. cauſ. 3. q. 7.* Et *cap. cùm vigeſimum, hoc tit.* Et *L. Prætor. 12. ff. de judic.* Poteſt tamen minor 20. annis à Principe qualificari ad characterem Judicis Delegati, & diſpenſari in ætate *L. quidam 57. ff. de judic.* Similiter ob defectum morum infames prohibentur delegari; cùm à legitimis actibus repellantur *cap. licet 47. de teſt.* Etiam ex diſpoſitione Legum prohibentur ab hujusmodi munere ſuſpecti, *cap. cùm ſuper 27. in fine; hoc tit.* Et *cap. 35. eodem tit.* eò quòd talis non præſumatur ex fide acturus. Item excommunicati, cùm tales ſint incapaces Jurisdictionis; ut dicetur infra *tit. de ſent. excomm.* Item fœminæ, & ſervi; ut colligitur ex *can. 1. §. tria, cauſ. 3. q. 7.* Et *L. Prætor. §. non omnes. ff. de judic.*

3. Nota ſecundò: Delegatus Judex Summi Pontificis, vel ejus Legati debet præterea regulariter etiam eſſe Jurisperitus, ac in dignitate aliqua Eccleſiaſtica, vel perſonatu conſtitutus, vel Canonicus alicujus Eccleſiæ Cathedralis, ſive ſæcularis, ſive regularis; uti conſtat ex *cap. ſtatutum 11. in principio; de reſcrip. in 6.* Tridentinum verò *Seſſ. 25. cap. 10. de Reform.* ordinat, ut inſignes perſonæ deputentur in ſingulis Concilijs Provincialibus, quæ poſſint à Nuncio Papæ delegari ad cauſas Eccleſiaſticas, quoties opus fuerit.

4. Nota tertiò: ad cauſas Eccleſiaſticas, & ſpirituales (ut decimarum, Jurispatronatûs, &c.) cognoſcendas non debet Laicus delegari; ſed Clericis committi debent; ut notat Hoſtienſ. Zoëſ. Ratio eſt; quia Laici negotia Eccleſiaſtica tractare non debent, *cap. 2. de Judic.* Et quia non decet, ut Laicus in talibus arbitretur, *cap. contingit 8. de arbit.* poſſunt tamen eſſe Conſiliarij, & Aſſeſſores in ſimilibus. Nec ad ea quæ Ordinis ſunt, delegari debet non Epiſcopus, *cap. aqua,* ✠ *de conſecrat.*

5. Nota quartò: Judex Delegatus Epiſcopi, vel alterius inferioris poteſt eſſe etiam ſimplex Clericus, nullâ præditus dignitate. Ita colligitur ex *cap. cùm Epiſcopus 7. de offic. ordin. in 6.* Imò & Religioſus ſimplex, cum licentia ſui Prælati.

6. Nota quintò: communiter intra Diœceſim litigantium Judices Delegati aſſumi, & dari debent, ad evitandos ſumptus; ut notat Zoëſius. Attamen ſi lis, & cauſa agitanda ſit inter ſuperiorem, & ſubditum, locique univerſitatem; aut Actor intra ſuam Diœceſim non audeat propter inimicitias, aut potentiam adverſarij litigare, cauſarum delegatio in alios Judices impetrari poteſt extra proprium locum; ut habet Vallenſ.

CAP IV.

Quæ cauſæ poſſint delegari, & de forma delegationis.

1. DIco primò: omnes, & ſolæ cauſæ, quæ ſubjectæ ſunt jurisdictioni delegantis, poſſunt delegari; non verò quæ ſubſunt jurisdictioni alienæ. Ita habet communis DD. & colligitur ex *L. unic.* junctâ Gloſſâ, verbô, *ſi ad jurisdictionem.* & verbô *pertineant; C. qui pro ſua jurisdict. judic.* Unde etiam cauſæ appellationum ſecundùm Jus Canonicum poſſunt delegari; uti liquet

ex *cap. paſt. 11. de offic. Jud. ordin.* Secùs eſt ſecundùm Jus Civile, *auth. ad hæc; C. de judiciis.*

2. Nota primò: quæ meri imperij ſunt, (ut jus gladij, poteſtas puniendi facinoroſos, &c.) ſecundùm Jus Civile certum eſt, quòd non poſſint delegari à Judicibus inferioribus Principe, *L. 1. in principio, ff. de offic. ejus, cui mandata eſt jurisdict.* niſi abſentia, infirmitas, aut aliud juſtum impedimentum Judicis delegantis excuſet; ut habet Gloſſa, Abbas &c. Secundùm autem Jus Canonicum controverſum eſt, an cauſæ meri imperij, vel mixti poſſint generaliter ab Ordinarijs Judicibus Prælatis delegari: affirmat Abbas, Gloſſa, Maranta &c. Sed oppoſita negativa opinio videtur probabilior; eò quòd non ſit inducenda differentia inter Jus Canonicum, & Civile, ſinè expreſſo textu; qui circa hoc non extat: ut notat Covarr. Menoch. Fachin. &c. Et canones, qui in contrarium objiciuntur, loquuntur duntaxat in caſu ſpeciali. Procedit itaque hic regula generalis, quod in dubio hæc duo Jura ſint concordanda, *arg. cap. 1. de novi oper. nunt.*

3. Nota ſecundò: quòd Judex Delegatus à ſupremo Papa delegare poſſit cauſas mixti, & meri imperij: niſi appareat perſonæ induſtriam ſpecialiter electam fuiſſe; ita colligitur ex *L. unic. C. qui pro ſua Jurisd.* Circa formam Delegationis

4. Nota tertiò: formam delegationis conſiſtere in modo procedendi, præſcripto in literis commiſſionis; qui juxta cauſarum, clauſularum adjectarum, & perſonarum conditionem, ac qualitatem ſolet eſſe varius: nam aliquando delegatur tota cauſa; aliquando certum genus cauſarum, v. g. matrimonialium, vel decimarum; aliquando plures cauſæ ſub certo numero expreſſæ; aliquando unica duntaxat; aliquando committitur cauſa aliqua uni tantùm delegato, aliquando pluribus; iiſque vel ſimpliciter, vel adjectâ clauſulâ ſimili; *quòd ſi omnes intereſſe non poſſunt, alij nihilominus in cauſa procedant*; *vel ſi non ambo, alter procedat*: vel cum ſimili, *ut omes, vel alter procedat*; vel ut procedant *appellatione remota, cap. ſuper quæſtionum 27. hoc tit.* Aliquando contingit fieri delegationem cum reſtrictione ad certas perſonas, vel ad certum tempus, vel ad certum locum, vel ad certam quantitatem Juriſdictio committitur. Aliquando vel tota cauſa, vel ejus pars tantùm delegatur; ſcilicet vel principium, vel medium, vel finis ejus, *cit. cap. ſuper quæſtionum.* Principium delegatur, quando actus judicij præparatorij, ut citatio, libelli oblatio, vel litis conteſtatio delegatur alicui, ut coram eo inſtitui poſſit, *cap. paſtoralis 28. hoc tit.* Medium delegatur, ſi alicui cauſæ audientia, vel cognitio ejusdem demandetur, v. g. inquiſitio, teſtium examinatio, reſervatâ ſibi ſententiâ diffinitivâ, *cap. cùm te 18.* Et *cap. cit. ſuper quæſtionum, hoc tit.* Finis demum delegatur, quando jus pronunciandi ſententiam definitivam alicui committitur.

5. Nota quartò: quando in literis delegationis ſimilis aliqua forma præſcribitur, ea diligenter eſt obſervanda; cùm delegatus nullam habeat poteſtatem; niſi eam, quam delegans illi committit; uti patet ex *cap. cùm dilecta 32. de reſcript.* Et *L. diligenter 5. ff. mandati*, ubi dicitur, *diligenter fines mandati cuſtodiendi ſunt; quia qui exceſſit, aliud quid facere videtur.*

6. Nota quintò: ſi nulla forma determinata præſcripta ſit in literis delegationis, tunc ſervanda eſt forma à Jure communi præſcripta, cui in dubio non videtur Pontifex velle derogare, *cap. ex parte 13. hoc tit.*

CAP. V.

De Officio, & poteſtate Delegati Judicis.

1. NOta primò: Officium, & poteſtas Judicis Delegati differunt; nam poteſtas latiùs patet, quàm Officium; cùm quidquid eſt Officij ejus, ſit & poteſtatis; non è contra; nam multa facere poteſt, quæ facere non tenetur; & multa permittuntur ejus poteſtati, quæ tamen non ſubjiciuntur Juris neceſſitati, *L. non quidquid 40. D. de judic.* Quantum ergo ad Officium Judicis Delegati, is *primò* ratione muneris ſui non debet procedere ante præſentationem reſcripti delegatorij, quamvis ſciat ſe eſſe legitimè inſtitutum Judicem delegatum; quia ante ejusmodi præſentationem non obtinet exercitium Juriſdictionis; ut habet Felin. Vallenſ. Flami. &c. Et patet ex *cap. ſuper eo 12. de appellat.*

2. Nota ſecundò; præterea *ſecundò* debet Delegatus ratione ſui Officij diligenter obſervare formam, & tenorem ſuæ delegationis, ſeu mandati; uti dixi *notab. 3. prioris capituli*; unde delegatio ſeu mandatum extendi non debet ultra perſonas, & cauſas in eis expreſſas, *cap. 40. hoc tit.* Et *cap. ſuper eo 12. de appellat.* Nec parere quis tenetur, niſi oſtensô, & probatô mandatô, ſeu delegatione; nec ſufficit

ſufficit copia ſimplex , *cap. cùm in Jure 31.* Eritque irritum, quidquid Delegatus egerit contra ejus tenorem, & formam, *cap. cùm dilecta 32. de reſcriptis*: quia cenſebitur tanquam geſtum à privato, *cap. cùm olim 32. hoc tit.*

3. Nota tamen tertiò: quod Delegatus poſſit extendere delegationem, ſeu mandatum ad connexa, & acceſſoria; licet nulla fiat eorum mentio; quia hic procedit illud axioma; *connexorum idem eſt judicium, cap. tranſlato; de conſtit.* Et illud aliud, *conceſſâ alicui juriſdictione, ea quoque conceſſa intelliguntur, ſine quibus nequit explicari Juriſdictio. L. 2. D. de juriſdict. omni Judic.* Quare ſi alicui delegetur ſpecialiter aliqua cauſa, poterit talis Delegatus nihilominus citare partes , punire contumaces per excommunicationem, vel alias pœnas, eligere nuntium per quem citet, eundemque ſi falſam fecerit relationem, punire; uti & quemcunque alterum, qui impediret cauſæ exitum, aut progreſſum, *cap. 1. & 5. hoc tit.*

4. Nota quartò: *tertiò* Delegati Judicis Officium poſtulat, ut admittat exceptiones rationabiles, procedendo juxta Juris præſcriptum, & æquitatem; niſi in literis delegationis aliud (quod vix aliquando contingit) caveatur, *cap. ex parte 13.* Et *cap. cauſam quæ, 18. de reſcript.* Poteſt autem variè excipi contra Delegatum; ut notat Vallenſ. *ſuper hunc tit.* puta vel quòd is non ſit Delegatus legitimus: non enim creditur talis, niſi ſuam probet delegationem, *cap. cùm in jure 13. hoc tit.* Vel quòd ſit Delegatus ab eo, qui delegare nequit; vel quòd ipſi cauſa hæc delegari nequiverit; vel quòd expiraverit ejus Juriſdictio, &c.

5. Nota quintò: *quartò* demum Officium Judicis Delegati poſcit, ut intra annum exequatur ſententiam à ſe latam; ſi ſit Delegatus Principis , vel Summi Pontificis, *cap. quærenti 26. hoc tit.* Vel etiam alterius Judicis Ordinarij, cum univerſitate cauſarum. Circa alterum articulum hujus Cap.

6. Nota ſextò: poteſtatem Delegati eſſe metiendam ex delegantis authoritate, & mandato conceſſo: quia Delegatus in Juriſdictione ſibi commiſſa vices delegantis gerit, & pari honore eſt dignus, *can. ult. diſt. 93.* Et *can. 1. diſt. 94.* Et *cap. ſanè ; hoc tit.* Unde

7. Nota ſeptimò: Delegatus habet poteſtatem contra illum Eccleſiaſticum, contra quem eſt conſtitutus Judex, etiamſi eſſet Epiſcopus, vel alius Prælatus, ſi rebellem, & contumacem ſeſe exhibeat, juxta qualitatem facti per ſententiam ſuſpenſionis , vel interdicti procedendi; temperatè tamen (ſi Epiſcopus ſit) ita ut priùs ipſi ingreſſum Eccleſiæ, vel Sacerdotale Officium , vel terram illius juriſdictioni ſpecialiter ſubjectam interdicto ſubjiciat; ut habetur *cap. ſanè quia 11. hoc tit.*

8. Nota octavò: Delegatus Eccleſiaſticus etiam habet poteſtatem non tantùm in partes litigantes; ſed etiam in alios, qui ejus juriſdictionem, ſeu cauſæ proceſſum impedire, vel turbare vellent; licèt id in delegatione non ſit expreſſum. Ita patet ex *cap. 1. hoc tit.* Quare *poteſt* (inquit canon *loc. cit.*) *non tantùm eos, qui citati ad jus venire detrectant; ſed etiam principales eorum fautores, ſi manifeſtè conſtet, eos juſtitiæ proceſſum impedire conari, per cenſuram Eccleſiaſticam coërcere, quia teſte Scriptura ad Rom. 1. malè agentes, & conſentientes pari pœna puniendi ſunt.*

9. Nota nonò: Delegatus Papæ eſt major Delegatis alijs, imò & ſuô Epiſcopô, *cap. ſtatutum 11. de reſcrip. in 6.* qui juſſus ſententiam Delegati exequi, cogi poteſt; etſi videretur ea ſibi injuſta, *cap. paſtoralis, hoc tit.* Poteſt abſolvere ab excommunicatione appellantem; niſi ſit Papæ reſervata, ac profecta ab Ordinario, ne ejus infringatur Authoritas: quòd ſi tamen Ordinarius malitioſè recuſet ab ea abſolvere, poterit ejuſmodi Delegatus eam tollere, *cap. cùm contingat 36. hoc tit.* A die latæ ſententiæ annô integrô retinet Juriſdictionem ſibi commiſſam, *cap. quærenti 26. hoc tit.* Poteſt etiam implorare brachium ſæculare, ſi aliter ſententiam latam exequi non valeat; ut habet Abbas, Decius, Molin. nam hoc poteſt etiam Epiſcopus, *arg. can. adminiſtratores 26. cauſa 23. q. 5.* quô major eſt Delegatus Papæ in Juriſdictione, *cap. ſanè 11. hoc tit.* Is tamen non poteſt citra conſenſum partium cauſam cognoſcere in alio loco, quàm in delegatione ſit determinatum, *cap. ſtatutum 11. §. in nullo quoque, de reſcrip. in 6.*

CAP. VI.

De appellatione à Judice Delegato, ejus recuſatione, & prorogatione.

1. Dico primò: gravatus regulariter poteſt etiam à Judice ſubdelegato Papæ appellare, non verò ab Auditore, vel Executore, cui nudum miniſterium commiſſum eſt. Ita communis Canoniſt. Et ita conſtat ex *cap. ſuper quæſtionum 27. hoc tit.* Quòd ſi tamen Delegatus Papæ conſtitueret ſubdelegatum cum hac clauſula *appellatione remotâ*, à tali ſubdelegato non poteſt appellari; ut habetur *cit. cap.*

Digitized by Google

2. Nota primò: à Delegato v. g. Epiſcopi, regulariter appellari debet ad delegantem, utì conſtat ex *L. 1.* & *L. fin. ff. quis, & à quo appelletur.* Vel ad ejus Succeſſorem in officio, *eadem L. 1.* junctâ Gloſſâ, verbô, *& Succeſſor.* Attamen à Subdelegato ad Delegatum Papæ delegantem non fit rectè appellatio; ſed ad Papam ipſum, quando Delegatus talis Pontificius omnem ſuam Jurisdictionem commiſiſſet ſubdelegato, nullâ tactâ reſervatione. Quòd ſi autem aliquam duntaxat partem cauſæ eidem ſubdelegâſſet, v. g. teſtium depoſitiones; hoc caſu appellandum eſt ad Delegatum talem Papæ, uti conſtat ex *cap. cit. ſuper quæſtionum.*

3. Nota ſecundò: loquendo ordinariè, à Judice Ordinario v. g. Epiſcopo licet immediatè appellare ad Papam, prætermiſſò Archi-Epiſcopô, ſeu Metropolitâ, *arg. can. ad Romanam 8. cauſ. 2. q. 6.* Similiter ſi Delegatus Papæ, coram quo agitabatur actio, incidat in excommunicationem majorem, vel moriatur, immediatè ad Papam eſt appellandum *cap. ſi is, cui 10. hoc tit. in 6.* Item ad eundem appellatio facienda erit, In illo caſu, quô duo ex tribus Judicibus Delegatis Pontificijs ſubdelegarent duobus alijs partem, ſeu articulum cauſæ; & tertius Judex Apoſtolicus cum his duobus ſubdelegatis actitaret cauſam; ſed ab eorum judicio deinde appellandum eſſet; ut habetur *cap. ſi duo 3. hoc tit.* Circa recuſationem Judicis delegati

4. Dico ſecundò: Judex Delegatus, ſi meritò, & juſtis de cauſis ſit ſuſpectus poteſt recuſari. Ita Gloſſa, Abbas, Pirh. & communis DD. Et habetur *cap. ſuſpicionis 39. hoc tit.* Et *L. apertiſſimi 16.* & *L. ult. C. de Judic.*

5. Nota autem tertiò: quòd juſtæ cauſæ ſuſpicionis formandæ de Judice ſint, *primò* ſi is ſit Dominus adverſarij; uti conſtat ex *cap. cauſam 17. hoc tit.* Dominus enim cenſetur ſuos ſubditos peculiariter amare, & velle defendere. *Secundò* ſi unus litigantium poſt litem conteſtatam ſit factus familiaris, aut domeſticus Judicis delegati, *cap. inſinuante 25. hoc tit.* quia familiaritatis affectio impedire ſolet veritatem. *Tertiò* ſi Judex ſit conſanguineus adverſæ partis, *cap. poſtremo 37. de appellat.* Circa prorogationem Judicis delegati

6. Dico tertiò: etiam de conſenſu partium litigantium non poteſt prorogari Jurisdictio Judicis delegati; nec extendi ad perſonas in literis Delegationis non expreſſas. Ita Hoſtienſ. Abbas, & communis DD. Et ita conſtat ex *cap. Publius, & Gaſpar 40. hoc tit.* Et quia reſcripta delegationis ſunt ſtrictæ interpretationis; ut habent citati DD. Niſi perſonæ non expreſſæ in literis delegationis per accidens, ſeu acceſſoriè connectantur cum cauſa delegata. Vel niſi delegatus ſit ad univerſitatem cauſarum delegatus; quo caſu ejus Jurisdictio Ordinariæ æquiparatur; & conſequenter poteſt prorogari; ut habet Gloſſa, Abbas. &c.

7. Nota etiam quartò: quòd quamvis nequeat fieri prorogatio, & extenſio Jurisdictionis delegatæ quoad ſubſtantialia, ſcilicet de caſu ad caſum non expreſſum; aut de perſona ad perſonam, juxta *cap. cùm olim 32. hoc tit.* Attamen cum conſenſu partium fieri poteſt quoad accidentalia; ſcilicet tempus, locum, quantitatem rei; dummodo appareat hujusmodi prorogationem, & extenſionem fieri principaliter in favorem partium.

CAP. VII.

Quibus modis finiatur Jurisdictio, Officium, & poteſtas Delegati.

1. Dico primò: Jurisdictio, Officium, & poteſtas Judicis delegati finitur in totum per ſententiam executioni mandatam, vel alteri ad exequendum commiſſam. Ita Zoëſ. Hoſtienſ. Vallenſ. & communis. Et ita dicitur *cap. in literis 9. hoc tit.* Et quia tunc cenſetur functus Officiô ſibi commiſſô.

2. Dico ſecundò: ſimiliter finitur Jurisdictio Delegati morte delegantis, re adhuc integra. Ita Vallenſ. Zoëſ. Pirh. & communis Canoniſt. Et de hoc eſt diſpoſitio Juris *cap. relatum 19.* Et *cap. gratum 20.* Et *cap. licet 30. hoc tit.* Re autem non ampliùs integra, id eſt ſi coram Delegato jam ſit cauſa cæpta, per factam litis conteſtationem, aut legitimam citationem, non finitur morte delegantis, *cit. cap. relatum.*

3. Dico tertiò: finitur pariter morte ipſius Delegati, ſi delegatio facta ſit perſonæ, ſeu expreſſo nomine Delegati. Ita Gloſſa, Vallenſ. Zoëſ. Imola, & communis. Ratio eſt; quia tunc cenſetur electa induſtria perſonæ; ideoque ad ſucceſſorem non tranſit, ſed cum perſona extinguitur ipſa delegatio. Quòd ſi tamen delegatio fuiſſet dignitati, ſeu ſub nomine dignitatis perpetuæ v. g. Epiſcopo, Rectori, vel Præpoſito Eccleſiæ facta, morte Delegati non extinguitur; ſed tranſit ad ſucceſſorem, etiamſi res adhuc ſit integra, quia digni-

Digitized by Google

dignitas eſt perpetua; ita patet *cap. gratioſè 5. de reſcript. in 6.* Et *cap. quoniam 14. hoc tit.* Et habet Felin. Abbas, Vall. &c. Et

4. Nota: quòd etiam expiret Officium, & Jurisdictio Delegati; etſi unus tantùm ex tribus Delegatis Conjudicibus moreretur; niſi aliud in literis delegationis eſſet expreſſum, *cap. uno 40. hoc tit.* Nam omnes tres cenſentur eſſe locô unius, ac proinde unus absque altero in ſolidum nequit eſſe Judex, ſicque unô mortuô cenſetur Jurisdictio data ſimul omnibus expirare.

5. Dico quartò: finitur etiam Jurisdictio Delegati revocatione delegantis, re integrâ. Ita Felin. Vallenſ. Gloſſa, & communis. Ratio eſt; quia omne mandatum revocatione legitima ceſſat, *cap. venerabili 37. hoc tit.* adeoque & mandatum Jurisdictionis commiſſæ; & Judex Ordinarius tale poteſt revocare, re adhuc integrâ, ex *eodem cap.* Imò etſi res non eſſet integra; ſed judicium jam à Delegato inchoatum, & lis conteſtata; uti conſtat ex *L. 50. ff. de judic.* ubi dicitur, judicium ſolvitur prohibente eô, qui judicare juſſerat; & tenet Gloſſa, Pirh. &c.

6. Dico quintò: ſimiliter lapſu certi temporis ad cauſam decidendam præfixi, terminatur Jurisdictio Delegati. Ita Vallenſ. Decius, Zoëſ. Gloſſa, &c. Et ſtatuitur *cap. de cauſis 4.* Et *cap. conſuluit 24. hoc tit.* Niſi terminus talis conſenſu partium prorogaretur; uti communiter fieri poteſt *cit. cap. 4.* namquamvis conſenſus privatorum nequeat facere Judicem, *L. privatorum 3.* Et *L. de jurisdict. om. Judic.* is tamen poteſt veri Judicis Jurisdictionem, priusquam expiret, prorogare *L. 2. ff. ſed ſi Judex D. de Judic.* Quæ dicta procedunt tantùm, niſi ſit prorogatio prohibita; *L. 1. de Judic.*

7. Dico ſextò: tandem etiam finitur Jurisdictio Delegati relatione cauſæ ad Delegantem. Ita Hoſtienſ. Zoëſ. &c. Et ita conſtat ex *cap. 5. hoc tit.*

CAP. VIII.

Quid Juris regularis de Judice Delegato in Ordine meo Franciſcano.

1. Dico primò: Miniſter Generalis Ordinis mei Seraphici de Obſerv. & Reform. poteſt, & tenetur ſingulis trienniis conſtituere Judices Delegatos, ſeu Commiſſarios Viſitatores, quando ipſe ad Provincias viſitandas accedere nequit. Ita Conſtitutiones Generales Ordinis *cap. 8. ff. 56. & ff. 11.* Eandem facultatem, & obligationem inſtituendi, & mittendi Judices delegatos Provinciarum, ſeu Commiſſarios Viſitatores habet Commiſſarius Generalis, tam Cismontanus, quàm Ultramontanus, quando ipſi in perſona perficere nequeunt Viſitationes Provinciarum ſibi ſubjectarum; uti habent Conſtitutiones Generales Ordinis *cap. 8. ff. 23. n. 4.* Item Vicecommiſſarij Generales, & Vicarij Generales, qui in caſu vacantiæ Miniſtri, & Commiſſarij Generalis ſuccedunt in omnem Jurisdictionem ordinariam, & obligationem; uti conſtat ex Conſtitutionibus Generalibus *cap. cit. ff. 21. num. 4.*

2. Nota primò: Poteſtas Judicum delegatorum, ſeu Viſitatorum Ordinis noſtri ad Provinciarum Viſitationem miſſorum metienda erit ex literis ſuæ delegationis ſeu Commiſſorialibus Patentibus. Præterea de Jure regulari Conſtitutionum Ordinis hi poſſunt, imò debent illi Provinciali, ad cujus Provinciam mittuntur, aſſignare locum, in quo is commorari debet, quousque viſitatio abſolvatur; ita Conſtitutiones Generales *cap. 8. ff. 56. n. 7.* Et ratio eſt; quia Provincialis ſyndicatur; & ideo viſitationem turbare non debet. Præterea poteſt, imò debet communibus literis ſuum adventum ſignificare, & preces publicas ordinare pro felici exitu viſitationis, *cit. cap. 8. n. 8.* Poteſt omnes prorſus Fratres, & Conventus concreditæ ſibi Provinciæ viſitare; *ibidem num. 9.* in quoscunque delinquentes animadvertere, eosdemque corrigere, reprehendere, punire, emendare, & reformare; juxta *cit. cap. 8.* niſi Generalis aliquos Conventus, vel correctiones aliquorum ſibi reſervaret in literis Commiſſorialibus, ſeu delegationis. Communiter etiam in remotioribus Provincijs, ad quas Generalis ipſe accedere nequit, per easdem literas ipſis committitur convocatio Vocalium ad Capitulum Provinciale, præſidium in eodem, cum voto electivo activo, & deciſivo; ita habet praxis Religionis: & ſuadet neceſſitas regiminis.

3. Nota ſecundò: obligationes talium Judicum, ſeu Viſitatorum delegatorum ſunt; Fratres in quovis Conventu capitulariter congregatos graviter, ac piè hortari ad Univerſa Chriſtianæ pietatis officia, & opera; ad S. Regulæ, & Conſtitutionum Ordinis, ac Provinciæ obſervantiam: ad Regularis vitæ diſciplinam collapſam reſtaurandam; vel ubi collapſa non eſt, ad conſervandam; uti dicunt Conſtitutiones Generales *cap. 8.* ſæpe *cit.*

Digitized by Google

cit. n. 1. & aliis. Tenentur Officium ſuæ delegationis, & viſitationis exequi cum bono exemplo, & Zelo DEI; in omnibus ſeſe gerere prudenter, abſque partialitate; atque animi ſui integritatem, ac ingenuitatem ſic demonſtrare, ut nemo præ nimia confidentia inſoleſcat; nemoque per diffidentiam deſperet; *cap. cit. 8.* Debent abſtinere à munerum acceptatione; & ut æqui Judices juſtorum, & iniquorum merita diſcernere, & pro ſingulorum qualitate factorum pœnas, aut præmia decernere; *cit. cap.* Debent præterea Fratres admonere, ne per ſæcularia ſuffragia, ſeu favores prætendant Officia Ordinis; *cit. cap. 8. n. 10.* Item debent duobus duntaxat Socijs exemplaribus contentari, & infra 3. menſes celeriter Viſitationem abſolvere; *cit. cap. n. 11.* In ijsdem Conſtitutionibus *cit. loc.* præſcribitur ipſis obligatio viſitandi illa ante omnia, quæ ad Divinum cultum pertinent; unde viſitare debent Venerabile Sacramentum, Reliquias, Oleum Sanctum, altaria, capellas, Confeſſionalia, ſepulturas, Eccleſias, Sacriſtias; deinde etiam infirmarias, apothecas, bibliothecas, hoſpitia, cellas omnium Fratrum, juxta inſtructionis puncta *eod. cap.* præſcripta; & demum ſingulos Fratres ſigillatim evocandos. Obligantur inſuper invigilare, ne in Capitulo Provinciali indigni eligantur ad Officia Provinciæ.

4. Nota tertiò: ejuſmodi Judices, & Commiſſarij Delegati nequeunt impedire legitimas appellationes Fratrum ad Superiorem Generalem, factas à ſua ſententia gravante; *cit. cap. 8.* Nec in Provincia ſalubriter ordinata immutare, nec contra ſtatuta Provincialia aliquid operari, niſi accedente conſenſu Patrum Diffinitorij, aut majoris partis Vocalium Capituli Provincialis; *ibidem.* Neque poſſunt Fratres ad alienas Provincias deſtinare; niſi ad ipſum Generalem pro negotijs, ad eorum Officium pertinentibus. Nec in Provincialem, aut Provinciæ, aut Ordinis Patrem notabiliter animadvertere; niſi ex probata cauſa; & de conſenſu majoris partis Patrum Provinciæ, aut Provincialis Capituli; *ibidem.* Neque poſſunt exequi ſententias depoſitionis, aut privationis Guardianorum, aut graviorum Patrum; niſi pariter de conſenſu majoris partis PP. Provinciæ; *ibidem.* Non poſſunt ſibi uſurpare ſigilla majora Provinciæ; nec Clericos mittere ad Ordines; nec Novitios recipere; neque Prædicatores deſtinare ad Quadrageſimas, & Adventus; nec deputare Confeſſarios Monialium; nec diſtribuere ſpolia defunctorum Fratrum; ſed hæc pertinent ad Miniſtros Provinciales; *cit. cap. 8.* Nequeunt præterea caſus graves in Viſitatione occurrentes per definitivam ſententiam ſe ſolis determinare; ſed de conſilio, & aſſenſu Diffinitorij. Eorum Juriſdictio expirat elapſis 20. diebus, poſt celebratum Capitulum provinciale; *cit. cap. 8.*

5. Nota quartò: memorati Judices Delegati poſſunt communiter in vim ſuarum Patentium, ſeu Inſtrumenti delegationis ſubdelegare aliquas perſonas idoneas ad viſitationes aliquorum Conventuum remotiorum Provinciæ, ob cauſam juſtam; uti obtinuit praxis Religionis. Et quia eſt Delegatus Principis in Ordine, qui poteſt ſubdelegare; juxta *cap. ſi pro debilitate 3. de Judice delegato.*

6. Nota quintò: iſti Judices Delegati, ſeu Commiſſarij Viſitatores Provinciarum debent à Generali aſſumi ex Provincijs vicinioribus: debent autem eſſe Patres prudentes, pietate, ac Religione inſignes, rerum agendarum uſu, ac dexteritate præſtantes, & qui fuerint vel Patres Ordinis, vel Provinciæ, vel ſint Diffinitores actuales generales, vel provinciales; *cit. cap. 8. n. 3.* Non autem Miniſtri actuales aliarum Provinciarum, juxta noviſſimum ſtatutum Congregationis Generalis Romanæ anno 1679. celebratæ.

7. Nota ſextò: extat & aliud genus Judicum Delegatorum in Ordine noſtro Franciſcano, videlicet, illorum, qui à Patre Generali ſubinde mittuntur ad negotia, vel cauſas aliquas arduas in Provincia terminandas; horum poteſtas metienda erit ex Patentibus literis delegationis eorundem: hi completò negotiò mox de Provincia egredi, & ad propriam redire tenentur; ita Conſtitutiones generales *cap. 8. §. 47. n. 15.* & *§. 56. n. 5.* His etiam aſſimilantur Judices Delegati Miniſtri Provincialis, ſi quos impeditò ipsò Miniſtrò aliquando contingat mitti ad aliquos Conventus pro negotijs ibidem terminandis; horum quoque ſphæra poteſtatis dependet ab arbitrio Miniſtri delegantis.

TITULUS

Digitized by Google

TITULUS XXX.
DE OFFICIO LEGATI.

CAP. I.
Quid; & quotuplex ſit Legatus.

1\. NOta primò: etiam Legatus nomine alieno deſervit, & vices gerit Summi Pontificis: unde ejus Officium, & poteſtas *hoc tit.* perſtringitur. Nomen autem Legati variè uſurpatur in Civili Jure: nam *L. 2. ſſ. 3.* Et *L. ſi quis 8.* Et *L. non aliàs 24. D. de Judic.* is, qui à Republica ad Principem mittitur cum mandatis, dicitur Legatus. Et *D. de Legato Proc.* qui ſubit vices Proconſulis quoque vocatur Legatus. Item is, qui mittitur ad negotia pacis, aut alia tractanda, Legatus vocitatur. Sed uſurpando hanc vocem *Legati* ſecundùm Jus Canonicum,

2\. Dico primò: bene deſcribitur Legatus Apoſtolicus, de quo hìc, quòd *ſit perſona aliqua idonea, à Sum. Pontifice miſſa ad Provinciam aliquam cum judiciaria poteſtate adminiſtrandi ea, quæ ſunt muneris Apoſtolici.* Colligitur ex ſtatutis *hoc tit.* Nam cùm Sum. Pontificis præſentiam in Provincijs poſtulet negotiorum gravitas, is verò non poſſit adeſſe omnibus, ob diſtantiam locorum, qui eum præſentem inibi requirunt; idcircò meritò mittit is perſonas qualificatas, pro terminandis cauſis, *cap. 1. hoc tit.*

3\. Nota autem ſecundò: Legatum Pontificium, de quo hic titulus Juris Canonici procedit, differre à Delegato Judice Papali, de quo prior agebat titulus, quòd Legatus de quo hìc ſit major Delegatô; & quòd habeat authoritatem tanquam Judex Ordinarius cognoſcendi omnes prorſus cauſas; Delegatus verò aut unam tantùm; aut omnes quidem, ſed in aliquo determinato genere, vel cum quadam reſtrictione ad tempus, quantitatem, locum, &c.

4\. Nota tertiò: Triplex reperitur genus Legatorum Apoſtolicorum, uti colligitur ex *cap. penult. hoc tit.* Et *cap. 1. eodem tit. in 6.* Alij enim ſunt Legati Apoſtolici à Latere; alij Nuncij Apoſtolici; alij Legati nati. *Legati Apoſtolici à Latere* ex uſu Curiæ Romanæ ſunt ſoli Cardinales (ſic dicti, quia à latere Summi Pontificis, cui in Conſiſtorio, & negotijs arduis aſſiſtunt, aſſumuntur) qui mittuntur ad certam Provinciam regendam, vel ad Reges, & alios Principes pro negotijs tractandis; ut notant Vallenſ. Zoeſ. Gloſſa, & communis DD. *Nuncij Apoſtolici* (qui & *Legati miſſi* vocantur) ſunt illi Prælati non Cardinales, qui à Papa mittuntur ad aliquam Provinciam, vel ad Principes, ut ibi munere Legati fungantur. *Legati nati* dicuntur illi, qui ſuæ dignitati perpetuò annexum habent Officium, & munus Legati Apoſtolici: ideoque *nati* dicuntur; quia eô ipsô, quòd aſſequantur ejusmodi dignitatem, Legati evadunt. Talis eſt in Regno Bohemiæ Archi-Epiſcopus Pragenſis; in Anglia Archi-Epiſcopus Cantuarienſis; Archi-Epiſcopus Salisburgenſis; Archi-Epiſcopus Rhemenſis; Archi-Epiſcopus Bituriçenſis, &c.

CAP. II.
De Officio, & poteſtate Legatorum Apoſtolicorum.

1\. NOta primò: Officium omnium trium præfatorum Legatorum in genere eſt in negotijs ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis in Provincia ſibi commiſſa ſupremam gubernationem, & inſpectionem habere; Principes, & populos in fide, & affectione erga Sedem Apoſtolicam conſervare; conſtitutiones Pontificias in uſum deducere; aut quòd in uſum deduci nequeant in tali Provincia, Papam informare; aliaque ad ipſum referre, quæ judicaverint expedire pro publica Eccleſiæ utilitate: unde meritò comparantur Præſidibus, & Proconſulibus antiquis Romanorum, quibus olim Imperatores committebant gubernandas Provincias, ut populos earum in obedientia conſervarent; ut notatur *cap. Legatos 2. hoc tit. in 6.* ubi & Officium Legatorum Apoſtolicorum in genere ſic deſcribitur; ut videlicet ipſi diſſipent, & evellant vitia, ædificent, & plantent virtutes. Circa poteſtatem eorum, ma-

Digitized by Google

ximè Legati à Latere, & Nuncij, obſerva ſequentia; &

2. Nota ſecundò: Legatus Apoſtolicus mox ac egreſſus Urbem, uſurpare poteſt legationis inſignia, quæ ſunt equus albus, veſtes rubræ, frenum, & calcaria deaurata; ut notat ex Hoſtienſ. Vallenſis. Item poteſt exercere juriſdictionem voluntariam, v.g. diſpenſando, abſolvendo à peccatis, & cenſuris, legitimando, &c. ſicut olim Proconſules Urbem egreſſi inſignibus Proconſularibus poterant uti, & exercere juriſdictionem non contentioſam; ſed voluntariam, *L. 2. D. de Officio Proconſ.* Ratio eſt; quia hujuſmodi Legatus æquiparatur Proconſuli, ex *cit. 2. cap.*

3. Nota tertiò: idem Legatus poteſt in Provincia ſibi commiſſa ea, quæ poteſt Ordinarius in ſua Diœceſi; habetque Juriſdictionem ordinariam, quam exercere poteſt ſuo Jure; utì conſtat ex *cap. 2. hoc tit. in 6.* ubi vocantur *Ordinarij.* Imò omnia poteſt in illa Provincia, quæ Summus Pontifex; præter illa, quæ Sedi Apoſtolicæ ſunt reſervata (de quibus infra) in ſignum ſingularis privilegij; quia hæc non comprehenduntur in generali Officio delegationis, ac mandato, niſi ſpecialiter concedantur, *cap. quod translationem 4. hoc tit.* Ex quo patet, Legatum habere majorem poteſtatem in Provincia, quàm habeat Epiſcopus, vel Archi-Epiſcopus; cùm ſit etiam eorum Judex Ordinarius, & de criminibus ipſorum poſſit cognoſcere; ut habet Abbas, Pirh. Molin. &c. Ex his ulterius

4. Nota quartò: quòd Legatus Apoſtolicus circa mores reformandos, vitia corrigenda, ac alia ad ſuam juriſdictionem ſpectantia poſſit condere ſtatuta, etiam perpetuò duratura; utì conſtat ex *cap. nemini 10. & ult. hoc tit.* Et eſt ratio; quia hujuſmodi Legatus pollet juriſdictione Ordinariâ; ac proinde ſicut Epiſcopus, ita & Legatus condere poteſt leges ſalutares circa mores reformandos, & vitia corrigenda. Imò ſi opus ſit, etiam poteſt revocare leges ſuorum Prædeceſſorum; ut notat Vallenſ.

5. Nota quintò: ſimiliter idem Legatus omnes cauſas provincialium ſive per appellationem, ſive per querelam ad ipſum devolutas audire, & cognoſcere poteſt, & debet; non quidem Jure Metropolitano; ſed Jure Legationis Apoſtolicæ; ut habetur *cap. 1. hoc tit.* Circa tamen ſecundum noviſſimè per Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 20. de Reform.* reſtricta eſt poteſtas Legati etiam à Latere, ut is videlicet non poſſit cognoſcere cauſas ſubditorum provincialium; niſi Ordinarius intra biennium à die motæ litis numerandum negligat.

6. Nota ſextò: Legatus Apoſtolicus quoque poteſt inſtituere examen ſuper cauſa electionis Epiſcopi; ita tamen ut id unà cum informationibus mittat ad Sum. Pontificem, & abſtineat ab ulteriori proceſſu in cauſa, & exercitio Juriſdictionis circa illam; utì conſtat ex *cap. licet 5. hoc tit.*

7. Nota ſeptimò: idem Legatus poteſt cauſas ad ſe pertinentes delegare alijs, ita tamen ut hujuſmodi delegatio, & juriſdictio inde accepta unà cum Officio Legati extinguatur; niſi præmiſſâ citatione ſit perpetuata, *cap. ult. hoc tit.*

8. Nota octavò: Legatus Apoſtolicus ad plures Provincias à Papa ablegatus, poteſt exiſtens in una earum exercere non ſolùm voluntariam; ſed etiam contentioſam juriſdictionem erga provinciales ſibi ſubjectos in alia; utì patet ex *cap. novit. 7. hoc tit.* Et *cap. ult. de judic.* Nam quamvis aliàs quis nequeat invitus trahi ad judicium extra Provinciam, *can. neminem, cauſ. 3. q. 6.* tamen eô ipsô, quòd Papa ableget Legatum ad plures Provincias; cenſetur concedere, ut negotia unius in altera tractare poſſit; ut notat Vall.

9. Nota nonò: videtur etiam, quòd Legati Apoſtolici poſſint convocare Concilia Provincialia; ut tenet Hoſtienſ. Zoëſ. Abbas &c. cùm hoc poſſint præſtare Metropolitæ; quare hìc procedit illud axioma: datum minori non eſt denegandum majori.

10. Nota decimò; tandem poteſtas Legati ad memorata, vel alia agenda, major vel minor colligi debet ex literis Legationis ſuæ; nam hæc pendet plurimùm à voluntate Summi Pontificis delegantis. Quare Legatus Provinciam ingreſſus, priusquam exerceat poteſtatem, debet Legationis ſuæ literas voluntatem Papæ continentes publicare, tum ut dicta voluntas ſciatur, & ei pareatur; tum ne quiſquam ignorantiam prætendere poſſit. Et Nuncio Apoſtolico credendum non eſt, antequã tales oſtendat, *can. fin. diſt. 79.* Legato verò à latere etiam non oſtenſis literis creditur; niſi is aſſerat, ſe obtinere à Papa majorem poteſtatem eâ, quæ ex Jure communi competit Legato; vel eam quæ alteri præjudicet; ut obſervat Azor. Duran. Vall. &c.

11. Nota undecimò: Poſteaquam conſtiterit de Legatione alicujus Legati Apoſtolici, is benignè recipiendus, tractandus, & honorandus erit, ſicut ipſe Summus Pontifex, cujus vices gerit, *cap. cùm venerabilis, de conſuet.* Eique neceſſaria in ſua legatione ſunt ſub-

Digitized by Google

ſubminiſtranda, ſicut jurejurando promittunt Epiſcopi tempore ſuæ conſecrationis, *cap. ego, de jurejurando.* Quòd ſi quis Epiſcopus, aut alius Prælatus non admiſerit Legatum légitimũ Apoſtolicũ, aut eundem moleſtaverit, vel quo quomodo in munere ſuæ Legationis impedierit, is ipsô factô ſubjectus eſt excommunicationi, ac territorium ejuſdem ſupponitur interdicto tam diu, quousque contumax perſeverat, *cap. 1. de conſuet. in Extravag. com.*

12. Nota duodecimò: Legatum à Latere præter ſupra recenſitos caſus adhuc ampliorem plerumque obtinere ſphæram ſuæ poteſtatis, & ſpeciales facultates. Quare *primò* poteſt ſolus uti inſignibus, & officiô ſuæ Legationis in concurſu cum alijs Legatis Nuncijs Apoſtolicis tantùm, aut Legatis natis; nam horum utpote minorum jurisdictio ſuſpenditur eô comparente, *cap. volentes 8. hoc tit.* *Secundò* Legatus à Latere habet ſpecialem poteſtatem judicandi exemptos, & Epiſcoporum, ac Prælatorum, & Abbatum exemptorum electiones confirmandi, *cap. ſi Abbatem 36. de Elect. in 6.* *Tertiò* Legatus à Latere poteſt conferre quælibet beneficia in Provincia, ita ut inter ipſum, & Ordinarium Collatorem Epiſcopum locus ſit præventioni; & Legati collatio præferatur collationi Epiſcopi, ſi utrôque tempore ſit facta; ut habet Garc. Pirh. Engel; & colligitur ex *cap. ſi à Sede 31.* junctâ Gloſſâ, verbô, *Legato.* Et extenditur hæc doctrina etiam ad beneficia, quæ ob negligentiam Collatorum ad Sedem Apoſtolicam, cujus vices gerit, devolvuntur; quæ proinde etiam conferre poteſt; uti patet ex Gloſſa, Pirhing, & Engel. Item ad beneficia, quæ ſunt Juris patronatûs Eccleſiaſtici, non reſultantis ex patrimonialibus, quæ inconſultô Patronô quoque conferre poteſt; uti conſtat ex *cap. dilectus 6. hoc tit.* Item ad beneficia proximè vacatura, & alia ſuæ Collationi reſervata, quæ pariter poteſt conferre etiam certæ perſonæ, à ſe electæ, *cap. 1. hoc tit. in 6.* Si tamen ante talis beneficij poſſeſſionem finiatur Legatio Legati, reſervatio irrita eſt; nec executor aliàs à Legato proviſus, & conſtitutus in favorem talis perſonæ poteſt beneficium conferre; ut habetur, *cap. 3. hoc tit. in 6.* Item ad conferendos Canonicatus in Cathedralibus Eccleſijs, qui absque electione conferuntur; ut habet Vallenſ. & patet ex *cap. 6. ei, qui 12. de preb in 6.*

13. Nota decimò tertiò: Legatus à Latere pariter *quartò* poteſt abſolvere percuſſores Clericorum undecunque adventantes à cenſura Excommunicationis, aliàs reſervata. Ita colligitur *ex cap. ad eminentiam, de ſent. Excom.* Et *cap. 4.* Et *penult. hoc tit.* Et tenet Abbas, Gloſſa &c. *Quintò* Legatus autem Nuncius poteſt tantùm abſolvere à dicta cenſura ſubditos ſuæ Provinciæ; uti patet ex *cit. cap. penult.* *Sextò* Legatus poteſt diſpenſare cum natis extra matrimonium, eosque reſtituere natalibus, ut habeantur habiles ad Ordines, & beneficia; ut notat Zoëſius. Legatus à Latere habet circa diſpenſationes, abſolutiones, matrimonij ſolemnizationes concurrentem jurisdictionem cum quolibet Ordinario ſuæ Provinciæ; ut tenet Barboſ. Engel.

CAP. III.

Ad quæ non ſe extendat poteſtas Legati Apoſtolici.

1. Nota primò: Legatus Apoſtolicus etiam à Latere miſſus nequit *primò* transferre aliquem Epiſcopum ex una Eccleſia Cathedrali ad aliam; ſinè ſpeciali mandato Papæ; ita conſtat ex *cap. niſi ſpecialis 3. hoc tit.* *Secundò* neque poteſt Legatus Pontificius etſi à Latere deſtinatus, unire, aut dividere duos Epiſcopatus, absque ſpeciali Papæ commiſſione; ita conſtat ex *cap. quod translationem 4. hoc tit.* *Tertiò* neque Legatus etiam à Latere Epiſcopos poteſt deponere, nec ceſſiones eorum admittere; ut notat Hoſtienſ. Gloſſa &c. *Quartò* non poteſt præterea idem Legatus à Latere cauſam alicui ſpecialiter à Papa commiſſam, ad ſuam cognitionem trahere; vel ſententiam à Delegato in cauſa ſpeciali ſecundùm formam mandati latam, irritare. Ita ordinatur in *cap. ſtuduiſti 2. hoc tit.* *Quintò* neque Legatus quamvis à Latere poteſt conferre illi beneficia, absque conſenſu Patroni Laici, quæ ratione fundationis, dotationis, vel ædificationis Eccleſiæ ad præſentationem Patroni talis pertinent: uti nec illa absque conſenſu Patroni Eccleſiaſtici, in quæ ex bonis patrimonialibus jus acquiſivit; uti colligitur *cap. cùm dilectus 28. de Jure patron.* *Sextò* etiam Legatus à Latere non poteſt conferre beneficia, aut ſuæ collationi reſervare Eccleſias Cathedrales, Regulares, aut Collegiatas, vel etiam dignitates, quæ in Cathedralibus poſt Epiſcopatum ſunt majores, & per electionem capitularem conferuntur; ita habetur *cap. deliberatione 4. hoc tit. in 6.* *Septimò* idem Legatus nequit etiam

Digitized by Google

conferre beneficia à Sede Apoſtolica ſuæ collationi reſervata ſive generaliter, ſive ſpecialiter; ita conſtat ex *cap. quod tranſlationem 4. hoc tit.* Nec beneficia in Curia vacantia; uti colligitur ex *cap. 2. de præb. in 6.* Nec beneficia adhuc litigioſa lite pendente, *arg. cap. 1. & 2.* *Octavò* nequit etiam Legatus quamvis à Latere concedere poteſtatem alicui, ut beneficiorum reſignatione acceptâ ab ijs, qui beneficia intra Legationem ejuſdem obtinent, ea perſonis idoneis valeat conferre: nam hoc vetat Concilium Lateranenſe *cap. 2. de conceſſ. præb.* Poteſt tamen reſignationes beneficiorum liberas, & abſolutas recipere, & deſuper conferre beneficia

2. Nota ſecundò: interdicitur etiam Legatis quibuscunque in Trident. *Seſſ. 24. cap. 20. de Reform.* ne Epiſcopos in cauſis ad eorum forum ſpectantibus, impedire, aut turbare præſumant; nevè contra Clericos, vel alias perſonas Eccleſiaſticas, niſi requiſitô prius Epiſcopô, eôque negligente procedant. Et *Seſſ. 22. cap. 7.* præſcribit idem Concilium Legatis certam formam, in appellationibus ad eos interpoſitis admittendis, & in concedendis inhibitionibus; juxta *cap. Romana 3. de appellat. in 6.*

3. Nota tertiò: Legatus natus ratione characteris talis præcisè non poteſt abſolvere ab Excommunicatione, contracta ob percuſſionem Clerici; niſi ſpecialiter à Papa ei concedatur; ita patet ex *cap. penult. in fine hoc tit.*

4. Nota tandem quartò: quòd Nicolaus V. Papa, & Fridericus Imperator, alijque Principes, & Prælati Germaniæ fecerint quædam *Concordata Germaniæ*, in quibus Summus Pontifex promittit, quòd in menſibus Ordinariorum, & beneficijs non reſervatis nolit Ordinariorum collationes impedire. Quare Legatus Apoſtolicus pariter conferre nequit beneficia tangentia menſes Ordinariorum Germaniæ; cùm is non poſſit derogare ſimilibus pactis. Si tamen Ordinarij Germaniæ negligerent conferre beneficia in ſuis menſibus, ea poterit conferre Legatus, tanquam ad Sedem Apoſtolicam devoluta; ut notat Engel.

CAP. IV.

Quomodo finiatur Officium, & poteſtas Legati Apoſtolici.

1. DIco primò: Officium, & poteſtas Legati Apoſtolici finitur lapſu temporis in literis legationis præfixi. Ita communis Canoniſt. Et ita conſtat *cap. de cauſis 4. de Officio deleg.*

2. Dico ſecundò; finitur etiam revocatione Papæ, Legationem committentis, poſtquam Legato conſtiterit de tali revocatione. Ita communis Canoniſt. Et patet ex *cap. novit.* Et *cap. fin. hoc tit.* Si tamen Legatus ante egreſſum ſuum ex Provincia delegâſſet nonnullas cauſas, aut delegatus jam inchoâſſet judicium, poterit hic procedere; & ab eo appellabitur ad Papam, vel Succeſſorem Legatum; ut notat Vallenſ. Legatus etſi revocatus non videtur perdere Juriſdictionem, antequam egrediatur ex Provincia, *arg. L. fin. ff. de Offic. Præſ.* Et habet Engel, &c. Sede Papali vacante Collegium Cardinalium Legatum ordinariè nequit revocare; niſi ex gravi cauſa; ut tenet Gloſſa, Duran. Pirh. Vall. &c.

3. Dico tertiò: finitur quoque hoc officium morte Legati; non autem morte Papæ. Ita Vallenſ. Pirh. Abbas, Engel &c. Ratio primi eſt; quia munus Legati eſt perſonale; adeoque cum ipſa perſona extinguitur. Secundum conſtat ex *cap. Legatos 2. in fine; hoc tit. in 6.* Et eſt Ratio; quia Legatus Apoſtolicus acquirit Juriſdictionem ordinariam, quæ morte concedentis Papæ non extinguitur; minùs expirat ejus Officium, ſi is à Sede Apoſtolica fuiſſet miſſus; hæc enim nunquam extinguitur, *cit. cap.* Si tamen Legatus fuiſſet miſſus ad placitum Papæ, mortuô Papâ, ejus Legatio corruit, *cap. ſi gratioſè; de reſcript. in 6.*

4. Dico quartò: completâ causâ, ad quam ſpecialiter fuerat miſſus Legatus, expirat Legationis munus; uti & translatione negocij ad Papam per relationem, vel appellationem. Ita Vall. Engel &c. Ratio primi eſt; quia tunc cenſetur Legatus jam functus ſuô Officiô. Secundum colligitur ex *cap. licet, hoc tit.* Et *L. 1. C. de relat.* Et *L. ex illo C. de appell.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXXI.
DE OFFICIO JUDICIS ORDINARII.

CAP. I.
Quid ſit; & à quo conſtituatur Judex Ordinarius.

1. NOta primò: ſupra *tit. 29.* dixi inter præparatoria judiciorum (quæ à *cit. tit. 29.* usque ad finem hujus Lib. I. adducuntur) primum cenſeri examen Judicis tam delegati; quàm Ordinarij: de delegato jam actum eſt *prioribus 2. tit.* nunc agendum eſt *hoc tit.* de Ordinario. *Judex* autem *Ordinarius* dicitur ab *Ordine*; quaſi ejusmodi Judex ſit conſtitutus ſecundùm ordinem communiter receptum, & obſervatum in diſtribuendis, & cuique loco aſſignandis Jurisdictionibus; uti deducitur ex *can. 1. cauſa 13. q. 1.* Et Trident. Concil. *Seſſ. 14. cap. 9. de Reform.* Habet autem Ordo hoc, ut Princeps alicujus Reipublicæ (cujusmodi eſt Papa in Eccleſia) univerſam jurisdictionem non conſervet penes ſe ſolum; ſed eam quoque impertiatur alijs inferioribus Magiſtratibus, ac Judicibus, ut eâ utantur tanquam ſuâ, pro Ordinarijs cauſis dijudicandis; ut notat Vall. ſuper *hunc tit.*

2. Dico primò: rectè deſcribitur Judex Ordinarius, quòd *ſit is, qui habet jurisdictionem propriam, jure ſuæ Eccleſiaſticæ Prælaturæ, vel Magiſtratûs, quo fungitur.* Colligitur ex *L. more majorum D. de jurisd. om. Jud.* Et *L. 1. D. de Offic. ejus.* Et *cap. 12. hoc tit.* Ly *jurisdictionem propriam* differentiat Judicem Ordinarium à Delegato: reliquæ dictiones inſinuant duplicem Judicem Ordinarium, ſcilicet Eccleſiaſticum, de quo hìc titulus potiſſimè procedit; & Sæcularem, de quo procedunt Leges citatæ.

3. Dico ſecundò: Judex Ordinarius Eccleſiaſticus accipit quandoque à Canone; quandoque à Supremo Principe Eccleſiaſtico; quandoque à conſuetudine; quandoque à privilegio, ſuam Jurisdictionem Ordinariam. Ita communis DD. Primum conſtat ex *cap. duo ſimul, 9. hoc tit.* Secundum ex *can. à Judicibus; 2. q. 6.* Et *can. omnes baſilicæ, cau. 16. q. 7.* Tertium habetur *cap. cùm contingat 13. in fine de foro competenti.* Et *cap. ult. eodem tit. in 6.* Debet autem conſuetudo, ut tribuat Jurisdictionem Ordinariam, eſſe legitimè præſcripta. Quartum etiam colligitur ex *cap. novit*, verſu, *non enim*; *de judiciis.*

4. Nota ſecundò: nullus Prælatus Papâ inferior, & Ordinarius, etſi poſſit ſuam Jurisdictionem alteri delegare; alteri tamen Jurisdictionem Ordinariam dare nequit; uti habetur *cit. can. à Judicibus*; niſi fortè tanquam Legis Canonicæ miniſter; quô pactô Jurisdictionem Ordinariam conferre poteſt dici Epiſcopus, creando Officialem generalem, ſeu Vicarium perpetuum inſtituendo, vel conferendo beneficium, cui annexa eſt jurisdictio de jure, vel conſuetudine; ut notat Vallenſ.

CAP. II.
Quinam non poſſint conſtitui Judices Ordinarij.

1. NOta primò: omnes, & ſoli illi poſſunt conſtitui Judices Ordinarij, qui non prohibentur aut ob naturæ defectum, aut à Lege. Prohibentur autem ob naturæ defectum, *primò* cæcus; ſi tamen ante adeptum Officium Judicis jam fuerat cæcus, *L. cæcus 6. ff. de judic.* *Secundò* minor 25. annis *L. cum lege 41.* junctâ Gloſſâ, verbô, *minor 25. annis ff. de recept.* Niſi hic à Principe, vel communi conſenſu partium ſit datus quo caſu ejus ſententia lata tuenda eſt; niſi minor 18. annis fuerit, *L. quidam 57. ff. de re judic.* *Tertiò* ſurdus, mutus, perpetuò furioſus, & impubes, *L. prætor. 12. ff. de judiciis.* A Lege verò prohibentur *primò* publicè excommunicatus, *cap. ad probandam 24. de ſent. & re jud.* *Secundò* Monachi, & Religioſi; quia pro mortuis reputantur, *Gloſſâ fin. in L. cùm Prætor. ff. de judic.* *Tertiò* qui Senatu moti ſunt propter turpitudinem, *L. cit. cùm Prætor.* *Quartò* univerſim omnes infames; quia hi à legitimis actibus repelluntur, *cap. licet 47. de teſtib.* *Quintò* fœminæ, & ſervi, *cit. L. cùm Prætor.* Privilegiantur in hoc fœminæ illuſtres, ut Reginæ, Principiſſæ, & ſimiles, quæ ſunt capaces

Digitized by Google

poteſtatis judiciariæ: item quæ adminiſtrationem habent, ut Abbatiſſæ; ita Hoſtienſ. Pirh. &c. DD.

CAP. III.

Quinam ſint hodie Judices Ordinarij.

1. DIco primò: omnes Eccleſiarum Prælati formati ſunt Judices Ordinarij, cum Ordinaria poteſtate à lege, conſuetudine, vel privilegio obtenta. Ita Gloſſa, Vallenſ. &c. Et conſtat ex *cap. duo ſimul 9. hoc tit.* Et *cap. ult. eodem tit. in 6.* Et *cap. cùm contingat 13. de foro compet.* Ex hac generali concluſione

2. Dico ſecundò: Summus Pontifex omnium Chriſti fidelium eſt Judex Ordinarius principalis. Ita communis DD. Et ita habetur *can. aliorum*, & pluribus alijs *cau. 9. q. 3.* Unde Papa pro ſua Diœceſi habet Orbem univerſum Chriſtianum; ut habet Felin. Vall. Gonz.

3. Dico tertiò: ſimiliter Patriarchæ, Primates, Archi-Epiſcopi & Epiſcopi in ſua quisque Diœceſi, & Provincia ſunt Judices Ordinarij. Ita Vallenſ. Abbas, & communis. Et ita habetur *cap. 1. hoc tit.* Et *cap. non minus, de immunit. Eccleſ.*

4. Dico quartò: etiam Legati à latere, Archidiaconi, Archipresbyteri, & Vicarij perpetui, ſeu Officiales Epiſcoporum, & Capitulorum Sede vacante ſunt Judices Ordinarij reſpectu ſuorum ſubditorum. Ita patet ex diſpoſitione Jurium Canonicorum, quæ in *ſuperioribus titulis*, de his perſonis ſpecificè tractantibus, relata fuère ſuis locis.

5. Dico quintò: etiam Præfecti Eccleſiarum Collegiatarum, & Regularium, ut Præpoſiti, Decani, Plebani, alijque Prælati inferiores Epiſcopô, ſunt Judices Ordinarij reſpectu ſuorum ſubditorum. Ita Vallenſ. Pirh. &c. Et conſtat ex *cap. 3. hoc tit.* Et *cap. 2. de judic.* Et *cap. dilectis 55. de appellat.*

6. Dico ſextò: etiam ſuperiores Regularium, ut Generales, Abbates, Provinciales, Guardiani, Priores, Rectores, Præpoſiti, &c. Sunt Ordinarij Judices reſpectu ſuorum Religioſorum. Ita Vallenſ. Sylv. Tambur. Abbas &c. Et ita conſtat ex *cap. illorum, de ſent. Excom.* & ex alijs. Et eſt Ratio; quia hi æquiparantur reſpectivè Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, Præpoſitis, & alijs Prælatis Eccleſiaſticis, quos dixi obtinere Jurisdictionem Ordinariam: unde non Epiſcopus in Monachos, ſed monaſteriorum Prælati Jurisdictionem exercent, etiam in criminalibus *cap. ea, quæ, de ſtatu Monacho.* Excipiuntur tamen aliqui caſus in Concilio Trident. de quibus infra *cap. 9.*

7. Nota primò: quòd etiam Archidiaconi ſint Archipresbyterorum, & Archipresbyteri Presbyterorum Judices Ordinarij; ut habet Vallenſ. & alij DD. Similiter Abbatiſſæ in Moniales, & ſubjectos ſibi Clericos habent jurisdictionem Ordinariam: quos tamen nequeunt excommunicare, nec abſolvere à peccatis, aut ſuſpendere ab actu Ordinum, vel alia in eos exercere, quæ pendent à poteſtate clavium, cujus fæmina eſt incapax *cap. 9. de pœnit. & remiſſ.* Poteſt nihilominus ad hæc implorare Officium Epiſcopi, *cap. dilecta 12. de major. & obed.*

CAP IV.

De Supremo Judice Ordinario Papa in ſpeciali.

1. NOta primò: Ly *Papa* venit à voce græca *Papos*, id eſt *Pater Patrum*; uti habet Gloſſa in *proœmio Clem.* verbô *Papa*: Idem vocatur *Summus Pontifex*; & *Ordinarius Ordinariorum*; & *Caput Eccleſiæ* à Concilio Calcedonenſi, in *Epiſt. ad Leon.* quod omnes dignitates, & ordines Hierarchiæ Eccleſiaſticæ præcellit. Dicitur etiam *Pater, & Doctor omnium Chriſtianorum* à Concilio Florentino, *Seſſ. ult.* Item *Apoſtolicæ Sedis Præſul.* per antonomaſiam, à S. Auguſtino *Epiſt. 106.* Item *Epiſcopus univerſalis* à Concilio Chalcedonenſi.

2. Dico primò: Papa pollet Summâ poteſtate, & Jurisdictione ſpirituali in omnes Chriſti fideles. Ita communis Canoniſtarum. Et colligitur ex illis S. Scripturæ verbis dictis ad S. Petrum, primum poſt Chriſtum Summum in terris Pontificem, & conſequenter ad omnes ejus Succeſſores, *Matth. 16. tibi dabo claves Regni cœlorum; quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis* &c. Eſtque Ratio; quia jam olim Summi Pontifices ſupremam exercuêre poteſtatem in primos Eccleſiæ univerſalis Miniſtros, puta in Patriarchas, & omnes alios Epiſcopos: ſic in Concilio Chalcedonenſi S. Leo Papa confirmavit Maximum Antiochenum Epiſcopum. Et Nicolaus I. in *Epiſt. ad Michaël.* enumerat octo Patriarchas Conſtantinopolitanos à Romanis Pontificibus depoſitos; ut ſcribit Gelaſius *in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ.* Tum quia

Digitized by Google

quia Concilia Univerſalia agnoſcunt in Papa Summam poteſtatem, & Ordinariam juriſdictionem in totum Orbem Chriſtianum; ut videre eſt in Concilio Chalcedonenſi, *in Epiſt. ad Leonem*: & Concil. Nicæn. Lateran. Flor. Trident. &c. Ex his conſequenter

3. Nota ſecundò: Papam poſſe condere Conſtitutiones pro univerſa Eccleſia; convocare Concilium Generale; deponere Epiſcopos, & reconciliare; ponere in Concilio Generali Legatos, qui eidem præſideant; uti inſignibus imperialibus; deponere Imperatores, & Reges hæreſi pollutos, vel ſi ſint perſecutores Eccleſiæ Romanæ, & tyranni, vel excommunicati ſordeſcentes; eoſdem coronare; Epiſcopos de Sede in Sedem mutare; inſtituere Jubilæa Univerſalia; creare Cardinales; judicare de controverſijs fidei, & morum; Religiones confirmare, & extinguere; fulminare excommunicationes, & alias pœnas ſpirituales, etiam contra Reges; diſpenſare in varijs; in Eccleſia nihil magni poſſe moliri, quod totam Eccleſiam concernat, inconſultô Papâ, &c.

4. Nota tertiò: Summum Pontificem ob ſui eminentiam in Juriſdictione ordinaria, à nemine poſſe judicari; ſed tota ipſius cauſa DEI judicio reſervatur: unde nec in Judicijs ut ſuſpectus recuſari, nec ab eo appellari poteſt. Ratio eſt; quia creditur habere idem tribunal cum Chriſto in terris; ideoque ab eo ad Chriſtum appellari non poteſt; ſicut nec à Vicario Epiſcopi ad Epiſcopum, *can. ſi Papa; diſt. 40.* Et *can. aliorum; 9. q. 3.* Et à ſententia Papæ ad Concilium Generale appellantes incidunt in Bullam cœnæ, & Excommunicationem ibidem Papæ reſervatam incurrunt; cùm authoritas, & poteſtas Papæ ſit ſupra Concilium, & in omnibus Concilijs excepta intelligatur, *cap. ſignificavit 4. de elect.*

CAP. V.

De Patriarchis, Primatibus, & Archi-Epiſcopis quà Judicibus Ordinarijs.

1. Nota primò: Ly *Patriarcha* græcè *Summus*, ſeu *princeps Patrum* ſonat, teſte Iſidorô *in can. cleros*, verſu, *Patriarchæ, diſt. 21.* Olim præcipui quatuor tantùm erant Patriarchæ, videlicet Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Jeroſolymitanus, *cap. antiqua, de privileg.* Et *can. Sancta.* Et *can. renovantes.* Et *can. definimus, diſt. 22.* Conſtantinopolitanus ponitur primô locô ſolùm ob reſidentiam Imperatorum Græcorum Conſtantinopoli; nam aliàs reliqui tres priores ſunt. Hodie his additi ſunt alij Romani Pontificis indulgentiâ, ut Patriarcha Aquilejenſis, Venetus, Æthiopiæ, & Indiarum.

2. Nota ſecundò: Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubjectæ fuerunt omnes Provinciæ Græciæ, Aſia minor, Moſcovia, & Ruſſia; habuit ſub ſe 80. Metropolitas, Archi-Epiſcopos 22. Antiocheno erat ſubjecta altera pars Aſiæ, & aliæ provinciæ usque ad Indias Orientales: habuit ſub ſua Juriſdictione 153. Epiſcopos, Archi-Epiſcopos 12. Alexandrino ſuberat Ægyptus, Lybia, Pentapolis, & aliæ Provinciæ, quæ ad Tropicum Capricorni pertinent. Jeroſolymitano ſuberat Palæſtina, & triplex Arabia usque ad ſinum Perſicum; utì refert Hoſtienſ. & Barboſ.

3. Dico primò: Patriarchæ habent Ordinariam Juriſdictionem in Archi-Epiſcopos, & Epiſcopos ſibi ſubjectos. Ita Barboſ. Strein. Engel, &c. Et ita colligitur ex *can. 39. Concilij Nicæni.* Unde diſpenſare poſſunt cum Epiſcopo, vel alio collatore beneficiorum ſibi ſubdito, quando propter malam beneficij collationem à Concilio eſt ſuſpenſus, *cap. grave, in fine; de præb.* Præterea etiam Jure recipiunt appellationes ab Epiſcopis, & Archi-Epiſcopis factas. Item abſolvunt excommunicatos à ſuffraganeis ſuis; etiam cùm recuſant, per text. in *cap. ad reprimendum 8. de Offic. Ordinar.* ut habet Barboſ. & alij DD. Judicant etiam, cùm de negotio arduo, quod in Concilio provinciali decidi nequit, controvertitur: Item an ſit juſta appellatio inferioris à ſententia Epiſcopi ad Papam; ut habet Villian. Alagona, Lorich, &c.

4. Nota tertiò: *Primas* re ipsâ idem eſt, quod Patriarcha, juxta *can. Clericos, diſt. 21.* Hodie tamen uſus obtinuit, ut nomine Primatum veniant certi potentiores Archi-Epiſcopi minorum gentium, gubernantes majores Metropoles; tales ſunt Archi-Epiſcopus Toletanus, Salisburgenſis, Cantuarienſis, Gradenſis, &c. Eorum poteſtas videtur hodie eſſe eadem, quæ Archi-Epiſcoporum.

5. Nota quartò: *Archi-Epiſcopus* ſic dicitur, quòd ſit veluti *Dux*, & *Princeps* inter Coëpiſcopos ſuæ provinciæ, *can. 1. diſt. 21.* Dicitur etiam *Metropolitanus*, à civitate primaria Metropolitana, cui præeſt, quæ eſt mater, & caput aliarum civitatum.

6. Dico ſecundò: Archi-Epiſcopus, ſeu Metropolitanus habet Ordinariam juriſdictionem in omnes Epiſcopos ſuffraganeos, ſeu

Digitized by Google

ſeu Coëpiſcopos non exemptos ſuæ Provinciæ; uti & in totam ſuam Diœceſim, in qua eſt Epiſcopus. Ita communis DD. Primum conſtat ex *can. 1. 2. & 3. cau. 9. q. 3.* Et *can. cognovimus 6. cau. 10. q. 3.* Quare Archi-Epiſcopus poteſt ſuis ſuffraganeis (qui ſic dicuntur, quòd ſuffragentur Archi-Epiſcopo in Officio Epiſcopali in conſecrationibus, Concilijs, alijsque negotijs) præcipere ea, quæ ad Officium eorum ſpectant; atque negligentes ad executionem, & Officium præſtandum compellere; uti conſtat ex citatis canonibus. Ratio ſecundi eſt; quia in ſua Diœceſi obtinet omnia Jura, quæ alij Epiſcopi; & conſequenter jurisdictionem Ordinariam.

7. Dico tertiò: Similiter Archi-Epiſcopus poteſt condere ſtatuta provincialia; ſed non niſi cum Conſilio, & Conſenſu Coëpiſcoporum provincialium in Concilio provinciali; quod proinde Jure poteſt convocare. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *can. nullus 7. cau. 9. q. 3.* Ad ejusmodi ergo Statuta condenda poteſt, & debet convocare Synodum provincialem, in qua ipſe præſidet tanquam caput Concilij; non tamen tanquam Superior Conciliô congregatô, & caput exercens in illud jurisdictionem; cùm aliàs ſit tantùm Collega Coëpiſcoporum; uti notat Pirhing. In tali Concilio comparere debent omnes ſuffraganei, ac omnes alij, qui de jure, conſuetudine, vel quovis alio titulo adeſſe debent per ſe, vel Procuratores ſuos.

8. Dico quartò: Archi-Epiſcopus etiam de jure poteſt confirmare Epiſcopos ſuffraganeos electos. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *can. 1. diſt. 64.* Etſi Sedes Apoſtolica deinde in pluribus Provincijs ſibi reſervaverit ejusmodi confirmationem, *can. quanto. & can. Salonitana 24. diſt. 63.* Et hodie juxta Concordata Germaniæ ſervatur in noſtra Germania.

9. Dico quintò: Etiam Archi-Epiſcopus habet jus conſecrandi ſuffraganeos. Ita communis DD. Et extat de hoc conceſſio Juris *can. 4. & ſequent. diſt. 64.* Et *can. 2.* & *3. diſt. 65.* & alibi.

10. Dico ſextò: Archi-Epiſcopus poteſt in Suffraganeos ſuos ferre cenſuras rationabili, & juſta de cauſa. Ita Abbas, Engel, Pirh. Et conſtat ex *can. quia cognovimus 6. cau. 10. q. 3.* uti tamen oportet diſcretione, ut non ſtatim ad cenſuram excommunicationis deveniat; ſed priùs eis ingreſſum in Eccleſiam interdicat; Item ut Archi-Epiſcopus per ſe cenſuras ferat, & non per Vicarium; nam Vicarius in Epiſcopos cenſuras ferre prohibetur, propter reverentiam pontificalis Officij; niſi Archi-Epiſcopus eſſet in remotis partibus, *cap. 1. de Offic. Ordin. in 6.*

11. Dico ſeptimò: Archi-Epiſcopus non habet poteſtatem in cauſis criminalibus majoribus, quæ privationem, ſeu depoſitionem merentur, procedendi ad ſententiam definitivam, contra Epiſcopum ſuffraganeum, absque Papæ ſpeciali delegatione. Ita communis DD. Et conſtat ex *can. quamvis 7. cauſ. 3. q. 6.* Et Trident. *Seſſ. 24. cap. 5. de Ref.*

12. Dico octavò: ſimiliter non habet jurisdictionem in ſubditos ſuffraganeorum; niſi in caſibus à Jure exceptis. Ita communis Canoniſt. Et conſtituitur *cap. paſtoralis 11. hoc tit.* Et *can. nullus 7.* Et *can. conqueſtus, 8. cauſ. 9. q. 3.* Caſus autem in Jure excepti, quibus Archi-Epiſcopus jus acquirit in ſubditos ſuffraganeorum ſunt ſequentes: *primus* eſt is, qui totius provinciæ ſtatum concernit; ut ſi opus eſſet tollere aliquam pravam conſuetudinem, quæ totam provinciam depravat, & ſuffraganei ſint negligentes in illa eradicanda; uti conſtat ex *cap. ex frequentibus, de inſtit.* *Secundus* eſt, ſi cauſa criminalis agitetur inter Epiſcopum, & Clericum ejus ſubditum; tunc enim talis cauſa deferenda eſt ad Concilium provinciale, in quo præſidet Archi-Epiſcopus; uti colligitur ex *can. 2. in fine, cau. 9. q. 3.* *Tertius* eſt, quando Archi-Epiſcopus viſitat provinciam, poteſt confeſſiones ſubditorum ſuffraganeorum excipere, & abſolvere à caſibus, ac cenſuris reſervatis ſuffraganeo, & ipſis pœnitentias injungere, *cap. ult. de cenſib. in 6.* ſi ſuffraganeus ipſis deneget abſolutionem injuſtè. Item crimina notoria, quæ commiſerunt ſubditi ſuffraganeorum, & ſuffraganeus non caſtigat, poteſt punire extra viſitationem, *cap. 1. de cenſ. in 6.* *Quartus*, poteſt pariter excipere Appellationes ſubditorum ſuffraganei in viſitatione, & eosdem corrigere exercendo formalem jurisdictionem in eosdem. Ita colligitur ex *cap. Romana, de appellat. in 6.* Et *cap. fin. de cenſ. in 6.* *Quintus*, imò & in Vicarium generalem, ſeu Officialem ſuffraganei poteſt exercere jurisdictionem, ſi delinquat in officio ſibi commiſſo; ſi impediat cauſam appellationis delatam ad Archi-Epiſcopum; vel ſi utatur Jurisdictione ſui Epiſcopi excommunicati; vel non ſervet privilegia Sedis Apoſtolicæ, *cap. 1.* & ibi Gloſſâ verbô, *rationabili, de Offic. Vicarij, in 6.* *Sextus*, poteſt ſimiliter punire ſubditos ſuffraganei, qui ſibi, nuncijs, vel familiæ ſuæ in exercitio Jurisdictionis intulerunt injuriam, *cap. 1. de pœnis, in 6.* Item ſi in ſua Diœceſi delinquant, *cap. fin. de foro compet.*

13. Di-

Digitized by Google

13. Dico nonò: Archi-Epiſcopus poteſt mandare ſuffraganeis, ut per ſuas diœceſes ſervent ea, quæ ipſe ſervanda conſtituit in ſua; modò ſint in Jure communi fundata, vel ſtatuta in Concilio provinciali; ita colligitur ex *cap. dilectus 30. de Simonia.*

14. Dico decimò: Archi-Epiſcopus poteſt alicui Officium prædicationis in tota ſua provincia, adeòque etiam in diœceſibus ſuffraganeorum interdicere, & malefactorem extra totam ſuam provinciam relegare. Ita conſtat ex *cap. tuarum; de privileg.* Poteſt etiam ſupplere negligentiam eorundem circa executionem ultimarum voluntatum; & inſtitutionis in beneficio, aliàs ad præſentationem patroni debitè factam.

15. Dico undecimò: Archi-Epiſcopus poteſt concedere Indulgentias unius anni in Dedicatione Eccleſiæ cujuslibet, & in Octava 40. dierum, quæ lucrari poſſunt à ſubditis ſuffraganeorum, *cap. cùm ex eo 14. & cap. ſeq. de pœnit. & remiſſ.*

16. Dico duodecimò: Archi-Epiſcopus non poteſt pro arbitrio viſitare diœceſes ſuffraganeorum, & Cathedrales eorum; ſed ex cauſa, quæ in Concilio provinciali priùs cognita, & approbata fuit. Ita Trident. Concilium *Seſſ. 24. cap. 3. de Reform.* Archi-Epiſcopus non poteſt compellere ſubditum ſui ſuffraganei, ut teſtimonium coram ſe dicat, ſed debet id facere per literas requiſitorias, ſeu *mutui compaſſûs;* nam teſtis nequit compelli, niſi à ſuo immediato Judice, *cap. 1. de foro compet.*

17. Nota quintò: Hoſtienſem, Gloſſam, & alios DD. tenere Archi-Epiſcopum poſſe ſupplere circa ſubditos Diœceſis ſuffraganei, ſi is ſit negligens in ſuo Officio; cenſetur enim tunc devolvi poteſtas ſuffraganei ad Archi-Epiſcopum. Verùm Abbas, Pirh. & alij AA. oppoſitum tenent; cùm hoc nullô clarô Jure expreſſum reperiatur: & Jurisdictio communiter metienda ſit ſecundùm Jura, conſuetudines, aut privilegia, quæ quis obtinet; quorum nullum in propoſito patrocinatur Archi-Epiſcopo. Poteſt ergo Archi-Epiſcopus tantùm monere, & compellere ſuffraganeum ad juſtitiam adminiſtrandam, & Officium præſtandum.

CAP. VI.

De Epiſcopo, quà Judice Ordinario.

1. Nota primò: hoc vocabulum *Epiſcopus* eſt græcum, compoſitum ex ly *Epi*, quod eſt *ſuper*, & ly *ſcopus*, quod eſt *intentio*, quaſi Epiſcopus ſit *ſuperintendens*, ſeu curam gerens eorum, quibus præficitur; unde Epiſcopi hoc nomine latino *ſuperintendentes* etiam vocantur in *can. qui Epiſcopatum, 8. q. 1.* Alij volunt Epiſcopos dici à ſpeculando; unde etiam in *can. 1. diſt. 21.* dicuntur ſpeculatores. Epiſcopi in primitiva Eccleſia fide necdum dilatata veniebant Presbyterorum nomine, & Officio; & Presbyteri è contra vocabantur Epiſcopi, ſeu Superintendentes. Tandem nomen Epiſcopi præcisè aptatum fuit illis Summis Prælatis in aliqua Diœceſi, qui præſunt omnibus Clericis, cum Ordinaria Jurisdictione, & ſunt ſpeciali eminentiori charactere Ordinis Epiſcopalis inſigniti; quique in locum Apoſtolorum ſucceſſère, ut habetur *can. in novo, diſt. 21.* Et *can. quorum vices, diſt. 68.* Et vocantur communi vocabulo Juris *Ordinarij locorum.*

2. Nota ſecundò: poteſtas Epiſcoporum in ſe conſiderata à Chriſto data eſt; conſiderata verò quoad Diœceſes certas, & territoria Epiſcopis ſubjecta, ipſa deſcendit à Sum. Pontifice, cujus munus eſt, aſſignare, & conſtituere Diœceſes, atque populo in eis contento idoneos præfigere Paſtores, qui ſunt Epiſcopi; cùm ipſe ſit Paſtor univerſalis, vocatus in plenitudinem poteſtatis; Epiſcopi verò in partem duntaxat ſollicitudinis, *can. qui ſe 12. cau. 2. q. 6.* Et *cap. ad honorem; de uſu & authoritate pallij.*

3. Nota tertiò: poteſtas Epiſcopi primò conſiderari poteſt duplex, ut ſcilicet alia ſit Ordinis; alia Jurisdictionis. *Poteſtas Ordinis* eſt illa, quam habet Epiſcopus ratione characteris, & Ordinis Epiſcopalis; & conſiſtit potiſſimùm in confirmando, Ordinando, & conſecrando; ſoletque exerceri in veſtimentis pontificalibus. *Poteſtas Jurisdictionis* eſt illa, quam habet Epiſcopus ut Judex Ordinarius, & Paſtor Eccleſiæ, in ordine ad decidendas lites, conferenda beneficia, viſitationes inſtituendas, correctiones faciendas &c. hanc aſſequitur Epiſcopus per Canonicam Electionem, ſecutâ confirmatione Occaſione hujus poteſtatis

4. Nota quartò: quòd Jurisdictio ut ſic rectè deſcribatur, quòd *ſit quædam poteſtas hominis auctoritatem, & eminentiam habentis ſuper alios; ſive publica authoritas circa aliorum regimen, ſeu gubernationem.* Hujus poteſtatis actus ſunt, ſententiam ferre, & definire, quid Jus, & æquitas contineat; præcipere; prohibere; punire; leges ferre; in ijs diſpenſare, &c. Jurisdictio alia eſt Eccleſiaſtica, alia

litica. *Eccleſiaſtica* eſt ad cauſas ſpirituales, & DEI cultum, ac animarum ſalutem ſpecialem pertinens. *Politica* eſt ad cauſas ſæculares, ad Reipublicæ gubernationem pertinens. Utraque rurſus alia eſt Ordinaria, alia delegata. *Ordinaria* eſt, quâ quis tanquam propriâ, & proprio nomine, ac Jure ſuo utitur. *Delegata* eſt, quâ quis alieno tantùm nomine utitur. Iterum *alia* eſt quæ inſervit præcisè pro foro interno: & *alia* quæ pro foro externo. Jurisdictio fori externi ſubdividitur in voluntariam, & contentioſam. *Voluntaria* eſt, quæ nonniſi inter volentes exercetur. *Contentioſa* autem quæ etiam inter invitos exercetur. Prima etiam poteſt validè, & licitè exerceri extra territorium Judicis habentis illam; v.g. diſpenſando in votis, & juramentis cum ſubditis; legitimando, manumittendo, delegando, abſolvendo à cenſuris, & ſimilia faciendo, quæ ſtrepitum ſeu proceſſum Juris non poſcunt, nec ſeſſione Judicis pro tribunali. Secunda verò extra territorium exerceri nequit, ſinè conſenſu Judicis loci alieni, & partium litigantium; cùm extra territorium jus dicenti impunè non pareatur, *cap. 2. de Conſtit. in 6.* Ad Contentioſam Jurisdictionem ſpectat leges ferre, punire, cauſas tum civiles, tum criminales definire.

5. Nota quintò: rurſus Jurisdictio fori externi tam Eccleſiaſtica, quàm Politica ſubdividitur in Imperium, & ſimplicem talem Jurisdictionem. *Imperium* eſt illa Jurisdictio, quæ nobili Officio Judicis exercetur. *Simplex* verò, quæ mercenariò tantùm Officiò Judicis exercetur, & cui nullum ineſt imperium. Eſt autem Imperium aliud merum, aliud mixtum. *Merum imperium* eſt quædam Jurisdictio, quæ nobili Officio Judicis utilitatem publicam ſpectante exercetur; hujus actus ſunt condere leges, punire malefactores, &c. *Mixtum imperium* eſt quædam Jurisdictio, quæ nobili Judicis Officio privatam utilitatem reſpiciente exercetur; hujus actus ſunt tutores dare, mittere in poſſeſſionem, reſtituere in integrum &c.

6. Nota ſextò: poteſtatem Epiſcopi præterea dividi in Legem Jurisdictionis, & in Legem Diœceſanam; quibus omnia Jura Epiſcopalia concluduntur; de quibus *cap. querente 16.* Et in Gloſſa in *cap. Dilectus 28. hoc tit.* Ad *Legem Jurisdictionis* revocantur ea omnia Epiſcopi, quæ in dando conſiſtunt; ſive deinde ex Ordine, ſive ex Jurisdictione procedant; hujusmodi ſunt dare Ordines, confirmationem, conſecrationem, beneficia, ſententias, & alia; de quibus ſucceſſivè *hoc titulo* agetur. Ad *Legem Diœceſanam* revocantur illa omnia Epiſcopi, quæ conſiſtunt in recipiendo; id eſt, quæ Epiſcopus à ſuis ſubditis exigere, & recipere poteſt, ut Cathedraticum, charitativum ſubſidium, & alia; de quibus omnibus pariter *hoc tit.*

CAP. VII.

De his, quæ poſſit, vel non poſſit Epiſcopus ex Lege Jurisdictionis.

1. Dico primò: Epiſcopus conformiter ad Legem Jurisdictionis poteſt, & ratione Officij ſui tenetur audire, & judicialiter cognoſcere, ac definire, vel per ſe, vel per alium generaliter omnes cauſas, non tantùm Clericorum; ſed & Laicorum ſuæ Diœceſis, quæ ad forum Eccleſiaſticum externum de Jure pertinent, ac pœnas pro eis taxare. Ita Zoëſius Pirh. Vallenſ. &c. Et ita conſtat ex *cap. conquerente 16. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia ſuper has eſt Judex Ordinarius. Ex hac generali doctrina

2. Infertur *primò*: quòd Epiſcopus poſſit, & teneatur inquirere (infamiâ præcedente) in crimina ſuorum ſubditorum Clericorum; ne ſanguis talium de manibus eorum requiratur; ita loquitur canon, *cap. irrefragabili 13. hoc tit.* Et debent eadem crimina, utpote propter quæ Eccleſia diffamatur, & gravia ſcandala in populo generantur, ita corrigere, ut & ipſi metu pœnæ ab ijs arceantur, & alij eorum exemplô perterriti ſimilia perpetrare non præſumant; & ne ſub ſpe immunitatis, eò quòd aliàs gaudeant privilegiô Ordinis, tum perſonarum fori, committant enormia crimina; utì dicit Clement. *ut Clericorum, hoc tit.*

3. Infertur *ſecundò*: quòd Epiſcopus etiam poſſit judicare cauſas civiles omnium ſuorum Clericorum; quamvis aliqui eorum haberent inferiores Judices, v.g. Decanos, Præpoſitos, vel Capitula, quibus immediatè ſubſunt; per hoc namque non eximuntur à Jurisdictione Epiſcopi, nec quidem in prima inſtantia, *arg. L. ult. Cod. de Jurisd. omn. Jud.* ubi qui ſunt de collegio alicujus profeſſionis, vel negotiationis, nihilominus ſubjecti manent Præſidi, vel alteri Superiori Judici.

4. Infertur *tertiò*: quòd Epiſcopus pariter poſſit animadvertere in mores Laicorum, & de criminibus gravioribus eorum etiam fori mixti cognoſcere, quatenus ad forum

Digitized by Google

rum ejus Eccleſiaſticum pertinent; cujusmodi ſunt adulterium, Simonia, hæreſis, uſura &c. & ſi talia per pœnas Eccleſiaſticas ſufficienter corrigi non poſſent; cùm Eccleſia gladiô non utatur, *can. inter, cauſ. 33. q. 2.* poterit ad hoc invocare brachium ſæculare, id eſt auxilium Judicis ſæcularis, *cap. 1. hoc tit.* Quod aliàs etiam rectè invocatur in defenſionem Eccleſiarum, & pauperum contra divites, & potentes, ſi opprimantur *can. 2.* Et *3. can. 23. q. 3.* Et

5. Nota primò: quòd Epiſcopus animadvertere poſſit in ſimilia gravia crimina Laicorum, etiam omni appellatione remotâ, & conſuetudine non obſtante, *cap. irrefragabili 13. hoc tit.* niſi excedatur in forma correctionis.

6. Infertur *quartò*: quòd Epiſcopus in cauſis, & criminibus ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, Clericos ſibi ſubditos reos poſſit per ſuos miniſtros capere, incarcerare, & condemnare ad triremes, vel verberationes; uti conſtat etiam ex *cap. cùm Epiſcopus 7. hoc tit. in 6.* Similiter Laicos ob crimina gravia, quæ merè Eccleſiaſtica, vel mixta ſunt (ut adulterium) & ubi proinde Judici tum Eccleſiaſtico, tum ſæculari eſt locus præventionis, poteſt curare capi, incarcerari, & puniri; ut habet Covarr. Pirh. Thuſcus, &c. Et colligitur ex *cap. contra 10.* junctâ Gloſſâ, verbô, *verberibus, can. 26. q. 5.* Non tamen poteſt judicare eos ob ſimilia crimina ad pœnam ſanguinis, vel mutilationem; quia Clericis ad Sacros Ordines promotis de pœna ſanguinis, & mutilationis membrorum judicare, vel conſilium judicantibus dare, aut ejusmodi pœnam infligere, eſt vetitum; ut habetur *cap. poſtulaſti 21. de homicidio.* Et *cap. ſententiam ſanguinis; ne Clerici, vel Monachi,* &c. Et *cap. & ſimilibus.* Poteſt tamen Epiſcopus mulctas pecuniarias imponere tum Clericis, tum Laicis reis ob delicta ad Eccleſiaſticum forum pertinentia, v. g. ob blaſphemiam, Clerici percuſſionem, immunitatis Eccleſiaſticæ violationem &c. uti conſtat ex *cap. in Archi-Epiſcopum 4. de raptorib.* Et *can. ſtatuimus 55. cauſ. 16. q. 1.* junctâ Gloſſâ ibidem. Et *cap. dilectus, 18. hoc tit.*

7. Dico ſecundò: Epiſcopus ſimiliter inhærendo Legi Jurisdictionis poteſt Clericos ſuæ Diœceſis in beneficijs inſtituere, deſtituere, ſeu deponere. Ita Zoëſ. Vallenſ. Tholoſ. Pirh. & communis DD. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *cap. conquerente; hoc tit.*

8. Dico tertiò: in caſu, quô Patronus Laicus præſentat indignum ad beneficium, quod eſt Juris patronatûs Laici; vel quô viget controverſia inter Epiſcopum, & Patronum Laicum de jure præſentandi; vel ſi ob aliam cauſam, v. g. grave Scandalum non poſſit inſtitui beneficiatus, tunc Epiſcopus remota appellatione poteſt conſtituere œconomos, qui interea percipiant fructus beneficij vacantis, & eosdem in Eccleſiæ utilitatem convertant. Ita communis DD. Et habetur in *cap. cum vos 4. hoc tit.* Ipſi autem Epiſcopi nequeunt percipere redditus, ſeu fructus illos; uti conſtat ex *cap. præſenti 9.* Et *ult. hoc tit.*

9. Dico quartò: Epiſcopus inhærendo eidem Legi Jurisdictionali poteſt inquirere, utrùm beneficiati fuerint inſtituti canonicè in beneficijs. Ita communis DD. Et de hoc eſt diſpoſitio canonis in *cap. Ordinarij 3. hoc tit.*

10. Dico quintò: conformiter ad eandem Legem Jurisdictionalem poteſt quoque Epiſcopus ferre cenſuras Eccleſiaſticas contra contumaces, aut violantes Jura Epiſcopalia. Ita Abbas, Pirh. Engel, Zoëſ. &c. Et conſtat ex *cap. conquerente; hoc tit.* Eſtque Ratio; quia hoc eſt Ordinarium remedium coërcendi inobedientes, & violantes Jura Epiſcopalia, *cap. 1. de Offic. Jud. deleg.*

11. Dico ſextò: Epiſcopus intuitu ejusdem Legis Jurisdictionalis ſimiliter poteſt in Jure communi quandoque diſpenſare, quando ei vel expreſſè, vel tacitè permittitur. Ita Abbas, Engel, Laym. Panormit. Barboſa. Ratio primi eſt; quia plura extant exempla in Jure communi Canonico, in quibus expreſſè permittit Canon Epiſcopis diſpenſationem in eodem Jure, ut *cap. 1. de filiis Presbyterorum, in 6.* Et *cap. ſanè; de Clericis conjugatis.* Et *cap. at ſi Clerici; de Judic.* Ratio ſecundi; quia tunc cenſetur Epiſcopo facta tacita permiſſio diſpenſandi in Jure communi, quando textus Canonis imperſonaliter loquitur, v. g. ſic, *diſpenſetur, diſpenſativè, poſſit diſpenſare* &c. non apponendo ly *per Sedem Apoſtolicam,* vel *Sum. Pontificem:* nam aliàs gratis concederetur talis diſpenſatio Papæ, ſi Epiſcopo per ſimiles clauſulas non concederetur facultas diſpenſandi. Sed extant complures ſimiles textus in Jure communi; ut *cap. præterea, de ætat. & qualitate.* Et *cap. 2. de eo, qui cognovit.* Et *cap. poſtulâſtis,* ubi Gloſſa, & DD. *de Clerico excommunicato:* Ergo poteſt Epiſcopus quandoque in Jure communi diſpenſare, quando ei tacitè ab eodem Jure permittitur. Ex his

12. Infertur primò: Epiſcopum poſſe diſpenſare in cenſuris à Canone Ordinatis, quæ ſunt ſententiæ ferendæ; & eaſdem ex rationabili cauſa aliquomodo relaxare, ſaltèm in caſibus à Jure expreſſis. Ita conſtat ex *cap. At ſi Clerici 4. de judic. §. de adulterijs.* Et ex Trident. *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* ubi datur ampla poteſtas diſpenſandi Epiſcopis in cenſuris omnibus. Unde quando Lex Canonica ob crimen adulterij, vel aliud majus imponit Clerico pœnam ſuſpenſionis, vel excommunicationis, quæ eſt ſententiæ ferendæ, poteſt Epiſcopus rigorem talis legis temperare, ac in pœna ſimili diſpenſare eandem minuendo; ut habet Gloſſa, Farinac. &c. niſi Canon id prohibeat; ut dicit eadem Gloſſa.

13. Infertur ſecundò: Epiſcopum pariter poſſe diſpenſare in alijs pœnis Canonicis, & Eccleſiaſticis à Jure taxatis; & maximè in irregularitatibus, ex delicto occulto reſultantibus; & abſolvere à caſibus Papalibus. Ita habetur in Trident. *Seſſ. 24. cap. 6. de Reform.* ubi dicitur, *liceat in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare; & in quibuscunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis delinquentes quoscunque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſitâ pœnitentiâ ſalutari.*

14. Infertur tertiò: Epiſcopum præterea poſſe abſolvere etiam à cenſura, ob hæreſim incurſa Papæ reſervata. Ita conſtat ex Trident. *loc. cit.* Et quamvis Tridentinum citatum loquatur tantùm de hæreſi occulta, & in foro conſcientiæ; attamen Epiſcopi Germaniæ etiam à notoriæ hæreſis cenſura abſolvere poſſunt (dummodo abſolvendus non ſit hæreſiarcha, id eſt, novæ hæreſis author) quia caſus iſte, & alij Papæ reſervati, vel ob nimiam frequentiam; vel ob impedimentum accedendi Papam; vel propter longam loci diſtantiam; vel ob alias graviſſimas cauſas, fiunt Epiſcopales; ut tradunt communiter DD. unde æquum eſt, ut Epiſcopis Germaniæ conceſſa intelligatur poteſtas abſolvendi ab eis; & maximè à caſu hæreſis etiam notoriæ; aliàs converſio hæreticorum, & augmentum Fidei Catholicæ impediretur.

15. Infertur quartò: Epiſcopum poſſe ulterius diſpenſare in Canone Juris Communis, ex cauſâ magnæ, & urgentis neceſſitatis; vel evidentis utilitatis de novo emergentis; & quando periculum eſt in mora; nec abſq; notabili incommodo peti poteſt diſpenſatio à Papa. Ratio eſt; quia tunc ipſi licet uti Epyckiâ, & cenſetur habere poteſtatem diſpenſandi ex rationabiliter præſumpta, ſeu interpretativa voluntate Papæ; ut habet Abbas, Sylv. Rebuff. &c.

16. Infertur quintò: quòd Epiſcopus etiam poſſit diſpenſare in Legibus diœceſanis; ut habet Barboſ. Sanch. &c. Poteſt etiam diſpenſare in inhabilitatibus ad beneficia, & dignitates obtinendas; ut habet Barboſ. Item in impedimentis Matrimonij impedientibus tantùm; non autem in dirimentibus; niſi in certis caſibus; ita Barboſ. Item in juramentis, & votis quibuſdam &c.

17. Dico ſeptimò: Epiſcopus poteſt conformiter ad Legem Jurisdictionalem, & debet præſtare omnium illorum Sacrorum collationem, quæ ab Epiſcopo ſunt recipienda. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ita habetur ex *cap. conquerente 16. hoc tit.* Quare is poteſt, & debet conferre Sacramenta Confirmationis, & Ordinum, conſecrare Altaria, Eccleſias, & Virgines, quæ Jure communi pertinent propriè ad Epiſcopum. Concurrit etiam Epiſcopus cum omnibus Parochis, & alijs Curatis Eccleſiarum non exemptarum cumulativè; ita ut etiam ipſe, vel Vicarius ejus Diœceſis poſſit miniſtrare Sacramenta: cùm ſit etiam Ordinarius, & principalis Paſtor totius Diœceſis, *cap. 2.* & *ult. de Offic. Archipresb.* & Diœceſis eſt parochia Epiſcopi.

18. Dico octavò: Epiſcopus etiam debet ex Officio ſuo per ſe ſuo populo Verbum DEI prædicare, atque cibare illum cibo ſpirituali. Ita deducitur ex *cap. inter cætera 15. hoc tit.* Et Trident. *Seſſ. 5. cap. 2.* Si tamen ſit legitimè impeditus; vel ſubſit alia gravis cauſa, vel ſtatutum, aut conſuetudo probata, poteſt, & debet hujusmodi prædicationem ſupplere per idoneos miniſtros; utì conſtat *ex cit. cap.* & Trident. Unde ad Epiſcopum ſpectat de Jure communi, jus cathedræ, ſeu jus committendi cathedram idoneis perſonis, non ſolùm in Cathedrali; ſed etiam in parochialibus Eccleſijs ſuæ diœceſis; utì colligitur ex eodem Trident.

19. Dico nonò: Epiſcopus intuitu Legis Jurisdictionis poteſt imponere publicas pœnitentias. Ita habetur ex *cap. conquerente;* junctâ Gloſſâ. ver. *pœnitentias, hoc tit.* Poteſt etiam concedere Indulgentias unius anni in Dedicatione Eccleſiæ; in anniverſario verò ejuſdem 40. dierum, *cap. cùm ex eo 14. §. ad hæc, de pœnit. & remiſſ.*

20. Dico decimò: conformiter ad Legem Jurisdictionalem etiam poteſt, & debet Epi-

Epiſcopus viſitare ſuam Diœceſim per ſe, vel per ſuum Vicarium generalem, vel alios Sacerdotes, vel Diaconos idoneos. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. Epiſcopum, 11. cauſ. 10. q. 1.* Et quia ipſi ratione Officij incumbit evellere, & diſſipare vitia ſubditorum, & plantare virtutem, ac Religionem Chriſtianam, Debet autem hujusmodi viſitationem præſtare annuè; quòd ſi verò Diœceſis haberet notabilem latitudinem, ut quotannis viſitari nequeat, ſaltèm quòvis bienniô integrè viſitari debet, ſecundùm Decretum Concilij Tridentini *Seſſ. 24. cap. 3. de Ref.* Et

21. Nota ſecundò: quòd in viſitatione præfata debeat Epiſcopus viſitare omnes Eccleſias ſuæ Diœceſis; etiam cathedrales; monaſteria non exempta; beneficia curata; & non curata; ſæcularia; & regularia. Ita Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 4.* Et *Seſſ. 7. cap. 8. de Reform.* Item hoſpitalia, collegia, confraternitates Laicorum, Scholas, & omnia loca pia, etiam exempta; ita Trident. *Seſſ. 22. cap. 8. de Reform.* Item Eccleſias perpetuò unitas monaſterijs etiam exemptis, ſi populus earum ſubjectus ſit in ſpiritualibus Epiſcopo; ita Tridentin. *Seſſ. 7. cap. 7. de Reform.* Et *Seſſ. 25. cap. 11. de Regul.*

22. Nota tertiò: quòd Epiſcopus in viſitatione Monaſteriorum non exemptorum ſuæ diœceſis de condecentia debeat in comitiva ſecum ducere duos, vel tres Canonicos, tanquam Conſiliarios, decenti habitu incedentes; non autem Laicos; ne diſſolutionis anſa in clauſtris præbeatur, *cap. ut juxta 17. hoc tit.* Expediens etiam eſt ut unus, vel alter Religioſus idoneus in eadem viſitatione adhibeatur; cùm hi regularis diſciplinæ majorem habeant notitiam, quàm ſæculares Clerici; ut dicit Gloſſa fin. hic, *arg. cap. in ſingulis 7. de ſtatu Monach.* Videamus nunc quæ non poſſit agere Epiſcopus vi Legis Jurisdictionalis.

23. Dico undecimò: Epiſcopus vigore Legis Jurisdictionalis nequit viſitare Eccleſias propriè ad Regulares exemptos pertinentes; uti nec ipſos Regulares. Ita Rodrig. Pirh. & communis Canoniſt. Regularium. Et conſtat ex Concilio Tridentino *Seſſ. 25. cap. 1.* Et *cap. 1. & 8. de Regul.* ſed viſitari poſſunt à ſolis Prælatis Regularibus Generalibus, & Provincialibus; qui habent Jurisdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos.

24. Dico duodecimò: Nec poteſt Epiſcopus diſpenſare in Lege Pontificia, vel Canonica, aut Concilij generalis; niſi eidem ab eadem Lege, expreſſè, vel tacitè (de quo ſupra *concluſ. 6.*) permittatur. Ita habet Abbas, Innoc, Pirh. &c. Et patet ex *cap. dilectus 15. de temp. ordin.* ubi dicitur, non licere diſpenſare Epiſcopo, niſi ubi reperitur conceſſum. Et ex *cap. penult.* Et *ult. de filiis Presbyt.* ubi declarantur irritæ diſpenſationes, factæ contra Juris diſpoſitionem ab inferiore Papâ, cujusmodi inferior eſt Epiſcopus.

25. Dico decimo tertiò: Epiſcopus etiam non poteſt abſolvere juſtè excommunicatos, ſuſpenſos, vel interdictos à Prælato inferiore, ſibi ſubjecto, v. g. ab Archidiacono, Præpoſito, vel Decano Eccleſiæ Collegiatæ, qui ex privilegio Sedis Apoſtolicæ, vel ex conſuetudine legitimè præſcripta jurisdictionem exercet in Clericos, vel Laicos ſibi ſubjectos excluſô Epiſcopo: ita ut hic ſe immiſcere non poſſit, niſi per viam appellationis, aut querelæ ad Epiſcopum legitimè delatæ. Ita Zoëſ. Pirh. Sylv. Svar. Et patet ex *cap. 3. hoc tit.* Et *Arg. cap. ult. de offic. Archid.* Et *cap. audiuis 15. de præſcript.* Sed potius curare debet, ut cenſura juſtè lata inviolabiliter obſervetur; ut dicitur *cit. cap. 3.*

26. Dico decimo quartò: Epiſcopus ſimiliter non poteſt diſpenſare, vel relaxare pœnas Canonicas latas, v. g. ſuper adulteria, vel alia crimina, ſi ſint latæ ſententiæ, ſeu ipſo jure inflictæ. Ita Gloſſa Felin. &c. Ratio eſt; quia ſicut inferior judex non poteſt tollere legem ſuperioris; ita nec in pœna ipſi annexa diſpenſare; niſi id ipſi ſit commiſſum.

27. Dico decimo quintò: Epiſcopus non habet poteſtatem occupandi pro ſe redditus Eccleſiaſticos, vel dignitatum vacantium. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et ita conſtat ex *cap. præſenti, 9. & ult. hoc tit. in 6.*

CAP. VIII.

De his, quæ poſſit Epiſcopus ex Lege Diœceſana.

1. Dico primò: Epiſcopus conformiter ad Legem Diœceſanam poteſt, & ſuo tempore debet convocare Synodum. Ita Engel, Hoſtienſ. Pirh. Et ita ſtatuitur in *cap. conquerente 16. hoc tit.* Hujusmodi autem Synodus potiſſimè celebrari debet ab Epiſcopis ad recipienda Concilij Provincialis (quod convocat Metropolitanus, & in eo præſidet) decreta, intra ſex menſes poſt terminatum Concilium provinciale; & deinde ſingulis annis; juxta Tridentinum *Seſſ. 24. de Reform. cap. 2.* quod tamen in pluribus,

Digitized by Google

maximè Germaniæ provincijs non obſervatur ampliùs ab immemorabili.

2. Nota primò: quòd ad Synodum Epiſcopalem accedere teneantur omnes Abbates, qui nec populum, nec jurisdictionem quaſi Epiſcopalem habent, propter quem ad Concilium provinciale Metropolitani vocentur. Imò & Abbates exempti, ſi membra aliqua, id eſt capellas, vel parochias non exemptas habeant: obtinent autem tales primum locum poſt Epiſcopum *cap. ex ore 17. de Privileg.* In ejusmodi Synodo Diœceſana (quæ differt à Concilio, vel Synodo provinciali, quod hoc à Metropolita convocetur, præſidiô ejus dirigatur, & collectivè ex omnibus Diœceſibus Epiſcopalibus totius Provinciæ, vel Regni congregetur) tractari debet reformatio, vel conſervatio ſtatûs Eccleſiaſtici; rectæque curæ animarum; morum moderatio; exceſſuum gravium correctio; vitiorum extirpatio; controverſiarum compoſitio; Eccleſiarum indemnitas providenda; & alia ſalutaria pro Eccleſia, & Fide Catholica.

3. Dico ſecundò: Epiſcopus intuitu Legis Diœceſanæ poteſt exigere annum Synodaticum, ſeu Cathedraticum, quod conſiſtit in duobus ſolidis, à quavis Eccleſia ſuæ Diœceſis exigendis; Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. conquerente*, junctâ Gloſſâ, verbô, *duos ſolidos.* Putat autem Gloſſa *loc. cit.* nomine unius ſolidi intelligi unum aureum. Dicitur *Synodaticum*, quia in Synodo Epiſcopali quotannis celebranda debet ſolvi à Clericis. Dicitur *Cathedraticum*, quia ob honorem Cathedræ, ſeu dignitatis Epiſcopalis porrigitur; ut notat Gloſſa. Ab hujus ſolutione ſunt liberæ Eccleſiæ monaſteriorum exemptæ; non autem capellæ, vel parochiæ eorum, incorporatæ Monaſterio, habentes curam plebis; uti conſtat ex *can. inter cætera 8. cau. 10. q. 3.*

4. Dico tertiò: in vim Legis Diœceſanæ Epiſcopus pariter poteſt petere quartam decimationum. Ita communis Canoniſtæ. Et ita dicitur *cap. conquerente cit.* idque propter univerſalem curam, quam habet Epiſcopus in omnibus Eccleſijs ſibi ſubjectis, ut notat Barboſ. Hæc autem quarta decimationum communi Jure debetur Epiſcopo tantùm à Parochialibus Eccleſijs, utpote ad quas tantùm pertinent eodem jure decimæ, à quibus ſubtrahenda eſt præfata quarta. Iſta quarta in pluribus Diœceſibus hodie jam eſt abolita; cùm Epiſcopi earum ſufficientem obtineant ſuſtentationem aliunde ex fundationibus pinguibus.

5. Dico quartò: Epiſcopus quoque ex eodem motivo poteſt prætendere de Jure communi quartam mortuariorum; Ita communis DD. Et ita eidem conceditur in *cit. cap. conquerente.* Eſt autem iſta *quarta mortuariorum* quædam portio Canonica, ex legatis, funeralibus, & oblationibus, quas Eccleſiæ, vel alia pia loca percipiunt in Diœceſi, reſultans; uti colligitur ex *cap. requiſiſti 15. de teſtam.* Hæc pariter portio Canonica in pluribus Diœceſibus abolita fuit, per præſcriptionem 40. annorum, qui ſufficiunt juxta *cap. de quarta 14. de præſcript.* Hanc portionem, ſeu *quartam funeralium* aliàs de jure communi præſtare tenentur omnes prorſus Eccleſiæ; non item exemptæ ab Epiſcopo, & Papæ immediatè ſubjectæ, ut ſunt Regularium Eccleſiæ propriæ; ut habet Barboſ. Sylv. Azor. &c. Et patet ex varijs Privilegijs Gregorij XI. Martini V. Eugenij IV. Clementinæ *Dudum* &c. de quibus vide *Scholam meam Theologicam tom. 3. tract. de Privilegiis, diſt. 2. q. 9.* Circa hoc tamen ordinavit Tridentinum *Seſſ. 25. cap. 13.* quòd illæ Eccleſiæ exemptæ Regularium, quæ 40. annis ante Tridentinum conſueverunt talem portionem dare, ſint obligatæ ulterius eandem præbere Epiſcopo; non obſtantibus privilegijs communibus exemptivis Regularium à tali portione.

6. Dico quintò: Epiſcopus pariter conformiter ad legem Diœceſanam poteſt petere Procurationes ab Eccleſijs tempore viſitationis. Ita communis DD. Et habetur in *cap. conquerente cit.* Intelliguntur autem nomine *Procurationum* victualia; quæ tamen ſecundùm facultates cujuslibet Eccleſiæ debent ita moderari, ut ijs non graventur; uti advertit idem *cap. conquerente.* Ad ejusmodi Procurationes obligantur etiam Eccleſiæ Monaſteriorum non exemptorum; uti conſtat ex *cap. ſopita 14. de cenſib.* quia Procuratio eſt annexa viſitationi, *cap. cùm venerabilis, 21. eodem tit.*

7. Nota autem ſecundò: ſi Epiſcopus impeditus neceſſariò per alium viſitationem facere debeat, illi delegato Viſitatori pariter faciendæ ſunt Procurationes; id eſt, danda neceſſaria ad cibum, & potum tantùm, *cap. ſi Epiſcopus 6. hoc tit. in 6.* nam veſtes, famulos, equos, & ſalaria ipſi providere debet ipſemet Epiſcopus; uti conſtat ex *cap. inter cætera; hoc tit.* Nec Epiſcopus tunc ullas alias Procurationes perſonales, ſeu etiam pro ſe exigere poteſt; ut notat Gloſſa. Procurationes enim debentur tantùm ratione viſitationis, *cap. cùm venerabilis.* Et *cap. procurationis 23. de cenſibus.* Si itaque Epiſcopus non viſitet perſonaliter, nihil

Digitized by Google

nihil exigere valet. Et quidem nomine *victualium* venit ſolus victus diei, qui & *diarium* vocari ſolet, *L. diariis 21. ff. de alim. & cibar. Legat.*

8. Dico ſextò: tandem Epiſcopus vi jurium Epiſcopalium, & Legis Diœceſanæ petere ex cauſa rationabili poteſt Charitativum ſubſidium, ſecundùm Eccleſiæ, vel beneficij facultates; ita tamen ut Eccleſiæ, & Clerici nimiùm non graventur. Ita Barboſ. Azor. &c. Et conſtat ex *cap. cit. conquerente.* Et *cap. cùm Apoſtolus 6. de cenſib.* Dicitur *Charitativum ſubſidium*; quia à principio poſtulandum eſt cum charitate, ex *cit. cap.* Quamvis ſi Clerici id ſolvere renuant abſque rationabili cauſa, ijdem ad ejus præſtationem poſſunt compelli; etiam per cenſuras; uti habent cit. DD. Eximuntur ab ejus præſtatione Eccleſiæ, & Monaſteria Regularium tam exemptorum, quàm non exemptorum; niſi haberent annexas Eccleſias cum cura plebis, quæ ante ſui unionem illud præſtare Epiſcopis conſueverant; nam tales cenſentur deinde cum tali onere incorporatæ Monaſterio; de quibus loquitur Clement. *1. & 2. de cenſib.*

CAP. IX.

Quid poſſit Epiſcopus ſpecialiter circa Regulares exemptos.

1. NOta primò: hodie plurimi Ordines, & eorum Regulares ſunt exempti à Juriſdictione Epiſcoporum; uti patet in privilegijs antiquis particularibus ſingulorum Ordinum, obtentis à diverſis Pontificibus; meus Ordo Franciſcanus ſpecialiter exemptus fuit per *Mare Magnum* Sixti IV. & per *Bullam auream*, quæ incipit *regimini*, &c. Poſtea tamen Concilium Tridentinum in quibusdam ſpecialibus caſibus Regulares omnes ſubjecit poteſtati Epiſcoporum ſeu Ordinariorum, ut contra eos procedere poſſent tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati: quos caſus breviter *hoc cap.* adducam, & ventilabo.

2. Primus itaque caſus habetur *Seſſ. 5. de Reformat. cap. 2.* Et reperitur etiam *Seſſ. 24. cap. 4. de Reform.* Et recitatur à Gregorio XV. in Bulla, *Inſcrutabili, §. 8. Quòd Regulares, dum volunt prædicare in alienis Eccleſiis, debeant petere licentiam ab Epiſcopo; dum verò volunt in ſuis, benedictionem.* Circa quam

3. Nota ſecundò: quòd quoad benedictionem iſtam declaravit S. Congregatio, ſufficere eam petere; licèt non obtineatur; ut refert Peyrinus *Tom. I. de Privilegiis.*

4. Secundus caſus ſubjectionis eſt *Seſſ. 6. cap. 3. Quòd Regularis extra Monaſterium degens, ſi deliquerit, poſſit ab Ordinario, tanquam à Sede Apoſtolica delegato, viſitari, & corrigi.* Circa quem caſum

5. Nota tertiò: quòd intelligi debeat hoc Decretum tantùm de illis Regularibus, qui abſque licentia ſui Prælati extra Monaſterium ſtabiliter manent, & ab eo quotannis non viſitantur; ut habet Panorm. Navarr. Henriq. &c.

6. Tertius habetur *Seſſ. 25. cap. 11. de Reform. Quòd Regularis curam animarum exercens pro ſæcularibus, ſubſit viſitationi, & correctioni Epiſcoporum.* Circa quem caſum

7. Nota quartò: quòd primò hoc intelligebatur, de correctione emendativa, non punitiva; nam juxta Leonem X. in ſua Declaratione, in Conſtit. 22. quoad punitionem tradi debet ſuo Superiori Clauſtrali. Attamen deinde Gregorius XV. Regulares curas animarum habentes, omnimodæ juriſdictioni; adeoque etiam punitivæ per cenſuras, ſubjecit Epiſcopis Diœceſanis, per Bullam *Inſcrutabilis.* Unde licèt eos Epiſcopi cenſuris Excommunicationis, alijsque pœnis, quà Ordinarij corrigere non poſſint; poſſunt tamen ut Sedis Apoſtolicæ Delegati.

8. Quartus ponitur *Seſſ. 7. c. 14. Quòd Regulares extra clauſtrum degentes, poſſint conveniri coram Ordinario, in cauſis civilibus mercedum, & miſerabilium perſonarum; & cogi ad ſolvendum debitum.* Circa quem caſum

9. Nota quintò: quòd dicantur Regulares tantùm illi extra clauſtrum degere, qui ex ſpeciali licentia, vel privilegio habent domum extra clauſtra: non verò qui causâ prædicationis, confeſſionis, vel eleemoſynæ ad tempus extra clauſtrum manent. *Miſerabiles perſonæ* dicuntur pauperes, vel morbô diutinô fatigati, ex *cap. ſignificaſti, de Privileg. in 6.*

10. Nota ſextò: quòd Regulares inter clauſtrum degentes per dictum Trident. decretum, in nullo dictorum caſu civili poſſint conveniri coram Ordinario; ut habetur expreſſè in S. Congregationis deciſione Anno 1573. die 19. Julij; & refertur à Roderi: *tom. 2. qq. Reg. q. 2.*

11. Quintus eſt *Seſſ. 23. c. 8. de Reform.* ubi dicitur; *Quòd unusquisque ordinetur à proprio Epiſcopo.* Et *cap. 12. Ut præcedente diligenti examine Epiſcopi ordinent Regulares.* Sed Pius V. interpretando octavum caput hujus Seſſ. dicit; *Ipſum locum non habere in Regularibus;*

qui

Digitized by Google

qui proinde à quolibet Antiſtite, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, ſine licentia Ordinarij, in domibus Fratrum, vel alibi poſſunt ordinari. Ita Bulla, *etſi Mendicantium.*

12. Sextus eſt *Seſſ. 23. cap. 15. de Reformat. Quòd Regulares non poſſint confeſſiones ſæcularium audire; niſi fuerint ab Epiſcopo approbati.* De quo in Tract. *de Sacr. Pœnit.*

13. Septimus *Seſſ. 25. cap. 4. Quòd contra Regulares ſine licentia ſui Prælati à Conventibus recedentes, etiam ſub prætextu ſuperiores accedendi, Ordinarius poſſit procedere puniendo eos.* Qualiter hoc ſit intelligendum dicetur *in caſu 15.* infra

14. Octavus *eadem Seſſ.* ponitur; *Quòd illi qui ſtudiorum causâ ad Univerſitates mittuntur, in conventibus tantùm habitent; alioquin ab Ordinariis contra eos procedatur.*

15. Nonus habetur *eadem Seſſ. c. 12. Quòd cenſuræ, & Interdicta, nedum à Sede Apoſtolica emanata; ſed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Epiſcopo à Regularibus in eorum Eccleſiis publicentur; & dies Feſtivi novi ſerventur:* Sed hoc ultimum Decretum ſervandum eſt tantùm ſecundùm modificationem; ut nimirum quoad conciones, & lectiones, quas Regulares ad populum habuerint, ſe conforment in Evangelijs, & Epiſtolis ſolitis prælegi populo, quibus illis feſtis utitur Clerus. Ita in terminis explicat Trident. S. Congregatio, in uno Decreto, quod adducit Quaranta, Barboſa, & Brugnoli *f. 152. in ſuo ſpeculo.*

16. Decimus eſt; *Quòd Regulares etiam Monachi, ad publicas proceſſiones vocati accedere teneantur, & compellantur, iis tantùm exceptis, qui in ſtrictiori clauſura perpetuò vivunt.* Publicæ autem proceſſiones vocantur, quæ ex cauſa publica, & magna v. g. peſtis imminentis, vel ſimilis flagelli, vel pro gratiarum actione, vel in adventu novi Epiſcopi, vel in Feſto Corporis Chriſti, Patroni terræ, vel tandem ex antiqua conſuetudine Ordinantur.

17. Nota autem ſeptimò: quòd probabilior ſit ſententia Henriqu. Roder. Moroni, Sanchez &c. quæ dicit, quòd Regulares nolentes accedere proceſſiones publicas, licèt poſſint compelli, non tamen per aliquas cenſuras Ordinarij, nam ex *cap. de Privil. in 6.* generaliter prohibentur omnes Ordinarij in quavis cauſa, contra Regulares cenſuras fulminare, & Tridentinum nullam facit hìc mentionem cenſuræ.

18. Undecimus habetur *Seſſ. 22. in Obſerv. & evitandis in celebratione Miſſæ; ubi datur Epiſcopis facultas procedendi per cenſuras contra Exemptos, celebrantes in domibus privatis, atque omninò extra Eccleſiam.* De hoc vide *Scholam meam Theolog. tom. 3. tract. 1. diſt. 5. q. 12.* ubi afferuntur Regularium Privilegia circa celebrationem Miſſæ in domibus privatis, quæ adhuc vigent.

19. Duodecimus eſt *Seſſ. 25. c. 5. de Regularibus: ubi datur facultas eiſdem Epiſcopis ad compellendum Moniales omnes ad obſervantiam clauſuræ, excommunicando rebelles, & inobedientes.*

20. Decimus tertius ponitur *Seſſ. eadem. cap. 16. Quòd nulla renunciatio, aut obligatio facta à Novitio valeat, niſi cum licentia Epiſcopi inter duos menſes proximos ante profeſſionem. Et ut Novitiis abeuntibus à Religione omnia reſtituantur, circa quod Epiſcopi etiam per cenſuras poſſint compellere contravenientes.* Finis hujus Decreti eſt, ne Novitius omnibus deſtitutus, cogatur profiteri non liberè. Circa hoc

21. Nota octavò: quòd nomine *Renunciationis*, atque *Obligationis*, non intelligatur hìc Teſtamentum, vel donatio causâ mortis, neque Codicillus; unde Novitius Regularis quandocunque voluerit, poterit teſtari ſinè licentia Epiſcopi. Ita Vega, Molina, Rodrigu. Intelliguntur itaque illi contractus, quibus Novitius ſe ſpoliat notabili parte hæreditatis; cujusmodi eſt donatio, alienatio, &c.

22. Decimus quartus eſt *Seſſ. 25. cap. 13. Quòd controverſia omnis de præcedentia, etiam inter Regulares, in proceſſionibus, & funeribus Epiſcopus amotâ omni appellatione componat.*

23. Decimus quintus habetur *Seſſ. 25. cap. 14. Quòd Regularis exemptus intra clauſtrum degens, & extra illud notoriè delinquens cum ſcandalo populi, Epiſcopo inſtante, à ſuo ſuperiore, intra tempus ab Epiſcopo præfigendum, debeat ſeverè puniri, & ſuperior de punitione debet Epiſcopum certiorem facere* &c. Ex quo liquet: quòd Ordinarius non poſſit per ſe, vel per alios procedere ad punitionem, vel capturam Religioſi delinquentis, etiam Novitij tantùm: uti etiam habet Clement. unica *de Exceſſibus Prælatorum*: quòd ſi capi eos faciat, incidit in excommunicationem, unà cum capientibus; ut habet Henriqu. Sorbus, Navarrus &c. per *cap. 1. ſi quis ſuadente Diabolo.* Excipe caſum, quo timeretur fuga Religioſi, ob enorme crimen patratum; tunc enim non tantùm Epiſcopus; ſed & Judex ſæcularis in abſentia Judicis Eccleſiaſtici poteſt capere Religioſum, in flagranti enormi delicto deprehenſum; ſed debet eum ſuperiori Regulari intra 20. horas tradere, qui debet illum proceſſare, & punire; ut habet Abbas, Tambur. Henriqu. Panorm. Guido, Pape &c.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X.

De Capitulo Sede vacante, Præpoſitis, Decanis, alijsque minoribus Prælatis quà Judicibus Ordinarijs.

1. NOta primò: nomine Capituli Sede Vacante intelligi congregationem Canonicorum alicujus Eccleſiæ. Quantus autem numerus requiratur ad formandum Capitulum, res dubia eſt inter AA. quidam volunt illud ſalvari in unico Canonico; ut Azor. Bald. &c. Verùm Tholoſ. Sylv. Gloſſa &c. dicunt ad minimum tres requiri homines ad formandum Eccleſiaſticum Collegium; & conſequenter etiam ad Capitulum alicujus Eccleſiæ.

2. Dico primò: defunctô Epiſcopô ſuccedit Capitulum Cathedrale in omni ordinaria juriſdictione, quæ ordinario Jure Epiſcopo competebat tam in ſpiritualibus; quàm in temporalibus. Ita Barboſ. Azor. Strein. Navarr. &c. Et conſtat ex *cap. his quæ.* Et *cap. cùm olim 14. de Major. & obed.*

3. Dico ſecundò: non ſuccedit tamen Epiſcopo in ijs, quæ per privilegium competebant Epiſcopo; neque in poteſtate delegata; neque in illa, quæ Sede vacante expediri nequeunt. Ita Felin. Piaſec. Strein. &c. Et colligitur ex *cap. ult. de pœnit. & remiſſ.* Et *cap. quod nonnullis, de privileg.* Et *cap. fin. eodem tit. in 6.*

4. Ex prima concluſione infertur *primò*: Capitulum Cathedrale Sede vacante poſſe conſtituere Vicarium generalem; imò talem intra octiduum conſtituere tenetur; aut exiſtentem confirmare, ex Trident. *Seſſ. 24. cap. 16.* Poteſt item confirmare, & infirmare electiones *cap. 14. de Major. & obed.* Poteſt item dare licentiam alieno Epiſcopo, ut in Diœceſi defuncti ſui Epiſcopi conferat Ordines. Ita Rodrigu. Armilla, &c. Poteſt conſtituere œconomos in beneficijs vacantibus, quæ ad liberam collationem Epiſcopi ſpectant, *arg. cap. cùm propter 27. de jure Patron.* Itē poteſt admittere ad beneficia præſentatos à Patronis *arg. ejusdem cap.* Poteſt legitimare, nobilitare, reſtituere in gradum priſtinum, conſtituere, qui abſolvat à reſervatis, & alia, quæ de jure ordinario poterat præſtare Epiſcopus; Ut habet Avila, Sylv. Abbas, Strein. Tuſchus &c. & conſtat.

5. Infertur ſecundò: Capitulum Cathedrale Sede Vacante poſſe excommunicatos à Jure, vel homine abſolvere; ſicut Epiſcopus, ſi viveret; niſi id foret à Papa ſpecialiter prohibitum; ut habetur *cap. unic. hoc tit. in 6.* Item poteſt excommunicare, ut habet Quar. Franc. & Gloſſa, nam ejusdem eſt poteſtatis ligare, & ſolvere: & qui poteſt unum, poteſt & alterum; uti colligitur ex *cap. cùm inferior 16. hoc tit.* Item poteſt diſpenſare in caſibus, in quibus poterat ordinariè Epiſcopus; ut in votis, juramentis, & ſtatutis diœceſanis; ut habet Abbas, Quar. Molin &c. Item facere ſtatuta obligantia totam diœceſim; ut habet Pirhing. &c. Tandem poteſt compellere executores teſtamentorum ad exequendum, & rationes reddendas, & negligentes punire; ſicut poſſunt Epiſcopi, ad quorum Ordinariam Juriſdictionem iſta aliàs pertinent, *cap. tua 17. & cap. Joannes 19. de teſtam.* Item poteſt conferre ea beneficia, quorum libera collatio ad Epiſcopum & Capitulum ſimul pertinet, *cap. unic. in princ. ne Sede vacante &c. in 6.* ſicut & præſentare, & eligere ad beneficia, quorum præſentatio, & electio ad Epiſcopum, & Capitulum communiter pertinet; ut habet Garc. Item in caſu magnæ neceſſitatis, vel evidentis utilitatis poteſt unire beneficia eô modô, quô poterat Epiſcopus in tali circumſtantia; ut habet Rebuff. Quar. &c.

6. Nota ſecundò: Capitulum Collegiatæ exemptæ Prælaturâ vacante pariter ſuccedit in omnem juriſdictionem, & adminiſtrationem, ſicut Capitulum Cathedrale, quia tales Eccleſiæ æquiparantur Cathedralibus, *cap. his, quæ 11. de Major. & Obed.*

7. Nota tertiò: vacante verò Prælaturâ Eccleſiæ Collegiatæ ſæcularis non exemptæ, Capitulum Jure communi non acquirit Juriſdictionem, & adminiſtrationem Ordinariam; ſed ea tranſit ad Epiſcopum; ut habet Fagnan. Pirh. nam nullo Jure legitur tale Capitulum ſuccedere in Juriſdictionem ſui Prælati defuncti. Et quia adeſt Epiſcopus, qui interea providere poteſt gubernio talis Eccleſiæ: quod non contingit in vacantia Eccleſiæ Cathedralis, & exemptæ ab Epiſcopo.

8. Nota quartò: ſimiliter vacante Prælaturâ Eccleſiæ regularis non exemptæ Capitulum non acquirit Juriſdictionem Ordinariam; minùs Prior Clauſtralis, vel Decanus, vel Senior; ſed devolvitur ad Epiſcopum, qui proinde debet ponere Adminiſtratorem tali Monaſterio; ut habet Felin. Pirh. & cæ-

teri DD. Quòd ſi tamen Epiſcopus non conſtitueret ullum Adminiſtratorem, tunc Prior, vel Decanus, vel Senior accipit gubernationem; & alij tenentur ei obedire; etſi propriè dictam Juriſdictionem non obtineat; utì notat Laym. Pirh. &c.

9. Infertur ex ſecunda concluſione tertiò: Capitulum Cathedrale non poſſe conferre beneficia, quæ ad liberam Epiſcopi collationem ſpectant, *cap. 1. de inſtit. in 6.* Sed neque poteſt præſentare, aut eligere ad beneficia, quorum præſentatio, aut electio ad Epiſcopum propter delictum, vel negligentiam inferiorum Collatorum, vel Electorum eſt devoluta; ut habet Abbas, Garcias &c. nam hujusmodi Jura numerantur inter fructus Epiſcopatûs, qui diſtrahi non poſſunt, ſed Epiſcopo Succeſſori reſervari debent; *can. hac hujus 38. cau. 12. q. 2.* Item Capitulum Cathedrale non poteſt ſpectato Jure communi recipere reſignationes beneficiorum, ad collationem Epiſcopi tantùm ſpectantium, ſi abſolutè & liberè fiant; ut habet Quar. Rebuff. Pariſ. Si tamen ſpectarent ad collationem Epiſcopi & Capituli ſimul, poſſet illas recipere; utì & ſi reſignationes tales fierent ob crimen commiſſum, & in pœnam reſignantium, ut notant cit. DD.

10. Infertur quartò: Capitulum Cathedrale Sede vacante non obtinere Juriſdictionem feudalem: quare defuncto Epiſcopo nequit infeudare, ſeu aliquem Vaſallum inveſtire ſuper aliquo feudo, *cap. verum,* junctâ Gloſſâ, ver. *mota quæſtio, de foro competenti.* Niſi feudum pertineat ad Epiſcopum, & Capitulum ſimul, ut habet Abbas, Joannes Andr. &c. Item Capitulum Cathedrale Sede vacante nequit expedire negotia valde ardua; niſi neceſſitate cogente; ut habet Laym. Barboſ. Azor. &c. Unde nequit viſitare Diœceſim, nec convocare Synodum, ſi brevi ſperetur Epiſcopus eligendus: ſecùs ſi Sedes diu eſſet vacatura, v. g. propter captivitatem Epiſcopi: vel ſi gravis neceſſitas oppoſitum ſuaderet; ut habet Laym. Pavin. &c. Aliàs generaliter loquendo Capitulum Sede vacante non prohibetur cognoſcere cauſas graves, matrimoniales, & criminales; ut habet Quar. &c. Item idem Capitulum nequit donare, & alienare Jura Epiſcopatûs, ſeu bona Eccleſiæ vacantis; ſive mobilia, ſive immobilia, & quæ ſervando ſervari poſſunt; uti conſtat ex *can. ſi qua 42. cau. 12. q. 2.* Neque ſuccedit in poteſtate Epiſcopis conceſſa ratione dignitatis Epiſcopalis; qualis eſt facultas celebrandi Miſſam in itinere extra Eccleſiam in loco decenti ſuper altare portatile: & facultas concedendi Indulgentias inter Miſſarum ſolemnia; ut habet Quar. Laym. &c.

11. Infertur quintò: Capitulum Cathedrale Sede vacante etiam non poſſe viſitare Monaſteria Monialium exempta, vel aliud operari circa Regulares exemptos; cùm hoc ex poteſtate delegata tantùm competat Epiſcopis; ut habet Gloſſa, Abbas, Pirh. Franc. & communis DD. Nequit pariter ſupprimere præbendas, aut portiones; confirmare donationes Juriſpatronatûs; dare dimiſſoriales ad Ordines intra annum à die vacationis; abrogare totaliter abſque graviſſima cauſa leges Synodales, & Epiſcopales Ordinationes aliàs ſalutares; ut habent Abbas, Barboſ. Strein. Tuſchus, &c. nam hæc omnia jura numerantur inter fructus Epiſcopatûs, novo Epiſcopo reſervandos.

12. Dico tertiò: Præpoſiti, Decani, vel alij Prælati minores Eccleſiarum Collegiatarum, aut aliarum ſæcularium ſortiuntur illam Juriſdictionem Ordinariam reſpectu ſuorum ſubditorum, quæ vel ex fundatione; vel ex ſtatutis confirmatis particularibus talis Eccleſiæ; vel de Jure communi diœceſano; vel privilegio peculiari; aut radicata conſuetudine ipſis competit; quæ varia eſt, pro varietate Eccleſiarum. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ex Jure communi Canonico hujusmodi Prælatis ſpecificè nihil competit; quare eorum Juriſdictio Ordinaria aliunde metienda erit; ſcilicet vel ex fundatione, ſeu prima erectione talis Collegiatæ, vel ſæcularis Eccleſiæ; vel ex Jure communi Diœceſano; vel ex privilegio; ſtatutis; vel conſuetudine perpetua. Circa hæc

13. Nota quintò: gradum Præpoſitorum, & Decanorum potiſſimè vigere in Eccleſijs Germaniæ, Poloniæ, Flandriæ, Galliæ, & Angliæ (etſi in Jure communi Canonico nullus de eis extet titulus) & recenſeri inter dignitates. Et quidem Præpoſiti plerumque maximè in Germania ſuperiori, œconomi Capituli ſunt, qui proventus Eccleſiaſticos adminiſtrant; ut notat Strein. Decanus verò ex conſuetudine multis in locis habet juriſdictionem in Clerum, vel totum; vel partem ejus in diœceſi, & ſubit locum Archidiaconi, vel Archipresbyteri; utì obſervat Card. Tuſchus *conc. 60.* Similiter in quibusdam locis obtinet poteſtatem excommunicandi; ut notat Innoc. ordinat proceſſiones intra, & extra urbem abſente Epiſcopo; utì declaravit S. Congregatio in quadam Placentina 19. Maji an. 1607. attendit decori Divini Officij; & habet curam templi; juxta varietatem tamen Eccleſiarum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XI.

De Plebanis, & Parochis quà Ordinarijs.

1. NOta primò: non extat in Jure communi ullus ſpecialis titulus de Plebanis, & Parochis; quia tamen & ipſi Judices ſunt Ordinarij; ideo eorum in hoc titulo congruè fit memoria. Intelligitur autem nomine Plebani, ſeu Parochi *ille Sacerdos, qui authoritate Epiſcopi alicui Eccleſiæ eſt præfectus, ut plebi ſeu populo Divini Verbi, & Sacramentorum Sacrum pabulum ſubminiſtret*. Vocatur alio nomine *Eccleſiæ Rector, Curatus, Presbyter Parochialis*, &c.

2. Dico primò: Parochus ſeu Plebanus ſimplex habet juriſdictionem Ordinariam; ſed in foro interno conſcientiæ tantùm; non verò in externo. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et ita conſtat *arg. can. de perſona 38.* junctâ Gloſſa, verbô, *non alio, cauſ. 11. q. 1.* Ex his

3. Infertur primò: Plebanum non poſſe diſpenſare in legibus, & præceptis Eccleſiaſticis cum ſuis ſubditis; niſi ex ſpeciali commiſſione Epiſcopi, v. g. in obſervantia jejuniorum, feſtorum &c. Nam talis diſpenſatio eſt actus Juriſdictionis, pertinens ad forum externum. Similiter non poteſt de jure communi excommunicare, aut alias cenſuras ferre; ut notat Gloſſa, Abbas &c.

4. Nota ſecundò: Parochum ratione ſui Officij habere complures graves obligationes: *primò* tenetur intra duos menſes poſt adeptam Parochiam primitùs emittere fidei profeſſionem in manibus Epiſcopi, vel Vicarij generalis. Ita Trident. *Seſſ. 24. cap. 12. de Reform.* *Secundò* obligatur denunciare Vigilias, ac dies jejuniorum, feſta, indulgentias, & matrimonia; ita Barboſ. Pirh. &c. *Tertiò* debet habere certas matriculas ſeu libros, in quibus ſint annotati omnes parochiani in ſua Eccleſia baptizati, cum nomine Parentum, an ſint legitimi, cum annotatione anni, diei, & patrinorum, ut habet Trident. *Seſſ. 24. cap. 2.* Item omnes matrimonialiter copulati, ex cit. Trident. *cap. 1.* Item omnes mortui, & in tali parochia ſepulti; ut habet Barboſ. Menoch. &c. Item omnes confirmati, cum patrinis, anno, confirmante &c. *Quartò* debet ſingulis diebus Dominicis catecheſim pro Juventute erudienda facere, ex Trident. *cit. cap. 4.* *Quintò* debet concionari in perſona, vel per alios idoneos diebus Dominicis, & ſolemnibus feſtis, juxta Trident. *Seſſ. 5. cap. 2. de Ref.* *Sextò* debet adminiſtrare Sacramentum baptiſmi ſuis parochianis per ſe, vel per alium delegatum, *can. interdicimus 10. cau. 19. q. 1.* Item Sacramentum pœnitentiæ, quoties id juſta de cauſa petierint. Poteſt autem Parochus ſuorum ſubditorum ubique locorum confeſſiones audire; ut habet Azor. Pirh. &c. cùm habeat in eos juriſdictionem ordinariam in foro conſcientiæ, quæ ſinè ſtrepitu peragi poteſt ubique. Non poteſt autem ſubditorum alterius Parochi confeſſiones excipere; etiam intra limites propriæ Parochiæ, abſque ejus conſenſu. Sufficit verò aliquando etiam tacitus tantùm conſenſus ejus. Peregrinorum autem, & Vagorum confeſſiones poteſt Parochus excipere, etiam tempore Paſchali; dummodo de induſtria non receſſerint à ſuo domicilio; ut notat Pirhing. Sylv. &c.

5. Nota tertiò: Parochum præterea eſſe obligatum ſingulis Dominicis ſaltèm, celebrare Miſſam in propria Parochia, ut ei intereſſe poſſit populus. Circa hanc Miſſam ordinat *Canon 2. de Parochiis & 4. & 5. cau. 9. q. 2.* Et *Extrav. 2.* Sixti IV. *de Treuga & pace; inter communes*, ut Parochiani interſint prædictæ Miſſæ in Parochiali Eccleſia: attamen obſervantia, & obligatio horum canonum jam eſt abolita per continuam conſuetudinem contrariam; præſertim in locis, ubi plures extant Eccleſiæ; ita ut hodie quivis pro libitu audire poſſit Miſſam in Eccleſia quacunque, aut Oratorio; ut notat Sylv. Pirh. Gutier. Azor. &c. Et hinc etiam Tridentinum *Seſſ. 22. in decret. de obſerv. & evitand. in celebrat. Miſſ.* ait: monendum quidem populum, ut frequenter ad ſuos Parochos ſaltèm diebus Dominicis, & Majoribus feſtis accedant; non autem dicit eſſe cogendum ſcilicet pœnis, vel cenſuris, ut declarat S. Congregatio Concilij ibidem. Et Ordines Mendicantes hodie obtinent ſpecialia privilegia, vigore quorum ad eorum Eccleſias pro miſſis audiendis omnes Chriſti fideles accedere poſſunt, & ſatisfacere præcepto de audienda Miſſa: uti patet ex Bulla Leonis X. Et Pauli III. Et Pij V. Et declaratione S. Congregationis apud Averſam *q. 11. Sect. 19.*

CAP. XII.

De Prælatis Regularium, quà Ordinarijs Judicibus ſuorum ſubditorum.

1. Dico primò: Prælati confirmati Regularium, ut Generales, Provinciales, Abbates, Præpoſiti, Guardiani, Priores, Rectores, & ſimiles præfecti Provinciarum, Monaſteriorum, & Domuum Religioſarum, ſive ſint exempti à Jurisdictione Ordinariorum; ſive ſint eidem ſubjecti, obtinent Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem Jurisdictionem Ordinariam in ſuos ſubditos Regulares. Ita Tambur. Sylv. Svar. Sayr. Pirh. Sanch. Et ita conſtat ex *cap. Monachi; de ſent. excom.* Eſtque Ratio; quia Regularium Prælati reſpectivè ad ſuos ſubditos Regulares æquiparantur Epiſcopis, vel quaſi Epiſcopis, ſeu alijs Prælatis majoribus Eccleſiaſticis, infra dignitatem Epiſcopalem jurisdictionem habentibus. Et quia tales Prælati ſunt capita Eccleſiarum ex Legis præſcripto, per electionem, & confirmationem conſtituti locô Epiſcoporum, vel quaſi Epiſcoporum. Et quia Summi Pontifices amplisſimam Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem poteſtatem Ordinariam dederunt Prælatis Regularium reſpectu ſuorum ſubditorum; ut videre eſt in compendijs Privilegiorum variorum Ordinum, de quibus infra *tit. de Privil. & exceſſ. privileg.* Exceptis ijs, quæ propriè ad Ordinis Epiſcopalis poteſtatem pertinent; ut conferre Ordines, confirmare, &c.

2. Ex his infertur: Epiſcopos non poſſe regulariter exercere jurisdictionem Ordinariam Epiſcopalem in Regulares ſubditos, quoad illa, quæ pertinent ad vota, obſervationem Regulæ, Religioſam diſciplinam domeſticam, modum vivendi, quoad officia, & promotiones ad gradus Ordinum, juxta *cap. ad aures 5. de temp. ordinand.* item quoad correctionem, punitionem, aut alia, quæ pertinent ad Officium Prælati Ordinarij Regularis. Excipiuntur tamen *primò* caſus illi ſupra *cap. 9.* ex Concilio Tridentino relati. *Secundò* Prælati Regularium non exempti etiam non habent plenam, & quaſi Epiſcopalem jurisdictionem circa ſuos ſubditos in ijs, quæ ad externam diſciplinam Eccleſiaſticam communem Clericis ſæcularibus, & Regularibus pertinent; item quoad crimina graviora, & publicè ſcandaloſa punienda; ut habet Abbas Pirh. Sylv. &c. Et de hoc intelligendus ille textus *can. Monaſteria 17. cauſ. 18. q. 2. Monaſteria, vel Monachorum diſciplina ad eum pertinent Epiſcopum, in cujus territorio ſunt conſtituta;* ſcilicet in gravioribus delictis, præſertim exigentibus depoſitionem; ut exponit Gloſſa.

3. Dico ſecundò: Prælati confirmati Regularium obtinent etiam jurisdictionem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem reſpectivè in foro externo; unde cenſuras Excommunicationis, & alias ferre valent contra ſuos ſubditos, in quocunque loco exiſtant. Ita Gloſſa, Abbas, Navarr. Azor. &c. Et colligitur ex *cap. cùm in Eccleſiis 10. de major. & obed.* Et *cap. ſicut 33.* & ibi Gloſſa *de Simon.* Tum quia etiam circa ferendas cenſuras Prælati Regulares ſunt capita Eccleſiarum, legitimè conſtituta per legem; adeoque ab eadem lege in vim ſuæ Jurisdictionis Ordinariæ habent poteſtatem ferendi cenſuras. Dixi *in quocunque loco exiſtant*; quia cenſura ligat perſonam ſecundùm ſe, eamque comitatur, ſicut lepra leproſum, ubicunque locorum exiſtat; ut notat Tambur.

4. Dico tertiò: Prælati Regularium poſſunt vi ſuæ Jurisdictionis Ordinariæ Epiſcopalis, vel quaſi Epiſcopalis ſuos ſubditos graviter delinquentes incarcerare; jejuniis & ſimilibus pœnis caſtigare; & ſi incorrigibiles ſint, ejicere ex Ordine; ſervatis tamen Conſtitutitionibus Apoſtolicis, præſcriptis pro ejectione incorrigibilium. Ita Imol. Svar. Pirh. &c. Et ita conſtat ex *cap. ea quæ 8. de ſtatu Monach.* Et quidem incarceratio fieri poteſt à dictis Prælatis in quocunque loco ſubditus Regularis repertus fuerit, ſi ſit fugitivus; quia Jurisdictio Prælatorum Regularium provenit ex perſonali obligatione Religioſorum per vota ſecundùm Sedis Apoſtolicæ approbationem: quare omnis locus fugitivi eſt territorium talium Prælatorum, quoad capturam, & incarcerationem ſui Religioſi fugitivi perficiendam.

5. Dico quartò: Prælati Regulares Generales, & Provinciales poſſunt abſolvere ſuos ſubditos ab omnibus caſibus, à quibus poſſunt Epiſcopi de jure ſuos. Ita communis Canoniſtarum Regul. teſte Svar. *tom. 3. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2. n. 9.* Et deducitur ex *cap. Abbates, de Privileg. in 6.* ibi: *in quos Eccleſiaſticam, vel quaſi Epiſcopalem Jurisdictionem obtinent.* nam Jurisdictio in Regulares, quæ erat penes Epiſcopos, dum eſſent Regularium ſuperiores, tranſlata eſt in Prælatos præfatos Regularium.

6. Dico quintò: Regulares Prælati, cujusmodi ſunt Generales, & Provinciales, & Loca-

Digitized by Google

Locales, eorumque vices gerentes in abſentia principalium, poſſunt abſolvere ſuos Religioſos ab omnibus peccatis ante, vel poſt ingreſſum Religionis; etiam à caſibus Bullæ cœnæ, à quibuscunque occultis cenſuris; niſi exceſſus adeò enormes ſint, ut meritò ad Sedem Apoſtolicam eſſent deſtinandi. Et ita habetur in conceſſionibus Clementis IV. Sixti IV. & aliorum in *Mari Magno* Minorum, & Prædicatorum. Declaravit autem Sixtus IV. in Bulla ſua 14. Quinam exceſſus ſint enormes, & ad Sedem Apoſtolicam deſtinandi; ſcilicet Hæretici relapſi, Schiſmatici, Fallarij Literarum Apoſtolicarum, & deferentium arma ad infideles. Imò Svarez *tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 2. c. 21.* docet etiam has quatuor exceptiones eſſe ſublatas, & ſignanter Greg. XIII. dediſſe facultatem abſolvendi etiam relapſos; & colligitur ex Martini V. conceſſione, & Eugenij IV.

7. Dico ſextò: quamvis multi putent hæc privilegia eſſe revocata per annuam Bullæ Cœnæ publicationem: vero ſimilius tamen eſt, quòd non ſint revocata. Ita Rodrig. Svar. Diana &c. Ratio eſt; Tum quia non videtur præſumenda in Pontificibus inconſtantia, ut quod hodie conceſſere, mox alij ſinè ratione revocarent. Tum quia dicit Gregorius XIII. in ſua conceſſione, quam fecit P.P. Jeſuitis anno 1551. die 18. Maji, nullæ Societatis facultates cenſentur revocatæ per Bullam Cœnæ Domini: In hac autem conceſſione & alijs, communicant Regulares alij cum Societate JESU.

8. Ex his colligitur: Prælatos Regulares virtute ſuorum Privilegiorum poſſe abſolvere Fratres à quibusvis Cenſuris, vel à Jure, vel ab homine, non tamen nominatim, ſed generaliter latis. Imò Prælatos inferiores poſſe abſolvere ſuos ſubditos à Cenſuris per ſuperiores Prælatos latis, etiamſi nominati, & declarati fuerint, cenſuras majores incurriſſe; etiam quando eſſent declarati à Legato, aut Judice Apoſtolico, vel Epiſcopo; ſervatis tamen hiſce conditionibus. *Primò*, quòd abſolvendus antea recedat à contumacia. *Secundò*, ut ſatisfactionem exhibeat, vel præmittat, prout poterit. *Tertiò*, ut Judicem, à quo excommunicatus eſt, ſaltèm reddat certum de obedientia ei, & Eccleſiæ reddita, & abſolutione obtenta. Ita Svar. Rodrig. uterque, Miran. Port. &c.

9. Dico ſeptimò: ab ijsdem caſibus omnibus, & Cenſuris poſſunt Prælati Regulares abſolvere Novitios, qui jam ſuſceperunt habitum, vel qui de proximo eum ſunt ſuſcepturi. Ita S. Antoninus, Svar. Brug. &c. Et habetur in Privilegijs à Sixto IV. Clemente IV. & Paulo III. in Bulla *licet debitum* &c. conceſſis.

10. Dico octavò: Novitij qui propoſitum habent perſeverandi in Religione, quam ſuſcepêre, & vota emittere ſunt parati, abſoluti à Cenſuris reſervatis, quamvis poſtea à Religione recedant, in illas Cenſuras non reincidunt. Ita DD. Reg. Et conſtat ex Privilegio Clementis IV. in Bulla *noverint universi.* Et ex Bulla Pauli III. *licet debitum.* Et Eugenij IV. Bulla *injunctum* &c. Docetque Barthol. de Vecchijs, & alij DD.

11. Nota hìc: Quando in uno Conventu ſunt duo tantùm Sacerdotes, unus ſuperior, alter inferior, & ſibi injiciunt violentas manus; licèt de jure Ordinario unus non poſſit abſolvere alium; quia ambo ſunt excommunicati: tamen dico cum Tabiena, Suar. & alijs, quòd in neceſſitate poſſit excommunicatus alium excommunicatum abſolvere: quia neceſſitas non habet legem: & ſi poteſt excommunicatus in neceſſitate abſolvere à peccatis; poterit à fortiori à Cenſuris.

12. Dico nonò: Prælati Regulares poſſunt prædictam facultatem abſolvendi, tam intra, quàm extra Sacramentum exercere; Item poſſunt illam delegare cuicunque Confeſſario Regulari: Item poſſunt ſibi eligere de jure communi Confeſſarium, tam intra, quàm extra Ordinem, ad hujusmodi abſolutionem obtinendam. Ita Diana, Laym. Barboſ. &c. Ratio primi & ſecundi eſt; quia hujusmodi facultas cenſetur eſſe Ordinaria, & perpetua, utpote ſtabiliter dignitati, & Officio allegata; ut habet Portel. Sanch. &c. Et habens Ordinariam poteſtatem abſolvendi à reſervatis, poteſt illam intra, & extra Sacramentum exercere, & delegare. Tertium patet ex *cap. ne pro dilatione 9. de pœnit. & remiſſ.* Niſi obſtet ſpeciale ſtatutum Ordinis.

13. Dico decimò: Prælati Regulares Generales, & Provinciales, Abbates, & alij majores quà Ordinarij ſuorum Religioſorum, & Epiſcopalem Juriſdictionem habentes poſſunt etiam ſibi reſervare aliquos caſus in abſolutione eorundem ſubditorum. Ita Rodrig. Svar. Pirh. Tambur. &c. Ratio eſt; quia ita conſtat ex Conſtitutione Clementis VIII. edita anno 1593. die 26. Maji. Et quia hujusmodi poteſtas reſervandi memoratis Prælatis neceſſaria eſt ad ſalutare regimen ſuorum ſubditorum Religioſorum.

14. Nota autem primò: memoratum Clementem aliquomodo reſtrinxiſſe authoritatem dictorum Prælatorum Regularium circa

Digitized by Google

circa caſuum reſervationem reſpectivè ad ſuos ſubditos, & ordinâſſe, ut ipſi poſthac cum conſenſu Capituli Generalis, vel Provincialis reſervent ſibi aliquos ex ſequentibus undecim: *Primus*, veneficia, incantationes, & ſortilegia: *Secundus*, apoſtaſia à Religione: *Tertius*, nocturna, ſeu furtiva egreſſio è Monaſterio: *Quartus*, proprietas: *Quintus*, juramentum falſum: *Sextus*, procuratio, auxilium, & conſilium ad faciendum abortum: *Septimus*, falſificatio manûs, vel ſigilli Ordinis, vel cujusvis alterius Prælati, vel perſonæ notabilis: *Octavus*, furtum de rebus Monaſterij: *Nonus*, lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus: *Decimus*, occiſio, vel vulneratio, ſeu gravis percuſſio, vel mina gravis contra Prælatum: *Undecimus* retardatio, vel apertio malitioſa literarum ſuperiorum majorum.

15. Nota ſecundò: Clementem VIII. non ordinâſſe, ut omnes undecim præfatos caſûs Prælati Generales, vel Provinciales Ordinum ſibi reſervent neceſſariò: ſed aliquos eorum, quos judicant magis expedire bono regimini ſui Ordinis. Item in præfata Conſtitutione idem Pontifex non reſtrinxit ſimpliciter authoritatem Prælatorum reſervandi ſibi præterea aliquos alios caſus, præter ſpecificatos; ſed ſolùm præcipit, ut ſi quod aliud peccatum grave pro Religionis conſervatione, aut conſcientiæ puritate, reſervandum videretur, id non aliter fiat, quàm in Capitulo generali, vel provinciali, præviâ maturâ diſcuſſione, & conſenſu Generalis, vel Provincialis, uti habetur *ibidem*: unde in Ordine meo D. Franciſci Generales cum conſenſu Capituli Generalis; non tantùm illos undecim; ſed in univerſum novemdecim ſibi reſervârunt caſus; uti continetur in ſtatutis Generalibus Ordinis *cap. 7. §. 3.* Dicit etiam Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 21. art. 2.* illam limitationem, ut ſcilicet Generales, vel Provinciales in Capitulis tantùm faciant reſervationes ſuorum caſuum, non eſſe uſu receptam in aliquibus Religionibus; & ſignanter in noſtra Franciſcana; ſed quòd Generales, & Provinciales ſibi reſervare poſſint caſus aliquos, quando ipſis videbitur, etiam extra Capitula. Varias doctrinas alias reſervationem caſuum concernentes, vide *in Schola mea Theologica, tom. 3. tract. de Sacramentis diſt. 11. q. 5. 6. 7. & 9.*

16. Dico undecimò: Prælati Regulares poſſunt cum ſuis ſubditis Religioſis diſpenſare juſta de cauſa in quibusdam obſervantijs Regulæ, & Conſtitutionum; niſi id ſpecialiter in eadem Regula, aut lege ſpeciali ſtatutali, aut Pontificia prohibeatur, vel niſi diſpenſatio cadat ſuper vota eſſentialia, & aliquod punctum ſubſtantiale talis Religionis. Ita Azorius, Pirhing. &c. Ratio eſt; quia hujusmodi Prælati ſunt Ordinarij ſuorum Religioſorum circa ſpectantia ad Regulam; adeoque occurrente legitima cauſa, vel neceſſitate poſſunt in obſervantia Regulæ diſpenſare modô prædictô. Quanta autem ſit poteſtas cujuslibet Prælati Generalis, vel Provincialis circa diſpenſationes ſuper Regulæ articulos, vel Conſtitutiones Ordinis, ea metienda erit ex Conſtitutionibus receptis proprij Ordinis; vel ex ipſamet Regula; vel ex conſuetudine; vel facultate Apoſtolica ſpeciali.

17. Dico duodecimò: Præfectæ Monialium, ut Abbatiſſæ, Matres, Prioriſſæ, Prapoſitæ, & ſimiles propriè loquendo non habent Ordinariam Jurisdictionem Eccleſiaſticam circa ea quæ pertinent ad claves Eccleſiæ, per quas traditur poteſtas ligandi, vel ſolvendi. Ita communis DD. Ratio eſt; quia nuſquam leguntur Sacri Canones aliquam Eccleſiaſticam, ſeu ſpiritualem Jurisdictionem conceſſiſſe mulieribus Religioſis præfectis circa ea, quæ pertinent ad claves Eccleſiæ; unde etiam in Jure Civili à Civilibus Officijs excluduntur *L. 1. ff. ad SC. Vellejan.* Quare nulla Abbatiſſa poteſt excommunicare, aut alias cenſuras ferre ſe ſolâ, vel cum toto Conventu; neque condere legem propriam; neque abſolvere à Cenſuris; ut habet Gloſſa, & communis TT.

18. Nota tertiò: præfatæ tamen Præfectæ Monialium ex delegatione Prælatorum Eccleſiæ acquirunt imitatitium quendam uſum, ſeu ſimilare exercitium ſpiritualis Jurisdictionis in ſuas Moniales; imò & in Clericos beneficiarios; ita ut non ſolùm beneficia conferre; ſed etiam Clericos in parochijs, & alijs beneficijs pleno jure ſibi ſubjectis inſtituere poſſint; ut habet Gloſſa, Sylveſt. &c. quod tamen eſt intelligendum de inſtitutione, per quam datur titulus, & poſſeſſio; non autem de inſtitutione authoritativa, per quam datur poteſtas ligandi, & ſolvendi, ac cura animarum; cujus mulier non eſt capax; ut habet Pirh. Sylv. &c. Etſi oppoſitam ſententiam Abbas, & Azor. etiam putent eſſe probabilem. Dictas Præfectas etiam poſſe præcipere in virtute S. Obedientiæ circa ea, quæ ad animæ ſalutem pertinent; & Moniales tenentur obedire ei ſub peccato; uti tenet Azor. & alij; quia Præfectæ tales funguntur munere publico. Oppoſitum ſuſtinet Rodrigu. Sanch. &c.

19. Dico decimotertiò: tam Abbates, & Præ-

Digitized by Google

Prælati alij Regulares Religionum capacium bonorum, quàm Abbatiſſæ, ac aliæ Præfectæ Monialium habent poteſtatem Dominativam, ſeu gubernativam liberam temporalem, ac politicam adminiſtrandi, & regendi monaſteria in temporalibus. Ita communis. Ratio eſt; quia eam acquirunt vi ſuæ electionis, ſicut alij ſuperiores Regulares; nec ullo Jure Canonico hæc ipſis adempta legitur.

20. De alijs Judicibus Ordinarijs Eccleſiaſticis, puta Archi-Diacono, Vicario generali, Archi-Presbytero &c. jam dictum eſt ſupra, *in ſuis titulis ſpecialibus.*

CAP. XIII.

De Judicibus Ordinarijs in Ordine S. Franciſci.

1. Nota primò: Miniſter Generalis totius Ordinis F.F. Min. de Obſerv. & Ref. eſt Judex Ordinarius ejuſdem, habens juriſdictionem ordinariam, & poteſtatem ſupremam in univerſos, & ſingulos Fratres, ac Moniales ſubditas ejuſdem. Ita Roder. Mirand. Sanct. & communis D.D. Ordinis. Et conſtat ex Conſtitutionibus Generalibus *cap. 8. §. 11. n. 2.* Eſtque Ratio; quia Miniſter Generalis Ordinis noſtri Franciſcani habet poteſtatem pleniſſimam, ac ſummam in toto Ordine, ut oſtendit Roder. *tom. 1. q. 17. art. 3.* ratione cujus non tantùm æquiparatur Epiſcopis; ſed & Archi-Epiſcopis, Primatibus, & Patriarchis, teſte eodem Roder. Mirand. & Sanct. Unde ſicut Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, & Patriarchæ ex ſupra dictis *cap. 5. & 6.* ſunt Judices Ordinarij, & habentes ordinariam juriſdictionem in ſuas Diœceſes; ita & Miniſter Generalis in totam Diœceſim ſui vaſtiſſimi Ordinis. Et propterea etiam vocatur quaſi Patriarcha, & Princeps Seraphici Ordinis à Lant. Roder. Mirand. Sanct. Et propterea is etiam debet vocari ad Concilium Generale, ubi habet votum conſultivum, & activum, teſte Lant. in *Theat. Reg.* ver. *Miniſter Generalis.* Et debet convenire cum alijs Generalibus Ordinum ad Capellam Pontificiam, ex *eodem Lant.* Ex his

2. Infertur primò: à juriſdictione, & obedientia Miniſtri Generalis nullum Fratrem Minorem Obſervantem, vel Reformatum eſſe exemptum; uti etiam patet ex *cit. cap. 8.* Et habetur in *cap. 1.* Regulæ Seraphicæ ibi, *& alij Fratres teneantur Fratri Franciſco, & ejus Succeſſoribus obedire.*

3. Infertur ſecundò: Juriſdictionem Miniſtri Generalis Ordinis noſtri Franciſcani imprimis ſeſe extendere ad ea, ad quæ de Jure communi ſe extendit Juriſdictio ordinaria Generalium Prælatorum aliorum Ordinum; de qua *priori cap.* actum fuit. Deinde ad plura alia particularia Ordinis noſtri Franciſcani; non tamen ad omnia prorſus agibilia in Religione univerſa: cùm per Jus regulare Ordinis, ſeu per Capitula Generalia, & Conſtitutiones Generales in aliquibus limitata fuerit authoritas ejus: Capitulum enim Generale condens Conſtitutiones Generales limitativas ejus poteſtatis eſt ſupra Generalem; uti declaratum fuit in Capitulo Generali Romano Anno 1639. celebrato. Quare ſynopticè ea, quæ ut Judex Ordinarius, & quaſi Patriarcha, ac Princeps Ordinis agere; & quæ non agere poteſt, in ſequentibus afferam ex Conſtitutionibus Generalibus Ordinis, reſcriptis Apoſtolicis, & Lant. Sanct. Roder. cæteriſque DD. Ordinis. Unde

4. Nota ſecundò: Miniſter Generalis Ordinis noſtri poteſt recipere appellationes, à Miniſtris Provincialibus, & alijs inferioribus Judicibus ad ſe factas. Ita Conſtitutiones Generales *cap. 8. §. 11. n. 3.* Item diſceſſurus ex ſua Familia poteſt inſtituere Commiſſarium Generalem ejuſdem, cum aliquorum Diſcretorum Ordinis conſilio; *ibidem num. 4.* Item poteſt Procuratorem Ordinis, & Commiſſarium Curiæ Romanæ inſtituere, de conſilio Diffinitorum Ordinis ejus familiæ, ex qua prædictus Procurator, vel Commiſſarius Curiæ aſſumitur; *ibidem n. 6.* ſimiliter inſtituere valet Commiſſarium Generalem Indiarum, *ibidem n. 7.* Et Guardianum Hieroſolymitanum, ac Conſtantinopolitanum, de Conſilio tamen Diſcretorum Ordinis Familiæ Ciſmontanæ; *ibid. n. 8.* Poteſt item Congregationem intermediam alterius Familiæ celebrare, in ea præſidendo, & electionem Commiſſarij electi confirmando; *ibid. n. 10.*

5. Nota tertiò: Præterea plura alia opera à Generali Miniſtro noſtro vigore authoritatis, officij, & Juriſdictionis ſuæ Miniſterialis, ac Apoſtolicis conceſſionibus factibilia enumerat compendium privilegiorum, variæ Conſtitutiones Ordinis, & Lantuſca in *Theat. Reg.* ac Sanct. Roder. Portel, Mirand. & ſparſim alij DD. Ordinis: poteſt enim condere decreta obligantia pro tempore ſui Generalatûs. Poteſt mittere idoneos Religioſos ad partes infidelium. Poteſt dimittere Conventum Fratribus incommodum. Poteſt abſolvere omnes ſuos ſubditos à caſibus etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis; exceptis infra *not. 5.*

Digitized by Google

not. 5. relatis. Item diſpenſare in irregularitatibus varijs, de quibus Conſtitutiones Generales Ordinis *cap. 7. §. 4. n. 1.* Et DD. Ordinis. Poteſt interpretari Conſtitutiones Generales Ordinis. Poteſt diſpenſare cum excommunicatis, ſuſpenſis, & interdictis occultis in foro interno. Poteſt diſpenſare cum mutilantibus, & mutilatis. Poteſt eligere Miniſtrum Provincialem in prima inſtitutione alicujus Provinciæ novæ: Item quando Electores alicujus Provinciæ ob diſcordiam, vel negligentiam debito tempore non elegerunt; ex Provincia tamen eadem. Poteſt ſibi eligere Confeſſarium quemcunque ſui Ordinis non approbatum, qui approbatur per ipſam electionem; juxta Sanct. & patet ex *cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ.* Poteſt ingredi Monaſterium Monialium ad proponendum Verbum DEI, ſed aſſociatus duntaxat quinque Socijs, & non pluribus. Poteſt diſpenſare cum Monialibus, & Clericis ignorantibus Divinum Officium. Poteſt diſpenſare cum Monialibus illegitimis, ut eligi poſſint in Abbatiſſas. Et cum puella ſeptenni ut induat habitum in clauſura Monialium, in ordine ad Monachatum. Poteſt inſtituere Lectores, Prædicatores, & Confeſſores extra Capitulum. Poteſt declarare Bullas Apoſtolicas dubias, quæ agunt de regimine interno, & externo noſtræ Religionis. Poteſt diſpenſare omnia ſtatuta Ordinis, quæ non habent clauſulam prohibitivam, vel irritantem ex Decreto Capituli Generalis. Poteſt eximere Conventum Fratrum, & Monialium à juriſdictione Provincialium, juſtis de cauſis. Poteſt dare commiſſionem alicui Patri qualificato ad præſidendum in Congregatione Generali alterius Familiæ. Poteſt mittere Commiſſarios Viſitatores ad viſitandas ſuo nomine Provincias. Poteſt inſtituere Vice-Commiſſarium Generalem Indiarum Hiſpali; item in Belgio. Poteſt aſſignare Fratres pro Familia Terræ ſanctæ; uti & Commiſſarios Generales ejuſdem inſtituere. Poteſt Abbatiſſam ſibi ſubjectam inſtituere, corrigere, & deſtituere. Poteſt punire quoſcunque tranſgreſſores Regulæ; reformare Provincias, & Conventus relaxatos; diſcolos expellere; & Obſervantiam Regulæ in brachio extento reſtituere. Poteſt inſuper continuare Commiſſarium Generalem, quando Capitulum intermedium aliquo caſu fatali non poteſt celebrari. Item poteſt reſtituere habitum dejecto, juxta *cap. fin. de Regular.* & Declarationem S. Congregationis Concilij, quã refert Sanctorus. Item poteſt diſpenſare in ſententijs latis, ab inferioribus Judicibus, & pœnis inflictis contra varios reos, & criminoſos; ſi juſtæ ſubſint cauſæ. Item poteſt diſpenſare aliquando in præceptis Regulæ; ut de equitatione, jejunijs, recitatione horarum Canonicarum, & ſimilibus; quando legitima, & gravis cauſa adeſt; ut notat Sanct. Mirand. &c.

6. Nota quartò: Putat etiam Sanctorus contra Mirand. Miniſtrum Generalem poſſe transferre Provincialem ex una in aliam Provinciam; ſi hoc ita requirat quies publica Provinciæ. Similiter fundare aliquam Provinciam novam; & jam fundatam dividere in Capitulo Generali: ſic in Capitulo Generali Romano 1612. Miniſter Generalis pro tempore cum conſenſu Diffinitorij Generalis erexit decem Provincias novas in Indijs; & ſic etiam nuper in ultimo Capitulo Generali Toletano ſub Patre Samaniego Miniſtro Generali, de meo, aliorúmq; Collegarum Diffinitorum Generalium, ac aliorũ Patrum conſenſu, aliquæ Provinciæ in Indijs diviſæ, & de novo erectæ fuerunt. Quare Conſtitutio Nicolai IV. prohibens ejuſmodi erectiones, & diviſiones abſque Sedis Apoſtolicæ facultate, videtur eſſe antiquata.

7. Nota quintò: Non poteſt autem Miniſter Generalis præſtare ſequentia ſecundùm Compendium privilegiorum, & varias Conſtitutiones Ordinis, ac Lant. Roder. Mirandam, alioſq; ac Ordinis DD. *Primò* non poteſt diſpenſare ſuper Conſtitutiones Apoſtolicas, præterquam in caſibus per privilegia Papalia permiſſis; nec contravenire Decretis S. Congregationis. *Secundò* non poteſt diſpenſare in Conſtitutionibus Generalibus Ordinis, ubi per Capitulum Generale Decreto irritante prohibetur. *Tertiò* non poteſt diſpenſare ſuper requiſita ad electionem Provincialium, Diffinitorum, ac Guardianorum, ex Declaratione Sac. Congreg. Epiſcop. & Regular. die 14. Januarij Anno 1652. *Quartò* non poteſt inſtituere Patres Provinciæ; nec Provinciales; nec Cuſtodes, nec Guardianos; exceptis *ſupra not. 5. relatis.* *Quintò* non poteſt concedere privilegium contra prohibitionem Conſtitutionum Generalium. *Sextò* non poteſt aliquem privare officiô, cui annexa eſt Juriſdictio, abſque ſufficienti cauſa. *Septimò* non poteſt eximere Fratrem in Conventu actu perſeverantem ab obedientia Guardiani; nec Guardianum actualem ſolum à Juriſdictione Provincialis, remanente Conventu ſubdito. *Octavò* non poteſt Commiſſario delegato concedere finitô Officiô aliquam præeminentiam. *Nonò* non poteſt diſpenſare cum homicidis publi-

Digitized by Google

publicis. *Decimò* non poteſt abſolvere ab hæreſi, etiam occulta. *Undecimò* non poteſt diſpenſare ſtatuta, in quibus dicitur, *ut diſpenſet.* *Duodecimò* non poteſt impedire, aut ſuſpendere Electiones, vel functiones Capitulares jam inchoatas. *Decimotertiò* non poteſt mittere Commiſſarium ad præſidendum Congregationi Provinciali; niſi ob gravem caſum. *Decimoquartò* non poteſt abſolvere relapſos in hæreſim, Schiſmaticos, falſarios litterarum Apoſtolicarum, delatores armorum prohibitorum ad infideles, & conſpiratores in Romanum Pontificē. *Decimoquintò* non poteſt abſolvere violatores clauſuræ Monialium ad malum finem; ipſas verò Moniales poteſt. *Decimoſextò* non poteſt diſpenſare, ut unus Guardianus habeat duos Guardianatus. *Decimoſeptimò* non poteſt diſpenſare in votis eſſentialibus Regulæ; &c.

8. Dico primò: Commiſſarius quoque Generalis Familiæ Ciſmontanæ, vel Ultramontanæ, Vicarius Generalis, & Vice-Commiſſarius Generalis ejuſdem, ſunt pariter Judices Ordinarij Familiæ. Ita Conſtitutiones Generales *cap. 8. §. 23. n. 4.* Unde eadem poſſunt operari in illa, quæ Miniſter Generalis; ijs exceptis, in quibus limitantur per Conſtitutiones Ordinis; aut Generalis Miniſtri ſpecialem reſervationem; aut per ſancita Apoſtolica. Et quæ Miniſtro Generali vi officij non competunt; neque ab his fieri poſſunt: hi enim omnes ſuccedunt in poteſtatem Miniſtri Generalis; & ſubrogatum ſapit naturam ejus cui ſubrogatur, *cap. majores, de baptis.*

9. Dico ſecundò: Similiter noſtri Procuratores Generales, & Commiſſarij Curiæ Apoſtolicæ ſunt Judices ordinarij omnium Apoſtatarum, ad eos Romam recurrentium. Ita Sanctorus, Roder, S. Severino, &c. DD. Et conſtat ex Conſtitutionibus Ordinis modernis, *cap. 2. & 8.* Et varijs antiquioribus.

10. Dico tertiò: Etiam Miniſter Provincialis eſt Judex ordinarius ſuæ Provinciæ, habens juriſdictionem ordinariam in univerſos Fratres, & Moniales ſubjectas ejuſdem. Ita Sanct. Roder. & DD. Ordinis. Et conſtat ex Conſtitutionibus generalibus Ordinis *cap. 8. §. 47. n. 3.* ubi dicitur, *ab ordinaria juriſdictione, obedientia, & viſitatione Provincialis nullus Fratrum, nulla Monialis, nullum Monaſterium, aut Conventus in ſua Provincia exempta ſint; ſed ei omnes obediant in ijs, quæ non ſunt contra animam, & Regulam noſtram, & immediatè ſubſint; niſi quando Generalis per ſe, aut per ſuos Commiſſarios viſitaverit.* Ex his

11. Infertur primò: Miniſtrum Provincialem quà Ordinarium Judicem poſſe exercere ea omnia in ſua Provincia, quæ Provincialis aliorum Ordinum de Jure communi; de quibus *priori cap.* actum eſt. Præterea ſecundùm varias noſtri Ordinis Conſtitutiones, & DD. ejuſdem, ſpecialiter ſeſe extendit ejus poteſtas, & Juriſdictio ordinaria ad ſequentia. *Primò* poteſt ſingulis annis bis viſitare ſuam Provinciam; uti habetur in Conſtit. General. *cap. 8. §. 47. n. 2.* Poteſt proceſſare, ſententiare, cenſurare, punire, animadvertere, & caſtigare in forma Canonica quoſcunque delinquentes ſubditos Fratres, & Moniales ſubjectas; *ibidem n. 4.* Poteſt examinare in omnibus Viſitationibus per ſe, vel per alios idoneos Fratres Confeſſarios ſæcularium, *ibidem n. 5.* Poteſt conſtituere Commiſſarium Provincialem, quando ob juſtam cauſam ad tempus notabile egreditur Provinciam; ſed mediante electione præviâ, & ſuffragijs Diffinitorij, *ibidem n. 8.* Poteſt urgenti de neceſſitate mittere Judices delegatos, & ſuos Commiſſarios pro certis negotijs ad aliquos Provinciæ Conventus; *ibidem n. 15.* Poteſt ordinariè Congregationi intermediæ præſidere; niſi ob graviſſimam aliquam cauſam à P. Generali, vel Protectore, vel Summo Pontifice alius Præſes ſubmitteretur; *cap. 8. §. 46. n. 3. & 6.* Poteſt in præfata Congregatione abſque injuria non continuare Guardianos, qui triennium necdum in regimine compleverunt; *ibidem n. 8.* Poteſt ingredi ſepta clauſuræ Monialium ſibi ſubjectarum ex cauſa viſitandæ ejuſdem, aut alia urgenti; ſed cum duobus duntaxat Socijs; *cap. 11. §. 4. n. 12.* Ac eaſdem Moniales viſitare Canonicè. Item bona earundem Monialium im̄obilia, cenſus, & ſimilia recognoſcere, atque in inventarium redacta inſerere Archivo ſuæ Provinciæ; *cit. cap. §. 7. n. 1.* Poteſt pariter recognoſcere locationes eorundem immobilium; & alia operari circa cenſus, legata, dotes, & redditus eorum; *ibidem num. 3. 4. & 5.* Item rationes totius adminiſtrationis bonorum Conventûs, & aliorum ab Abbatiſſis, & alijs Adminiſtratoribus exigere; *ibidem n. 9.* Item præſidere electionibus quibuſcunque Abbatiſſarum, Matrum, Præfectarum, ac aliarum quarumcunque Monialium; *ibidem §. 9. n. 3.* Item ferre cenſuras, contra eaſdem, & Fratres; uti facere poſſunt alij Prælati majores aliarum Monialium Subditarum ex Jure communi, *priori cap.* relato pro *Concl. 2.* aſſignare Confeſſarios iiſdem Monialibus ordinarios, & extraordinarios; *cit. cap. §. 17. n. 11. & 2.*

12. Infertur ſecundò: Eoſdem Miniſtros Provinciales quà Ordinarios Provinciæ poſſe conſtituere Pœnitentiarios Fratrum, cum poteſtate abſolvendi à caſibus reſervatis; *cap. 7. §. 2. n. 3.* Caſus aliquos particulares ſibi cum conſenſu Capituli Provincialis reſervare; de quo vide dicta *priori cap. not. 2.* Item approbare Confeſſarios Fratrum; *cit. cap. §. 1. num. 1.* imò & ſæcularium, ſervatis ſervandis; *ibidem.* Item circa abſolutionem à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, diſpenſationem cenſurarum, & irregularitatum; item circa diſpenſationem in certis obſervantijs Cõſtitutionum Provincialium, & præceptis quibuſdam Regulæ reſpectu ſuorum ſubditorum, ſubditarúmque poteſt Miniſter Provincialis in ſua Provincia, idem, quod Generalis Miniſter in toto Ordine; niſi in aliquibus eſſet expreſsè limitata ejus poteſtas per Conſtitutiones Generales: eſt enim Ordinarius horum quaſi Epiſcopalem authoritatem habens, & ejuſdem authoritatis cum Provincialibus aliarum Religionum, qui hæc poſſunt præſtare, ex dictis *priori cap.* Item poteſt condere decreta tempore ſui Officij obligantia; ob eandem rationem. Item poteſt ſuffragari pro electione Miniſtri Generalis juxta Conſtitutiones Generales Ordinis, *cap. 8. §. 10. n. 7.* Et in ſuis Capitulis, ac Congregationibus Provincialibus; ac quibuſvis alijs congreſſionibus; *ibidem.* Poteſt ſibi eligere Confeſſarium Ordinis, etiam non approbatum, qui approbabitur per ipſam electionem; ut notat Sanct. & conſtat ex *cap. ne pro dilatione, de pœnit. & remiſſ.* Poteſt mittere Clericos ad Ordines; recipere Novitios ad Religionem, & Profeſſionem; interpretari leges Provinciæ; &c.

13. Nota ſextò: non poſſunt autem Miniſtri Provinciales ſequentia. *Primò* in Patres Ordinis, vel Provinciæ non poſſunt notabiliter animadvertere; niſi ex probata cauſa; & de conſilio, ac aſſenſu majoris partis Patrum Provinciæ; aut Capituli Provincialis, *arg. cap. 8. Conſtitutionum Generalium §. 56.* ibi, *neque præterea in Provincialem Miniſtrum, &c.* *Secundò* nequeunt celebrare Congregationem intermediam capitularem abſque prævia admonitione Miniſtri Generalis; *cit. cap. §. 46. n. 3.* *Tertiò* nequeunt recipere nova loca pro Conventibus extruendis, abſque ejuſdem facultate; ita Conſtitutiones Generales *cap. 6. §. 6. n. 1.* *Quartò* nullus Provincialis poteſt ſe eximere à Juriſdictione, & obedientia Commiſſarij Viſitatoris; *ibidem cap. 8. §. 47. n. 7.* *Quintò* nullus pariter poteſt mittere Fratres extra ſuam Provinciam; niſi ad contiguas: nec ad præſentiam Generalis; niſi ob negotium arduum, & ſalvâ Conſtitutione Urbani VIII. *ibidem n. 18.* *Sextò* nequit etiam diſpenſare in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Decretis Sac. Congregationis; niſi in caſibus, ubi apertum adeſt Privilegium Papale: cùm hoc nec Generalis poſſit præſtare, ex dictis ſupra *not. 5.* *Septimò* nequit diſpenſare in ſtatutis Provincialibus, ubi id ei expreſsè prohibetur; *arg. Conſtitutionis Generalis Ordinis cap. 8. §. 11. n. 11.* *Octavò* nequit regulariter diſpenſare ſuper requiſita ad Officium Guardianorum, *arg. declarationis S. Congreg. Epiſcop. & Regul.* die 14. Junij Anno 1652. editæ, ubi hoc Generali prohibetur. *Nonò* tandem neque poteſt facere ea in ſua Provincia, quæ Generalis facere nequit in Ordine; & referuntur ſupra *not. 5.* cùm ejus Juriſdictio ordinaria ſit inferior poteſtate Generalis.

14. Nota ſeptimò: Quæ hactenus dicta ſunt de poteſtate ordinaria Miniſtri Provincialis; eadem pariter procedunt de poteſtate Vicarij Provincialis, qui efficitur Judex Ordinarius Provinciæ; & de eo verificatur quoque illud *cap. majores de baptis.* quod ſubrogatum ſapit naturam ejus, cui ſubrogatur.

15. Dico quartò: etiam Guardianus eſt Judex Ordinarius ſui Conventûs, habens Juriſdictionem ordinariam, in ſingulos Fratres ejuſdem. Ita Sanctorus, Roder. Mirand. &c. DD. Ordinis. Eſtque ratio; quia eſt Prælatus juxta *cap. exivi, de verb. ſignif. in 6.* Unde habet Juriſdictionem Eccleſiaſticam talem, qualem habent Parochi, & Curati animarum. Idem dicendum de Vicarijs Conventuum, qui regunt abſque alio Superiore locali, & vocantur *Præſidentes.*

16. Nota octovò: hæc Juriſdictio, & authoritas ordinaria Guardianorum tanta eſt in ſuo Conventu, quanta Provincialis in Provincia; exceptis ijs, in quibus limitata eſt per Conſtitutiones Generales, Provinciales, Decreta Apoſtolica, & Sac. Congregationis; uti habet Sanct. & Lantus. in Theat. reg. ver. *Guardianus*; quare de ea in particulari non me extendo.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXXII.
DE OFFICIO JUDICIS.

CAP. I.
Quid ſit Judex; quis fieri poſſit; & quotuplex ejus Officium.

1. NOta primò: poſtquam *in Prioribus titulis* Juris de quibusdam Judicibus in particulari; ut de Judice delegato, & de Judice Ordinario actum fuit; meritò *in hoc* tractatur de Judice in genere. Dicitur autem Judex quaſi *Jus dicens populo, cap. forus 10. §. Judex, de verb. ſig.* nam Judicis Officium eſt, cognoſcere cauſas, & crimina, ac pronunciare deſuper Jus. Unde

2. Dico primò: rectè deſcribitur Judex, quòd *ſit perſona publica, legitima, & vir bonus, juris & æqui peritus, habens poteſtatem publicam cauſas enatas cognoſcendi, judicandi, & ſententiam ferendi ſecundùm jura recepta, vel conſuetudines probatas.* Ita colligitur ex *cit. cap. forus.* Dicitur *perſona publica, legitima*; nam non quivis poteſt eſſe Judex; cùm à Legibus complures repellantur à judicandi munere; ut mox dicetur. Dicitur *vir bonus*; quia Judex debet eſſe incorruptus, prudens, & conſtans, debet ſeponere reſpectum perſonarum, ut amicorum, conſanguineorum, &c. & juſtitiam cuivis adminiſtrare; nam non eſt Judex, ſi non ſit in eo juſtitia, inquit *cit. cap. forus, §. in omni.* Item *cognoſcendo cauſas neque excandeſcere adverſus eos debet, quos malos putat; neque precibus calamitoſorum illacrymari; id enim non eſt conſtantis, & recti Judicis, cujus animi motum vultus detegit,* dicit J.C. *in L. obſervandum, §. 1. ff. de Officio Præſidis.* Dicitur *Juris & æqui peritus*; nam cùm Judex ſecundùm ſtatuta, & leges debeat ferre ſententiam, debet meritò eſſe expertus in Jure, & intra æquitatis cancellos verſatus. Additur *habens poteſtatem publicam cauſas cognoſcendi, judicandi, & ſententiam ferendi,* ad differentiam arbitri, qui non eſt verus Judex; cùm ei privata duntaxat poteſtas à partibus ipſis litigantibus ſit data ad cognoſcendum cauſas; quæ Judicem facere nequeunt, *L. privatorum, C. de Jurisd. om. Jud.* Ly tandem *ſecundùm jura recepta, vel conſuetudines probatas,* oſtendit, Judices, præſertim inferiores, debere judicare ſecundùm Leges publicas; ut habetur *cap. 1. de conſtit.*

3. Nota ſecundò: Officium Judicis Interpretes vulgò dividunt in nobile, & mercenarium. *Nobile* appellant, quod non ſubſervit ulli actioni inſtitutæ; ſed per ſe imploratur, & à Judice exercetur authoritate Juris, quandoque motu proprio, ut dum v. g. inquiritur circa crimina commiſſa punienda; quandoque ad petitionem partis, licèt nulla inſtituatur, vel competat actio Ordinaria; ut ſi v. g. minor, vel Eccleſia læſa contractu aliquo imploret Officium Judicis, ut in integrum reſtituatur, *tot. tit. D. de Minor.* Et *cap. 2. de reſtit. in integr.* Hoc Officium nobile Judicis, vocatur etiam *auxilium Prætoris, Inſtit. de noxal. action.* Item *merum Prætoris Officium, L. ſtipulationum 5. de verb. oblig.* *Mercenarium* appellant, quod juri, & actioni civili ſubſervit; ut videlicet actio inſtituta meliùs procedat, & exitum habere poſſit; adeò ut ceſſante actione, ceſſet & Officium illud; & hoc Officium Judex impertire non poteſt, niſi ad inſtantiam actoris, ſive præcedente actione, per quam ab eo petitur, quod ſua intereſt, ſive quod ſibi ab altero debetur. Hujusmodi Officium vocatur etiam *merum Judicis Officium*; *Inſtit. de diviſ. ſtipul.* Dicitur autem *Mercenarium*, eò quòd Judex in tali Officio non ſit liber; ſed ſequi debeat naturam actionis propoſitæ, cui proinde Officium mercenariô quaſi modô debet ſubſervire.

4. Dico ſecundò: Judices prohibentur eſſe ſequentes; ſcilicet formales Servi; fœminæ; defectuoſi in naturalibus, ut ſurdi, muti, furioſi, cæci, & impuberes; infames; cenſuris litigati; hæretici, & ſchiſmati; ac moti ſenatu. Ita communis DD. Primum *de ſervis* ſtatuitur *L. cùm prætor ff. de re judic.* Ratio ſecundi de *fæminis* eſt; quia hæ tum ob verecundiam ſexûs, tum ob imbecillitatem arcentur à Judicis munere, *can. mulierem; can. 33. q. 5.* Et *L. 3. ff. de Reg. Jur.* Tolerantur tamen Regiæ, & Principes fæminæ in jurisdictione, & gubernio; præſertim ubi Jure hæreditario Regnum vel Principatum obtinent: Similiter & Abbatiſſis conceditur ratione di-

Digitized by Google

gnitatis aliqua Juriſdictio, & Judicium (non tamen Ordinarium) ut debitè gubernare valeant ſubditas Moniales, & bona Monaſterij; ut habet Panorm. Barboſ. &c. Ratio tertij de *ſurdis, mutis, furioſis, cœcis, & impuberibus* eſt; quia ſurdi, muti, & cœci, corporis; Secundi verò animi vitiô à Judicando impediente laborant, *L. Prætor. 12. in princ.* Et *in fin. ff. de judiciis.* Et *L. cæcus 6. ff. de judiciis.* Quartum *de infamibus* conſtat ex *L. cum Prætor, ff. de judiciis.* Ratio quinti *de cenſuratis, hæreticis, & ſchiſmaticis* eſt; quia hi excluduntur à munere Judicis per *cap. quod Sedem, de Offic. Judic. Ord.* Et *can. audivimus, cau. 24. q. 1.* Et *cap. excommunicamus, de hæret.* Ultimum *de motis ſenatu* conſtat ex *L. cit. cùm Prætor.*

CAP. II.

Quæ potiſſimè ad Officium Judicis pertineant.

1. Dico primò: Judex ex Officio ſuo tenetur litigantes componere. Ita Zoëſ. & alij DD. Ratio eſt; quia hac de cauſa potiſſimè Judices conſtituuntur in Regnis, provincijs, territorijs, urbibus, & locis alijs. Et quia verecundæ cogitationis eſt lites execrari, *L. litera 14. D. de alien. jud. mutandi cau. facta.* Quòd ſi Judex nequeat eas componere, debet cauſas audire utrinque, auditas examinare, & ſecundùm æquitatem, canonibus, legibus, vel conſuetudini conſonam determinare; & quidem quàm citiſſimè, id eſt intra triennium ad Summum; uti dicetur infra *tit. de judiciis.*

2. Dico ſecundò: Judex prætereà ex Officio tenetur vindicare malitias hominum, ac eiſdem occurrere; provinciam quoque purgare à malis hominibus. Ita Hoſtinſ. Pirh. &c. Et conſtat ex illo S. Scripturæ ad Rom. 13. *non enim ſinè cauſa gladium portat* (ſcilicet Princeps Judex) *DEI enim miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit.*

3. Dico tertiò: Judex etiam tenetur parti litiganti Advocatum idoneum dare, ſi ob paupertatem, judicij imbecillitatem, adverſarij potentiam, vel ob aliam cauſam ipſum habere nequeat. Ita Gloſſa, Pirh. Zoëſ. & communis. Et conſtat ex *cap. ex literis 1. hoc tit.* Unde talis pars litigans ex cauſis præfatis carens Advocatô non tenetur reſpondere in judicio; nec poteſt ad reſpondendum compelli; ſed implorare poteſt Officium Judicis pro aſſignatione Advocati: & aſſignatus Advocatus poteſt compelli ad ſuſcipiendum patrocinium talis cauſæ; niſi afferat juſtam excuſationem; alioquin erit privandus munere advocandi, *L. providendum, 7. C. de poſtulando.* Et

4. Nota primò: licet Advocatus fuerit ſubditus, vel domeſticus Judicis, non videtur tamen ideo recuſandus ut ſuſpectus, *cap. 1. hoc tit.* Si tamen Advocatus eſſet Dominus Judicis, poſſet recuſari, ut habet Abbas &c. Advocatus pauperum poteſt compelli ad gratis patrocinandum; quia tunc denegare patrocinium, eſt quaſi occidere; ita Felin. & Zoëſ. ſuper *cap. 1. hoc tit.*

5. Dico quartò: Judex tenetur ex officio ſupplere omiſſa à partibus, & Advocatis, ſi ea ad definiendam cauſam ſint neceſſaria, & proferre, quæ Juris ſunt publici, allegando legem, vel canonem, vel ſtatutum loci, aut conſuetudinem receptam. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et conſtat ex *cap. Bonæ 3. de poſt. Prælat.* Non tenetur tamen regulariter ſupplere ea, quæ ad factum ſpectant, & principaliter reſpiciunt proprium, ac privatum commodum partium litigantium; cujuſmodi ſunt proponere exceptiones, producere teſtes, inſtrumenta, vel alias probationes, &c. exceptis quibuſdam caſibus, quos vide apud Abbatem *in cit. cap. Bonæ*; & Pirh. *hoc tit.*

6. Dico quintò: Judex ſemper obligatur in cauſis Civilibus, etiam Eccleſiaſticis & levioribus criminalibus, in quibus agitur de mulcta pecuniaria, judicare ſecundùm allegata, & probata publica; unde non poteſt abſolvere innocentem, quamdiu is per publicas probationes oſtenditur nocens; licèt ſecretam de ejus innocentia notitiam haberet; ſecùs tamen dicendum in cauſis criminalibus gravibus, ubi de vita agitur. Ita Covar. Laym. Navar. Abbas, Leſſ. &c. Primum habetur in *cap. Judicet; can. 3. q. 7.* ubi adducitur S. Ambroſius ſic loquens, *Bonus Judex nihil ex arbitrio ſuo facit, & domeſticæ propoſito voluntatis: Sed juxta Leges, & Jura pronunciat.* Accedit *L. Illicitas, ff. de Officio Præſidis.* Eſtq; Ratio; quia aliàs prætextu privatæ notitiæ Judiciorum publicorum ordo, vis & juſtitia ſæpe eliderentur, cum ingenti jactura Reipublicæ. Et quia Reſpublica cenſetur eâ lege Judici commiſiſſe Officium judicandi; ut ordinem Juris obſervet in ſententiando: hic autem ordo petit, ut ſecundùm allegata, & probata publica fiat ſententia. Ratio ſecundi eſt; quia in S. Scriptura *Exodi 2.* per illa verba, *Inſontem, & juſtum non occides*, Lege Divinâ interdicitur occiſio innocentis; ſed Judex judicans in criminalibus gravibus ſecundùm allegata, & publicè probata, aliquando occideret

Digitized by Google

deret innocentem; ergo in criminalibus gravibus non obligatur Judex; imò nec poteſt judicare ſecundùm allegata, & publicè probata, condemnando reum ad mortem, quem ſcit privatâ notitiâ eſſe innocentem. Itaque in tali caſu aut debet quærere omnes vias eum liberandi, aperiendo carceres, ſi commodè fieri poſſit; vel extrahendo judicium. Si verò hæc præſtare nequeat, debet potiùs deponere officium; aut ſi nec hoc poſſit, etiam alia incommoda gravia tolerare, ne condemnetur ad mortem is, quem æterni Judicis tribunal reum non habet; quemadmodum ad Judices loquitur Innocetius IV. *cap. cùm æterni; de ſent. & re judic. in 6.*

7. Ex doctrina primi membri Concluſionis infertur ſequens Corollarium primum: Non poſſe videlicet Judicem, ante productas ſufficientes probationes publicas, vel ſpontaneam Rei confeſſionem, Reum aliquem condemnare, quem ſcientiâ privatâ novit verè patrâſſe crimen: ut docet Malderus, Leſſ. Lugo, Soto &c. contra Covarr. Bart. Albericum, Cynum &c. Et Ratio eſt; quia & in iſto caſu præfixus Judiciorum Ordo ſervari debet: & quia dixit S. Auguſtinus relatus *cau. 1. q. 1. Nos in quemquam ſententiam ferre non poſſumus, niſi aut contra convictum, aut ſponte confeſſum.*

8. Dico ſextò: ſi deprehendat Judex ſe errâſſe in ferenda ſententia, ob falſas Teſtium, & inſtrumentorum productiones, ſententia debet reſcindi; & condemnatus in integrum reſtitui. Ita communiter DD. utriusque Juris. Et habetur *L. 1. & ſeqq. C. ſi ex falſis inſtrumentis.* Et *L. Divus, ff. de re judicat.* Eſtque Ratio; quia hoc poſtulat æquitas naturalis, ut proximus ſervetur indemnis; maximè ab illo, qui Juſtitiæ cuſtos eſſe debet.

9. Dico ſeptimò: non licet tamen Judici reſcindere ſententiam jam publicatam, ob præſentationem novorum inſtrumentorum; condemnatus tamen poteſt facere recurſum ad Principem, & petere beneficium Reviſionis. Ita communis DD. Et determinatur in Jure Civili, *L. Imperatores, ff. de re judicat.*

10. Dico octavò: Judex præditus ſolò titulô coloratô, ſeu qui communi errori populi putatur eſſe legitimus Judex, validè acta, & ſententias conficit. Ita Leſſ. Palud. Navar. &c. Et habetur *L. Barbarius Philippus, ff. de Officio Prætoris.* Et determinatur in Syn. Roman. *cau. 3. q. 7. can. 1.* Eſtque Ratio; quia niſi reputarentur valida acta, & ſententia Judicis putatitij, Reſpublica compluribus turbationibus eſſet ſubjecta: cùm aliàs omnes ſententiæ, collationes Officiorum, & Beneficiorum, præſentationes, electiones, & ſimilia forent reſcindenda, tanquam irrita, & nullius roboris.

11. Ex hac doctrina infertur ſequens Corollarium ſecundum: Superiorem alicujus Religionis, & Prælatum Eccleſiaſticum, valida ponere acta; etſi dum ad Superioratum, vel Prælaturam eveheretur, occultâ cenſurâ, vel aliô impedimentô irritante collationem, irretitus eſſet; ut tenet Leſſ. Herincx &c. Idem eſt dicendum de eo, cui occultè ablata eſt Jurisdictio, quam nihilominus publicè exercet, & communi populi errore adhuc æſtimatur verus Superior, vel Prælatus: & procedit, ſive hæc ablatio facta ſit ob vacantiam beneficij ipſo Jure introductam, ut tenet Arrag. Sylv. & Paludan. ſive per ſententiam, & revocationem delegantis, ſi erat delegata; ut habet Palud. Leſſ. & Henriq. ſivè per mortem delegantis; ut habet Leſſ. Sancius, Herincx, &c. ſive per ſuſpenſionem; ut habet Leſſ. &c. Imò Palud. Leſſ. Navarr. & alij Canoniſt docent, Exercentem Jurisdictionem occultè ablatam, & operantem cum titulo colorato, non tantùm in foro contentioſo; ſed etiam in foro Sacramentali valida acta exercere. Ratio eorum eſt; quia Eccleſia cenſetur in tali caſu ſupplere defectum Jurisdictionis, propter bonum commune Chriſti Fidelium.

12. Dico nonò: ſi Judex ex corruptela, vel dolo, legibus difformem proferat ſententiam, tenetur ad reſtitutionem integrâ omnium damnorum, parti condemnatæ faciendam: ſi verò ex imperitia Legum malè ſententiet, obligatur ad aliquam arbitriò prudentis viri taxandam. Ita communiter Canoniſtæ. Primum conſtat ex *L. Filiusfamilias. ff. de judiciis.* Secundum habetur Inſtit. *de oblig. ex quaſi delicto.* Et *L. ex Maleficiis ff. de act. & obligat.* Et *L. ult. ff. de variis, & extraordinariis cognit.*

13. Dico decimò: Judex ſupremus aliquando poteſt aliter judicare in pœnalibus, quàm Leges præſcriptæ poſitivæ exigant: Judex verò inferior ordinariè ſecundùm Leges ſtatutas, in Civilibus, & pœnalibus debet judicare. Ita S. Thom. Salas, Lugo, Leſſ. Covarr. & communis DD. Ratio primi eſt; quia ſupremus Judex poteſt modificare leges poſitivas, temperando earum rigorem, alternando pœnalitates, & diſpenſando in eis, quando hoc judicat eſſe proficuum Reipublicæ; hæc enim poteſtas cenſetur ei fuiſſe collata à Republica. Ratio ſecundi eſt; Tum quia, debet eſſe aliqua diſtinctio in poteſtate ſupremi Judicis, & inferioris. Tum quia neque ſupremus Judex, neque Reſpublica cenſetur concedere Judici inferiori authoritatem in ferendis judicijs prætereundi ſemel ſancita. Tum tandem, quia aliàs habitâ ſemel libertate ad libitũ judicandi, judices inferiores brevi tempore extinguerent nervũ Legũ, utiliter poſitarum.

Digitized by Google

tarũ. Dixi inconcluſione *ordinariè*; quia etiã Judices inferiores ex rationabili cauſa, poſſunt quandoq; contra verba Legum proferre ſententiam in pœnalibus. *Primò*, ſi eis conſtet de mente ſupremi Judicis, vel Legislatoris, quòd hunc caſum non voluerit comprehenſum verbis Legum: quare tunc per benignam Legis interpretationem, & epikejam mitigare poſſunt pœnas in Legibus ſancitas, & benigniores edere ſententias, ſectando potiùs mentem Legislatoris, vel ſupremi Principis, quæ anima Legum eſt; quàm corticem verborum obſervando. Huc facit *L. Nulla ratio. ff. de legibus.* Et *L. Non dubium C. de Legibus.* *Secundò*, ſi valdè notabilis cauſa occurrat aliter judicandi, quàm rigor Legum petit; ut habet Navarr. Lugo, &c. puta ſi Reus eſſet vir publicus, Reipublicæ ſummè neceſſarius; cujuſmodi ſunt ſtrenui Duces, artifices mirabiles, &c.

CAP. III.

Alia circa Judicem concluduntur.

1. Dico primò: Quando utraque pars litigans habet Jus æquè probabile poteſt licitè Judex ſententiare pro qua voluerit parte, ſequendo ejus probabilitatem. Ita Arrag. Ledeſma, Lugo, Hilliuc. &c. contra Bannem, Granad. Ratio eſt; quia Judex ex debito ſui Officij tantùm obligatur ad ſcrutandam veritatem litis currentis; & ſecundùm eam debet ferre ſententiam: ſed ſtante æqualitate Juris probabilis ex parte utriuſque partis litigantis, ſcrutatur veritatem, & ſecundùm eam pronuntiat ſententiam: ergo pro qua voluerit parte, licitè ſententiat, ſequendo ejus probabilitatem. In praxi tamen tutiùs faceret Judex utrique parti ex re litigioſa dimidium adjudicando; vel communem uſum; ſi res indiviſibilis ſit: vel per cõmiſſionem aliter eos componendo.

2. Dico ſecundò: ſi verò notabilis inæqualitas reperiatur inter probabilitates Juris utriuſque partis, tametſi utraque probabilis ſit; non poteſt Judex licitè ſententiare pro parte habente minorem probabilitatem. Ita Mald. Laym. Willal. Lugo, Tannerus, &c. contra Arrag. Salo. Sanc. Salaſ. &c. Ratio eſt; quia Judici concreditur à Republica, vel Principe authoritas ita judicandi, ut præviâ fideli inveſtigatione veritatis, membra Reipublicæ ſervet indemnia; ſicut œconomo concreditur œconomia, ut ſedulò & circumſpectè eam adminiſtret, & Dominium indemne ſervet: ſed œconomus non poteſt licitè comparare v.g. frumenta deteriora, ſi eodem pretiô meliora poſſit emere. ergo neque Judex poteſt licitè ſententiare pro parte habente minorem probabilitatem. Et quia inter propoſitiones prohibitas ab Innoc. XI. moderno Sum. Pontiſ. Max. hæc eſt ſecunda in Ordine; *probabiliter exiſtimo, Judicem poſſe judicare juxta opinionem, etiam minùs probabilem.*

3. Dico tertiò: Utroque Jure prohibetur Judicibus munerum acceptatio. Ita communis DD. Et *de Jure Canonico*, conſtat; quia hoc expreſsè prohibet Judicibus Eccleſiaſticis in *cap. ſtatutum, de Reſcript. in 6.* Item *cap. Exigit.* Et *cap. Romana; de Cenſibus, in 6.* De *Civili* verò ex *L. Plebiſcito. ff. de Officio Præſidis.* Item *L. Solet. ff. de Officio Proconſulis.* Item Auth. *Novo Jure. C. de pœna Judicis.* Item Authen. *De Judicibus.* Et ſequenti Authen. *Ut Judices ſinè quoquo ſuffragio fiant.* In quibus Legibus etiam certæ pœnæ ſtatuuntur in Receptores munerum. Et paſſim extant Provinciarum bene inſtitutarum Leges Provinciales, mandantes ejuſmodi munerum reſtitutionem; quas tamen Mol. Henriq. Perez, Vaſquez, Lugo, Salas, &c. dicunt non obligare in conſcientia, ad faciendam reſtitutionem munerum gratis acceptorum, ante juridicam declarationem.

4. Nota autem primò: Accidentales ſolemnitates Juris cenſeri ſequentes; Citatio Rei die non feriato; libelli in ſcriptis porrectio; formalis Litis conteſtatio; teſtium multitudo; prolixæ dilationes; ſententiæ ſedendo prolatio; citationum intervalla; interlocutoriæ, &c. ſubſtantialia verò Juris, & ſub nullitate actuum ſervanda in judicio ſunt ſequentia; ut Judex ſinè accuſatione, vel denuntiatione, vel infamia, indicijs, exceptioneque non procedat; ut teſtes tam pro Reo, quàm contra Reum legitimè producti, cum Juramento audiantur, & examinentur; ut Reus citetur, nec abſens, niſi contumax, condemnetur; ut tempus ad neceſſarias probationes, excuſationes, & defenſiones Reo tribuatur; ut Reo petenti, in ſua cauſa, Conſiliarius, & Procurator, intra tamen eandem Religionem, aſſignetur; ut juſtæ Rei exceptiones, & appellationes admittantur; ut Reus non niſi per plures teſtes convictus, vel confeſſus condemnetur; tandem ut ſententia ſecundùm allegata, & probata, non verò ſecundùm Zelum, & affectum Judicis profeatur.

5. Dico quartò: Nullus Judex poteſt licitè mendacijs, & fictis promiſſionibus veniæ, confeſ-

confeſſionem à Reo extorquere. Ita Imola, Anton. Gomez, Malderus, Leſſ. Lugo &c. contra Felinum, Gomes &c. Ratio eſt; quia in nullo caſu licitum eſt mentiri; proinde nec in caſu examinis Rei.

6. Dico quintò: Judex non poteſt ullâ pœnâ punire minorem decem annis, vel impuberem de delicto convictum; quòd ſi excedat decimum annum, vel pubertati ſit proximus, pœnâ arbitrariâ eum punire poteſt. Ita Mol. Lugo, Facundez, & Juriſtæ communiter. Primum habetur *L. infans. ff. ad Legem Corneliam. de Sicar.* Et *Clem. ſi furioſus de homicidio.* Et Inſtit. *de inutilib. ſtipulat.* Et Inſtit. *de obligat. quæ ex delicto.* Secundum habetur *L. Pupillum*; & *L. Impuberum. ff. de furtis.* Et Inſtit. *de obligat. quæ ex delicto.*

7. Dico ſextò: Non licet Judici condemnare Reum in pœnam, ſeu mulctam pecuniariam, ipſi Judici applicandam, niſi conſuetudine, vel Lege particulari hoc ei conceſſum ſit. Ita Barth. Lugo, Angelus &c. Et ita deducitur ex Auth. *ut nulli Judicum.* Et *L. 1. C. de excuſat. munerum.* Eſtque Ratio; quia aliàs daretur occaſio Judicibus, vel aggravandi pœnas, vel aliquando etiam minuendi, commutando alias pœnas graviores, in pecuniariam ſibi applicandam.

CAP. IV.

De Judicibus Ordinis S. Franciſci.

1. DIco primò: Judex regularis quicunque Ord. S. Franciſci de Obſerv. & Reform. in proceſſu criminali ſuorum ſubditorum non obligatur ad accidentales ſolemnitates, apices, rimas, & ſubtilitates Juris communis: ſed ad ſola ſubſtantialia Judicij. Ita Sanctorus noſter in *practica criminali*, Arret. & alij DD. Ordinis. Et ita conſtat ex ſpeciali Privilegio Ordini Seraphico conceſſo à Bonifacio VIII. quod affert compendium Privileg. FF. Min. ver. *correctio.* Et à Roder. in Bullar. Regular. Idem cenſet de Prælatis Regularibus aliarum Religionum, Lugo Sanch. Svar. Clarus, Parthol. & alij DD.

2. Dico ſecundò: Judex noſter regularis Minorita in omnibus cauſis ad forum contentioſum ſpectantibus (paternô forô exceptô) ſecretarium, ſeu ſcribam peritum, & fidelem ſibi eligere, ac adjungere debet, qui omnia merita cauſæ in ſcripta redigat; quem Notarium ex Indulto Apoſtolico creet, ab eoque fidelitatis juramentum excipiat. Ita Sanct. S. Severino, & communis DD. Ordinis. Et ſtatuitur in *practica criminali Ordinis*, de mandato Capituli Generalis Romani anno 1639. edita. Et Bulla Pij V. *Debitum Paſtoralis Officij.* Et eſt conformiter ad *cap. quoniam; de probat.* ibi, *ſtatuimus, ut tam in ordinario judicio, quàm extraordinario Judex ſemper adhibeat, aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam; aut duos viros idoneos, qui fideliter univerſa judicij acta conſcribant.*

3. Nota primò: Judex Franciſcanus non poteſt eſſe Judex in cauſa propria injuriarum, ſuæ perſonæ illatarum; ſed ejus diſcuſſionem alijs prudentibus viris delegare debet; ut notat Sanctorus; & eſt communis Legiſtarum ſenſus; ob periculum juſtitiæ pervertendæ ex paſſionis prædominio. Si tamen injuriæ fuiſſent illatæ Officio: vel ſi talis Judex laceſſitus injurijs ſit Generalis, qui non recognoſcat ſuperiorem in Ordine, qui cognoſcere poſſit de talibus injurijs; tunc ei relinquitur facultas judicandi de ſuis proprijs injurijs; ut habet idem Sanctorus.

4. Nota ſecundò: Judex Franciſcanus regulariter non debet in ferenda ſententia criminali alterare ſtatutarias pœnas; ſed ſecũdùm leges receptas Ordinis judicare: *in quibusdam tamen caſibus* (inquit Practica criminalis Ordinis) *mutatis circumſtantiis, & qualitatibus delictorum cum conſilio Patrum poterit vel augere, vel minuere lenitatem, vel rigorem pœnarum, prout exceſſus, vel defectus criminis, item locus, perſona &c. ſuaſerint.* Et conſonat Innoc. Clarus, Salſedo, Miranda, Farinac &c. Ratio eſt; quia in quibuſdam caſibus, ubi mutantur circumſtantiæ, & qualitates delictorum, mens legislatoris Seraphici benignè interpretari poteſt, quòd is Judicem Franciſcanum non obliget ad rigorem, vel lenitatem pœnarum taxatarum à Legibus receptis.

5. Nota tertiò: idem Judex Franciſcanus debet reis pœnam ſtatutariam Ordinis imponere; non verò legum communium; quando ambæ pœnæ taxatæ reperiuntur per ſtatuta, & leges Juris communis; uti advertit Sanctorus. Eſtque Ratio; quia leges moribus utentium approbantur: nec à ſpecialij communitatis conſuetudine recedendum eſt; utpote quæ ſibi condendo Conſtitutiones, & ſtatuta providit de medijs ad quietem, & tranquillitatem Ordinis opportunis, ac conducentibus.

6. Nota quartò: Judex ſeu ſuperior Franciſcanus, ut ſatisfaciat ſuo muneri, debet quidem inquirere de gravi delicto; ſed tamen in hoc ſervare debet formam Juris, ſeu mo-

Digitized by Google

modũ procedendi; ut videlicet non procedat temerè; & niſi adſit vel accuſatio debita; vel legitima denunciatio; vel diffamatio gravis; vel indicia gravia; vel exceptio; ut notat *Practica criminalis*. In incarceratorum cuſtodia non debet eſſe nimis rigidus, ita ut ipſis lucem ad legendas horas Canonicas, & libros ſpirituales legendos deneget, vel humidis, & inhumanis ergaſtulis includat; vel ultra ſancitas regulas victûs, eoſdem maceret nimiâ abſtinentiâ; uti advertit Sanctorus *in pœnis*. Non poteſt abſolvere accuſationem jam inchoatam, abſque conſenſu actoris, vel ſuperioris authoritate: poteſt tamen ſtatuere parti terminum, quô tranſactô ampliùs nequit accuſare; hoc enim pertinet ad quietem Religionis.

7. Nota quintò: quando Judex Minorita debet ſecundùm Conſtitutiones Ordinis aliquem ſententiare ad triremes illimitatè; non poteſt propterea ipſum ſententiare ad eaſdem in perpetuum. Ratio eſt; quia quoties Conſtitutiones intendunt alicujus pœnæ perpetuitatem, eandem apertè annotant in textu: quare quando ipſam non annotant, cenſentur remittere; ſicque Judex eam infligere nequit; cùm nimiùm gravaret contra juſtitiæ normam.

8. Nota ſextò: Judices in Ordine noſtro prohibentur eſſe omnes naturaliter inhabiles ad judicandum; ut illiterati, laici, amentes, muti, ſurdi, & furioſi, quocunque tempore hos defectus acceperint. Similiter infames, excommunicati vitandi, inimici, aliàs ſuſpecti, & à quibus appellatum fuit aliàs, poſſunt recuſari. Pariter recuſari poterunt illi, qui Juris Ordinem non ſervarunt; qui parti nimiùm favent; qui inimico ultra quàm decet, ſeſe familiares oſtenderint; qui modum commiſſionis exceſſerint; qui fuerint reo, vel actori conjuncti; qui reos extrajudicialiter gravârint; qui votum ad favorem partis manifeſtârint; qui minati fuerint; quorum ſocij, vel Secretarij eſſent accuſator, vel teſtis; ita *Practica criminalis*, Rodrig. Mirand. &c. DD. Ordinis.

TITULUS XXXIII.

DE MAJORITATE, ET OBEDIENTIA.

CAP. I.

Quid ſit, & quotupliciter contingat Majoritas Eccleſiaſtica.

1. NOta primò: Eccleſiam hanc militantẽ in terris eſſe coordinatam ad inſtar Eccleſiæ Triumphantis in cœlis; unde ſicut in Triumphante extant variæ hierarchiæ, & in eis varij ordines Angelorum, Archangelorum, Principatuum, Dominationum &c. de quibus, vide *Scholam meam Theologicam, tom. 1. tract. 4. diſt. 2. per totum*; ita in Militante variæ quæque hierarchiæ, ſeu ſubordinationes Prælatorum, & ordines diſtincti Miniſtrorum Eccleſiaſticorum (de quibus in diverſis titulis hujus Lib. I. actum eſt.) conſtituti ſunt; quorum aliqui majores, aliqui minores ſunt; quæ diverſitas neceſſaria eſt ad felix gubernium Eccleſiæ Militantis; ut explicatur *can. ad hoc, diſt. 89*. Ex hac proinde diverſitate Miniſtrorum oritur Majoritas, & Obedientia; de quibus *hoc tit.*

2. Dico primò: Majoritas bene deſcribitur, quòd *ſit prærogativa, ſeu præcellentia quædam, ratione cujus unus Miniſter Eccleſiæ Militantis præſtat alteri; ſcilicet Major minori.* Ita communiter DD. Nec eget hæc deſcriptio expoſitione. Varijs porrò modis contingere poteſt Majoritas inter Miniſtros Eccleſiaſticos: Unde

3. Dico ſecundò: unus Clericus poteſt eſſe alterô major ratione Ordinis; ſcilicet Epiſcopus Presbyterô, Presbyter Diaconô, Diaconus Subdiaconô. Ita communis DD. Et conſtat ex *can. à Subdiacono 5.* Et *can. non oportet 15.* Et *can. legimus 24. diſt. 93.* Unde tam in Seſſione, quàm in portione beneficij, vel præbendæ percipienda, qui majores ſunt in Ordine, etſi poſterius ſint recepti, alijs ſunt præferendi; uti conſtat ex *cap. ſtatuimus 15. hoc tit.*

4. Dico tertiò: etiam unus Clericus alterô poteſt eſſe major ratione benedictionis, aut con-

conſecrationis, ut Abbas Monachis, & Abbatiſſa Monialibus. Ita Vallenſ. &c. Et conſtat ex *cap. dilecta filia 12.* & *cap. cùm inferior 16. hoc tit.* ſic etiam Epiſcopus conſecratus eſt major Electô tantùm Epiſcopô.

5. Dico quartò; ſimiliter unus Clericus poteſt aliô major eſſe ratione adminiſtrationis, juriſdictionis, & dignitatis; ſic adminiſtratione Archi-Diaconus eſt major Archi-Presbyterô; & dignitate Cardinalis eſt major cæteris omnibus Sacerdotibus ſibi ſubjectis, in Eccleſia ſua titulari, etſi eſſet tantùm Diaconus. Ita Zoëſ. Vallenſ. &c. Et ita diſponit Canon de Archi-Diacono *cap. ad hac 1. de Officio Archi-Diaconi*; & de Cardinali *cap. his, quæ 11. hoc tit.* Hac ratione etiam Canoniſta eſt major Legiſtâ; ut obſervat Vallenſis.

6. Dico quintò: unus Clericus poteſt alterô etiam eſſe major ratione antiquitatis, ſeu prioritatis temporis; ſic priùs ordinatus cenſetur major poſteriùs ordinatô. Ita Vallenſ. Pirh. Gloſ. &c. Et quia de priùs ordinato ita diſponit Jus Canonicum in *cap. cùm certum 1. hoc tit.* & procedit hæc majoritas tunc tantùm, quando pares ſunt in Ordine, & gradu dignitatis. Ex hoc capite etiam eſt major, qui priùs eſt profeſſus in aliqua Religione.

7. Dico ſextò: ſimiliter unus Clericus eſt aliô major ratione prærogativæ ordinantis, ſi cætera paria ſint; ſic ordinatus à Papa habetur major, & magis honorandus, quàm ordinatus ab Epiſcopo; licèt per hoc non eximatur ab obedientia Epiſcopi. Ita Vallenſ. Pirh. Et conſtat ex *cap. per tuas 7. hoc tit.*

8. Dico ſeptimò: Clericus eſt major omni Laicô. Ita Zoëſ. & communis Canoniſtarum. Ratio eſt; quia Laicus Clerico reverentiam debet, quam & Principes exhibent Epiſcopis *cap. 4. & 6. hoc tit.* Imò & Sacerdotes Regum, aliorumque fidelium Magiſtri; ac Patres (quod quandam majoritatem importat) cenſeri debent, *can. quis dubitet, diſt. 96.*

CAP. II.

De Majoritate Papæ.

1. Dico primò: Pontifex eſt dignitate major Imperatore. Ita communis DD. Et conſtat ex *can. duo ſunt, diſt. 96.* Et *cap. ſolicitæ, hoc tit.* ubi Innocent. III. reſcribit Imperatori Conſtantinopolitano; *noſſe debueras, quòd fecit DEUS duo magna luminaria in Firmamento cœli, luminare majus, ut præeſſet diei, & luminare minus, ut præeſſet nocti; utrumque magnum, ſed alterum majus: ad Firmamentum igitur cœli hoc eſt univerſalis Eccleſiæ fecit DEUS duo magna luminaria, id eſt duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas; & Regalis poteſtas; ſed illa quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus, major eſt; quæ verò carnalibus, minor; ut quanta eſt inter Solem, & Lunam, tanta inter Pontifices, & Reges differentia cognoſcatur.*

2. Quæres autem primò: num Majoritas Papæ ſuper Imperatorem tantùm emineat, ut Imperator non tantùm in ſpiritualibus; ſed & in temporalibus Papæ ſubjiciatur? Doctores circa hanc intricatam quæſtionem, ſunt diviſi in tres claſſes. Quidam enim ſuſtinent negativam ſententiam: horum potiſſima ratio eſt, quòd ex *can. ſuſpicitis.* Et *can. quoniam, diſt. 10.* Et *can. cùm ad verum, diſt. 96.* Et *can. convenire; 23. q. 8.* appareat Imperatorem obtinere propriam, & Papæ non ſubjectam poteſtatem; unde Papa Nicolaus *cit. cap. cùm ad verum,* dicit; cùm ad verum Chriſtum ventum eſt, nec Imperatores Juſſa Pontificis, nec Pontifices Jura Romani Imperatoris uſurpâſſe. Alij affirmativam adſtruunt, docentes Papam poſſidere etiam temporalem, & laicam Majoritatem, ſeu Superioritatem in toto Mundo, etiam ſuper Imperatores, ſaltèm habitu; quamvis actu eam non exerceat. Fundant ſe potiſſimè in Clement. *unam ſanctam, hoc tit.* ubi habentur ſequentia verba; *omnem humanam creaturam Summo Pontifici ſubeſſe, & Petrò utrumque gladium ſpiritualem, & temporalem conceſſum, & oportere gladium ſub gladio eſſe; & temporalem authoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati.* Et hac de cauſa dicunt Papam olim tranſtuliſſe Imperiũ à Græcis ad Germanos in perſonam Caroli Magni. Et ob eandem poteſtatem ajunt Papam confirmare, & coronare Electos Cæſares, ac etiam coronatum juſta de cauſa deponere poſſe, juxta *cap. ad Apoſtolicæ, de Sent. & re judicata in 6.* ubi legitur, quòd Innocentius Sumus Pontifex depoſuerit Fridericum Imperatorem. Alij tandem conciliant præfatas duas ſententias, & concedunt Papæ Majoritatem quandam, ſeu gladium, ac juriſdictionem, etiam in temporalibus ſuper cunctos Principes Mundi; non tamen abſolutè, ſed in ſubſidium duntaxat ſpiritualis; quatenus ſcilicet ea juriſdictio eſt neceſſaria, vel ſaltèm utilis ad rectam Eccleſiæ, & animarum gubernationem, ac Fidei Orthodoxæ conſervationem: nam intereſt plurimùm Eccleſiæ, habere bonos Cæſares; non verò ſceleratos, vel tyrannos,

Digitized by Google

nos, vel hæreticos (cùm Regis ad exemplum totus componatur Orbis) & propterea Papa habet Majoritatem, ac poteſtatem approbandi Imperatores, eoſdem coronandi, ac deponendi. Quòd ſi præfata motiva non ſubſint, dicunt hi, Papam nec poſſe, nec velle Jura Imperatorum ſibi arrogare: & in favorem hujus propoſitionis allegant *cap. per venerabilem.* Et *cap. novit. de judicijs.* ubi dicitur, non ſubſiſtere de rigore Juris illam appellationem, quæ à Judice ſæculari interponitur ad Papam: quæ tamen ſubſiſtere deberet, ſi Papa abſolutam Majoritatem, & poteſtatem etiam in temporalibus haberet.

3. Dico ſecundò: Summus Pontifex obtinet Majoritatem ſuper omnes Prælatos, & Miniſtros quarumcunque Eccleſiarum. Ita communis Canoniſtarum. Ratio eſt; quia Summus Pontifex à Conciliis vocatur Ordinarius Ordinariorum, Caput Eccleſiæ, præcellens omnes dignitates, & ordines Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, Epiſcopus Univerſalis, &c. uti ſuprà *tit. 31. cap. 4.* oſtendi. Item Papa Summâ pollet authoritate, & Juriſdictione ſpirituali in omnes Chriſti fideles; & conſequenter etiam in omnes Prælatos, & Miniſtros Eccleſiarum quarumcunque. Item Papæ ab antiquo ſemper exercuêre ſupremam poteſtatem in Patriarchas, Primates, Epiſcopos, & alios Clericos; uti oſtendi, *eodem cit. tit. & cap.* Item condunt leges pro univerſa Eccleſia, & in ijſdem diſpenſant; convocant Concilia, &c. adeoque obtinent Majoritatem ſuper omnes Prælatos Eccleſiaſticos.

CAP. III.

De Majoritate Cardinalium.

1. NOta primò: Supremi, primarij, & proximi Miniſtri Summi Pontificis dicuntur *Cardinales* forſitan per ſimilitudinem *Cardinum* cœleſtium Arctici, & Antarctici, circa quos volvitur tota ſphæra cœleſtis; cùm in Cardinalibus volvatur, & regatur Eccleſia Romana: vel quia Cardinalem quandam eminentiam in cœlo Eccleſiæ poſt Sum. Pontificem obtinent; qua de cauſa forſitan etiam ab Urbano VIII. Eminentiſſimi titulô ſunt decorati; ut habet Sylv. Pelag. Moſco. &c. Vel quia Sedi Apoſtolicæ, quæ axis eſt, & cardo aliarum Eccleſiarum, inſerviunt; ut vult Gloſſa in Extrav. *execrabilis*, verbô *Cardinalibus, de præbend.*

2. Nota ſecundò: de origine prima Cardinalium variant ſcriptores; figuraliter tamen originem videntur habere Cardinales à Sacerdotibus Levitici generis, qui in veteri Teſtamento Sumo Sacerdoti miniſtrabant: exemplariter verò ab Apoſtolis, qui Chriſto Domino Summo Pontifici novi Teſtamenti ſemper adſtitêre. Certum præterea eſt, ſemper à principio Eccleſiæ penes Summos Pontifices fuiſſe aliquos Collaterales Miniſtros eminentes de Clero, tanquam Conſiliarios Primarios (qui in re erant Cardinales, etſi non ſub hoc nomine) ſic Cletus, & Clemens adſtiterunt S. Petro; & Victor, ac Vincentius Sylveſtro, quos & conſtituit Præſides ſui locô in Conſilio Nicæno. Ipſum tamen nomen *Cardinalis* ante tempora Sylveſtri non erat peculiariter appropriatum eminentibus Eccleſiæ Principibus; ſed ab hoc Pontifice creditur primò fuiſſe inventum, & datum ſuis primariis collateralibus Miniſtris; uti arbitratur Strein. Engel. &c.

3. Nota tertiò: numerus Cardinalium videtur eſſe arbitrarius penes Sum. Pontifices; unde ſub Honorio leguntur fuiſſe 53. ſub Bonifacio VIII. erant tantùm 20. In Conſtantienſi Concilio decretum eſt, ut ſint tantùm 24. At Sixtus IV. plures quàm 30. creavit; Alexander VI. auxit eos ad 50. Leo X. ad 65. una vice ſupra 30. creavit. Pius IV. 76. habuit. Sixtus demum V. determinavit eorum numerum 70. exemplô Moyſis, cui 70. ſenes in adjutorium à Deo dati ſunt. Solus Papa creat Cardinales: Cæſares tamen, & quidam Reges ſolent denominare quaſdam qualificatas perſonas; ut eædem à Papa creentur Cardinales. In Tridentino dicitur, ut hi aſſumantur ex variis Orbis partibus, ut nationes habeant in Curia Romana Patrem tutelarem, & Patronum. Debent eſſe ſelectiſſimæ, & qualificatæ perſonæ in vita, moribus, doctrina, ætate, & aliis dotibus, pares Epiſcopis.

4. Nota quartò: ex Cardinalibus ſuppoſito numero 70. à Sixto V. conſtituto, primi 6. debent eſſe Epiſcopi, alij 50. Presbyteri, & 14. Diaconi. Veſtiuntur purpurâ, & rubrô galerô, vel quia Regibus ſunt ſuppares; ut habet Barb. Strein. &c. vel quia uſque ad ſanguinis effuſionem pro Eccleſiæ exaltatione, & Fidei Catholicæ conſervatione ſe intrepidos debent exhibere; ut habet Engel.

5. Nota quintò: Officium Cardinalium eſt, eligere novum Summum Pontificem demortuô priori; item aſſiſtere Papæ in negotiis; & eundem in adminiſtranda Eccleſia adjuvare; ut habet Bellarm. Muſſus, Strein. &c. poteſtas eorum eſt ampla; nam vigore Conſtitutionis Nicolai II. quæ refertur *can. ſi quis pecuniâ, diſt. 79.* habent

poteſtatem expellendi Papam, pecuniâ, vi, vel favore intruſum; & inſtituendi alium. Similiter in caſu Schismatis poſſunt cogere Concilium, & decidere controverſiam, *ex eadem Conſtitutione*. Præterea in Legationibus ſuis poſſunt conferre beneficia Eccleſiaſtica, ad Papam devoluta; abſolvere ab Excommunicatione ob violentam injectionem manûs in Clericum; uti inſignibus Sedis Apoſtolicæ, ſcilicet equô albô, frenô, & calcaribus inauratis, poſtquam Urbem ſunt egreſſi, *cap. antiqua, de Privil.* Poſſunt conferre Minores Ordines, licèt non ſint Epiſcopi; dare Benedictionem ſolemnem; excommunicare; interdicere, & ſuſpendere; ut habetur *cap. his, quæ; de maj. & obed.*

6. Nota ſextò: Cardinales habent multa privilegia: principalia ſunt iſta. *Primò* in Cardinalem Electus, hôc ipsô ab omni patria poteſtate liberatur; ita Gloſſa, & Barb. *Secundò* inops à Papa eſt alendus; tales ſunt aſſumpti ex Ordinibus Mendicantium, & qui carent redditibus Commendarum, & Epiſcopatuum; ita Azor. Barb. *Tertiò* non ligantur ullâ ſententiâ ſuſpenſionis, vel interdicti; niſi eorum mentio ſpecialis fiat; ita Azor. Strein. &c. *Quartò* non tenetur Regulis Cãcellariæ Apoſtolicæ; ita Franc. Felin. &c. *Quintò* ſervientes Cardinalibus non debent judicari à Vicario Papæ; ita Azor. &c. *Sextò* offendentes Cardinales incidunt in Excommunicationem, & ut rei læſæ Majeſtatis puniuntur; ita Strein. &c. *Septimò* in condendis teſtamentis gaudent privilegiô militum; Azor. Tuſchus, &c. *Octavò* tangentes palliô, vel pileô reum ad patibulum proficiſcentem liberant à ſupplicio; ita Salvet. Caſtren. Balduc. Laud. &c. *Nonò* ſunt liberi à ſolutione decimarum, & obſequio charitativo, à Papa impoſito; ita Lancell. & Strein. *Decimò* à ſententia Collegij Cardinalium non datur appellatio; ita Strein.

7. Dico primò: Cardinales S. R. E. habent majoritatem officij ſuper cunctos alios Clericos, Papâ inferiores. Ita communis Canoniſt. Ratio eſt; quia ita conſtat ex Bulla Sixti IV. quæ incipit, *non mediocri*, in qua declaravit Cardinales præſtare dignitate Patriarchis, Archi-Epiſcopis, & Epiſcopis; eò quòd iſti unius privatæ patriæ; illi verò totius populi Chriſtiani utilitati præſint.

CAP. IV.

De Majoritate Patriarcharum, Archi-Epiſcoporum, Epiſcoporum, Legatorum, Capitulorum Cathedralium Sede Vacante, &c.

1. Dico primò: Patriarchæ ratione officij gaudent Majoritate quadam ſuper alios Clericos infra Cardinales. Ratio eſt; quia Patriarchæ habent Juriſdictionem ordinariam in Archi-Epiſcopos, & Epiſcopos ſibi ſubjectos; uti patet ex *can. 39.* Concilij Nicæni.

2. Dico ſecundò: Archi-Epiſcopi etiam, Primates, & Epiſcopi gaudent ratione officij Majoritate reſpectivè. Ratio primi eſt; quia Archi-Epiſcopus, & Primas habent ordinariã Juriſdictionem in omnes ſuos Epiſcopos ſuffraganeos; uti conſtat ex *can. 1. 2. & 3. cau. 9. q. 3.* adeoque quandam ſuper eos ſortiuntur majoritatem. Ratio ſecundi eſt: quia Epiſcopus pariter pollet Juriſdictione ordinariâ in ſubditos ſuæ Diœceſis, ita ut cauſas omnes Clericorum cognoſcere valeat, uti conſtat ex *cap. conquerente 16. de Officio Judic. Ord.* ac proinde meritò Majoritate quadam gaudet præ eis.

3. Dico tertiò: etiam Legati Apoſtolici, Capitula Cathedralia Sede Vacante, & Vicarij Generales Epiſcopi cujuſdam Majoritatis charactere inſigniti ſunt. Ratio primi eſt; quia Legatus Apoſtolicus poteſt omnia in provincia ſuæ legationis, quæ poteſt Ordinarius, habetq; Juriſdictionem ordinariam in ſubditos ſuæ provinciæ; uti conſtat ex *cap. 2. hoc tit. in 6.* ubi vocatur Ordinarius: ergo eſt inſignitus aliquo charactere Majoritatis. Ratio ſecundi eſt; quia Capitulum Cathedrale Sede vacante ſuccedit Epiſcopo in omnem Juriſdictionẽ ordinariam; uti conſtat ex *cap. his, quæ.* Et *cap. cùm olim; hoc tit.* Ergo præeminet, & majus eſt cunctis Clericis Diœceſis. Ratio tertij eſt; quia & Vicarius Generalis, ſeu Officialis Epiſcopi probabiliùs obtinet Juriſdictionem ordinariam, qualem habet Epiſcopus; uti colligitur ex *cap. 2. de conſuet. in 6.* & format unum tribunal cum ſuo Epiſcopo, *cap. Rom. 3. de appellat.* ejus Officium, ſi ſit generaliter ipſi commiſſum, extendit ſe ad omnes cauſas pertinentes ad Juriſdictionem

Digitized by Google

Epiſcopalem, adeoque Major eſt alijs Clericis.

4. Dico quartò: etiam Archidiaconi, Præpoſiti, Decani, Generales, & Provinciales Ordinum, Archi-Presbyteri, Primicerij, Sholaſtici, Cuſtodes, Sacriſtæ, & alij inferiores Prælati ſæculares, & regulares Majoritate quadam affecti ſunt. Ratio eſt: quia & hi pollent Juriſdictione ordinaria, ſuperioritate, vel eminentia quadam inter Clericos ſibi ſubjectos; & conſequenter Majoritatem quãdam præ eis ſortiuntur.

CAP. V.

De Majoritate Protonotariorũ Apoſtolicorum; & aliorum.

1. NOta primò: In Curia Romana conſtituti ſunt proximi poſt Epiſcopos Protonotarij Apoſtolici participantes: dicuntur tales à Græca voce *proto*, id eſt *primus*, & ly *notarius*. Hi putantur primitùs conſtituti à S. Clemente I. ad conſcribenda SS. Martyrum geſta. Vocantur *participantes*; quia actu ſerviunt ad expediendas Bullas Eccleſiarum, ac Monaſteriorum, & participant ſtipendium Curiæ. Olim eorum Collegium conſtituebatur ex 7. ſed poſtea Sixtus V. per Bullam *Romanus Pontifex* illud ampliavit, & 12. eidem aſſignavit: contulit pariter ijſdem varia Privilegia; ut quòd poſſint creare Doctores, & Notarios publicos; legitimare ſpurios, teſtare de bonis Eccleſiaſticis; item privilegium exemptionis; plenæ præcedentiæ, &c. Ita Barboſ. Caſſan. &c.

2. Nota ſecundò: dantur etiam Protonotarij non participantes, ſeu honorarij & titulares; quibus non competit tanta Majoritas, & prærogativa; nihilominus antecedunt alios Clericos non habentes Prælaturas, vel dignitates; conceditur etiam ipſis facultas deferendi habitum Prælatorum; geſtandi rochettam, & mantelletum, tam nigri, quàm violacei coloris; item utendi pileô ſuper ſuis inſignibus gentilitijs; & reputantur habere aliquam dignitatem, ita ut ſecundùm *cap. ſtatutum, de reſcriptis in 6.* ipſis poſſint delegari cauſæ Papales. Subjiciuntur tamen Epiſcopo, ſaltèm ut delegato Sedis Apoſtolicæ, ex Trident. *Seſſ. 24. de Reform. cap. 11.* Neque poſſunt annulô uti in Miſſa; nec paramentis ſe veſtire ante Altare; ſed in Sacriſtia; nec facere Benedictiones paramentorum, aut alia Abbatum, & Prælatorum Officia exercere. Ita Barboſ. Engel. Caſſan.

3. Dico primò: variæ præterea Majoritates deprehenduntur in hierarchia Eccleſiaſtica, collecta ex Clero ſæculari, & Regulari; unde illi ſunt majores alijs, qui vel in dignitate, vel gradu, vel Officio, vel Sacro Ordine ſunt conſtituti; quàm qui tali carent.

4. Nota quartò: etiam quandam Majoritatis ſpeciem habet præcedentia Ordinum Regularium inter ſe in functionibus publicis; de qua plures diverſis temporibus editæ ſunt Bullæ, & Reſcripta Apoſtolica; aliquando enim attendebatur antiquitas Religionis, ita ut præcedentiam haberet illa, quæ priùs eſt confirmata à Sede Apoſtolica: aliquando attendebatur prioritas erectionis Monaſterij in tali loco, juxta quandam Conſtitutionem Gregorij XIII. Aliquando, & maximè inter Ordines Mendicantium attendebatur (& hoc eſt hodie in viridi obſervantia) ex Decreto S. Congregationis edito Anno 1645. die 6. Octob. (quod refert noſter Lantuſca in Theatro Regul. verb. *præcedentia, num. 10.*) præcedentia ſecundùm poſſeſſionem; ita ut præcedat illa Religio in publicis functionibus, & actibus, quæ eſt in poſſeſſione præcedentiæ: & ubi non conſtat de poſſeſſione, præcedat illa, quæ eſt antiquior in loco controverſiæ. Idem dicendum de præcedentia Confraternitatum Laicorum. Ex Tridentino Concilio *Seſſ. 25. de Regul. cap. 13.* Epiſcopus poteſt, & debet omnes controverſias ortas inter Ordines Regulares, & ſæculares de præcedentia in publicis proceſſionibus, & alijs actibus, amotâ omni appellatione, & non obſtantibus quibuſcunque componere. Hæc de prima parte hujus Tituli; impoſterum de ſecunda ſcilicet *Obedientia.*

CAP. VI.

De Obedientia.

1. NOta primò: ex Majoritate oritur Obedientia, quam debet minor Majori. Conſiſtit autem Obedientia ſecundùm Gloſſam, & Hoſtienſem potiſſimè in tribus: *Primò* in reverentia exhibenda; nam minor debet reverentiam majori, ut ſcilicet ei aſſurgat, & cedat primum locum in eundo, & ſedendo; uti patet ex *can. non oportet 15. diſt. 93.* ubi ordinatur, ut Diaconus non ſedeat, niſi ex juſſione

Digitized by Google

ſione Sacerdotis. *Secundo* in judicio ſubeundo; nam minor debet obſervare majorem, ejusque parere judicio, ſcilicet in iis, quæ ad Juriſdictionem, ſeu cauſas judiciales pertinent; uti patet ex *cap. 2.* Et *cap. ſollicitæ; & aliis; hoc tit.* *Tertio* in mandato ſuperioris tanquam majoris ſuſcipiendo; circa tamen hoc tertium ſunt limitationes quædam, de quibus in ſequentibus.

2. Nota ſecundò: generaliter loquendo Obedientia à Minori præſtanda eſt Majori, ſeu ſuo ſuperiori non tantùm dum præcipit juſta; ſed etiam quando dubia mandat. Ratio eſt; quia in dubio præſumi debet pro ſuperiore, qui eſt in poſſeſſione mandandi; uti notat Engel. Et quamvis nemo ſit obligatus operari cum dubio practico; imò nec poſſit cum tali operari; uti ex profeſſo docui *in Schola Theologica tom. 2. tract. 7. diſt. 5. q. 5.* tenetur nihilominus ſubditus tale dubium practicum in materia Obedientiæ deponere; uti docet Mol. Engel, &c.

3. Nota tertiò: Si autem certò conſtet ſubdito, Majorem, ſeu Superiorem ſuum præcipere peccaminoſa, etſi tantùm eſſent peccata venialia, non tenetur ei obedire; ita conſtat ex *can. ſi Dominicis, cau. 11. q. 3.* Et ex illo *Act. 5. obedire oportet DEO magis, quàm hominibus.* Similiter ſi ſubditus dubitet de poteſtate præcipientis, an ſit legitimus ſuperior, non tenetur obedire; niſi fuerit in poſſeſſione ſuperioritatis, & communi æſtimatione talis habitus, *arg. L. ſi quis ex aliena, ff. de judic.* Item non tenetur obtemperare, ſi ex præcepto Majoris immineat grave damnum, & non Obediendo nihil mali ſequatur; ut habet Engel. Item minor, ſeu ſubditus non tenetur præſtare Obedientiam Majori, ſeu Superiori, ſi is præcipiat aliqua, quæ adverſantur Juri Divino, vel naturali; aut pariant ſcandalum: nam talia præcepta cenſentur eſſe circa illicita, & peccaminoſa; ut proinde etiam hìc illa regula generalis locum habeat, *obedire oportet DEO magis, quàm hominibus.* Item non tenetur Minor obedire Majori, ſi non ſit ejus ſubditus, ſaltèm in re illa præcepta; uti conſtat ex *cap. paſtoralis, de Offic. Jud. Ordin.* Item ſi Major intra limites ſuæ Juriſdictionis non ſe contineat; uti colligitur ex *cap. legabatur 3.* Et *cap. dilecti 13. hoc tit.*

4. Nota quartò: Obedientia debetur potiùs proximo ſuperiori, quàm remotiori, quatenus contra leges ſuperioris nihil præcipit; ita conſtat ex *cap. inter 8. hoc tit.* Sic Religioſus debet potiùs obedire Abbati, quàm Epiſcopo ſub cujus diœceſi, & Juriſdictione alta aliàs eſt; unde non Epiſcopi, ſed Abbatis juſſu debent ordinari Regulares ſubjecti, *can. ſi quis Monachus 28.* Et *can. cùm pro utilitate 34. cau. 16. q. 1.* Sic etiam Clericus ſine conſenſu ſui Epiſcopi non eſt transferendus ab Archi-Epiſcopo, *can. conqueſtus, cau. 9. q. 3.*

5. Dico primò: omnes Chriſti fideles etiam Principes, Reges, & Cæſares Obedientiam exhibere debent Summo Pontifici, & Epiſcopis ſuis Ordinariis in ſpiritualibus; niſi ſpeciali privilegiô, vel conſuetudine in aliquibus caſibus ſint exempti. Ita Abbas, Pirh. & communis. Ratio primi eſt; quia Sum. Pontifex dignitate, poteſtate, & officio major eſt omni ſæculari, etiam Cæſare; uti patet ex *can. duo ſunt, diſt. 96.* Et *in cap. ſolitæ; hoc tit.* Secundum conſtat ex *cap. omnes. 4. hoc tit.* Et *cap. ſolitæ 6. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia poteſtas Eccleſiaſtica major eſt poteſtate ſæculari; unde meritò in iis, quæ finem ſupernaturalē, ac animæ ſalutem ſpectant, Principes ſæculares Epiſcopis ſubordinantur, & obedire tenentur. Et hinc decens eſt, ut eosdem, uti & alios ſimiles Prælatos, revereantur, ac in publicis conventibus ad dexteram, ſæculares verò Dominos ad ſiniſtram collocent; ut notat Abbas, Joan. Andr.

6. Dico ſecundò: ſimiliter Abbates, & Prælati ſubjecti Epiſcopo; item Capitulum Cathedrale eidem ad Synodum convocanti Obedientiam præſtare debent, & ibidem comparere; uti & Sacerdotes Curati, & alii, qui de Jure, vel conſuetudine eidem intereſſe debent. Ita communis DD. Et ſtatuitur in *cap. quod ſuper 9. hoc tit.* Prælati autem Religioſorum, quorum Eccleſiæ non eſt annexa cura animarum, præſertim Mendicantium, non tenentur obedire Epiſcopo ad Synodum eos convocanti; ut habet Piaſec. Pirh. Barboſ. &c.

7. Dico tertiò: etiam Capellani, & Clerici Eccleſiæ titularis alicujus Cardinalis tenentur Obedientiam præſtare ſuo Cardinali; & Moniales ſuæ Abbatiſſæ, ſeu Præpoſitæ; & Regulares Viri ſuis ſuperioribus. Primum conſtat ex *cap. his, quæ 11. hoc tit.* Secundum ordinatur in *cap. dilecta 12. hoc tit.* Tertium patet ex *cap. cùm in Eccleſiis 10. hoc tit.* Et ſuperior Regularis poteſt contumaces ad Obedientiam ſibi præſtandam compellere per cenſuras; uti patet ex *cap. ſicut 33. de Simonia.* & ad juramentum de obediendo, ut habet Gloſſa, & Abbas; item eosdem incarcerare ob eundem finem; uti docet idem Abbas, Pirh. &c.

8. Dico quartò: contumaciter inobedientes Epiſcopo, vel aliis Prælatis Eccleſiaſti-

 cis,

Digitized by Google

cis, debent excommunicari, & alijs cenſuris compelli ad Obedientiam; & non obtemperantes canonicis Conſtitutionibus in obedientiæ notam incurrunt, & quodammodo infames efficiuntur. Primum colligitur ex *cap. 2. 5. & 9. hoc tit.* Secundum deducitur ex *cap. illud 5. hoc tit.*

CAP. VII.

De Majoritate, & Obedientia in Ordine S. Franciſci.

1. NOta primò: tametſi Ordo D. Franciſci de Obſerv. & Reform. ſit vaſtiſſimus, longè, lateque diffuſus per Europam univerſam, & inſulas adjacentes, Indias utraſque, & quaſdam partes Aſiæ, ac Affricæ; & ad aliquot centena millia Religioſorum, Religioſarumque numeroſus; prout in nupero Capitulo Generali Toleti in Hiſpania anno 1682. menſe Majo celebrato, me præſente calculis exactè factus omnium Fratrum, & Sororum cunctarum Provinciarum docuit: nihilominus is mira quadam coordinatione in ſuas hierarchias, ſubordinationes Prælatorum, & ordines diſtinctos miniſtrorum regularium eſt diſtributus, ut in eo debitam Majoritatem, & Obedientiam, Ordinatiſſimamque ſubordinationem cernere liceat; quæ ſanè felix regimen efficit Franciſcanum. Unde

2. Nota ſecundò: itaque in Ordine noſtro Franciſcano ſupremam Majoritatem obtinet Miniſter Generalis, qui Princeps, & quaſi Patriarcha Ordinis veneratur, atque ab omnibus eidem Obedientia præſtari debet; juxta *cap. 1. Regulæ.* Deinde in eodem cum ſua determinata Majoritate, & ſphæra operandi reperiuntur Commiſſarij Generales Familiarum Ciſmontanæ, & Ultramontanæ, Indiarum, Germaniæ, & alij, ſuam reſpectivè Majoritatem obtinentes, *cap. 8. Conſtitut. gen. §. 35.* Extant quoque Diſcreti Ordinis, Procuratores, & Diffinitores Generales, tanquam Conſiliarij collaterales, & conjudices ipſius Generalis; & propterea cæteris Majores dignitate, & officiò, *cit. cap.* quibus annumerantur quoad Majoritatem dignitatis Ordinis Patres. Poſt hos Miniſtri Provinciales in ſuis Provincijs Majores ſunt cæteris, juriſdictione, & dignitate; *cap. 8. §. 47.* quibus collaterales conſiliarij adjuncti ſunt Provinciæ Patres, Cuſtodes, & Diffinitores, cæteris Majores; *cap. 8. §. 53.* Exinde Guardiani in ſuis Conventibus quandam quoque Majoritatem dignitatis, & juriſdictionis obtinent; *cit. cap. & §.* ubi horum omnium, & aliorum prærogativæ, officia, & gradus definiuntur.

3. Nota tertiò: relucet plurimùm Majoritas Minoritica ex ſerie præcedentiæ ſingulorum ſuperiorum, Officialium, & aliorum graduatorum, in congreſſibus, & ſeſſionibus capitularibus, alijſque functionibus publicis, quam texunt exactè Conſtitutiones Generales Ordinis *cap. 8. §. 35.* Et *§. 53.* Et Conſtitutiones Generales Ref. *cap. 8. n. 52.* Eam non refero ob ſui prolixitatem; ſed ſufficit indicâſſe. Circa Obedientiam in Ordine S. Franciſci.

4. Nota quartò: omnes Fratres Minores tenentur præſtare Obedientiam ſequentibus. *Primò* Summo Pontifici exactiſſimè in omnibus obedire obligatur totus Ordo Seraphicus ex *cap. 1. Regulæ.* *Secundò* Protectori Ordinis omnem reverentiam, & filialem obedientiam eſſe exhibendam patet ex *cap. 12. Regulæ.* Et Conſtitut. Gen. *cap. 1. §. 1.* *Tertiò* promptiſſima, & Summa Obedientia præſtanda eſt ab univerſis Fratribus Ordinis noſtri Franciſcani Patri Miniſtro, & Vicario Generali, ac Commiſſariis Generalibus reſpectivè à ſua Familia; *cit. cap. 1.* Conſtitutionum. *Quartò* quoque univerſa Provincia tenetur ad Obedientiam Miniſtro, & Vicario Provinciali; *ibid.* *Quintò* Guardiano pariter, ac Præſidenti Conventus totus obedire debet; *ibid.* *Sextò* etiam Commiſſario Viſitatori omnis Obedientia præſtanda, durante officio ejuſdem; *ibidem.* *Septimò* Capitulo, & Congregationi Generali; necnon Capitulo, & Congregationi Provinciali Fratres obedire tenentur, quoties ſalutares Conſtitutiones edunt pro felici, & ſancto regimine, ac regulari obſervantia Ordinis; cùm habeant ſuperioritatem, & vim condendi leges; utì oſtenſum eſt ſupra *tit. 2. cap. 3.*

5. Nota quintò. contra autem deficientes in præfata Obedientia, graviſſimæ ſtatuuntur pœnæ in Conſtitutionibus Generalibus *cap. 1. §. 1.* per totum; puta contra malè loquentes de Summo Pontifice pœna ſemeſtris carceris, & alia gravior arbitrio ſuperioris: contra temerè laxantes ora in Protectorem Ordinis pœna trimeſtris carceris: contra inobedientes Miniſtro, Vicario, & Commiſſario Generali, eadem trimeſtris incarceratio: contra rebellantes eiſdem privatio ſuffragiorum per ſexennium, ac ſemeſtris incarceratio: contra miniſtrum Provincialem ſimilia crimina admittentes pariter priva-

Digitized by Google

privatio ſuffragiorum, & carceratio arbitriô P. Generalis: contra Guardianum, vel Præſidentem domûs regularis committentes inobedientiam, arbitriô Provincialis procedendum erit. Et plures aliæ alibi ordinantur contra transgreſſores voti Obedientiæ Minoriticæ.

TITULUS XXXIV.
DE TREUGA, ET PACE.

CAP. I.
Quid, & quotuplex ſit Treuga, & Pax.

1. NOta primò: incumbit Magiſtratui, maximè Eccleſiaſtico ante judicij ingreſſum tentare, an partes diſcordantes poſſint concordari, & componi amicabili aliqua conventione; cùm hoc ſtatus boni publici exigat. Ad ejusmodi porrò concordiam inſtituendam deſerviunt Treuga, & Pax, *can. ſtudentium, diſt. 90.* Quare de his *hoc tit.* agit Summus Pontifex. Hoc autem vocabulum *Treuga* eſt Italicum, & Gallicum, Latinè & in foro civili ſignificans *inducias belli*; quando ſcilicet conveniunt partes hoſtiles ad breve tempus, nè ſe laceſſant armis, *L. poſtliminium 19. ʃʃ. induciæ ff. de captivis*; Germanis dicitur ein Stillſtand der Waffen. In propoſito pro foro Eccleſiaſtico

2. Dico primò: bene deſcribitur Treuga, quòd *ſit ſecuritas perſonis, & rebus ad tempus præſtita, diſcordiâ necdum finitâ in foro Eccleſiaſtico.* Ita Gloſſa, & Hoſtienſ. Si deſideres deſcriptionem Treugæ pro foro civili, omitte illas ultimas particulas ejusdem deſcriptionis *in foro Eccleſiaſtico.* Porrò Judici Eccleſiaſtico incumbit ante judicium partes diſcordantes ad concordiam, quatenus fieri poteſt, revocare, *can. 1. & tota diſt. 90.* ad concordiam verò devenitur per Treugam, & Pacem, *can. ſtudendum, diſt. 90.*

3. Nota ſecundò: inter Treugam, & Pacem eſſe diſcrimen hoc ſecundùm Interpretes Juris, quòd Treuga dicat inducias partium diſcordantium ad breve tempus: Pax verò importet ipſum finem, & ſuppreſſionem diſcordiæ. *Pax* à *paciſcendo*, ſeu à *pacto* derivatur, *L. 1. de pactis.*

4. Dico ſecundò: bene deſcribitur Pax, quòd *ſit vinculum charitatis, ſeu amicitiæ, & concordiæ.* Ita Vallenſ. &c. Et conſtat ex *cap. novit, de judiciis.*

5. Nota tertiò: Treuga eſt duplex, ſcilicet conventionalis, & canonica. *Treuga conventionalis* eſt, quæ fit ex libera diſcordantium voluntate, & ex conventione formam, & modum recipit; ſicut & quilibet contractus *L. 1. ʃʃ. ſi conveniat D. depoſiti.* Hæc computatur inter Jura gentium, *cap. Jus gentium, 7. diſt. 1.* & proinde etiam ſervanda eſt hoſti, *can. noli, cauſ. 23. q. 1.* dummodo is quoque ex ſua parte ſervet fidem, *cap. pervenit 3. de jurejurando.* Et *can. ſi infidelis, cau. 28. q. 2. Treuga Canonica,* ſeu *legalis* eſt illa, quæ eſt inducta à Canone, vel lege *cap. 1. hoc tit.* Et hæc vel eſt temporalis, vel perpetua, juxta Hoſtienſ. de quibus duabus ſpeciebus ſunt ſequentes duæ concluſiones. Unde ſit

CAP. II.
Varia circa Treugam, & Pacem reſolvuntur.

1. DIco primò: perpetuâ Treugâ Canonicâ, & ſecuritate, tempore belli, & alio, de jure communi gaudent Presbyteri, & omnes alij Clerici; item Monachi, & eorum Converſi, alijque Religioſi; item Peregrini; Mercatores; Viatores; Ruſtici; & in agricultura exiſtentes; item animalia, quibus arant, & ſemina portant in agros. Ita communis Canoniſt. Et deciditur in *cap. 2. hoc tit.* Verùm hoc non eſſe uſu receptum, notat Gloſſa, & Panormit. & docet quotidiana experientia tempore bellorum.

2. Dico ſecundò: temporalem Treugam Canonicam habent omnes à feria quarta poſt occaſum ſolis, usque ad ſecundam feriam ante ortum ſolis, ab adventu Domini usque ad octavam Epiphaniæ: item à ſeptuageſima usque ad octavam Paſchæ, quam Papa Alexander III. inviolabiliter ſervari mandat in Concil. Lateran. *cap. 21.* & refertur *cap. 1. hoc tit.* Quare hiſce temporibus nemo debet bellare, niſi urgeat gravis neceſſitas. Etiam hæc Conſtitutio aut non eſt uſu recepta;

Digitized by Google

recepta; aut ei eſt derogatum per diuturnam conſuetudinem; uti notat Gloſſa, & Abbas. Sunt autem præfata tempora Treugæ aſſignata propter myſterium, & reverentiam temporis S. Adventûs, & Quadrageſimæ; & dies Jovis ob Aſcenſionem Domini, & ultimam Cœnam; dies verò Veneris propter Paſſionem Domini; dies Sabbathi, ob ſepulturam Domini; & dies Dominica ob Reſurrectionem ejusdem.

3. Nota primò: pœna violantium Treugas præfatas canonicas temporales absque juſta cauſa eſt Cenſura Excommunicationis, ſi poſt tertiam monitionem non ſatisfecerit damno, illato ex violatione earundem Treugarum. Et omnes Epiſcopi mutuum conſilium, & auxilium ſibi præſtare debent, ut inter diſcordantes tum Clericos, tum Laicos Pax firma procuretur, & cuſtodiatur. Pœna verò violantium Pacem publicam in Imperio eſt Bannum.

4. Nota ſecundò: Treugam, & Pacem ob juſtam, & gravem novam cauſam poſſe violari, & frangi, atque novum indici bellum: ut habet Engel, Gail &c. Ratio eſt; quia omnis promiſſio cenſetur facta rebus ſic ſtantibus; aliàs per pacificationem daretur alteri libertas novas offenſas inferendi impunè. Inter cauſas autem novas graves numeratur violatio pacis, vel Treugæ ex parte adverſa: nam tunc procedit illa regula generalis, *frangenti fidem meritò fides frangitur eidem.*

5. Nota tertiò; occaſione Treugæ, & Pacis, quæ ſunt oppoſita Bello, varia poſſunt quæri circa bellum, quorum reſolutiones ſub nullo, quàm ſub *hoc tit.* aptè diſponi poſſunt. Unde ſit

CAP. III.

De Bello.

1. Nota primò: bellum aliud eſſe offenſivum; aliud defenſivum. *Offenſivum* eſt, in quo vi, & armis adverſariæ copiæ petuntur cauſâ vindicandæ injuriæ illatæ. *Defenſivum* verò, quô vi, & armis retunditur vis injuſtè illata. Utrumque noſtri Novatores Anabaptiſtæ, & Lutherus, nixi Manichæorum doctrinæ apud Auguſt. *lib. 22. contra Fauſtum, cap. 74.* dixerunt eſſe illicitum; maximè in Lege Gratiæ; ut inquit Eraſmus *in annot. ad c. 3. Lucæ.* Sed convincuntur manifeſtè ſacris Literis, referentibus quàm plura offenſiva, & defenſiva etiam bella, de mandato Domini ſuſcepta in Lege Veteri: ſic recenſetur *Exod. 17.* Bellum contra Amalecitas. Et *Num. 25.* contra Madianitas. Et Libri Joſue, Judicum, Regum, & Paralipomenon pleni ſunt bellis. In Lege verò Gratiæ laudat D. Paulus *ad Hebr. 11.* Gedeonem, Sampſonem, &c. heroes ob præclara eorum geſta in bellis. Et S. Joannes Baptiſta *Luc. 3.* diſſerens cum militibus appropinquante jam Lege Gratiæ, non reprobavit, aut diſſuaſit bellum; ſed ſolùm inſtruxit eos de evitandis in bello. Confutantur iidem Errones vetuſtâ PP. doctrinâ, bella debitis conditionibus veſtita non reprobantibus. Factis pariter plurium SS. Martyrum, qui olim caſtra ſequebantur. Et Sumorum Pontificum, ac Generalium Conciliorum, impulſu ſalutari inducentium Chriſti Fideles ad Sacram expeditionem contra Ottomanicæ Portæ tyrannidem, in Chriſtianorum plagis reprimendam; qua de re videantur Bullæ Urbani II. Paſchalis II. Eugenij III. & aliorum Pontificum. Et modernus Sanctiſſimus Innocentius Papa XI. omni conamine promovet, & incitat S. Ligam, nuper initam inter Leopoldum I. Imperat: & Joannem III. Regem Poloniæ, & Rempublicam Venetam contra Turcarum Tyrannum Machometem IV. Quam S. Ligam pluribus victorijs, & urbium expugnatione ſecundat DEUS.

2. Nota ſecundò; Conditiones legitimantes maximè Bellum offenſivum, ut licitè ſuſcipi poſſit, eſſe ſequentes. *Prima*; ut bellum authoritate publicâ Principis, vel ſupremi Magiſtratûs indicatur. Ita ſentit S. Aug. *lib. 2. contra Fauſtum.* S. Thomas, & TT. omnes ac Juriſtæ. Ratio eſt; Tum quia ſolus Princeps, & ſupremus Magiſtratus ex D. Paulo *ad Rom. 13. Gladium portat, DEI enim Miniſter eſt, vindex in iram.* Et idcirco in Jure Civili *L. Hoſtes. ff. de captivis, & poſtliminiò reverſis,* prædones, atque latrunculi appellantur, qui in Imperio ſinè conſenſu, & authoritate Imperatoris bellum offenſivum ſuſcipiunt. Tum quia aliàs omnia abundarent ſeditionibus, & motibus periculoſis in Regnis. *Secunda Conditio* eſt; ut adſit cauſa juſta; quæ ſtatuitur eſſe injuria illata gravis, bellô tantùm reparabilis; & eſt cauſa generalis. Ita TT. omnes, poſt S. Aug. in *q. 10. ſuper librum Joſue*; quem refert *can. Dominus, cau. 23. q. 2.* inquiens; *Juſta bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua Gens, vel Civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit, quod à ſuis improbè factum eſt; vel reddere, quod per injurias acceptum eſt.* Particulares porrò cauſæ juſtæ ſunt hæ; ut ſervetur caſtigatio, & reductio rebellium ſubditorum: ut fiat recuperatio iniquæ ablatæ Provinciæ, Civitatis, &c. ut ultio ſumatur

tur

Digitized by Google

tur de injuria gravi in Principem, vel Rempublicam commiſſa: ut ultio pariter accipiatur de partibus, dantibus ſuppetias hoſti, iniquum bellum in Principem gerenti: ad repulſam faciendam eorum, qui prohibent caſtigari ſontes in Republica: ut caſtigentur fœdifragi: ut Socijs ſuppetitæ poſſint afferri: ad caſtigandam populi idololatriam; vel Hæreſim novam, quæ plurimos ſecum trahit errores cum interitu Regni, vel Provinciæ: & tandem quando ſpeciale præceptum Domini accedit; ut habet Aug. cit. *Tertia Conditio* eſt, ut adſit recta intentio; id eſt, quæ referatur ad procurandum commune bonum Regni; vel Reipublicæ pacem communem introducendam.

3. Nota tertiò: quòd teneantur ſubditi, ſicut & milites, qui jam ſunt ſtipendiarij actuales, etſi dubij ſint de juſtitia belli, obedire Principi, vel præcipienti bellum; ut habet Navar. Gabr. Cajet. Major, &c. Ratio eſt; quia in dubio unuſquiſque obedire debet Principi, vel Superiori; ùt ait Gloſſa in cap. *quid culpatur 23.* Et quia inquit S. Aug. *lib. 23. contra Fauſtum c. 75. Vir juſtus, ſi fortè ſub Rege, homine etiam Sacrilego, militet, rectè poteſt illo jubente bellare, ſi quod ſibi jubetur; vel non eſſe contra DEI præceptum, certum eſt: vel utrùm ſit, certum non eſt.* Quare docent DD. ſubditos non teneri juſtitiam belli Principis examinare; tenentur tamen milites extranei, recenter volentes dare nomen militiæ; unde iſti ita dubij, de præfata juſtitia, ut neutri parti aſſentiri rationabiliter valeant, militiam ſuſcipere non poſſunt; ut habet Suar. Val. Nav. Cajet. &c. Ratio eſt; quia hi abſque neceſſitate obediendi, committunt ſe periculo inferendi graves injurias parti inſonti, cum qua belligeratur. Unde illi milites in perpetuo verſantur peccato, qui ita affecti ſunt, ut cuique ſtipendium porrigenti pro bello juſto, vel injuſto velint militare, neque eis ſacramentalis abſolutio impertienda eſt, priusquã mutent hujuſmodi propoſitum.

4. Nota quartò: in bello juſto licere ſequentia: *Primò* poſſunt Duces uti inſidijs, & ſtratagematibus jure belli uſitatis, & toleratis; uti conſtat ex S. Auguſt. *quæſtio 10. in Joſue* dicente; *cùm juſtum quis bellum ſuſceperit; utrùm apertâ pugnâ, an inſidijs vincat, nihil ad juſtitiam intereſt.* *Secundò*; pariter licet occidere directè ſontes, ſi hoc petat juſtitia belli, & aliter finis belli obtineri nequeat: ſalvari autem debent inſontes; cujuſmodi ſunt infantes, Religioſi, Clerici, homines ſimplices, ſenes, ruſtici, & peregrini, juxta *cap. renovamus, de Treuga, & Pace.* Qui tamen & ipſi indirectè occidi poſſent, ſi aliter victoria de hoſtibus obtineri nequeat, uti fit in exuſtione urbium. *Tertiò*; licitè etiam poſſunt nocentes ſpoliari bonis, tributis aggravari, captivari; uti liquet L. *ſi quid bello.* Et L. *hoſtes ff. de Captivis.* Non poſſunt tamen hæc directè exerceri circa innocentes mox citatos; licèt bene indirectè; ſi aliter bellum geri, & fructuosè terminari nequeat; ut habet Herincx, Marchan. Laym, & communis DD, ſpolia tali caſu Jure Gentium tranſeunt in Dominium ſpoliantium; quia *Inſtit. de rerum diviſione. §. item ea,* dicitur; *Quæ ex hoſtibus capimus, Jure Gentium ſtatim noſtra fiunt.* *Quartò*; licitum ſimiliter eſt auferre hoſtibus libertatem, ad procurandam ſatisfactionem injuriarum illatarum; ſicut habetur L. *ſi quid bello,* & alibi: quod tamen, quoad Chriſtianos bellô captos eſt intelligendum cum hac modificatione, ut captivi Chriſtiani detineri quidem poſſint in carcere, quouſque lytrum redemptionis ſequatur; non tamen reduci ad formalem ſclavitatem, & effici rigoroſa mancipia; uti Jure communi Chriſtianorum ubique obſervatur.

5. Nota quintò: DD. controverti, num Princeps teneatur deſiſtere à bello, & acceptare juſtam ſatisfactionem, ſi ea ab adverſarijs offeratur: Cajetanus cum alijs negat, eò quòd Princeps fungatur Vice-Judicis injuriam ulciſcentis; Judex autem non tenetur cæptâ causâ deſiſtere à punitione rei, quamvis ſatisfactionem offerat. Sed affirmat Molina cum cæteris; dummodò reverà digna ſatisfactio offeratur; quia per dignam ſatisfactionem tollitur injuria, & actio, juxta princip. *Inſtitut. quibus modis tollatur obligatio*; ſublatâ autem injuriâ, & actione, non eſt ampliùs bellum. Et quia propter ſubditos damnificatos ex bello, expedit, ut Princeps deſiſtat à bello, quando ei juſta ſatisfactio offertur, & præſtatur. Limitari tamen ſolet hæc opinio, niſi injuria illata Principi fuerit atrox, & damnum, ſubditis Principis ex inde cauſatum graviſſimum.

Digitized by Google

TITULUS XXXV.
DE PACTIS.

CAP. I.
De quidditate Pacti.

1. NOta primò: Treuga, & Pax communiter perficiuntur mediantibus Pactis, & Tranſactionibus: quare meritò poſt *Titul. de Treuga, & Pace* ſubnectuntur duo *Tituli de Pactis*; & *de Tranſactionibus*. Ex alio capite etiam quoniam plerúmque eventus litis eſt dubius, & ad declinandas expenſas graves ſolent partes ante ingreſſum litis, ſuper lite inter ſe paciſci, & tranſire; ſeu per pacta à lite recedere; quare Jura rationabiliter de Pactis hoc loco agunt. Originatur autem *Pactum* à *pactione L. 1. §. 1. ff. de pactis*; & importat conventionem quandam duorum de aliquo dando, vel non dando; de faciendo, vel non faciendo.

2. Dico primò: Bene deſcribitur Pactum, quòd *ſit duorum, vel plurium in idem placitum conſenſus*. Ita habetur *L. 1. cit.* Ly *conſenſus* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia: & ſpecialiter per ly *duorum, vel plurium conſenſus* differt à pollicitatione, ſeu ſimplici promiſſione nondum acceptata; & à teſtamento, ac codicillo; quia hæc ſunt unius conſenſus duntaxat; utì patet ex *L. pactum 3. ff. de pollicit.*

CAP. II.
De Varia diviſione Pacti.

1. NOta primò: Pactum in genere diſcriminatur à contractu, & tranſactione, ſicut genus à ſpecie: & quia *contractus* propriè complectitur tantùm eas conventiones, quæ ſynallagma, id eſt ultrò citroque obligationem continent; cujuſmodi ſunt emptio, venditio, locatio, conductio, &c. *Tranſactio* verò eas conventiones complectitur, quibus res dubiæ terminantur; & quidem aliquô datô, vel retentô, vel promiſſô, vel remiſsô. *Pactum* tandem complectitur omnes contractus, & tranſactiones, & conſequenter quaſcùnque conventiones, ſive contineant ſynallagma, ſive non; ſive rem tranſigant, ſive non; ſive pariant actionem, ſive non.

2. Nota ſecundò: Pactum *primò* dividitur in publicum; & privatum. *Pactum publicum* eſt, quod per Principem ob cauſam Reipublicæ fit. *L. conventionum 5. ff. hoc tit.* & hoc etiam vocatur *fœdus*. *Privatum* eſt, quod per privatas perſonas celebratur. *Secundò* Pactum dividitur in expreſſum, & tacitum. *Pactum expreſſum* eſt, quod vel re, id eſt per præſentes habito contractu fit, vel per epiſtolam, vel per nuncium perficitur, *L. 2. ff. hoc tit.* *Tacitum* eſt, quod nec re, nec per epiſtolam; nec per nuncium; ſed ex præſumpta paciſcentium voluntate, ſeu conſenſu fit: tale cenſetur eſſe dum quis reddit cautionem (id eſt chirographum) debitori; nam tunc tacitè paciſcitur de non petendo *L. 2. ff. hoc tit.*

3. Nota tertiò: Pactum *tertiò* dividitur in illa, quæ ſunt Juriſgentium; & in legitima. *Prima* ſunt, quæ ſola æquitate naturali conventionis nituntur. *Secunda* ſunt, quæ non ſolùm æquitate naturali, ſeu ratione naturali; ſed etiam aliqua civili confirmantur, ita ut actionem pariant, *L. cit. conventionum*. *Quartò* rurſus partitur in pacta in rem, & in pacta in perſonam. *Pacta in rem* ſunt, quando quis generaliter paciſcitur, nè petatur. *Pacta in perſonam* ſunt, quando quis paciſcitur, nè à ſe, vel ab alia certa perſona petatur, *L. Juriſgentium §. pactorum, hoc tit.* *Quintò* alia ſunt *Pacta obligatoria*, quibus ſe obligant paciſcentes ad aliquid dandum, vel faciendum. Alia *Liberatoria*, quibus actio ex Jure competens, mediante acceptilatione, vel novatione, ipſo jure, vel ope exceptionis tollitur, *L. tale pactum 40. ff. hoc tit.* junctâ Gloſsâ. Alia *Judicialia*; alia *Extrajudicialia*, quorum explicatio patet ex ipſis terminis.

4. Nota quartò: *ſextò* ſolemniter partitur Pactum in veſtitum, & nudum. *Pactum veſtitum* eſt, quod præter conventionem partium aliquod aliud habet adminiculum Juris, ratione cujus actio civilis in foro externo oritur, *L. Juriſgentium cit.* tales ſunt emptio, venditio, &c. *Pactum nudum* eſt, quod ſola paciſcentium conventione fit; unde regulariter nulla actio civilis ex eo oritur in foro externo, idque ad evitandam litium multitudinem; ſed ſolùm exceptionem parit *L. cit. Juriſgentium*.

5. Nota quintò: Pacta porrò veſtiuntur modis pluribus, ſeu Lege Civili confirmantur, utì advertit Gloſſa, & DD. communiter. *Primò*; ſi Pactum ſimplex tranſeat in contra-

ctum

Digitized by Google

ctum ſpecificum, ſeu nominatum in genere ſuo perfectum, v. g. in emptionem, venditionem &c. *Secundò* veſtitur, & confirmatur per adjectum juramentum, ita ut etiam ex Jure Civili concedatur actio; ut habet Covarr. Mol. &c. *Tertiò* confirmatur Pactum nudum ſi fiat in Judicio, *L. 4. ff. de Fide Juſſ. tut. Quartò* veſtitur accedente ſtipulatione, *L. ex placito 3. C. de rer. permut.* *Quintò* ſecutâ rei traditione, vel impletione promiſſi, *L. naturalis ff. de præſcript. verb.* & *L. 1. ff. de condict. cauſ. dat. non ſecut.*

CAP. III.

De his, qui poſſunt paciſci; deque materia; forma; & effectibus Pactorum.

1. Nota primò: omnes poſſunt inire pacta, qui poſſunt conſentire, & Jure non prohibentur.

2. Ex quo infertur primò: infantes, furioſos durante furiâ, perpetuò amentes, ebrios, ſimul mutos, & ſurdos, non poſſe paciſci; tales enim nequeunt civiliter conſentire.

3. Infertur ſecundò: neque impuberes ob Judicij imbecillitatem poſſe paciſci, niſi paciſcendo conditionem ſuam meliorem faciant. Similiter prodigi, quibus interdicta eſt bonorum gubernatio. Item minores 25. annis, qui Curatorem habent: ut habet Vall. Zoëſ. &c.

4. Infertur tertiò: ſecundùm Canones paciſci nequeunt de rebus Eccleſiaſticis illi, quibus eſt prohibita earundem alienatio, ſinè conſenſu Prælati, Superioris, vel Capituli; utì conſtat ex *tit. de reb. Eccleſ. non alien.* &c. Nemo pariter de rebus publicis paciſci poteſt, abſque prævia facultate, *L. Juris gentium 7. §. ſi paciſcar 14. ff. hoc tit.*

5. Nota ſecundò: Nemo alteri regulariter; ſed ſibi tantùm paciſci poteſt *§. alteri inſtit. de inutil. ſtipul.* Circa materiam Pactorum

6. Nota tertio: quòd Pacta poſſint iniri ſuper rebus omnibus licitis, & honeſtis, etiam ſpiritualibus; gratuitò tamen, ob vitandam Simoniam *cap. 4.* Et *6. in fine hujus tituli*: in Summa ſuper omnes, quæ in commercio hominum ſunt, ſive eæ ſint præſentes, ſivè abſentes, ſive etiam futuræ; dummodo paciſcentium ſint propriæ.

7. Nota quartò: non licet inire Pacta Simoniaca: unde non poteſt quis paciſci ſuper res ſpirituales, vel quaſi ſpirituales (niſi gratuitò) veluti ſi quis de re aliqua temporali data paciſcatur cum alio, ut ab eo beneficium Eccleſiaſticum, accipiat *cap. cùm pridem 4.* Et *cap. cùm Clerici 6.* Et *cap. ult. hoc tit.* Sed neque licet paciſci ſic, ut beneficium pro beneficio detur, *cap. quæſitum, de rerum permut.* cùm omne tale Pactum ſit Simoniacum, *cap. cùm pridem.* Etiam Pactum turpe, ſeu de re turpi & inhoneſta, vel injuſta non ſubſiſtit, nec obligat: neque Pactum de re impoſſibili juxta *Reg. Juris in 6.* Et generaliter Pacta, quæ contra leges, vel bonos mores, vel cum dolo fiunt, vim non habent, *L. generaliter 26.* Et *L. ſeq. ff. de verbor. oblig.* & *L. Pacta 6. C. hoc tit.* Similiter invalidum eſt Pactum cum aliquo initum de ſuccedendo poſt mortem Prælati, vel beneficiati in ipſius Eccleſia, vel beneficio; utì conſtat ex *cap. accepimus 5. hoc tit.* Simoniacum pariter, & illicitum reſultat Pactum, ſi quis paciſcatur privatè, & ſinè Superioris authoritate, ut altera pars litigans lite, & jure, (ſi quod in beneficio habet) cedat, receptô viciſſim aliquo temporali v. g. expenſis refuſis, vel penſione annuâ ſolutâ, vel ſolvendâ; ita conſtat ex *cap. cùm pridem 4. hoc tit.* Illicita tandem ſunt Pacta, quæ cedunt in præjudicium alterius non conſentientis, præſertim per quæ Juri publico Eccleſiæ præjudicatur; quia factis privatorum Juri publico derogari non poteſt, *cap. ſi diligenti 12. de foro compet.* Pacta illa item reprobantur, per quæ filia dote contenta renunciat paternis bonis; quare poſt mortem patris non obſtante tali pactô regreſſum habet ad talia bona, eique ab inteſtato ſuccedere non prohibetur; dummodo dotem, quam accepit, cum fratribus conferat; ita conſtat ex *L. hæreditas 5. C. de pact. convent.* quod ordinatum eſt, ne per talia pacta liberi retrahantur à paternis obſequijs, quæ ſpe futuræ ſucceſſionis retinentur, & ad quæ meritis potiùs provocandi ſunt liberi, quàm pactionibus adſtringendi, *L. ſi quando 35. ff. de offic. teſtam.* Valet tamen Pactum de non ſuccedendo in paterna hæreditate, vel alia, ſi confirmetur appoſitô juramentô, *cap. quamvis 2. hoc tit. in 6.*

8. Nota quintò: aliàs Pacta legitima celebrata inter Chriſtianos debent ſervari; utì conſtat ex *cap. Antigonus 1. hoc tit.* Et ad eorum obſervationem quis compelli poteſt à Judice Eccleſiaſtico per cenſuras, *cap. quærenti 26. de verbor. ſignif.* Violare ab altera parte Pacta legitima in materia gravi, eſt peccatum grave; utì tradit Gloſſa: quod inde conſtat, quia ea violans poteſt excommunicari, *cap. 1. hoc tit.* Excommunicatio autem fertur pro-

pter mortale tantùm, & manifeſtum, *can. nemo 41. cau. 11. q. 3.* Circa formam Pactorum

9. Nota ſextò: forma Pactorum pendet ex conſenſu, & voluntate paciſcentium *L. 1. §. ſi conveniat ff. depoſit.* Modò Pacta non cudantur contra formam à Legibus ordinatam; aliàs contractus vitiatur; cujusmodi eſt pretium in emptione, & merces in locatione, quæ ſi per pactum adjectum tollantur, non valet Pactum tale. Cæterùm Pacta non conſtant certis verbis; ſed tantùm æquitate conventionis. Circa effectus Pactorum

10. Nota ſeptimò: Ex pacto nudo non oritur quidem Jure Civili per modum effectus obligatio, ſeu actio; id eſt jus petendi in judicio; ut habet communis Legiſtarum: naſcuntur tamen ex eo alij quidam effectus, etiam in foro externo; puta *primò*, quòd exceptionem pariat *L. Jurisgentium 7. §. ſed cum nulla ff. hoc tit.* *Secundò* poteſt retineri pignus datum pro eo, quod ex nudo pacto eſt debitum; ut habet Leſſ. Molin. *Tertiò* quod ſemel ſolutum eſt ex tali pacto, retineri poteſt; & non debet etiam in Judicio reſtitui &c. Jure autem Canonico ex pacto nudo oritur actio efficax ad exigendum in Judicio, quod promiſſum eſt. Ita Abbas, Felin. Covarr. & alij Canoniſtæ. Et conſtat ex *cap. 1. & cap. 3. hoc tit.* ubi mandatur, ut pacta nuda ſinè ſtipulationis forma inita, obſerventur firmiter, & impleantur opere.

TITULUS XXXVI.

DE TRANSACTIONIBUS.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit Transactio.

1. NOta primò: jam priori tit. *cap. 1. not. 2.* obſervavi, Tranſactionem eſſe ſpeciem Pacti generaliter ſumpti: & ſumitur dupliciter largè; & propriè; uti notat Zoëſ. Vallenſ. &c. *Transactio largè ſumpta* importat compoſitionem cujuscunque rei, vel negotij; in quo ſenſu capitur *L. tranſacta 229. ff. de verbor. ſignif.* Et *cap. 2. hoc tit.* ubi fit tranſactio ſuper decimis extra litem. *Tranſactio propriè ſumpta* dicit compoſitionem rei dubiæ, & litigioſæ. Et videtur hoc vocabulum *Tranſactio* dici quaſi *tranſitio actionis*, eò quòd tranſigens tranſeat, ſeu recedat ab actione ſibi competente. Unde

2. Dico primò: bene deſcribitur Transactio, quòd *ſit de re dubia, & lite incerta nondum terminata, non gratuita pactio.* Ita conſtat ex *L. 1. D. hoc tit.* Ly *pactio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Ly *de re dubia* differentiat Tranſactionem à Pacto, quod eſt de re certa, quæ per pactum ſubinde remittitur. Ly *lite incerta nondum terminata* indicat Tranſactionem non eſſe de qualibet re dubia; ſed de re dubia, ob litem jam motam; aut movendam, ſeu quæ timetur, *cap. conſtitutu 4. hoc tit.* Ly *non gratuita pactio* additur; quia nullô datô (ſcilicet pro eo, quod remittitur) vel retentô, vel promiſſô non procedit Tranſactio propiè dicta, *L. Tranſactio 38. C. hoc tit.* Et in hoc Tranſactio diſtinguitur à compoſitione amicabili, quæ gratìs fit, nullô datô, vel retentô; ſed per quam pars debiti remittitur gratìs, & condonatur, *cap. ſuper 7. hoc tit.*

3. Nota ſecundò: Tranſactio dividitur in realem, & perſonalem. *Realis* eſt; quæ ad Succeſſores rei, ſuper qua tranſactum eſt, tranſit; nam Dominus formalis alicujus prædij v.g. poteſt obligare ſuos hæredes, & Pactum reale (quo res ipſa afficitur) inſtituere, *L. Jurisgentium 7. §. pactorum ff. de Pactis.* *Perſonalis* eſt, quæ durat duntaxat ad tempus vitæ tranſigentis, ac cum eo moriente oblite ratur.

4. Dico ſecundò: ad Judicem pertinet partes litigantes ad tranſigendum, & componendum, ac concordiam inducere, ſi fieri poſſit, priusquam ad Judicium deveniatur. Ita Gloſſa &c. Et ſumitur ex *cap. 6. hoc tit.*

CAP. II.

Super quibus rebus, & à quibus poſſit tranſigi.

1. DIco primò: licitum eſt tranſigere de quavis re dubia, & litigioſa temporali, ad ſe pertinente (honeſta tamen) de qua vel jam eſt mota lis, vel movenda. Ita

Digitized by Google

da. Ita Zoeſ. Vallenſ. &c. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *L. 1. & 2. hoc tit.* Etiam poſt concluſionem in cauſa; quia tunc quoque dubius eſt eventus litis, ut notat Vall.

2. Dico ſecundò: de crimine publico capitali (ob quod ſcilicet pœna ſanguinis irrogatur) licitum eſt tranſigere. Ita Gloſſa, & communis DD. Et conſtat ex *L. transigere 18. C. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia licèt cuique ſanguinem ſuum quôvis modò redimere, *L. 1. ff. de bonis eorum, qui ante ſentent.* &c. Unde tranſigens non debet pro confeſſo haberi; quia magìs graviſſimi periculi declinandi causâ, quàm conſcientiâ facinoris tranſigere cenſetur, *L. fin. D. de prævar.* Excipitur tamen in dicta L. adulterium, quod quamvis non numeraretur inter capitalia per Legem Juliam *L. Clodius D. de his, quibus ut indignis* &c. poſtea tamen cæpit inter ea computari *L. quamvis C. de adult.* Et de eo non licet tranſigere ex eadem Lege Julia; talis namque tranſactio, & conventio incidit in lenocinium.

3. Nota primò: non licet tranſigere de alijs criminibus privatis, quæ pœnam ſanguinis non inferunt, ſi criminaliter agatur ad vindictam publicam criminis talis v. g. injuriam, vel furti &c. & accuſatus tranſigens pro confeſſo habetur, perinde ac tranſigens de crimine publico capitali: ſi autem agatur civiliter de tali crimine, ad pœnam parti læſæ applicandam, licita eſt tranſactio, ſicut & gratuita pactio, & compoſitio; ut habet Gloſſa, Clarus, Molina &c. Et Ratio eſt; quia partes non poſſunt Juri publico, ac bono publico, ad quod tendit accuſatio criminalis, præjudicare; poſſunt tamen juri ſuo, ac commodo privato præjudicare; ut obſervat Andr. Fachin. &c.

4. Nota ſecundò: ſimiliter ſuper rebus ſpiritualibus, vel his annexis, vel pro ſpirituali ſubjectione alicui debita non licet tranſigere, interveniente aliquo temporali; uti conſtat ex *cap. conſtitutus 4.* Et *cap. praeterea 10. hoc tit.* Et Ratio eſt; quia talis compoſitio, & conventio eſt Simoniaca, ac peccaminoſa. Unde illicita, & invalida eſt tranſactio de beneficio Eccleſiaſtico, de quo litigatur, *cap. ſuper eo 7.* Item de Jure patronatûs, *cap. præterea 9. hoc tit.* Quare tantùm gratìs, & amicabiliter licitum eſt de hujuſmodi rebus componere, *cap. ſuper eo 7. hoc tit.*

5. Nota tertiò: etiam ſuper Matrimonio non licet tranſigere, nec amicabiliter componere; uti patet ex *cap. ex parte 11.* & *ult. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia ſi ſemel legitimè contractum ſit, amplius nec quidem amicabiliter diſſolvi poteſt; ſi verò illegitimè ſit concluſum, ſeu contra Canones, non poteſt reconciliari etiam per tranſactionem, vel compoſitionem partium; ut habet Vall.

6. Nota quartò: de relictis quoque in Teſtamento, vel Codicillo ſinè Judice non licet tranſigere, non inſpectis, cognitiſque verbis Teſtamenti. Ita communis DD. Et habetur *L. 1. ſ. ratio ff. Teſtam. quemadmodum aperiant.* Et *L. de his 6.* Et *L. non eſt 12. hoc tit.* Et quia talis tranſactio eſt captioſa; ideoque improba.

7. Nota quintò: ſimiliter de futuris alimentis, quamvis ultimâ voluntate relictis, abſque authore Prætore, & cauſæ cognitione non licet tranſigere, *L. cùm hi 8. D. hoc tit.* Et nè contenti modicô præſenti, facilè ſibi relicta repudient homines, & inde contra teſtatoris voluntatem fame laborent. De præteritis verò, ſi quæſtio oriatur, licitum eſt tranſigere, etiam ſinè Judice, *L. alimentis 8. D. hoc tit.* Et quia in his ceſſat allegatum periculum. Circa alterum articulum hujus cap.

8. Nota ſextò: generaliter loquendo omnes illi poſſunt tranſigere, qui poſſunt paciſci, ſeu conſentire; ac ſunt mente ſani; habéntque liberam adminiſtrationem ſuarum rerum; nec Jure prohibentur. Ita communis DD. Et patet ex *L. ſanum 27. C. hoc tit.* Unde

9. Infertur primò: tam maſculos, quàm fœminas, & corpore ægros poſſe tranſigere; modò mente ſint ſani, & poſſint conſentire; uti conſtat ex *cit. L.*

10. Infertur ſecundò: quòd Pupillus, aut minor ſub Curatore adhuc conſtitutus non poſſit tranſigere: cùm non habeat liberam adminiſtrationem ſuarum rerum. Nec Procurator cum generali duntaxat mandato conſtitutus; niſi præterea obtineat ſpeciale mandatum ad tranſigendum, *L. tranſactionis 7. C. hoc tit.* Vel niſi ſit conſtitutus Procurator cum libera adminiſtratione bonorum, vel cauſæ alicujus, *L. Procurator 58. ff. de procurat.* Quia nec alienare poteſt, abſque ſpeciali mandato, *L. Procurator 63. ff. eodem.* Similiter nec Tutor poteſt tranſigere; ſicut nec poteſt bona immobilia, vel mobilia pretioſa, quæ ſervando ſervari poſſunt alienare, ſinè Judicis decreto, *L. non ſolum 4. C. de prædiis Min.* Etiam Vaſallus ſinè conſenſu Domini directi de feudo tranſigere nô poteſt, transferendo illud in alium; ut habet Molina, Pirhing. &c. Nec Pater de bonis liberorum, quæ tantùm adminiſtrat, *L. pupill. ſ. ſi Pater. D. de rebus eorum.*

11. Infertur tertiò: Prælatus Eccleſiæ pariter

Digitized by Google

riter v. g. Epiſcopus, vel Abbas, aut ſimilis nequit de rebus Eccleſiæ ſibi concreditæ, ſinè conſenſu Capituli tranſigere; utì conſtat ex *cap. contingit 3.* Et *cap. veniens 8. hoc tit.* Quod procedit, etiamſi obtineret liberam, & generalem adminiſtrationem talium rerum, *cap. cùm nobis in fine, de elect.* Nam Prælatus obtinet liberam adminiſtrationem rei duntaxat bene gerendæ; non autem perdendæ, vel diſſipandæ, *can. Epiſcopus; can. 10. q. 2.* Quin imò ad tranſigendum de rebus, & juribus Eccleſiæ præter Capituli conſenſum, etiam requiritur conſenſus Superioris legitimi, v. g. Epiſcopi, vel Archi-Epiſcopi, cui Eccleſia eſt ſubjecta; ut habetur ex *cap. ſtatuimus 2. hoc tit.*

CAP. III.

De forma; & effectu Transactionis; & ejus reſciſſione.

1. NOta primò: Jure Civili duplex extat forma Tranſactionis, certis verbis perficienda; nam vel fit ſimplici acceptilatione, quando ſcilicet eam non præcedit aliqua ſtipulatio: vel modificata acceptilatione, quam ſcilicet præcedit Aquiliana ſtipulatio; utì conſtat ex *L. 2. ff. hoc tit.* quarum exempla refert Gloſſa in *cit. L.* Verùm Jure Canonico non extat ulla ſpecialis forma, aut verborum tenor pro inſtituenda Tranſactione; ſed poſſunt partes quibuscunque verbis mutuum conſenſum, ſeu conventionem exprimentibus tranſigere. Circa effectus Tranſactionis.

2. Nota ſecundò: *Primus*, & principalis effectus Tranſactionis eſt, finem litibus motis, & movendis, aut quæ timentur, imponere; ita habetur *L. cùm proponas 17.* Et *L. fratris 10. C. hoc tit.* *Secundus* effectus ejus eſt, quòd Tranſactio ſemel legitimè inita, nullo prætextu retractari, aut reſcindi poteſt, *L. cùm te 5. C. hoc tit.* Nec quidem reſcriptô Principis revocari poteſt, *L. cùm proponas 17.* Et *L. cauſas 16. C. eodem.* Neque etiam prætextu inſtrumentorum poſtea repertorum, *L. ſub prætextu 19. & 29. eodem C.* Nam qui tranſigit, etiam ſuper acceſſorijs, & ijs ſervientibus tranſigere cenſetur; ut ait Valleni. Pirh. &c. Et cùm Tranſactio fiat liberô, & mutuô conſenſu, ideo firma manere debet, *cap. ſtatuimus.* Et *cap. contingit, hoc tit.* Et demum quia nihil ita fidei humanæ congruit, quàm ea, quæ placuerant, cuſtodiri, *L. non minorem 20. C. hoc tit.* Et quod ſemel placuit, ampliùs diſcplicere non poteſt. *Reg. Juris in 6.* *Tertius* effectus eſt, quòd agenti ſemper obſtet exceptio Tranſactionis, quæ vocatur exceptio litis finitæ, *cap. 1. de litis conteſtatione. in 6.* Nam Tranſactio non habet minorem vim ad dirimendam, & terminandam litem, quàm res judicata, *L. non minorem C. eodem.* Circa reſciſſionem Tranſactionis

3. Nota tertiò: Tranſactio nihilominus poteſt ex varijs cauſis reſcindi. *Primò* per errorem calculi; niſi & ſuper ipſo errore tranſactum ſit, *L. unic. C. de errore calculi.* *Secundo* propter ſubſtantialem errorem intercurrentem, *L. ſub prætextu 29. C. hoc tit.* Error enim ſubſtantialis tollit conſenſum, *L. ſi per errorem 15. ff. de Jurisd.* *Tertiò* ob metum cadentem in conſtantem virum, qui cauſam dedit Tranſactioni *L. interpoſitis 13. C. hoc tit.* *Quartò* ob dolum immixtum, quô Tranſactio fuit extorta, quo caſu reſcinditur Tranſactio per actionem de dolo, *L. ſub prætextu 19.* Et *L. pen. C. eodem.*

TITULUS XXXVII.

DE POSTULANDO.

CAP. I.

De quidditate; differentia; & neceſſitate Poſtulantis, ſeu Advocati.

1. NOta primò: quando partes nequeunt per tranſactiones, vel pacta componi; ſed malunt contendere judiciô; tunc ad Judicem itur, & poſtulatur ejus ſententia; ac propterea quærendi ſunt Advocati, & Procuratores idonei ad cauſam inſtituendam: nam Advocati cauſis agendis, quoque ſtudiô operantur L. 1. ff. *Advocatos D. de extraord. cognit.* His propriè convenit Poſtulare, & propterea *Poſtulantes* dicuntur. Circa hos ergo verſatur *hic tit.*

2. Nota ſecundò: *Poſtulare* hìc non accipitur pro expoſcere Prælatum illum, qui propter aliquod canonicum impedimentum eligi

eligi non poteſt; in quo ſenſu ſupra *tit. 5.* actum eſt: nec accipitur in lata ſignificatione, prout eſt deſiderium ſuum, vel animi ſui in Jure apud Judicem exponere: quo ſenſu etiam illi, qui Advocati non ſunt, dum pro ſe cauſam agunt coram Judice, poſtulare dicuntur. Sed accipitur ſtrictè pro advocare alteri, ſive pro officio Advocati concernente tertium, qui aliàs etiam *Patronus cauſæ, Orator,* & *Cauſidicus* dicitur, utpote qui cauſam ſui Clientis per allegationes, & rationes Jurium exponit.

3. Dico primò: Poſtulare rigoroſè *eſt deſiderium amici in Jure apud Judicem exponere, vel alterius deſiderio contradicere.* Ita conſtat ex *L. 1. §. poſtulare ff. de poſtulando.* Et tenet Bartol. Sanch. &c. Ex qua definitione conſtat Poſtulationem Advocati ad duo ſeſe extendere, ſcilicet ad exponendum deſiderium amici, cujus negotium geritur in judicio, ſeu coram illo, qui Jurisdictioni præeſt: vel ad contradicendum alterius deſiderio; nam qui contradicit, poſtulat quoque aliquid; nimirum ut à petitione, quam adverſarius intentavit, abſolvatur, *L. 1. §. 2. ff. hoc tit.*

4. Nota tertiò: Etſi tam Poſtulantes, ſeu Advocati; quàm Procuratores in judicio cauſam ſui clientis gerant, atque in inferiorum Judicum tribunalibus cauſarum utrique Patroni ſint; ut notat Tholoſ. Attamen propriè loquendo differunt inter ſe ex vario capite. *Primò* enim Advocati officium eſt publicum *L. 2. ff. de Reg. Jur.* & honorabile, multis gaudens privilegiis, *L. Laudabile 23. C. de Advocat. diverſ. Jud.* Officium verò Procuratoris eſt magìs privatum, & vile, ac oneroſum; uti colligitur ex *L. ſi quis 34. C. de Decurion.* *Secundò* Advocatus dicitur propriè is, qui pro altero in judicio præſente, & cauſam etiam pro ſe agente, aut adverſario reſpondente poſtulat. Procurator verò dicitur propriè is, qui pro altero abſente poſtulat, ejuſque litem proplantat. *Tertiò* Procurator per litis conteſtationem fit dominus litis, *cap. 1. de Procur. in 6.* id eſt inſtantiæ litis; non cauſæ: Advocatus non item *L. 1. C. de errore Advocati.* Plures alias differentias Advocati à Procuratore vide apud Canoniſtas, ſignanter Pirh. Valenſ. &c.

5. Nota quartò: Judex tenetur partibus litigantibus petentibus dare Advocatos, qui gerat patrocinium earum *L. 1. §. ait Prætor ff. hoc tit.* Item perſonis miſerabilibus, ut pupillis, Viduis, debilibus, furioſis, & quæ ob potentiam, favorem, aut metum adverſariorum Patronum cauſæ ſuæ obtinere non valent; imò etiam partibus non petentibus ex officio Judex ipſis Advocatos dare debet *L. nec quidquam 9. §. Advocatos ff. de Offic. Proconſ.* Et Advocatus poteſt cogi ad præſtandum patrocinium: quamvis non poſſit compelli, ut gratìs advocet pro eis; ſed ſalariô datô à Cliente, pro modo litis: nemo enim ſuis ſtipendijs militare cogitur, *cap. cùm ex officij 16. de præſcript.* Si tamen Cliens eſſet pauper, ſalarium ei ex publico eſt conſtituendum: vel etiam tunc Advocatus compelli poteſt ſub pœna pecuniaria, vel privationis officij, ut gratìs ſerviant, *L. providendum C. hoc tit.* nè inopes maneant indefenſi.

CAP. II.

Qui excludantur à munere Advocati, ſeu Poſtulantis.

1. NOta primò: cùm munus Advocati ſit publicum, ad illud non debet admitti quilibet: Unde aliqui Edictô prohibentur à poſtulando; aliqui Lege; aliqui ſententiâ Judicis. *Edictô* prohibetur *primò* mulier; utpote quæ contra pudicitiam ſexui convenientem alienis cauſis ſeſe immiſcere non debet; neque virilibus officijs (quale eſt Advocatia) fungi, *L. 1. §. ſexum ff. hoc tit.* *Secundò* totaliter cœcus; quia hic inſignia Magiſtratûs videre, & revereri non poteſt; ut habet *L. 1. §. caſum, hoc tit.* *Tertiò* ſurdus omnino, qui juſſus Magiſtratûs exaudire non poteſt *cit. L. 1.* *Quartò* inſigni turpitudine, vel infamiâ notatus, ut qui in corpore ſuo eſt paſſus muliebria; niſi hoc vi contigiſſet *cit. L. 1. §. removet autem*: vel damnatus de calumnia, vel de capitali crimine, vel locans operas ſuas ad pugnandum cum beſtijs in arena mercedis causâ, *cit. L. & §. cit.* Etſi autem hi omnes pro alio poſtulare nequeant juxta Jura; pro ſe tamen poſſunt poſtulare. *Quintò* minor 17. annis ob imbecillem ætatem pro nemine poteſt poſtulare, nec quidem pro ſe: attamen completa ætate poteſt poſtulare *cit. L. 1.*

2. Nota ſecundò: Etſi autem infamiâ notatus, & alij, qui pro ſe, & alijs Edictô prohibentur poſtulare, pro alijs promiſcuè non poſſint poſtulare; poſſunt tamen pro ſibi conjunctis perſonis, puta parentibus, liberis, fratribus, ſororibus, uxoribus; item pro pupillis, furioſis, & fatuis, &c. *L. 1. cit. §. eſt æquiſſimum.*

3. Nota tertiò: præfatas perſonas *notab. 1.* comprehenſas ita Edictô prohiberi à poſtulando, ut nec conſenſu quidem partium, aut

Digitized by Google

aut adverſario volente poſſint admitti, L. *quos prohibet 7. ff. hoc. tit.* Hujuſmodi enim Edictum tendit ad conſervandam publicam dignitatem Magiſtratûs, *cit.* L. *1.* quæ privatis pactis partium immutari nequit; nam Jus publicum privatorum pactis nequit immutari, *L. 38. ff. de pactis.*

4. Nota quartò: *Lege* prohibentur à poſtulando. *Primò* Judices, & arbitri in illa cauſa, in qua judicare debent; nemo enim in eodem negotio poteſt ſimul eſſe Judex, & Advocatus L. *quiſquis 6. Cod. hoc tit.* *Secundò* Pagani, qui prohibentur advocare ſub pœna exilij, L. *fin. C. hoc tit.* *Tertiò* excommunicati, *cap. decernimus 8. de ſent. excom. in 6.* *Quartò* potentiores, qui ratione Magiſtratûs, vel alterius officij poſſunt eſſe terrori, L. *1. C. ne liceat potentioribus.* *Quintò* Fiſcus, vel Reſpublica; cùm non valeat patrocinari contra privatum prætextu debiti, quod Fiſco, vel Reipublicæ debetur *L. 3. & tot. tit. C. ne Fiſcus, vel Reſpubica procurat. &c.*

5. Nota quintò: Clericis Subdiaconis, & in alijs ordinibus altioribus conſtitutis quoque interdictum eſt à Canonibus poſtulare coram Judice Laico; imò & conſtitutis in Minoribus Ordinibus; modò ſtipendijs Eccleſiaſticis ſuſtententur. Ita ſtatuitur *cap. Clerici 1. hoc tit.* Hi tamen poſſunt advocare etiam coram Laico Judice ſi propriam proſequantur cauſam; vel poſtulent pro Eccleſia ſua, ſi neceſſitas id exigat; vel pro perſonis conjunctis; vel miſerabilibus, quæ proprias cauſas adminiſtrare nequeunt, *cap. 1. & 3. & ult. hoc tit.* Quòd ſi autem Clericus contra propriam Eccleſiam, in qua habet beneficium, advocaverit coram Judice Laico, poteſt ſpoliari illô beneficiô tanquam ingratus; ut habetur *cit. cap. ult.*

6. Nota ſextò: Clericus Subdiaconus, & Diaconus poteſt poſtulare, & advocare coram Eccleſiaſtico Judice in quavis cauſa etiam ſæculari: utì coſtat per contrarium ſenſum ex *cit. cap. 1.* ibi *coram ſæculari Judice*; ut notat Innoc. Abbas &c. ſimiliter & Minoriſta non obtinens juſtum ſtipendium Eccleſiaſticum, unde commodè alatur, poteſt etiam coram Judice ſæculari advocare; quod pariter per contrarium ſenſum colligitur ex *cit. 1. cap.* ibi, *ſi ſtipendijs Eccleſiaſticis ſuſtentetur*; & habet Vallenſ. Gloſſ. Abbas, &c.

7. Nota ſeptimò: Clericus Sacerdos jam conſecratus in nullo tribunali, etiam Eccleſiaſtico advocare, & poſtulare valet; niſi opus ſit defendere ſuam Eccleſiam; vel cauſam ſuam propriam; vel id exigat gravis neceſſitas; quia videlicet nullus alius Advocatus idoneus haberi poteſt; vel niſi proſequatur cauſam miſerabilium, vel conjunctarum uſque ad 4. gradum perſonarum; utì habetur *cap. 3. & ult. hoc tit.* Vel niſi ex redditibus Eccleſiaſticis, aut aliunde vivere nequeat; quo caſu in Eccleſiaſtico tribunali tantùm poſſe Sacerdotem advocare, docet Hoſtienſ. Abbas, &c. Exceptis cauſis Sanguinis, vel mutilationis membri pro actore contra reum; utì habetur *cap. Sententiam 9. ne Clerici, vel Monachi, &c.*

8. Nota octavò: etiam Monachi, ac omnes Religioſi removentur per S. Canones à munere poſtulandi, & advocandi ſive coram ſæculari, ſive coram Eccleſiaſtico tribunali: ita habetur *cap. 2. hoc tit.* Et procedit hæc reſolutio etiam de Canonicis Regularibus; utì liquet ex *cit. cap. 2.* Monachus tamen, & Religioſus in cauſis ſui Monaſterij de mandato ſui Prælati, & ita exigente utilitate Monaſterij, Advocatum agere poteſt in utroque tribunali; utì conſtat ex *cap. de præſentium 20.* juncta Gloſſa, verb. *defenſor.* Et *can. Monachi 35. cau. 16. q. 1.*

9. Nota nonò: Clericus, etſi in Majoribus Ordinibus conſtitutus, poteſt domi dare conſilia Juridica petentibus, etiam in ſcriptis; ut habet Abbas, Sylv. &c. nam hac ratione non cenſetur advocare, & poſtulare; nam advocare, & poſtulare eſt deſiderium amici in jure, ſeu in loco Judicij, in quo ſolet Jus reddi, exponere apud eum qui Juriſdictioni præeſt, *L. 1. ff. poſtulare*; & ibi Gloſſa, ver. *in Jure ff. hoc tit.* In Curia quoq; Romana ex conſuetudine, & indulgentia Papæ Clerici advocant, & procurant, teſte Fagnano.

10. Nota decimò: tandem etiam *Sententiâ Judicis* aliqui prohibentur poſtulare, & advocare. Sic quandoque Advocatis, & Procuratoribus interdicitur Sententiâ Judicis munus poſtulandi, ob contumaciam, vel delictum, vel aliam juſtam cauſam; & hoc ad certum aliquod tempus, puta quinquennium; vel in perpetuum, prout patet L. *1. in fine D. de offic. Præfecti urbis,* Et L. *Majoris 9. ff. de pœnis.* Et L. *puto 6.* Et L. *Imperator 8. ff. hoc tit.* Cauſa porrò juſta interdicendi alicui advocatiam, eſſet, ſi juſſus patrocinare alicui egeno abſq; juſta cauſa hoc renueret, L. *7. C. hoc tit.* Itē ſi idem Advocatus conveniſſet cum ſuo Cliente, ut rem de qua litigatur, aut ejus partem, locô honorarij accipiat, L. *5. C. eod.* Quamvis enim Advocatus poſſit paciſci de juſto ſalario L. *1. ff. ſi cui cantum, cum ſeqq. D. de varijs extraord. cognit.* Attamen pactiones tales de emolumento futuro litis vetantur Advocatis; ne ex eis arripiant occaſionem calumnioſè litigandi,

Digitized by Google

tigandi, & varijs artibus veritatem oppugnandi *L. ſumptus D. de pactis*.

CAP. III.

De Obligationibus Poſtulantium, ſeu Advocatorum.

1\. NOta primò: *prima* Poſtulantis, ſeu Advocati obligatio eſt, nè ſuſcipiat cauſam injuſtam defendendam; aliàs tenebitur reſarcire damnum parti læſæ, & ſuo Clienti illatam, ſi eum decepit, allegando talem ejus cauſam fuiſſe juſtam. Quòd ſi cauſa Clientis videbatur Advocato à principio juſta, & in progreſſu appareat eandem eſſe injuſtam; tenetur eam illicò deſerere; vel Clientem ſuum inducere, ut à lite deſiſtat, & componat cum adverſario; uti docet Herincx, March. S. Thomas, & alij TT. Cauſam autem dubiam poteſt ſuſcipere, & ei patrocinari uſque ad ſententiam definitivam *L. properandum 13. C. de judic.*

2\. Nota ſecundò: *Secunda* obligatio Advocati eſt, ut in ipſo proceſſu pro viribus impediat ea, quæ proceſſum poſſunt labefactare; item Clienti fidem, & fidelitatem præſtare, non prodendo cauſam, aut inſtrumenta, vel documenta, vel argumenta debilia contrariæ parti exhibendo, vel ſuggerendo; quod ſi fecerit, gravi pœnæ eſt obnoxius, *L. ſi quis 38. ff. ſi quis inſtrumentum ff. de pœn.* unde nullô modô contrariæ parti ſimul inſervire in eadem inſtantia poteſt; nam allegans contraria non eſt audiendus, *L. 1. C. de furtis.*

3\. Nota tertiò: *Tertia* obligatio Advocati eſt, ut non moliatur aliquam iniquitatem adverſus partem adverſariam; ut habent communiter DD. Quare abſtinere debet ab opprobrijs, injuria, & convitijs *L. quisquis 6. C. hoc tit.* Nec etiam falſam aliquam Legem pro vera alleget; aliàs crimen falſi incurrit; nec perversè interpretetur: nec dilationes non neceſſarias petat; nec producat falſa inſtrumenta, aut teſtes falſos.

4\. Nota quartò: *quarta* obligatio ejus eſt, ut merita cauſæ pandat, ſeu omnia, quæ ad cauſam ſui Clientis ſive de jure, ſive de facto faciunt, in judicio proponat per diſtinctas allegationes, & rationes Jurium, & ambigua facta, ſeu fines cauſarum dirimat, *L. Advocati 14. C. de advocat. diverſ. Judic.* Ex hactenus dictis

5\. Inferuntur ſequentia corrollaria. *Primum*; graviter impingere quoſdam Advocatos contra Juſtitiam, & ad reſtitutionem teneri damnificato, qui cauſas omni probabilitate deſtitutas ſuſcipiunt; vel ad has in Judicium deducendas inducunt Clientes: vel eaſdem compoſitis fallaciis, garrulitatibus, & fucatis quibuſvis argumentis coram Judice defendunt, ac promovent; ut habet Herincx, Leſſ. &c. *Secundum*; ſimiliter peccare graviter, & ad reſtitutionem teneri illos, qui poſt acquiſitam notitiam de injuſtitia ſuſceptæ cauſæ, non deſiſtunt à promotione ejuſdem, ut habent cit. DD. *Tertium*; etiam peccant, qui lucri capiendi cauſâ, protrahunt ad longum tempus cauſas Clientum, quæ brevì poterant ad definitivam ſententiam deduci. *Quartum*; pariter peccant, & ad reſtitutionem obligantur, qui culpabili negligentiâ, & ignorantiâ Legum, & meritorum cauſæ, in cauſa ſunt, ut Cliens juſtam alioquìn cauſam perdat; ut dicunt cit. AA. *Quintum*; tandem etiam peccant, qui in præjudicium ſuorum Clientum, cum parte adverſa colludunt, eidem patrocinando, informationes, & conſilia dando, ſecreta Clientum ſuorum pandendo, & alia infidelitatis indicia perpetrando; & ſi idcircò damnum Clientibus eveniat, Advocati tales ad reſtitutionem tenentur; ut habent cit. DD.

6\. Nota quintò: Judices circa Advocatos debere ratione officij, quod gerunt, attendere ad ſequentia. *Primò*; nè admittant ad advocatias Advocatos imperitos in Jure: unde meritò hodie ex Receſſibus Imperij, & generali conſuetudine omnium fermè Tribunalium non permittuntur advocare, niſi qui graduati ſunt in Jure, ſaltèm Licentiatu; & qui ſpecialem à Judice obtinuerunt facultatem advocandi, aut quorum libelli ab Advocato recepto ſunt ſubſcripti. *Secundò*; attendant, nè Advocati peritiſſimi uni patrocinentur parti; ſed ita diſtribuantur, ne alterutra pars ob inopiam boni Patroni ſuccumbat, *L. providendum C. hoc tit.* *Tertiò*; non tolerent, ut Advocati ſeſe ſcriptis ſatyricis, & famoſis invadant; & excedentes mulctentur pœnâ pecuniariâ ad arbitrium Judicis, *arg. cap. 1. de pœnit. in 6.* Et *L. nullum C. de teſt.* *Quartò*; invigilent, nè Advocati de quota litis in caſum victoriæ ſibi tribuenda paciſcantur; & multò magìs, nè alienas lites redimant, ſeu cauſas litigioſas emant; ſicque intricatas actiones, fortè à principalibus nunquam intentandas, ipſi ſuſcitent, ac pacem inter homines perturbent, *L. ſi quis 5. C. hoc tit.*

Digitized by Google

CAP. IV.

De Poſtulantibus, ſeu Advocatis in Ordine Franciſcano.

1. NOta primò: tametſi Monachus, & Religioſus *cap. 2. de poſtulando* communiter prohibeatur à munere Advocati: attamen Frater Minor in cauſa graviſſima ſui Confratris, & de licentia ſui ſuperioris in tribunali Ordinis poſtulare, ſeu Patronum cauſæ, Advocatum, & Procuratorem aliquando licitè agere poteſt; ut notat Sanctorus *in Practica criminali Ordinis*. Ratio eſt; quia defenſiones ſunt de Jure naturæ; hæ autem ſæpius à Reis Religioſis Minoritis ignaris, & in Jure Ordinis non verſatis, abſque Patrono, Advocato, ſeu Procuratore bene inſtitui nequeunt: adeoque ad eas ritè inſtituendas aliquis peritus Frater Minor à Judice regulari admitti poterit. Quare ulterius

2. Nota ſecundò: ſi Reus Minor ignarus petat, ei à Judice Ordinis aſſignandus eſt Poſtulans, Patronus, Advocatus, ſeu Procurator Ordinis noſtri, in hac profeſſione peritus, ſive ex Conventu, in quo Reus eſt, ſive ex alio advocandus, qui ab ipſo Reo nominari debet: ut notat *cit.* Sanct. Et Ratio eſt; quia hac ratione tutiùs, & commodiùs in ipſo proceſſu procedetur; & Reus ſuas defenſiones, ac exceptiones mediante tali Poſtulante, & Patrono cauſæ componere poterit, ut Juſtitia ſuum ſortiatur progreſſum. Advocatus ſic à Reo nominatus, niſi rationabilem cauſam adducat in contrarium, Patroni munus recuſare non poterit, ſub pœnis Superioris arbitrio reſervatis; ut habet idem Sanct.

3. Nota tertiò: ut autem ejuſmodi Poſtulans, Advocatus, Procurator, & Patronus merita cauſæ ſibi demandatæ meliùs evolvere, allegationes, & rationes debitas Jurium adducere valeat in defenſionem ſui Clientis; abſque evidenti, & notabili cauſa in proceſſu deſcribenda, amoveri à loco, ubi cliens moratur, non poterit; nec alijs publicis, vel privatis negotijs Conventûs notabiliter impediri, & à ſtudio à terminatione cauſæ deduci non debet. Idem etiam ob eandem cauſam poterit ſæpius Reum convenire, cum illo tractare, etiam extra carceres poſito, in cella aliqua; niſi delicti ratio contrarium ſuaſerit, & abſit omnis dolus, ac malitioſa protractio proceſsûs.

TITULUS XXXVIII.

DE PROCURATORIBUS.

CAP. I.

Quid; & quotuplex ſit Procurator.

1. NOta primò: inter eos, qui Clienti aſſiſtunt in judicio, etiam Eccleſiaſtico ſecundum locum obtinet Procurator; hujus munus eſt magis privatum, vile, & oneroſum, quàm Advocati; uti patet ex *L. ſi quis Procuratorem 34. C. de Decur. lib. 10.* occupatur enim potiſſimè in litibus ſollicitandis, & proſequendis in vel extra judicium, in quo proinde non tam eſt opus arte, & ingeniô, quàm induſtriâ, & diligentiâ; ut notat Vallenſ. Aliud eſt de Advocatis, qui arte, ingeniô, & doctrinâ pollere debent, ad cauſas ritè inſtruendas. De Advocato hujuſmodi ergo *hoc tit.* diſſeretur.

2. Nota ſecundò: ly *Procurator* etymologicè conſideratum, idem eſt, quod *pro alio Curator*; nempe pro Domino, cujus negotia gerit. Nam introductus fuit uſus Procuratorum tanquam valde neceſſarius, ut illi, qui rebus ſuis intereſſe non valerent, vel nollent, ſaltèm per alium poſſent agere, & conveniri; *L. 1. §. uſus D. hoc tit.* Quare Procuratores ſunt vices gerentes, & ſupplentes partium litigantium: ſicut Advocati ſunt earundem Patroni, & patrocinantes in Jure.

3. Dico primò: bene deſcribitur Procurator, quòd ſit *perſona idonea, & legitima quæ negotia aliena mandatò Domini gerit, ſeu adminiſtrat.* Ita conſtat ex *L. 1. cit. D. hoc tit.* Ly *perſona* ſubaudi adminiſtrans, vel curans, eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Per ly *perſona idonea, & legitima* indigitatur, non quemvis poſſe eſſe Procuratorē; ſed certas duntaxat perſonas habiles, & lege non prohibitas. Per ly *negotia aliena* inſinuatur

Digitized by Google

nuatur materia, circa quam operatur Procurator; ut notat Vallenſ. &c. Veniunt autem nomine *negotiorum* tam judicialia, quàm extrajudicialia. Per ly *mandatô Domini* differt Procurator à Geſtore negotiorum, ſeu Negotiatore, & Defenſore, qui ſinè mandato defendit, & negotiatur, *L. 2. ff. de negot. Geſtor.* quamvis & hic aliquando in Jure vocetur Procurator, ut *L. ſi quis 58. ff. de ſolut.* Differt pariter Procurator per eandem particulam deſcriptionis à Tutore, & Curatore, ac ſimilibus perſonis, qui non mandatô Domini; ſed publica authoritate, vel Legis, vel Magiſtratûs, vel Geſtoris, vel teſtatoris adminiſtrant; ut notat Vallenſ. Pirh. &c. Ly demum *gerit ſeu adminiſtrat* differentiat Procuratorem ab Advocato; nam Advocatus non gerit privatim negotia aliena mandatô Domini; ſed ex officio cauſam gerit, & jus ejus oſtendit, ac defendit, veluti juſtitiæ, Juriſque cuſtos, ac vindex; & ſic propriè non adminiſtrat Domino, ſed meritis cauſæ: at Procurator quidquid agit, nomine principalis litigantis agit, & litem dirigit veluti adminiſtrator Domini. Per eandem particulam diſcriminatur Procurator à Nuncio, penes quem non eſt jus adminiſtrandi, ſeu gerendi negotium, ſicut eſt penes Procuratorem, nec eſt Dominus litis *L. Procuratoribus 22.* Et *L. nulla 23.* junctâ Gloſſâ, ver. *Dominus litis.* Circa alterum articulum hujus Cap.

4. Nota tertiò: Procurator alius eſt Extrajudicialis; alius Judicialis. *Primus* eſt, qui ad negotia extra judicium tractanda conſtituitur; de quibus in *tit. ff. & C. de Mandatoribus.* *Secundus* eſt, qui in judicio lites proſequitur alieno nomine: & primus vocatur *Procurator ad negotia*; Secundus verò *Procurator ad lites*; & de his paſſim *in hoc tit.* agitur.

5. Nota quartò: rurſus Procurator alius eſt Procurator Generalis; alius ſpecialis. *Generalis* eſt, cui univerſorum negotiorum, ſeu omnium rerum adminiſtratio committitur; ſeu qui ad omnes lites proſequendas eſt conſtitutus; uti conſtat ex *L. Procurator 63. ff. hoc tit.* *Specialis* eſt, cui duntaxat certæ alicujus rei litis, vel negotij adminiſtratio eſt demandata, *L. 1. §. ff. hoc tit.*

6. Nota quintò: iterum Procurator alius eſt conſtitutus cum clauſula *in rem ſuam*; alius cum clauſula *in rem alienam*. *Primus* eſt, cui committitur quidem negotium alienum mandatô Domini gerendum; ſed in proprium ſuum commodum, *L. ſervum 33. §. fin. ff. hoc tit.* talis eſt is, qui aliquam obligationem, debitum, aut actionem liquidam (non litigioſam, niſi fortè ex diviſione hæreditatis, vel immiſſione in poſſeſſionem bonorum ſibi obtingentem, *L. per diverſas, C. mandati*) emit, aut quôquô modô ſibi comparavit, quam deinde in judicio pro ſe exigere poſſit, *L. ſi quis 34. ff. hoc tit.* *Secundus* eſt, qui adminiſtrat alienum negotium, & in commodum Domini, cujus mandatô conſtituitur Procurator.

7. Nota ſextò: præterea Procurator alius eſt qui conſtituitur generaliter cum clauſula *cum libera*; alius qui generaliter conſtituitur abſque tali clauſula, *Conſtitutiones generaliter cum libera* eſt, qui habet ſimpliciter plenam, & liberam poteſtatem agendi, & adminiſtrandi omnia illa, quæ ipſemet Dominus agere valet in cauſis, ſeu negotijs, *L. Procurator 58. cum L. ſeq. ff. hoc tit.* unde hujuſmodi Procurator etiam poteſt alienare; ut habet Gloſſa; non tamen donare, *arg. L. filiuſfamilias 7. ff. de donat.* *Conſtitutus generaliter abſque tali clauſula* eſt, qui non habet ſimpliciter plenam, & liberam poteſtatem omnia prorſus agendi, quæ agere poteſt Dominus; unde talis nequit alienare, niſi fructûs, & res, quæ facilè poſſunt deſtrui, *L. Procurator 63. ff. hoc tit.*

8. Nota ſeptimò: demum Procurator alius eſt verus; alius falſus. *Verus* eſt, qui eſt munitus legitimô mandatô Domini. *Falſus*, qui non eſt munitus ſimili mandatô, *L. licet C. hoc tit.* Et *L. falſus C. de furtis*: vel etſi ſit munitus aliquo mandato; non tamen illius, qui tale potuit dare: vel qui habet mandatum inſufficiens, vel ad negotium, quod geritur, impertinens; v. g. ſi exhibeat mandatum generale in cauſa poſtulante mandatum ſpeciale; vel revocatum, aut alio modo jam extinctum; uti advertit Vallenſ. Weſenbec. Pirh. &c.

CAP. II.

Quis ſit habilis, ut Procurator conſtitui poſſit.

1. Dico primò: generaliter loquendo quivis lege expreſſâ non prohibitus poteſt conſtitui Procurator. Ita Hoſtienſ. Gloſſa, Vall. &c. Et habetur *cap. 1. hoc tit. in 6.* Unde tam præſens, quàm abſens (modò conſentiat, ſeu ratum habeat) Procurator effici poteſt *L. 1. §. fin.* & *L. 2. D. hoc tit.* Et *cap. licet 7. hoc tit. in 6.* Et ſufficit tum conſenſus expreſſus, qui ſcilicet per pa-

Digitized by Google

ctum, vel nuncium, vel literas, vel ratihabitionem exprimitur: tum tacitus, ut dum Procurator accipiens mandatum, illud acceptat, & non contradicit. *Clem. 1. hoc tit.*

2. Nota primò: quòd utriusque conſenſus, id eſt, tam conſtituti, quàm conſtituentis ſit neceſſarius ad ſubſiſtentiam Procuratoris; uti advertit Vallenſ. quia ſicut nemo regulariter conſtituere Procuratorem cogitur; ita nec invitus quis compelli poteſt ad ſubeundum munus Procuratoris, juxta cit. *cap. licet.* Et L. *filiusfamil. ff. invitus D. hoc tit.*

3. Dico ſecundò: in particulari autem loquendo Procurator conſtitui poteſt non tantùm Paterfamilias; ſed & Filiusfamilias, etiam ſinè patris conſenſu. Ita Gloſſa, Vallenſ. Zoëſ. &c. Et patet ex *cap. non juſtè 14. hoc tit.* Et *cap. 5. in 6.* Et L. *ſi filiusfam. 8. ff. ipſe quoque*, junctâ Gloſſâ *ff. hoc tit.*

4. Dico tertiò: etiam Laicus poteſt conſtitui Procurator in cauſa Eccleſiaſtica. Ita Pirh. &c. Et conſtat ex *cap. non indiſcretè 1. in in princip. hoc tit. in 6.*

5. Dico quartò: Procuratoris munus poteſt conferri vel uni tantùm, vel etiam pluribus. Ita Zoëſ. Vallenſ. Et habetur in *cap. ſi duo 6. hoc tit. in 6.* Et poſſunt plures conſtitui, vel ſimul, vel conjunctim; quo caſu unus ſinè alio admitti non debet, ex *eodem cap.* niſi ſinguli in ſolidum eſſent conſtituti.

CAP. III.

Quis non ſit habilis, ut conſtitui valeat Procurator.

1. NOta primò: plures perſonæ prohibentur à legibus tum civilibus, tum canonicis conſtitui Procuratores; uti patebit ex ſequentibus concluſionibus. Unde

2. Dico primò: minor 25. annis nequit legitimè conſtitui Procurator ſecundùm Jura Canonica. Ita communis DD. Et ita ordinatur in *cap. generaliter 5. in fine, hoc tit. in 6.* ne ſcilicet propter beneficium reſtitutionis in integrum eluſorium reddatur Judicium, L. *minor 51. ff. hoc tit.*

3. Dico ſecundò: neque mulier, neque miles, Procuratoris munere fungi poteſt. Ita communis DD. Primum conſtat ex L. *fœmina 54. ff. hoc tit.* Eſtq; Ratio; quia officium Procuratoris eſt virile, & à pudore fœminei ſexûs alienum, L. *18. C. hoc tit.* Secundum de milite ſtatuit, tum L. *neque fœmina ff. hoc tit.* tum L. *milites 31. C. de locat.* Et hoc ideo, nè is à caſtris abſtrahatur L. *7. C. eodem.*

4. Dico tertiò: potentiores; redemptores alienarum litium; & ſervi nequeunt conſtitui Procuratores. Ita communis DD. Ratio primi *de potentioribus* eſt; quia hi ſunt formidoloſi adverſario propter potentiam, L. *7. C. hoc tit.* Ratio ſecundi *de redemptoribus* eſt; quia hi prohibentur procurare L. *15. C. hoc tit.* Ratio tertij *de ſervo* eſt; quia hic non habet legitimam perſonam ſtandi in judicio L. *1. hoc tit. C. qui legit. perſ.*

5. Dico quartò: nec mutus; & ſurdus; nec furioſus; nec Fiſcus; & Reſpublica; nec Decurio; nec qui Reipublicæ causâ abſuturus eſt; aut ſuſcepturus Magiſtratum; nec morbô perpetuô affectus; nec invitus Procuratoris characterem ſuſcipere valet. Ita communis DD. Ratio primi *de muto*, & *ſurdo* eſt; quia hi meritò excluduntur à Procuratione ob naturalem inhabilitatem adminiſtrandi cauſas, & lites Domini; etſi ad negotia Procuratores dari poſſint, L. *mutus 43. in princ. ff. hoc tit.* Ratio ſecundi *de furioſo* eſt; quia hic meritò etiam repudiatur ob animi defectum; L. *2. D. hoc tit.* Ratio tertij *de Fiſco, & Republica* eſt; quia hi ob potentiam & terrorem meritò quoq; excluduntur L. *3. & tot. tit. C. ne Fiſcus vel Reſpubl.* Quartum *de Decurione* conſtat ex L. *ſi quis 16. & 24. C. de Decurion.* Ultimum *de abſuturo causâ Reipublicæ; & de ſuſcepturo Magiſtratum, & de invito* habetur in L. *neque 45. ff. hoc tit.*

6. Dico quintò: ſimiliter excommunicatus; & infamis infamiâ Juris, vel facti Jure Canonico ſunt inhabiles ad conſtitui Procuratores. Ita communis DD. *De Excommunicato* extat Jus Canonicum in *cap. intelleximus 7. de Judic.* Et *cap. decernimus 8. de ſent. excommun.* *De infami* colligitur ex *can. ult.* junctâ Gloſſâ, ver. *quia Epiſcopus cau. 5. q. 3.* Dixi *Jure Canonico*: quia infames Jure Civili poſſunt eſſe Procuratores, *ff. fin. Inſtit. de except.* Nam munus Procuratoris non recenſetur inter dignitates, à quibus infames excluduntur; ſed importat quoddam onus, & vile reputatur.

7. Dico ſextò: etiam Jure Canonico Religioſi prohibentur eſſe Procuratores, etſi per alios Religioſos ſui inſtituti conſtitueretur. Ita communis DD. Et conſtat ex *Clement. Religioſus 3. hoc tit.* Pro ſuo tamen Conſorte in eadem lite de licentia ſui Prælati poteſt Religioſus procurare; ut habet Engel, Pirhing. item ſi ſit ipſemet Prælatus, vel Superior. Item de licentia ſui Prælati poteſt procurare in cauſis concernentibus ipſum Prælatum, v.g.

Digitized by Google

v. g. ejus electionem; vel ſi inquiratur de ejus crimine. Poteſt etiam Religioſus ad accuſandum ſuum Prælatum conſtitui Procurator; ita Pirh. &c. DD.

8. Nota etiam ſecundò: quòd Religioſus de licentia ſui Prælati poſſit agere Procuratorem in cauſis concernentibus utilitatem ſui Monaſterij: utì colligitur ex *cit. Clement.* & tenet Gloſſa, Abbas, &c. DD.

9. Dico ſeptimò: tandem neque Clerici ſæculares in Majoribus Ordinibus conſtituti præſertim Sacerdotes, poſſunt conſtitui Procuratores in judicio, etiam fori Eccleſiaſtici. Ita communis DD. Et id vetat *cap. ult. de Poſtul.* Excipitur hìc caſus concernens cauſam ſui Epiſcopi; nam Clericus etiam Sacerdos poteſt propter conjunctionem, & reverentiam, quam ſuo Epiſcopo debet, agere Procuratorem ſui Epiſcopi ad lites, præſertim ſi is ſit defendendus; utì ſumitur ex *cap. in noſtra 4. hoc tit.* ſicut & ſuæ Eccleſiæ; ut habet Joan. Andr. Pirh. Abbas. &c.

CAP. IV.

Quinam poſſint, vel non poſſint conſtituere Procuratores.

1. DIco primò: quivis rei, de qua agitur, Dominus, & lege non prohibitus poteſt conſtituere Procuratorem tam in cauſis civilibus; quàm in criminalibus. Ita Gloſſa, Vallenſ. Pirh. &c. Et conſtat ex *L. mutus 43. ff. hoc tit.* Quod verum eſt, ſive talis Dominus ſit abſens, ſive præſens; ſive eum velit conſtituere per epiſtolas, ſive per nuncium, *L. 1. §. penult. D. hoc tit.* quia non deſideratur verborum ſolemnitas. Unde etiam Mutus nutu, vel eô modô, quô poteſt dat Procuratorem, *L. mutus ff. hoc tit.*

2. Dico ſecundò: Univerſitas Scholarum poteſt conſtituere Procuratorem; utì & Monaſterium, & Collegium, latè accipiendo nomen Procuratoris, prout coincidit cum Syndico. Ita Vallenſ. Gloſſa, Pirh. &c. Primum conceditur in *cap. quia in cauſis 7. hoc tit.* Secundum patet ex conceſſione *cap. cùm cauſam, de juram.*

3. Dico tertiò: Prælatus in cauſis ſui Monaſterij, in quibus ipſemet agere poteſt, conſtituere pariter valet Procuratorem; idem eſt de Rectore Eccleſiæ, vel beneficiato. Ita Gloſſa, Pirh. Ratio eſt; quia qui in judicio agere poteſt per ſe, per alium quoque ibidem agere poteſt, *L. 1. ff. hoc tit.*

4. Dico quartò: non poteſt autem conſtituere Procuratorem minor, & pupillus habens Curatorem, absque talis Curatoris authoritate, bene tamen cum ejusdem authoritate. Ita communis DD. Et ita ordinatur in *L. neque 11. C. hoc tit.* Minor verò, & pupillus non habens Curatorem poteſt ad negotia extrajudicialia conſtituere Procuratorem; utì habetur *L. mutus 43. §. is qui ff. hoc tit.*

5. Dico quintò: ſed neque ſervus, neque ab hoſtibus captus, neque filiusfamilias poſſunt conſtituere Procuratores in judicio. Ita communis DD. *De Servo* patet; nam ſicut Servus non poteſt per ſe agere in judicio *L. Servus 6. C. de judic.* ita neque per Procuratorem, *L. ſervum 33. in princ.* junctâ Gloſſâ, verb. *vetamus, ff. hoc tit.* *De capto ab hoſtibus* etiam patet; nam talis cùm non ſit ſui Juris durante captivitate, nec rerum ſuarum Dominus; utì conſtat ex *L. ab hoſtibus 15. ff. ex quibus cauſis majores*; ideo Procuratorem conſtituere nequit; ſed tantùm Actorem, aut Curatorem. *De filiofamilias* quoque conſtat; nam talis ſicut nequit per ſe agere in judicio, exceptâ actione injuriarum, & ſimilium *L. filiusfamil. 8. ff. hoc tit.* ita neque per Procuratorem ibidem agere poteſt. Poteſt tamen Filiusfamilias conſtituere Procuratorem extra judicium ad negotia: utì & ad ſe defendendum.

6. Dico ſextò: ſimiliter nec Syndicus Univerſitatis, vel Civitatis, nec tutor, & Curator ante litis conteſtationem poſſunt inſtituere Procuratorem in cauſa Univerſitatis, Civitatis, pupilli, vel minoris; ſed tantùm Actorem: poſt litis verò conteſtationem poſſunt. Ita communis DD. Ratio eſt; tum quia ita conſtat ex *L. nec Civitas 74.* junctâ Gloſſâ, verb. *poteſt ff. hoc tit.* Et *L. neque 11.* Et *L. Procuratoribus 22.* Et *L. ſeq. C. hoc tit.* Tum quia memoratæ perſonæ ante litis conteſtationem non ſunt Domini litis; bene tamen poſt ejus conteſtationem.

7. Dico ſeptimò: Procuratorem quoque non poſſunt conſtituere ad agendum Excommunicatus; bannitus; & Religioſus. Ita communis DD. Primum *de Excommunicato* patet ex *cap. ult. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Excommunicatus Juris fictione pro mortuo habetur, *can. nemo Epiſcopatum cauſ. 11. q. 3.* Dixi *ad agendum*; quia ad ſe defendendum poteſt, & cogitur dare Procuratorem, *cap. intelleximus; de judic.* Ratio ſecundi *de bannito* eſt eadem; quia & hic pro civiliter mortuo reputatur amiſſis omnibus bonis; utì notat ex Gailo, Vallenſ. Ratio tertij *de Religiſo* eſt;

Digitized by Google

quia ita patet ex *Clement. 3. hoc tit.* ubi dicitur, quòd Religioſus non poteſt alium Procuratorem conſtituere, vel ſubſtituere; ſubintellige, ſinè licentia ſui Prælati; ut obſervat Gloſſa ibidem.

CAP. V.

Super quibus cauſis poſſint, vel non poſſint conſtitui Procuratores.

1. Dico primò: ſuper omnes cauſas, & negotia ſive temporalia, ſive ſpiritualia Jure expreſſo non vetita poteſt conſtituti Procurator. Ita communis DD. Ratio primi *de cauſis, & negotiis temporalibus* eſt; quia edictum de his cauſis, & negotijs eſt prohibitorium *L. Mutus 43. §. 1. ff. hoc tit.* quare quidquid nominatim prohibitum non eſt, intelligi debet conceſſum, *arg. L. cùm Prætor. 12. ff. de re judicata.* Secundum *de cauſis, & negotiis ſpiritualibus* conſtat ex *cap. 1. hoc tit. in 6.*

2. Dico ſecundò: etiam ad matrimoniales cauſas, ſignanter ad contrahendum Matrimonium, Procurator conſtitui poteſt. Ita Zoëſ. Pirh. Gloſſa &c. Et conceditur in *cap. fin. hoc tit. in 6.*

3. Nota autem primò: quòd circa Procuratorem ad contrahendum Matrimonium conſtitutum debeant tria obſervari. *Primò*; ut is habeat ſpeciale mandatum, & in eo denominetur perſona, cum qua ſit contrahendum. *Secundò*; ut non ſubſtituat alium; niſi hoc ipſi ſpecialiter fuiſſet commiſſum; quia negotium hoc valde arduum eſt: *Tertiò*; quòd poſt revocationem mandati, etiam ignorante Procuratore à Domino factam, non poſſit ampliùs illud contrahere; & ſic contractum eſt nullum, ob defectum conſenſûs principalis, ſcilicet Domini retractantis; ita dicitur in *cit. cap. fin.*

4. Dico tertiò: non admittitur Procurator neque ad agendum, neque ad defendendum alieno nomine in publicis judicijs, in cauſis criminalibus; ſive ea ſint publica; ſive privata, ubi de pœna capitis, vel alia corporali criminaliter agitur; ſed partes debent perſonaliter comparere. Ita communis DD. Et ita diſponitur *cap. 5. hoc tit.* Et *cap. veniens; de accuſat.* Et *L. 1. ff. an per alium cauſ. appell.* Et *L. pen. ff. de public. judic.* Eſtque Ratio; quia aliàs ſententia Judicis poſſet reddi eluſoria, neque executioni mandari. Si tamen de cauſis criminalibus ageretur civiliter ad pœnam pecuniariam, admitti poteſt Procurator, *L. licet 42. §. 1. ff. hoc tit.* Uti & quando coram Judice Eccleſiaſtico agitur de crimine adulterij, in ordine ad ſeparationem thori, *cap. tuæ, hoc tit.* Similiter quando in privatis judicijs agitur ad pœnam, quæ ſit minor relegatione, *cit. L. licet.*

CAP. VI.

De Mandato Procuratorio.

1. Dico primò: Procurator debet mandatum Procuratorium legitimum, à ſuo Domino factum producere, oſtendere, & plenè docere in judicio; aliàs non admittitur in judicio. Ita communis DD. Et ita ordinatur in *cap. 1. hoc tit.* Eſt autem hoc ideo lege cautum, ut appareat, quam poteſtatem habeat Procurator; cùm conſtitutus in una cauſa, hôc ipsô non ſit idoneus ad agendum in alia, *cap. conſtitutus 12. hoc tit.*

2. Nota tamen primò: Procuratorem abſque mandato ſolemni conſtitutum poſſe admitti pro perſonis conjunctis; in his enim mandatum non deſideratur; dummodo is caveat, ſuum principalem conjunctum ratum habiturum illud, quod actum fuerit; & non appareat de contraria voluntate Domini. Perſonæ autem conjunctæ hic reputantur omnes in infinitum in recta linea deſcendentes, ſecundùm text. in *L. ſed & hæ 35. D. hoc tit.* in transverſa verò omnes usque ad quartum gradum incluſivè, ſecundùm Hoſtienſ. Pirh. &c.

3. Dico ſecundò: ſi dubitetur de mandato Procuratorio, admitti poteſt Procurator, & is ſatisdatione de rato oneratur. Ita Zoëſ. &c. Et conſtat ex *L. 1. C. hoc tit.*

4. Dico tertiò: Procurator debet diligenter ſervare fines mandati. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. diligenter D. mandati.* Quare ſi excedat ejus fines, non præjudicat Domino; uti conſtat ex *cit. L.* ſed ſibi nocet. Et *L. ſi Procurator C. mandati.*

5. Dico quartò: mandatum Procuratorium ut ſit legitimum, debet continere ſequentia; videlicet nomen perſonæ conſtituentis Procuratorem; & nomen perſonæ conſtitutæ pro Procuratore; item contra quem ſit conſtitutus Procurator; & in qua cauſa; & coram quo; & ad quos actus (v. g. an ad agendum, & defendendum ſimul) item quòd Dominus, ſeu principalis ratum habiturus ſit, quidquid is geſſerit; item annum, & diem

diem conſtitutionis; ac demum ea omnia, quæ poſtulat ſtylus illius Curiæ, in qua Procurator conſtituitur. Ita Durand. Weſenb. Pirhing. &c. Ratio eſt; quia ex memoratis colligitur legalitas, & legitima forma, ac valor inſtrumenti, ſeu mandati Procuratorij.

CAP. VII.

De Obligationibus, & poteſtate Procuratoris.

1. Dico primò: Procurator legitimè conſtitutus contrahit gravem obligationem fideliter, & diligenter ea omnia agendi, gerendi, & præſtandi, quæ à Domino ſibi demandata habet, & quæ neceſſaria ſunt ad cauſæ proſecutionem; alioquin ſibi ipſi nocet, & damna ſecuta reparare tenetur. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. ſi Procurator C. Mandati*. Et *L. licet 42. ff. hoc tit.* Unde

2. Nota primò: quòd Dominus vi mandati Procuratorij dati habeat actionem contra Procuratorem, ut rationem reddat omnium, quæ geſſit, *L. qui proprio 46. §. Procurator ff. hoc tit.* Et ut omne damnum per dolum, vel culpam, ſeu negligentiam Procuratoris illatam, vel intereſſe compenſet, *L. licet 42. §. ea obligatio ff. hoc tit.* Et *L. Procuratorem 11*, Et *L. à Procuratore 13. C. mandati*. Et ſi Procurator, cujus dolô, culpa, vel negligentia damnum ſecutum eſt, non ſit ſolvendo, tunc Domino reſtitutio in integrum concedenda eſt, *arg. L. eleganter 7. §. penult. ff. de dolo.*

3. Nota ſecundò: quòd ſi autem Dominus ipſe prætermiſerit aliqua demandare Procuratori, ex cujus omiſſione deinde in proceſſu cauſæ damnificatus eſt Dominus; vel ſcienter eligit Procuratorem negligentem, aut inexpertum; tunc negligentia Procuratoris nocet ipſimet Domino principali; uti habet Bartolus, Engel, Abbas, &c. Nam ſibi imputare debet Dominus damnificationem, & quòd negligentem, ac imperitum Procuratorem conſtituerit, *L. cum mandato 23. ff. de minor.* Circa poteſtatem Procuratoris

4. Nota tertiò: Procurator ſemel legitimô mandatô conſtitutus poteſt tum agere, tum defendere ſuum Dominum; ſaltèm in conſequentiam, ſi à reo reconveniatur; uti conſtat ex *L. ſervum 33. §. æquum ff. hoc tit.*

5. Nota quartò: etſi Procurator ad lites datus non poſſit regulariter ſubſtituere alium locô ſui ante litis conteſtationem; poteſt tamen poſt litem jam conteſtatam *L. quod quis 8.* & *L. neque 11. C. hoc tit.* imò & ante conteſtationem litis, ſi ſit datus in rem ſuam, ſeu in proprium commodum, *L. licet 3. ff. hoc tit.* & ſi Dominus ei concedat facultatem ante litem conteſtatam alium ſubſtituendi, & nullâ certâ perſonâ nominatâ *cit. L. cap. licet.*

6. Nota quintò: ſi Procurator conſtituatur generaliter ad negotia abſque clauſula *ad judicialia*, vel *extrajudicialia*, cenſetur etiam conſtitutus ad judicialia; ita ut agere, & experiri, ſeu defendere poſſit; exceptis illis caſibus, qui exigunt ſpeciale mandatum. Ita conſtat ex *cap. generaliter 5. in princ. hoc tit. in 6.* Inſuper cenſetur conſtitutus ad lites tam præſentes, quàm futuras, juxta Weſenb. Durand. &c. Non tamen ad cauſas criminales; in caſibus exceptis; utpote quæ non comprehenduntur ſub generali mandato; niſi exprimantur; uti obſervat Pirh. & Weſenb. niſi civiliter tantùm de eis ageretur; ut habet Gloſſa &c.

7. Nota ſextò: ſi Procurator conſtituatur cum mandato ad proſequendum judicium petitorium; videtur etiam poſſe exercere judicia præparatoria, & poſſeſſoria; etſi de his non fiat mentio in mandato; uti colligitur ex *L. ad rem 56.* Et *L. ad Legatum 62. ff. hoc tit.*

8 Nota ſeptimò: etſi Procurator ſit conſtitutus cum mandato generali ad negotia; non propterea poterit vi illius agere in illis cauſis, quæ ſpeciale mandatum requirunt; cujusmodi ſunt impetrationes reſcriptorum; cauſæ matrimoniales; petitio reſtitutionis in integrum; compromiſſum; petitio abſolutionis ab excommunicatione; & aliæ, quas affert Gloſſa in *cap. qui ad agendum 4.* ver. *vel paciſci*; *hoc tit. in 6.* & Franc. Durand. &c. ſignanter illæ, ad quas ſpeciale mandatum Jura ipſa exigunt, *cit. cap. qui ad agendum.* Similiter etſi Procurator ſit conſtitutus cum mandato generali ad lites; non idcirco poterit abſque ſpeciali mandato juramentum offerre parti adverſæ ad lites deciſionem; vel tranſigere, aut paciſci, vel compromittere in arbitrium &c. niſi ipſi bonorum, vel cauſæ libera adminiſtratio ſit conceſſa; uti conſtat ex *cap. cit. qui ad agendum.* Nam ſi obtineat liberam adminiſtrationem bonorum, jurium, vel cauſæ, non tantùm prædicta omnia; ſed & alia facere poterit; ut exigere debitum; & aliud pro alio permutare, *L. Procurator 58. ff. hoc tit.* Nam mandatum datum cum libera adminiſtratione, æquiparatur ſpeciali mandato; ut notat ex Franc. Pirhingus.

9. Nota

9. Nota octavò: Procurator legitimè conſtitutus poteſt appellare; uti conſtat ex *cap. non juſtè 14. ʃ. potuit; hoc tit.*

CAP. VIII.

Qua ratione finiatur Officium Procuratoris.

1. Dico primò: mutuo conſenſu conſtituentis, & conſtituti finitur officium Procuratoris; ſimiliter morte ipſiusmet Procuratoris. Ita communis DD. Primum conſtat ex *L. mutari 24. D. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia *unum quodcunque diſſolvitur eo modo, quô colligatum eſt*, ſecundùm Regulam Juris. Secundum habetur *L. tam ex contract. 57. D. de judic.* Et *L. ſi quis 27. ʃ. morte D. mandati.* Nam ad hæredes non tranſit Procuratoris munus; cùm videatur electa induſtria perſonæ, *L. unica ʃ. ubi autem C. de cad. tollendis.*

2. Dico ſecundò: finitur etiam officium Procuratoris morte Domini conſtituentis, re adhuc integra. Ita communis DD. Et habetur *L. nulla 23. C. hoc tit.* Imò interdum etiam re ampliùs non integrâ; Sed jam conteſtatâ lite terminatur; ut in caſu, quô Prælatus, vel quilibet alius pro Eccleſia, aut beneficio conſtituit Procuratorem, *Clement. fin. hoc tit.* Nam Sede Vacante nihil debet agi; & ſi quid fiat, perperam fieri dicitur, *cap. 1. & fin. ne Sede Vacante.*

3. Dico tertiò: finitur pariter finitâ inſtantiâ, videlicet latâ ſententiâ definitivâ. Ita communis DD. Ratio eſt; quia Procurator non cogitur judicium appellationis proſequi *L. invitus 17. C. hoc tit.* Non enim eſt gravandus ultrà, quàm ſuſcepit in ſe negotium: ſuſcepit autem illud usque ad ſententiam latam. Quòd ſi tamen Procurator fuiſſet conſtitutus cum mandato generali ad omnes cauſas, & lites motas, ac movendas, tunc appellare tenetur, & proſequi appellationem; ut notat Vall.

4. Dico quartò: expirat quoque munus Procuratoris per revocationem Domini re integrâ, lite necdum conteſtatâ. Ita communis DD. Et habetur *L. autem litem 16. D. hoc tit.* Poteſt autem Procurator ad negotia à Domino liberè revocari re integra *ʃ. rectè Inſtit. de mand.* Poſtquam verò res non eſt ampliùs integra, ſeu poſt litem conteſtatam, per quam fit Dominus litis. *L. Procuratoribus 22. C. eodem*, non poteſt invitus revocari; niſi juſta ſubſit cauſa, *cap. 2. hoc tit. in 6.* Et *L. poſt litem 27. D. eodem.*

5. Nota autem primò: quòd juſtæ cauſæ revocandi Procuratorem etiam poſt litem conteſtatam ſint ſequentes; ſi videlicet is ſit factus inimicus Domini; ſi ſit ſuſpectus; affinis; vel hæres adverſarij effectus; vel ſi ſit talis ætatis, & valetudinis, ut amplius non ſit habilis ad proſequendas cauſas, & negotia; utì colligitur ex *cit. L. poſt litem.*

6. Nota ſecundò: quando Dominus revocat officium Procuratoris, debet hoc tum ipſi Procuratori, tum adverſario ſuo, vel Judici inſinuare, *cap. ex inſinuatione 3. & ſeq. hoc tit.* Nam aliàs hiſce ignorantibus, quidquid geſtum fuerit, etiam poſt revocationem ratihabendum erit, *cap. mandato 13. hoc tit.* & valebit: geſta verò poſt habitam ab utròque præfato notitiam irrita, & invalida erunt, *L. ſi mandaſſem 15. ʃ. mandati.*

7. Dico quintò: extinguitur pariter Procuratoris officium per mutationem ejus, ſeu alterius in ejus locum ſubſtitutionem; puta ſi diverſis temporibus pro eodem negotio conſtituantur plures Procuratores; tunc per conſtitutionem poſterioris cenſetur revocatus prior, & officium ejus extingui. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. ſi quis cum procuratorio ʃ. fin. D. eod.* Præterquam ſi Dominus in ſecunda conſtitutione dicat, ſe non intendere revocare priorem, *arg. cap. ſi quem, hoc tit. in 6.* Vel ſi prior jam fuiſſet conteſtatus litem; aut ad certam cauſam conſtitutus; poſterior verò generaliter ad omnia negotia. Ratio eſt; quia per genus non derogatur ſpeciei; ut ex Cabedone obſervat Vallenſis.

8. Nota tertiò pro calce hujus tituli: partem adverſam quandoque formare, & opponere exceptiones contra Procuratorem alterius partis; quæ ex hactenus dictis *Concluſionibus*, & *Notabilibus* facili negotiô confici poterunt. Nam hæ vel peti poſſunt ex parte conſtituentis; veluti quòd is non habeat poteſtatem Procuratorem conſtituendi. Vel ex parte conſtituti, quòd is nequeat eſſe Procurator: eò quòd ſit excommunicatus, vel minor, vel Clericus, vel reus criminis, &c. Vel ex defectu materiæ, ſeu ratione cauſæ, quòd Procuratorem non admittat; eò quòd actio ſit criminalis, in qua regulariter non admittitur Procurator. Vel ex parte mandati; eò quòd ipſum non ſit ſufficiens; aut non conceptum cum debita forma; aut revocatum; aut aliqua in parte mutatum, &c. ut notat Vallenſ. Wenſenb. & alij DD.

CAP. IX.

Digitized by Google

CAP. IX.

Quid Juris de Procuratoribus in Ordine S. Franciſci.

1. NOta primò: in Capitulo Generali Ordinis noſtri Franciſcani de Obſerv. & Ref. Lugduni celebrato Anno 1618. decretum fuit, ut ſemper duo impoſterum conſtituantur geſtores negotiorum Ordinis in Curia Apoſtolica, quorum unus, qui pro familia illa conſtituitur, ex qua Generalis Miniſter aſſumptus eſt, vocetur *Procurator Ordinis Generalis*; alter verò qui ex familia Commiſſarij Generalis deputatur, nominetur *Commiſſarius Generalis Curiæ*. Demum etiam tertius pro Reformatis ordinatus fuit, qui perpetuò *Procurator Generalis Ref. apud Curiam Apoſtolicam* vocetur.

2. Nota ſecundò: tam Procurator Generalis Ordinis, quàm Commiſſarius Curiæ inſtituitur à Miniſtro Generali, de conſilio, & aſſenſu Patrum Diffinitorij Generalis; uti habent Conſtitutiones Generales *cap. 8. §. 26. n. 10. & §. 31.* Procurator autem Generalis Reformat. inſtituitur ab Eminentiſſimo Protectore Ordinis; uti hactenus praxis obtinuit. Omnes tres debent eſſe viri graves, prudentes, ac rerum agendarum periti; quique ſuis muneribus dignè, & laudabiliter cum totius Ordinis honore, ac communi utilitate ſatisfacere poſſint, & aliàs jam functi ſint officiô Miniſteriatûs Provincialis; ita Conſtitutiones Generales *cap. 8. §. 31. n. 2.* Nec ipſi, nec eorum Socij ſubduntur Prælato locali, vel Provinciali, *ibidem n. 5.*

3. Nota tertiò: munus Procuratorum Generalium eſt; omnia Brevia, Bullas, Motus proprios, & Decreta Ordinem concernentia procurare in Curia Apoſtolica, & ad Provincias mittere; ita Conſtitut. Gener. *ibidem n. 9.* Item omnia Ordinis negotia, quæ in Curia Romana tractanda ſunt, expedire; nec alius, cujuſvis gradûs, & conditionis Pater exiſtat, ad prædicta ſe ingerere valet, ipſis inconſultis; ſed ſi quid ſpeciale negotiorum ibidem tractandum haberet, hoc de facultate Procuratorum facere debet; ſub pœna privationis actuum legitimorum; *ibidem n. 6.* Et *cap. 3. §. 8. n. 2.* Procurator Ordinis debet congruis temporibus aſſiſtere, & orare in Capella Pontificia; *ibidem n. 1.* & præcedit ibidem Procuratorem Generalem Conventualium; uti ſæpiùs deciſum eſt per S. Congregationem; & noviſſimè Anno 1602. die 21. Januarij referente Lantuſca, ver. *Procurator, num. 6.*

4. Nota quartò: Procuratores Generales præterea ſunt Apoſtatarum Superiores, & Ordinarij Judices, quando ipſos diverti contigerit ad eos; uti habent Statuta Generalia Salmant. *cap. 2.* Et moderna *cap. 2. num. 25.* Unde eoſdem corrigere, & remittere ad ſuas Provincias poſſunt. Poſſunt etiam, & debent Hoſpitum Romam adventantium literas obedientiales recognoſcere, eorum negotia explorare, impedire, & niſi aliud Generalis ordinaverit, ad Provincias ſuas remittere ſuis literis obedientialibus; uti habent Conſtitutiones Generales Valliſol. Salmant. & Romanæ editæ Anno 1587. Et modernæ. Habent votum activum in Capitulo, & Congregatione Generali durante officio; ac in ſuis Provincijs perpetuum, ex conceſſione Alexandri VII. facta Anno 1662. die 4. Decembris, quam refert per extenſum Lantuſca *loc. cit.* Eiſdem obedire tenentur omnes Fratres forenſes alterius, quàm Romanæ Provinciæ, Romam adventantes; juxta Conſtitutiones Generales modernas *cap. §. 8. num. 2.* Hujuſmodi tamen Patres in exeundo ſimul dependent à facultate Guardiani Aracælitani, & S. Franciſci de Ripa; *ibidem.* Præcedunt Diffinitores Generales; ita Conſtitutiones Generales modernæ *cap. 8. §. 35. n. 1.*

5. Nota quintò: Procuratorum officium non poteſt durare ultra triennium; ita Conſtitutiones Generales modernæ *cap. 8. §. 31. n. 1.* Qui bienniô non perſeveraverit in officio, non gaudet præeminentijs, & præcedentijs Procuratorum hujuſmodi; *ibidem n. 13.* Non poſſunt ſe ingerere in regimen Provinciarum quoad Fratres: neque tractare negotia ſæcularium; nec aliquid procurare, aut procurari permittere, quod univerſum Ordinem, aut ejus libertatem concernat; niſi de expreſſo Generalis mandato; *ibidem n. 7.* Non poſſunt Fratres Forenſes diutiùs detinere in Curia, quàm eorum negotia expedienda requirant; *ibidem n. 8.* Procurator Generalis Reformat. gaudet omnibus privilegijs, quibus gaudet Procurator Ordinis, ſeu de obſervantia; ita habetur in regeſto S. Congregationis Epiſc. & Regul. *fol. 33.*

TITULUS XXXIX.

DE SYNDICO.

CAP. I.

Quid ſit Syndicus; & quomodo differat ab alijs Officialibus.

1. NOta primò: pertinent pariter ad judicia Eccleſiaſtica, circa univerſitates exercenda, Syndici: unde de eis quoque *hic tit.* proponitur. Ly autem *Syndicus* originem trahit à Græco *Sini*, id eſt *cauſa*, quæ agitur in judicio; quaſi Syndicus ſit cauſarius, ſeu actor cauſæ judicialis.

2. Dico primò: bene deſcribitur Syndicus; quòd *ſit actor, ſeu Procurator alicujus univerſitatis, v. g. Collegij, vel Monaſterij, vel alterius alicujus ſocietatis hominum, ut Civitatis, & ſimilium, pro cauſis, & litibus in judicio proſequendis conſtitutus.* Ita conſtat ex *L. 1. ff. quibus autem D. quod cujusque univerſit. nom. &c.* Nam univerſitas aliqua v. g. Collegium, & omnis alia collectio hominum, unum morale corpus conſtituens, nec agere, nec utiliter conveniri poteſt, *L. ſicut ff. 1. quod cujusque univerſit.* Unde neceſſariò communi nomine unam certam perſonam pro ſe conſtituere debet, quæ à Jure utroque vocatur Syndicus.

3. Nota ſecundò: etſi autem aliquando Jure Canonico pro ſynonymis accipiantur ly Syndicus, & Procurator, latè accepta; ut in *cap. quia in cauſis 7. de Procurat.* ubi cauſa univerſitatis dicitur agi per Procuratorem; quæ tamen regulariter per Syndicum agenda eſt, *cap. petitio 9. de Procurat.* Attamen diverſæ ſunt perſonæ; & propterea de ipſis etiam in Jure Decretalium diverſi Tituli proponuntur. Differunt ergo *primò*: quòd officium Syndici ſit publicum; adeoque etiam invitis imponi poteſt, *arg. tot. tit. ff. de muner. & honor.* & quòd à collectione aliqua hominum conferatur: Officium verò Procuratoris ſtrictè acceptum eſt privatum; nec invitis imponitur, & à Domino confertur. *Secundò*; in cauſis criminalibus poteſt intervenire Syndicus: non autem Procurator.

4. Nota tertiò: Syndicus etiam differentiatur ab Actore Univerſitatis; nam Syndicus conſtituitur generaliter ab aliqua Univerſitate, vel collectione hominum ad omnes cauſas, etiam criminales, tam præſentes, quàm futuras tractandas, ſinè decreto: Actor verò ſpecialiter ad unam cauſam tractandam; vel ad plures præſentes cum decreto, *L. item eorum ff. ſi Decuriones D. quod cujusque Univerſit. nom. &c.* Verùm quandoque in hac materia Syndicus pro Actore; & è converſo uſurpantur; ut patet *L. 1. ex V. actorem ſive Syndicum* &c.

5. Nota quartò: Syndicus quoque diſtinguitur ab œconomo; quòd hic ſit diſpenſator Eccleſiæ, ſeu defenſor, cui res Eccleſiæ gubernandæ mandantur: quod Syndico non competit. Ab Adminiſtratore pariter diſcriminatur, quòd hic præſit pecuniæ, aliaque eò pertinentia curet; Syndicus verò in litibus proſequendis verſetur. In quo etiam differt à Curatore Civitatis, qui alia negotia Civitatis extrajudicialia proſequitur; ut notat Vallenſ. Wenſenbec. &c.

CAP. II.

Quis, & quomodo conſtitui poſſit Syndicus.

1. NOta primò: In Syndicum poteſt aſſumi perſona idonea, vel de ipſo corpore Univerſitatis, aut Communitatis ſæcularis; vel extraneus; congruentiùs tamen eſt, ut aliquis de ipſo corpore Univerſitatis conſtituatur; ſi in ipſo reperiatur idoneus; ut notat Vallenſ. Weſenb. Pirh. &c. Ratio eſt; quia talis præſumitur majori fide, & diligentia acturus cauſas ſuæ Communitatis; quàm extraneus. Ad hujuſmodi munus poteſt aſſumi etiam ipſemet Rector Univerſitatis, vel Conſul Communitatis, aut ſimilis ſuperior alicujus collectionis hominum.

2. Nota ſecundò: circa Religioſas Univerſitates, ſeu Communitates, ut Monaſteria, Collegia, & ſimilia ſuadet Summus Pontifex, ut cauſas ſuas committant potiùs extraneo, qui ut Syndicus eas agat; quàm Religioſo; etſi cum conſtitutione alicujus ſalarij: nam expedit ſervos DEI etiam cum aliquo incommodo à cauſis forenſibus, & ſtrepitu in judicijs abſti-

Digitized by Google

abſtinere (ita tamen, ut Jura eorum defendantur) ne hac ratione à Divinis avocentur officijs; ut dicit Papa Gregorius I. in *cap. unic. hoc tit.* Et habetur etiam *cap. 1. ne Clerici, vel Monachi.* Si tamen realis neceſſitas Monaſterij urgeret, Religioſus poteſt de licentia ſui Prælati eſſe Syndicus, & Procurator, *can. Monachi, can. 6. q. 1.*

3. Nota tertiò: ſed & Laicus poteſt conſtitui Syndicus Univerſitatis Eccleſiæ, etiam in ſpiritualibus, ut notat Gloſſa, Vallenſ. &c. Ratio eſt; quia talis non exercet munus propriè ſpirituale; utì conſtat ex *cap. 1. de Procurat. in 6.* Nec adverſatur *can. Judicatum diſt. 89.* ubi Clericus deputatur pro tractandis rebus Eccleſiæ: nam *cit. Canon* loquitur tantùm de œconomo, ſeu Adminiſtratore rerum Eccleſiaſticarum tam ſpiritualium, quàm temporalium: cùm propter commixtionem ſpiritualium hujuſmodi munus nequeat obiri à Laico: ſecus eſt, ubi agitur de cura temporalium tantùm; ut obſervat Panormitan. Vall. &c.

4. Nota quartò: ut ritè conſtituatur Syndicus, citandi, ac convocandi ſunt omnes de corpore Univerſitatis, aut Communitatis, qui jus ſuffragandi obtinent; Et juxta eorum ſuffragia conſtituendus eſt Syndicus. Ratio eſt; quia *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet,* inquit Regula Juris. Quòd ſi aliqui ſuffragatores legitimè vocati, & citati ſeſe abſentarent; poſſent præſentes Syndicum conſtituere; modò ſint duæ partes, vel major pars Univerſitatis, aut Communitatis, *L. nulli 3.* junctâ Gloſſ. ver. *duæ partes ff. quod cujusque univerſit.* &c. Et ſequitur Bartol. Hoſtienſ. &c.

5. Nota quintò: non eſt autem neceſſarium, ut in inſtrumento conſtitutorio Syndicatûs exprimantur nomina omnium conſentientium in aliqua numeroſa Univerſitate; ſed ſufficit, ſi conſenſus Univerſitatis legitimus exprimatur, & ipſum inſtrumentum muniatur ſigillô ejuſdem; ut habet Panormit. Mynſ. &c. In parva tamen Univerſitate debet exprimi, quòd duæ ad minùs partes ejus fuerint præſentes, & conſenſerint. Cæterùm creditur inſtrumento Syndicatûs, ſi appenſum habeat ſigillum Univerſitatis, tanquam factum cum conſenſu ejuſdem, *cap. tertio loco, 5. de Probat.*

6. Nota ſextò: Syndicus acceptô inſtrumentô Syndicatûs recipit eandem poteſtatem, quam Procurator *L. item 6. ff. fin. quod cujusque Univerſ.* Quinimò potis fit expedire omnia; etiam illa, quæ aliàs poſtulant ſpecialia mandata; unde cenſetur conſtitutus cum libera, & ampla poteſtate; etſi id in inſtrumento non fuiſſet expreſſum; ut dicit Gail. Pirh. Non poteſt tamen donare, nec liquidum debitum remittere. Is non tenetur cavere de rato, niſi probabiliter dubitetur de mandato, *cit. L. item.* Nec cogitur ſatisdare, judicatum ſolvi; quia publica authoritate eſt conſtitutus, ſicut Tutor; utì advertit Gloſſa. Ejus officium finitur ijsdem modis, quibus Officium Procuratoris expirat; niſi quod morte conſtituentium non ceſſet: eò quod Communitas cenſeatur ſemper permanere, juxta *L. ſicut 7. ſ. in Decurionibus ff. quod cujusque Univerſit.* ſpeciale eſt in Syndicis Monaſterij, quòd conſtitutus cum conſenſu Abbatis, & Capituli poſſit à ſolo Abbate revocari: cùm enim ipſe ſolus agere poſſit cauſas ſui Monaſterij, *cap. edoceri, de Reſcript.* ideo poteſt etiam ſolus revocare Syndicum, & in ſe aſſumere actionem; ut notat Engel.

CAP. III.

De Syndico in Ordine S. Franciſci.

1. NOta primò: plures Summi Pontifices providerunt per ſolemnes literas Apoſtolicas Ordini D. Franciſci de Obſerv. & Reform. de Syndicis Apoſtolicis (quos etiam *Procuratores* paſſim appellant Conſtitutiones Generales Ord. & Reform.) ſignanter Martinus IV. & V. Eugenius IV. Pius II. Sixtus IV. Alexander V. & VI. &c. ut videre eſt, in *firmam. trium Ord. part. 2. tract. 1.* Sed omnium exactiſſimè, candidiſſimeque Nicolaus III. Et Clemens V. in *ſuis Declarationibus,* editis pro Regulæ Seraphicæ puritate conſervanda; quarum hodie viridis eſt obſervãtia in toto Ordine, & illæ ſolæ receptæ, juxta Conſt. Gener. *cap. 4. ſ. 1.*

2. Nota ſecundò; hujuſmodi Syndici uſus à memoratis Summis Pontificibus introductus, non eſt aliqua diſpenſatio in Regulæ Franciſcanæ paupertate altiſſima; ſed modus ab ijsdem inventus pro puriori ejuſdem Regulæ obſervatione; ut loquuntur Conſtitutiones Generales modernæ *cit. n. 2.* Nec is cenſetur eſſe perſona interpoſita, in eadem Regula prohibita; utì patet ex *Declarationibus* Nicolai III. & Clementis V. & tenet communis DD. Ordinis.

3. Nota tertiò: inſtitutio Syndicorum

Apoſtolicorum Conventuum hodie pertinet ad Generalem, vel Provincialem; non autem ad Guardianum; uti habetur in Conſtitutionibus Generalibus modernis, *cap. 4. §. 1. n. 3.* Quilibet autem Conventus ſuum Syndicum, & Procuratorem habere debet; ac etiam ſubſtitutum; ſi opus fuerit; *ibidem num. 4.* Et in Conſtitutionibus Reform. *cap. 4. n. 3.*

4. Nota quartò: munus Syndici Apoſtolici eſt *primò* omnes res mobiles, & immobiles oblatas, donatas, vel in teſtamento relictas eleemoſynæ locô recipere, juxta Conſtitutiones Ordinis Generales *cit. cap. num. 2.* Et Reformat. *cit. cap. n. 3.* Et pro conſtructione; vel reparatione domorum regularium; vel reſtauratione Eccleſiarum, vel rerum ad Divinum cultum pertinentium; vel pro neceſſitatibus Fratrum tam ad victum, quàm amictum attinentibus, Apoſtolica authoritate, juxta placitum Superiorum Ordinis expendere, ex Conſtitutionibus Generalibus Ord. *cit. cap. & n.* *Secundò* munus eorundem Syndicorum eſt, inutilia, & illicita Fratribus oblata, vel relicta comutare, diſtrahere, alienare, & in uſus licitos ac neceſſarios Fratrum convertere; *ibidem*; Et Conſtitutiones Ref. *cit. cap. n. 4.* *Tertiò* poſſunt procurare in cauſis pro rebus, & locis ad Eccleſiam Romanam ſpectantibus, & Fratrum uſibus conceſſis; nec non pro immunitatibus, & privilegiis, tam Fratres, quàm ipſorum loca, & Conventus concernentibus; ita Conſtitut. Ord. *cap. 4. §. 1. n. 3.* *Quartò* eosdem poſſe Fratribus relicta repetere, etiam in judicio, ſentiunt Rodrig. Mirand. Sanct. & alij DD.

TITULUS XL.

DE HIS, QUÆ VI, METUSVE CAUSA FIUNT.

CAP. I.

Quid; & quotuplex ſit Vis.

1. Nota primò: ut judicia, maximè Eccleſiaſtica, rectè procedant, & læſis procuretur reſarcitio damni illati, in *præſenti, & ſequenti Tit.* providet Summus Pontifex de remedio extraordinario omnibus illis, qui læſi fuêre ex aliquo contractu, vel alio facto vi, vel metu geſto, quod eſt petitio reſtitutionis in integrum.

2. Dico primò: Vis, de qua hìc, rectè deſcribitur, quòd *ſit majoris rei impetus, qui repelli non poteſt.* Ita patet ex *L. 2. ff. quod metûs causâ geſtum erit.* Ly *impetus* eſt genus: reliqua aptantur pro differentia. Clarius ſic deſcribi poſſet; quòd *ſit coactio quædam, ratione cujus quis hìc & nunc aliquid operari cogitur, quod aliàs non operaretur.*

3. Nota ſecundò: *Vim* ſecundùm DD. *hoc tit.* partiri *primò* in præciſam; & conditionalem. *Vis præciſa* (quæ & *abſoluta*, & *ſimpliciter dicta*, & *vera Vis* dicitur ab alijs) eſt corporalis quædam coactio ad faciendum, ſeu gerendum id, quod jubetur ab alio; v. g. talis eſſet, ſi quis Chriſtianus planè invitus raperetur, & ad ſacrificandum idolo adigeretur per ductum ipſarum manuum, & thuribuli fumigantis. Hæc Vis tollit omnino liberum conſenſum; & cauſat ſimpliciter involuntarium. *Vis Conditionalis* (quam alij *modalem*, ſeu *compulſivam*, & *cauſativam* vocant) eſt externa quædam violentia adhibita alicui, ut is voluntate ſuâ (quæ propriè cogi nequit; cùm ſit intrinſeca) conſenſum ſuum præſtet ad aliquid agendum; talis eſſet, ſi quis cogeretur ad concedendum Plauto 100. aureos. Hæc Vis non tollit ſimpliciter voluntarium; cauſat tamen involuntarium imperfectum. Dicitur autem *conditionalis*; quia admiſcet conditionem; quatenus concedens ob coactionem alterius 100. aureos, abſolutè quidem vult eos concedere; nollet tamen, ſi vis ſeu coactio exterior abeſſet. Et iſta Vis coincidit cum Metu, ex *L. 1. in fine.*

4. Nota tertiò: *Secundò* dividitur Vis ab iiſdem DD. in publicam; & privatam; in impulſivam; ablativam; turbativam; & inquietativam, propter varios modos, quibus exercetur violentia circa proximum. *Vis publica* dicitur illa, quæ fit armis. *Privata*, quæ peragitur ſinè armis. *Vis impulſiva* dicitur illa coactio, quâ quis impellitur ad aliquid operandum, quòd aliàs non operaretur. *Vis ablativa* dicitur violentia, quâ aliqua res mobilis

Digitized by Google

mobilis alteri auffertur; hæc inducit actionem *vi bonorum raptorum*. *Vis turbativa* eſt violentia, quâ quis turbatur in ſua paſſione. *Vis inquietativa* eſt illa, quâ quis inquietatur in uſu ſuæ rei. Ex his omnibus dantur varia interdicta vim patientibus adverſus vim inferentes; uti ex Abbate, & Jaſone notat Vallenſis *hoc tit.* Circa Metum

CAP. II.

Quid, & quotuplex ſit Metus.

1. Dico primò: Metus, de quò hìc, benè deſcribitur in genere, quòd *ſit inſtantis, vel futuri periculi cauſâ mentis trepidatio.* Ita conſtat ex *L. 1. ff. hoc tit.* Ly *trepidatio* eſt genus; reliqua ſtatuuntur pro differentia. Et patet ex hac deſcriptione, quòd trepidatio poſſit contingere non tantùm propter violentiam illatam alicui de facto; ſed etiam propter inferendam.

2. Nota primò: Metus dividitur in gravem, ſeu cadentem in conſtantem virum; & in levem. *Metus gravis* (ſeu *cadens in conſtantem virum*, ſeu *juſtus*, & *probabilis*, quæ ſunt ſynonyma) eſt formido cauſata ab aliquo malo imminenti, ob quod operans potius eligit id quod offertur; quàm ut aliud gravius, quod intentatur, incurrat: talis eſt metus mortis, *cap. cùm dilectus 6. hoc tit.* Et *L. nec timorem 7. ff. hoc tit.* Item metus mutilationis; hæc enim cenſetur eſſe quædam mors partialis membri, *can. ſi quis abſciderit, diſt. 55.* Item metus amiſſionis bonorum, vel univerſi patrimonij, vel majoris partis, *cap. 2. hoc tit.* Item metus ſtupri in Virgine *cit. L.* In ſumma omnis ille, qui reſpectivè ad perſonam illum patientis, ſpectatis etiam circumſtantijs, meritò timor gravis mali cenſetur *L. 3. ff. ex quibus cauſis majores &c.* *Levis Metus* (qui & *vanus, injuſtus*, & *improbabilis* dicitur) eſt, qui cadit in virum inconſtantem, puſillanimem, & formidoloſum, qui etiam non timenda timet: unde eſt quædam vana trepidatio mentis, orta ex malis non imminentibus; ſed apprehenſis tantùm; vel ex malis levibus, quæ operantem non deberent avertere, ut potiùs eligat id, quod offertur, quàm ut aliud gravius, quod intentatur, incurrat.

3. Nota ſecundò: Metus gravis ſubdividitur in gravem abſolutè; & gravem reſpectivè. *Primus* eſt, qui cauſatur à malo, quod cuilibet viro conſtanti, & forti eſt formidabile; uti eſt mors, vel mutilatio. *Secundus* eſt, qui cauſatur à malo, quod etſi viro forti non ſit formidabile; attamen fœminæ v. g. puero, vel ſeni, vel alteri meticuloſo eſt formidabile.

4. Nota tertiò: Extat etiam quidam Metus, qui dicitur *reverentialis*, hic reperitur plerumque in filio erga Patrem; & in ſervo erga Dominum; & in uxore erga maritum. Hic regulariter non cenſetur eſſe Metus gravis, & cadens in conſtantem virum; nec venit in Edictum, *quod metûs cauſâ;* & *L. ad invidiam 6. C. hoc tit.* Quòd ſi tamen timori minæ, aut verbera, aut mala tractatio, vel preces importunæ addantur, & repetantur, evadit Metus gravis, *cap. ex literis, de deſponſat. impuber.*

CAP. III.

Vi conditionali, & metu geſta valent, ſed infirmari poſſunt.

1. Dico primò: quæ vi conditionali, metúſque etiam gravis, & injuſtè incuſſi cauſâ geſta ſunt, regulariter ipſo Jure ſunt valida, & obligant. Ita Gloſſa, Abbas, Vallenſ. Engel, & communis DD. Et conſtat ex L. *mulier 24. §. 5. ff. hoc tit.* Et L. *ſi metûs cauſâ 85. ff. de acquir. hered.* Eſtq; Ratio; quia geſta cum vi conditionali, & metu etiam gravi injuſto ſunt ſimpliciter voluntaria; & ea operans voluntariè egit, ex duobus ſcil. malis minus eligendo, v. g. eligendo potiùs contrahere, quàm ſubire mortem, vel aliud malum pati, *can. non ſolùm cau. 22. q. 4.* Et quia coacta voluntas eſt voluntas *L. cit. ſi mulier.* Ergo hujuſmodi geſta ſunt valida, & obligant. Conſequentia tenet; quia res geſta voluntariè, validè geritur, & obligationem parit; ſi aliàs ſinè peccato obſervari poſſit. Ex his

2. Infertur primò: pacta; & contractus, tam oneroſos, quàm gratuitos; item tranſactiones, renunciationes; & ſimiles actus, etſi ex vi, metuque gravi, & injuſtè incuſſo procedentes regulariter ſubſiſtere; & celebrantes hujuſmodi contractus obligare ipſo Jure. Quod ulteriùs patet ex *tit. Inſtit. de except. in prin.* ibi, *ſi metu coactus Titio ſtipulanti promiſiſti, quod non debueras promittere, palam eſt, Jure te obligari.*

3. Infertur ſecundò: quòd etiam Juramentum gravi metu injuſtè extortum ſuper aliqua re v. g. renunciationem beneficij, vel electionem ad illud obliget jurantem; ſi ſinè diſpendio ſalutis ſuæ ſervari poſſit; ut habe-

Digitized by Google

habetur *cap. ſi verò de jurejurand.* Poteſt tamen taliter jurans petere deinde relaxationem Juramenti; imò quamvis non petatur, Judex ex officio juramentum tale relaxare, eóq; relaxatô renunciationem metu factam per reſtitutionem in integrum reſcindere poteſt; ut notat Pirhing. & colligitur ex *cap. ad aures 3. hoc tit.*

4. Dico ſecundò: attamen geſta cum vi, metuque juſto, ſeu cadente in conſtantem virum, reſcindi debent per actionem *Quod metûs causâ*, & metum paſſus reſtitui in integrum. Ita Abbas, Pirh. Vall. & communis DD. Et habetur *cap. Abbas 2. hoc tit.* Et *L. item ſi. 14. §. in hac actione ff. hoc tit.* Et *L. 1. ff. eodem*, ubi dicitur; *ait Prætor, quòd metu geſtum eſt, ratum non habebo.* Et *L. fin. C. hoc tit.* ubi, venditiones, donationes, & transactiones per potentiam extortæ præcipiuntur infirmari. Eſtque Ratio; quia juſtum eſt, ut gravi metu compulſis ſuccurratur per reſtitutionem in integrum; ut ſcilicet ea omnia, quæ geſta, & profecta ſunt ex metu juſto gravi, & cadente in conſtantem virum, perinde reſcindantur, acſi ab initio irrita fuiſſent. Et

5. Nota primò; quòd illi, qui eſt paſſus Metum, competat adverſus ea, quæ metu geſta geſſit, tum præfatum remedium actionis *Quod metûs causâ*, quam intentare poteſt, dum vult reſcinderere actum; tum exceptio *Quod metûs causâ*, quâ uti poteſt adverſus agentem virtute contractûs initi, & quâ probatâ repellit agentem.

CAP. IV.

Afferũtur nonnulli invalidi contractus, & actus, vi, metuque geſti.

1. Dico primò: omnis contractus, & quicunque alius actus per vim præciſam, ſeu abſolutam geſtus ipſo Jure, ſeu factô eſt irritus, & nullus. Ita S. Thomas, Azor. Pirh. &c. Ratio eſt; quia vis præciſa, ſeu abſoluta eſt quædam vis cauſans ſimpliciter involuntarium, ita ut qui illâ conſtringitur, nullatenus conſentiat; conſenſus autem eſt neceſſarius ad omnem actum humanum; cujusmodi eſt omnis contractus, & aliæ actiones humanæ; ita ut eô abſente tales non ſint, dicente Philoſopho, *ab eis quæ naturaliter nobis inſunt* (id eſt abſque voluntario, ſeu conſenſu) *nec laudamur, nec vituperamur*: Ergo omnis contractus, & quicunque alius actus per vim præciſam, ſeu abſolutam geſtus eſt nullus ipsô factô.

2. Dico ſecundò: omnis contractus matrimonij Sacramentalis, per metum gravem injuſtè extortus, & celebratus ipſo Jure Eccleſiaſtico eſt invalidus, & nullus. Ita Engel, Vallenſ. Gloſſ. Zöeſ, &c. Et conſtat ex *cap. cùm locum 14.* & *cap. veniens 15. de ſponſal. & matr.* Eſtq; Ratio; quia contractus Matrimonialis in Jure prærogativam favorabilis libertatis habet. Quod etiam extendit Sanchez ad ſponſalia. Et procedit concluſio iſta etiam de contractu matrimonij, etſi ei acceſſiſſet juramentum; uti conſtat ex *cap. 2. de eo, qui duxit in matrim.* Nam in matrimonio metu extorto adeſt defectus libertatis, & conſenſus ſpontanei, qui irritat matrimonium, *cit. cap. cùm locum*; & ſuppleri nequit per juramentum; cùm requiratur ad ſubſtantiam matrimonij.

3. Dico tertiò: ſimiliter contractus matrimonij ſpiritualis, ſivè vota profeſſionis Religioſæ ob gravem, & juſtum metum, ſeu timorem cadentem in conſtantem virum edita, ipſo Jure Eccleſiaſtico ſunt invalida, & nulla. Ita communis DD. Et colligitur ex *cap. ult. qui Clerici. vel voventes.* Et *cap. perlatum 1. hoc tit.* Et quia in hoc quoque actu humano plena libertas ſecundùm Jura debet adeſſe; ſicut in actu matrimonij Sacramentalis. Quòd ſi tamen ſic profeſſus ceſſante metu gravi expreſſè, vel tacitè, v. g. habitum Religioſum deferendo ratificâſſet ſuam Profeſſionem, evadit valida, propter accedentem conſenſum liberum; utì conſtat ex *cit. cap. 1.*

4. Dico quartò: pariter quodcunque votum, etiam ſimplex, factum ob aliquem gravem metum injuſtè incuſſum, ipſo Jure Eccleſiaſtico cenſetur invalidum. Ita Gloſſa, Abbas, Sanchez, Zoëſ. &c. Et ita colligitur ex *cit. cap. 1.* quod quamvis loquatur de voto ſolemni, ſeu profeſſione Religioſa; tamen quia idem motivum irritans, & invalidans in omnibus alijs votis adeſt, proinde de mente Pontificis præſumendum eſt, quòd idem ſentiat de quocunque voto, etiam ſimplici. Et quia in quocunque votô, etiam ſimplici, debet adeſſe ſumma libertas; cùm ſit opus conſilij, & non præcepti.

5. Dico quintò: etiam actus abſolutionis à cenſuris Eccleſiaſticis extortus per vim, aut metum juſtum, gravem (idem dic de revocatione cenſuræ ſimili modo extorta) ipſo Jure Eccleſiaſtico eſt invalida. Ita Zoëſ. Gloſſa, Engel &c. Et conſtat ex *cap. unic. hoc*

Digitized by Google

hoc tit. in 6. ubi etiam dicitur, quòd, extorquens hujusmodi abſolutionem, vel revocationem à Judice Eccleſiaſtico, incurrat ipsô factô novam cenſuram Excommunicationis.

6. Dico ſextò: ſimiliter contractus metu gravi injuſtè extortus ſuper promiſſa, vel ſoluta dote, ipſo Jure ſeu facto invalidus, & irritus eſt. Ita Gloſſa, Abbas, Vallenſ. &c. Et habetur *L. ſi mulier 21. ff. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia eandem ſummam libertatem expoſcit matrimonium, & dos, quæ eſt acceſſoria matrimonio; ejusque naturam in hoc ſequitur.

7. Dico ſeptimò: tandem complures alij actus, & cauſæ, vi, metuque gravi & juſto geſtæ, & concluſæ, ipſo Jure ſunt nullæ, ac invalidæ; uti ſunt jurisdictio, vel ejus prorogatio extorta; ſententia ſimili modo lata; electiones ſub eadem formalitate celebratæ; tutoria authoritas pari modo obtenta; promiſſio, vel traditio rerum alicujus Eccleſiæ ob memoratum metum facta alicui; conditio teſtamenti eodem metu facta; vel teſtis alicujus in eo ſubſcriptio, &c. Ita Vallenſ. Zoëſ. Abbas, Gloſſa &c. Et ita colligitur ex varijs Juribus. Et quia in hujusmodi quoque actibus humanis ſumma requiritur libertas; quam tamen enervat metus gravis, & juſtus.

CAP. V.

De conditionibus Metûs, ob quem reſcindi poſſunt geſta cum illo.

1. NOta primò: ut contractus, vel alij actus facti cum Metu à Judice ritè poſſint reſcindi, nonnullæ à Juribus requiruntur conditiones, quæ afficere debent Metum. Nam non omnis Metus eſt ſufficiens, ut Judex irritare, infirmare, & reſcindere valeat geſta ex metu. *Prima* conditio eſt; ut Metus ſit incuſſus directè ad contractum, vel alium actum, ſeu conſenſum eliciendum; ſive talis incuſſio fiat immediatè ab illo, cum quo fit contractus, vel in cujus favorem elicitur alius actus, vel conſenſus; ſive fiat ab alio, eo tamen fine, ut ſequatur contractus, vel actus alius, vel conſenſus. Ita conſtat ex *L. item 14. §. in hac act. ff. hoc tit.* Unde ſi ob alium finem Metus ſit incuſſus, contractus inde conſurgens eſt validus, & nequit reſcindi; v. g. ſi Cajum captum à latronibus liberet Tullius prævio contractu, ut ipſi aliquid præſtet pro ejusmodi obſequio; talis contractus eſt validus, non obſtante quòd in metu ſit celebratus; nam Tullius non fuit cauſa talis metûs; ſed ſuæ operæ, & auxilij, quod in liberando impendit, mercedem petit, *L. metus 9. §. 1. ff. hoc tit.* Et ob eandem rationem vota in periculo mortis facta valida ſunt; quamvis ex metu prævio proceſſerint; ut habet communis DD.

2. *Secunda* conditio eſt; ut Metus ſit gravis mali, ſeu juſtus, & cadens in conſtantem virum; non autem levis, & vanus, ſeu timor hominis vani. Ita conſtat eſt *L. Metum 5. & L. ſeqq. ff. hoc tit.* Levis enim mali timor non cenſetur tollere libertatem conſensûs; ſicut facit metus gravis mali.

3. *Tertia* eſt; ut Metus ſit injuſtè incuſſus: nam ſi juſtè incutiatur, contractus inde conſurgens, & quivis alius actus inde natus eſt validus; nec poteſt reſcindi. Ita colligitur ex *L. continet 3. §. ſed vim*; & ibi Gloſſa, verb. *Jure licito ff. hoc tit.* Et *L. mulier 21. in princ. ff. eodem*; junctâ Gloſſâ, verb. *quia.* Et quia contractus metu initi tunc cenſentur eſſe invalidi, & reſcindibiles, quando fiunt cum injuria metum patientis; ſed ſi metus talis ſit juſtè incuſſus, non infert ullam injuriam, adeoque contractus inde conſurgentes ſunt validi. Unde ſi damnatus eligat ducere in ſuam uxorem meretricem, aut turpem perſonam, ut liberetur à morte juſtè per ſententiam ſibi infligenda, contractus talis matrimonij eſt validus; quia metus mortis juſtè eſt damnato incuſſus.

4. *Quarta* conditio eſt; ut Metus ſit incuſſus ab extrinſeco, & à cauſa libera, ſeu ab extrinſeca violentia illatus: non ab intrinſeco, vel à cauſis naturalibus, vel fortuitis, v. g. morbo, tempeſtate, naufragio, fame, & ſimilibus; uti habet communis DD. Unde qui facit aliquas promiſſiones, vel vota tempore gravis infirmitatis, aut in naufragio, ob metum mortis; vel init contractum venditionis ſuarum rerum, ut accipiat alimenta pro fame jamjam mortem intentante pellenda; tales contractus, & actus ſunt validi, & non poſſunt reſcindi; ſed ipſis erit ſtandum, acſi absque metu initi fuiſſent, *arg. cap. ſicut nobis 17. de Regular.* Metus enim interveniens in hujusmodi contractibus, & actibus non eſt ab extrinſeca cauſa libera incuſſus; ſed ſuapte natura, & fortuitò accidit.

5. *Quinta* eſt; ut Metus ſit præſens, & non ſuſpicio tantùm inferendi metûs. Ita conſtat ex *L. metum ff. hoc tit.* Hinc ſi Cajus ob ſolas minas Tullij, & in futurum imminens malum aliquam feciſſet donationem, is nequit reſtitutionem ex cauſa metûs prætendere: niſi hujusmodi minæ intentatæ fuiſſent ab illo,

Digitized by Google

ab illo, qui plerumque ſolitus eſt eas exequi; vel propter temeritatem minantis, morale, vel præſens fuerit periculum *L. ſi donationis 7.* & *L. metum 9. C. hoc tit.*

6. *Sexta*; ut metum paſſus ſit in aliquo damnificatus. Ita habetur *L. ſed & partus 12. §. Julianus ff. hoc tit.* Et quia reſtitutio in integrum, quæ per hanc actionem, *quod metus causâ* petitur, ſupponit læſionem, & damnificationem; reſtitutio enim eſt repoſitio damnificati in ſtatum, in quo fuit ante læſionem; ut habet Gloſſa fin. in *cap. auditis 3. de in integr. reſtit.*

7. Nota ſecundò: circa enumeratas ſex conditiones plurimùm valere Judicis arbitrium, juxta *L. 3. ff. ex quibus cauſ. majores &c.* qui proinde accuratè perpendere debet ex circumſtantijs, & ſubjecti vim paſſi qualitate, an metus incuſſus ſit ſufficiens, ut metu geſta reſcindi poſſint: nam minor requiritur metus in puero, quàm in viro; minor item in fœmina, quàm in mare *arg. can. indignanter cauſ. 32. q. 6.* Et *cap. licet, de homicid.*

8. Nota tertiò: eſſe quædam, quæ etſi proficiſcantur ex graviſſimo metu; non propterea admittunt ullam reſtitutionem; hujusmodi ſunt Baptiſmus Confirmatio, & Ordo. Ratio eſt; quia cùm Metus non evacuet voluntatem; conſequenter nec impedit impreſſionem characteris Baptiſmalis, & Ordinis in ea, *cap. 3. de Bapt.*

CAP. VI.

Varia circa metu geſta reſolvuntur.

1. Nota primò: ob nullum metum quantumvis gravem, & graviſſimum, etiam mortis, licitum eſt committere peccatum mortale; uti colligitur ex *cap. ſacris 5. hoc tit.* ubi dicitur quòd propter nullum metum liceat communicare cum excommunicato; quia ſcilicet talis communicatio involvit peccatum, puta contemptum clavium, inobedientiæ, & ſcandali. Et quia peccatum mortale infert mortem animæ, quæ majus malum eſt, quàm mors corporis; adeoque magìs vitandum; ut ex Azor, notat Pirhing. Imò idem tradunt de peccato veniali, quod eſt contra Divinam legem, Abbas, Pirhig. Engel, Sanch. &c. & favet textus *can. ſi quis 17. cauſ. 22. q. 2.* Non verò de veniali, quod eſt contra legem Eccleſiaſticam duntaxat, quæ cùm tam gravi damno non videtur obligare; & conſequenter tunc ejus transgreſſio ceſſat eſſe peccatum, quæ aliàs tamen involveret culpam venialem, *arg. can. 2. diſt. 4.* Et *L. non adeo ff. de Leg.* & habet Engel, &c. DD.

2. Nota ſecundò: Metum paſſo actio ad repetendum id, quod metus causâ datum eſt, competit, non tantùm contra eum, qui metum incuſſit, vel vim intulit; ſed etiam contra quemcunque poſſeſſorem, qui eam detinet *L. item 14. §. in hac ff. quod metus causâ.* Si verò promiſſum ſit, & nondum datum, competit Metum paſſo exceptio, ne ſolvere teneatur, *tot. tit. ff. de doli mali, & metus except.*

3. Nota tertiò: ordinatus ob metum gravem non tenetur ad cœlibatum ex voto, aliàs Ordinibus regulariter annexo in Latina Eccleſia; ſed ex Eccleſiæ præcepto duntaxat; ut habet ex Zoëſio, Engel, &c. niſi deinde liberè exerceret ordinem ſuſceptum.

4. Nota quartò: Metum paſſo poſt reſciſſionem contractûs, vel alterius actûs metu geſti, per Judicem factam, regulariter reſtitui debet ſimplum illius rei, quæ data, vel ablata eſt, ut notat Zoëſ. Niſi ille, qui incuſſit metum, contumax effectus, & non parens Judicis arbitrio mereatur damnari in quadruplum; idque intra annum tantùm: nam iſta actio Prætorialis eſt modificatè pœnalis, ut videlicet annum non excedat, *Inſtit. de perpet. & tempor. act.*

5. Nota quintò: quòd prudens Judex ad menſurandum quantitatem, & qualitatem metûs attendere debeat, num is incuſſus ſit ex circumſtantia carne & ſanguine junctorum; nam parentes pro affectu in liberos magìs terrentur; item uxor propter maritum, cum quo habetur una perſona; item liberi pro parentibus; frater pro fratribus, ſororibus, alijsque conſanguineis, quibus quis rationabiliter metuit, ne offendantur, *cap. ſciant 12. de elect. in 6.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XLI.

DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE.

CAP. I.

Quid ſit reſtitutio in integrum.

NOta primò: *præſens Tit.* continet re-
1. medium generale extraordinarium reſtitutionis in integrum, per Judicis officium, pro omnibus illis, qui læſi fuêre, ſive in contractibus, aut alijs actibus ob metum geſtis (de quibus egit *præcedens Tit.*) ſive qui ob alias ſpeciales cauſas damnificati fuêre, puta per calliditatem, ſeu dolum adverſarij, ſive ob ætatis imbecillitatem, ſive ob abſentiam, ſive per mutationem ſtatûs, aut juſtum errorem, damnum paſſi; utì habetur *L. 1. & 2. ff. hoc tit.*

2. Nota ſecundò: hoc autem remedium reſtitutionis in integrum tunc demum datur à Judice, quando ei, qui ſe aſſerit læſum, non ſupereſt ulla ordinaria actio *L. in cauſa 16. ff. de Minor.* niſi cum ordinaria actione, ſeu remedio ordinario concurrat etiam remedium reſtitutionis, tanquam pinguius, & plenius; quo caſu læſo provideri poteſt etiam per hujuſmodi remedium reſtitutionis in integrum: nam tunc læſi v.g. minoris intereſt poſſe pluribus actionibus jus ſuum proſequi. Nec etiam quibuſvis perſonis datur hoc remedium, ſed certis duntaxat; & juſtis de cauſis, cognitis, & probatis; & illud oportet petere infra tempus præfinitum in Jure; de quibus omnibus infra. Interea

3. Nota tertiò: Ly *reſtituere* duplicem habet uſurpationem; aliquando enim capitur pro ly *reddere*; quo ſenſu dicimus reſtituo Cajo librum comodatò ſeu mutuò acceptum. Aliquando pro *repoſitione* alicujus rei in priſtinum ſtatum; quo ſenſu de eo hìc agitur: Unde reſtitutio in integrum ſub iſta uſurpatione deſcribitur ab Hoſtienſi, & aliis DD. quòd ſit priſtini ſtatus, vel priſtini juris redintegratio: ita ut unuſquiſque recipiat ſua jura priſtina perinde, ac ſi hactenus nihil geſtum fuiſſet *L. quod ſi Minor. §. reſtitutio ff. de Minor.* ſed clarius

4. Dico primò: aptè deſcribitur Reſtitutio in integrum, quòd *ſit alicujus læſi in eum ſtatum, in quo fuit ante læſionem, per officium Judicis competentis reductio.* Hæc eſt ad mentem Gloſſæ; & eruitur ex *cit. L. & L. uni. C. de reputat. quæ fiunt.* Et *cap. 1. hoc tit.* Ly *reductio* eſt genus; reliqua ſubeunt rationem differentiæ. Dicitur *alicujus læſi*; quia hoc remediô extraordinariô ſubvenitur læſis, ſeu damnũ paſſis; v.g. minoribus deceptis, vel in contractu aliquo; vel quaſi contractu; ſive in actibus judicialibus; ſive extrajudicialibus. Dicitur *in eum ſtatum, in quo fuit ante læſionem*; nam hoc remedium Juris eò collimat, ut læſus à Prætore reponatur in priſtinum ſtatum, quem habuit antequam damnificatus fuit, ut perinde ſit acſi nihil adverſus eum eveniſſet, *L. reſtituere ff. de verbor. ſignif.* Et L. 2. *§. reſtituas ff. nè quid in loco publico, &c.* Dicitur tandem *per officium Judicis competentis reductio*; quia reſtitutio regulariter fieri debet coram certo Judice illius, contra quem ea petitur; ut habetur *L. 2. C. ubi, & apud quem cognit.*

CAP. II.

De conditionibus ad hoc, ut reſtitutio ritè inſtitui poſſit.

NOta primò: ut Judex Reſtitutionem
1. in integrũ ritè inſtituere valeat, & eâ ſuccurrere læſo, certæ conditiones prærequiruntur. *Prima* eſt; ut reſtituendus probet manifeſtè, ſe eſſe læſum; ita Azor. Minſing. Abbas, &c. Et conſtat ex *cap. cùm veniſſent.* Et *cap. conſtitutus; hoc tit.* Et *L. ait Prætor, §. verum 11. §. ſciendum, ff. de Minorib.* Probatur autem læſio, non per Juramentum; ſed per teſtes; quando ipſa oritur ex contractu. Quando autem provenit ex delicto, vi, vel metu, probari poteſt etiam per Juramentum præcedente taxatione Judicis, *cap. ult. ſuper eo; de His, quæ vi, &c.*

2. *Secunda* conditio eſt; ut contractus, vel alius actus, ex quo reſtituendus eſt læſus, fuerit ab initio validus; ut habet Pirhing. &c. Nam ſi contractus fuit invalidus, non

Digitized by Google

eſt locus beneficio reſtitutionis in integrum: ſed læſus communi auxiliô, ac mero jure munitus eſt; ideoque non debet ei tribui extraordinarium remedium reſtitutionis in integrum, quod tantùm in ſubſidium, & defectum ordinarij conceditur; ut habetur L. *in cauſa 16. ff. de Minor.*

3. *Tertia* eſt; ut læſio, quam paſſus eſt is, qui petit in integrum reſtitui, ſit gravis; pro modica enim non conceditur hoc beneficium extraordinarium. Ita habet Gloſſa, Abbas, &c. Et conſtat ex *L. ſcio 4. ff. hoc tit.* Et *cap. penult.* junctâ Gloſſâ ver. *enorme*; *de rebus Eccleſ. non alien.* Et quia in his, quæ contra jus commune conceduntur (quale eſt beneficium reſtitutionis in integrum) de modicis non curatur, ut advertit Bartol. ſecus eſt in iis, quæ ſecundùm jus commune conceduntur, utì conſtat ex *L. proprietarius 12. ff. de damnos. infect.* Colligi autem debet à prudenti Judice gravitas læſionis ex qualitate cõtractûs, conditione perſonæ pauperis, vel divitis, quantitate magna, vel parva pretij, v. g. in contractu venditionis, &c.

4. *Quarta* eſt, ut læſio præfata gravis dolô adverſarij; vel inconſultâ facilitate læſi, vel ex negligentia adminiſtratoris contigerit: nam ſi ex caſu fortuito damnum ſecutum ſit, v. g. ſi poſt aditam hæreditatem prædium ſit devaſtatum per bella; tunc non eſt locus reſtitutioni.

5. *Quinta* eſt; ut Reſtitutio in integrum petatur intra quadriennium; ut habet Vallenſ. Zoëſ. Engel, &c. Et conſtat ex *cap. 1.* & *cap. 2. in 6. hoc tit.* de hac conditione dicetur amplius infra.

6. *Sexta* eſt; ut is, qui alieno nomine petit reſtitutionem in integrum ſit Procurator *cum libera*; vel habeat mandatum ſpeciale; utì habet communis DD. Et conſtat ex text. in *cap. coram*; *hoc tit.* Et *L. illud ff. de minor.* Pater tamen abſque tali mandato poteſt petere reſtitutionem in integrum pro liberis L. *Patri ff. de Minor.* Item Tutor, Curator, Oeconomus, Prælatus, & alij habentes adminiſtrationem alieni patrimonij; ut notat Abbas, Minſingerus, & Interpretes communiter in *cap. ſuſcitata*; *hoc tit.*

CAP. III.

Quibus detur reſtitutio in integrum.

1. Dico primò: Judex poteſt licitè, & validè hoc beneficium reſtitutionis in integrum impertiri illis, qui ſunt ætate minorennes, id eſt non complentes Annos 25. ſi vel ipſi, vel eorum tutores, vel curatores ſint læſi, aut decepti. Ita Gloſſa, Vallenſ. Engel, Zoëſ. & communis DD. Et deciditur in L. *1. & toto hoc tit. ff. de Minor.* Et L. *1. toto tit. Cod. ſi adverſus rem judicatam.* Et *cap. conſtitutus 8. hoc tit.* Debent autem Minorennes Annis 25. implorantes beneficium reſtitutionis in integrum priùs coram judice legitimè probare minorem ætatem, in qua quid geſſit; utì conſtat ex *cit. cap. conſtitutus.* Item læſionem eſſe gravem, L. *4. ff. hoc tit.* quæ tamen non debet eſſe tanta, ut dimidium excedat juſti pretij: quia cùm tunc Minor ſit tutus ipſo Jure, & communi auxiliô munitus, L. *2. ff. de reſcind. vendit.* illi neceſſarium non eſt hoc remedium extraordinarium, *L. in cauſæ cognit. 16. in prin. ff. de Minor.*

2. Dico ſecundò: ſimiliter etiam Eccleſiæ læſæ ſubvenitur hôc beneficiô reſtitutionis in integrum. Ita Gloſſa, Vallenſ. Zoëſ. & communis DD. Et ſic determinatur *cap. 1. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Eccleſia inſtar Minoris habetur; & jure Minorum utitur *cap. 2. & 3. hoc tit.* ibi *jure minoris.*

3. Nota primò: quòd nomine Eccleſiæ, etiam veniat Capitulum alicujus Eccleſiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ſi læſio contigerit toti Capitulo; ut obſervat Innocent. Item ſub eodem nomine Eccleſiæ veniunt omnia alia loca pia, ut Collegia Clericorum, & Religioſorum, hoſpitalia Epiſcopi authoritate erecta; item confraternitates, ſeu Congregationes, ad Religionis augmentum inſtitutæ; ut notat Engel, Pirhing. Abbas, March. &c. ad hæc enim omnia extenduntur privilegia data Eccleſijs, ſecundùm L. *omnia 24. C. de Epiſc. & Cleric.* Imò & Eccleſiæ nondum extructæ; attamen jam inchoatæ; utì tenet Layman, Dominicus à S. Gemin. &c. Ex præmiſſis 2. Concluſionibus in quibus Minores, & Eccleſia æquiparantur.

4. Infertur primò: Minorem 25. Annis, & Eccleſiam poſſe petere, & debere ipſis concedi beneficium reſtitutionis in integrum, ſi ipſis facta ſit gravis læſio in contractibus; vel quaſi contractibus; ſive in ultimis voluntatibus; utì conſtat ex *toto tit. ff. de minor.* & *Cod. de in integr. reſtit.* & extra *eodem tit.*

5. Infertur ſecundò: Eccleſiam etiam poſſe

poſſe implorare hoc beneficium, & ei dari debet, ſive ſit læſa per Epiſcopum, ſive alium Prælatum, ſive per Procuratorem, ſive per Syndicum; utì conſtat ex *cap. 2. 3. & 7. hoc tit.* item ſive per ſententiam definitivam, in præjudicium ſuum latam, *cap. veniens 2. hoc tit.* ſive per interlocutoriam, aut alium actum judicialem, vel extrajudicialem. Idem eſt de Minorenni læſo per ſententiam interlocutoriam, aut etiam definitivam, incuriâ Procuratoris probationes, aut exceptiones neceſſarias non producentis, vel opponere negligentis; utì habetur *L. etiam in his 3. C. ſi tutor, vel curator, &c.* idem etiam dicendum de læſione ejus, ſecuta per actus extrajudiciales; utì conſtat ex *tit. ff. de minor.* Aut de læſione cauſata per tutores, & curatores *L. etiam in his 3. C. ſi tutor, vel curat.*

6. Infertur tertiò: ſimiliter idem beneficium petere poterit Minor, vel Eccleſia, & ei dari debet, ſi ſit læſa propter negligentiam propriam, quâ omiſit producere, ſeu allegare probationem aliquam, aliàs neceſſariam ad obtinendam cauſam. De Minori extat *L. minor 36. ff. de minor.* De Eccleſia extat *cap. auditis 3. hoc tit.*

7. Infertur quartò; idem beneficium pariter poteſt peti ab Eccleſia, vel Minori, & ei dari debet contra ſententiam latam à Papa, vel alio ſupremo Principe; utì habetur de primo *cap. ex literis 4. cum ſeqq. hoc tit.* Et *can. veniam, 35. q. 9.* de ſecundo verò *L. minor 18. ff. de minor.*

8. Infertur quintò: unam Eccleſiam læſam etiam contra aliam Eccleſiam æquè privilegiatam petere poſſe reſtitutionem in integrum, & ei dari debet; ut habetur *cap. auditis*, ibi, *utramque reſtituimus contra reliquam.* Nec obſtat commune dictum Legiſtarum, quòd *privilegiatus contra privilegiatum non poſſit uti ſuo privilegio*: Nam hoc dictum verificatur tantùm in pari cauſa; puta ſi uterque læſus ſit; & uterque æquè certet de damno vitando; quia tunc poſſidentis conditio melior eſt, *cap. in pari, de Reg. Juris in 6.* Secùs eſt, ſi unus ſit læſus; alter verò non; vel ſi unus certet de damno vitando, alter de lucro captando, quo caſu is, qui cupit eſſe indemnis, meritò prævalere debet illi, qui ex re aliena lucrum quærit; utì ex Panorm. notat Vallenſ. & Engel. Deinde beneficium reſtitutionis non datur Eccleſiæ lædenti; ſed læſæ; unde Eccleſia lædens aliam non cenſetur eſſe privilegiata; & conſequenter non concurrit privilegiatus cum privilegiato.

9. Nota ſecundò: beneficiô reſtitutionis ſubvenitur minori læſo, & Eccleſiæ læſæ non ſolùm ratione damni illati; ſed etiam ratione lucri ceſſantis: utì conſtat ex *L. ait prætor 7. §. hodie ff. de Min.* Et ex *cap. conſtitutus 8. hoc tit.*

10. Quæres 1. utrùm Judex Eccleſiaſticus competens debeat reſtituere in integrum aliquem Clericum minorennem, qui inconſultò, & cum ſuo damno renunciavit beneficio? Negat Accurſius, & alij. Sed rectiùs affirmat Covarr. Zoëſ. Gloſſa, &c. Ratio eſt; quia Jura quæ mandant Minorennes læſos graviter, reſtitui; nuſquam excipiunt Clericorum Minorennem læſum ex inconſulta renunciatione beneficij. Quin imò talis Clericus reſtituendus eſt, etſi beneficium jam eſſet collatum alteri; utì habet Engel, Zoëſ. Gomes, Mol. &c. Nam & hic caſus non excipitur in generalibus Juribus, mandantibus læſum Minorennem reſtitui in integrum.

11. Dico tertiò: beneficium reſtitutionis in integrum pèti poteſt, & dari debet Reipublicæ. Ita communis DD. Et habetur L. 4. *C. quibus ex cauſis majores.* Et quia Reſpublica quoque gaudere cenſetur Jure Minorum. Et venit nomine Reipublicæ quævis communitas habens bona communia, quæ per aliquos nomine Communitatis adminiſtrantur; cujuſmodi ſunt Civitates, Oppida, villæ, pagi, caſtra; utì conſtat ex *L. ſi hæres juſſus 73. ff. de Legat.* Non item collegia laica opificum, mercatorum &c. ut notat Abbas, & Mar.

12. Dico quartò: etiam ſupremo Principi reſtitutio in integrum concedenda eſt quoad bona Principatûs, ſeu Coronæ, ac Fiſci. Ita Molin. Pirh. Ratio eſt; quia hujuſmodi bona reputantur bona Reipublicæ. Non autem conceditur ipſi hoc beneficium circa bona particularia; ut notant cit. DD.

13. Dico quintò; reſtitutio in integrum tandem etiam quandoque concedi ſolet majoribus 25. annis graviter læſis, & juſtam ob cauſam. Ita Abbas, Vallenſ. &c. Et conſtat ex *cap. literis, hoc tit.* Et ex *L. 1. & 2. ff. ex quibus cauſis Major.* Juſtæ autem cauſæ ſunt abſentia; ut ſi Major 25. annis abſit Reipublicæ cauſâ, *cit. loc.* Item error juſtus, *L. 2. cit.* Item juſta ignorantia, vel detentio in vinculis, aut hoſtium poteſtate; & ſimiles, quibus favet illa clauſula generalis L. 1. cit. *ſi qua alia juſta cauſa mihi videbitur, in integrum reſtituam.* Item iiſdem Majoribus conceditur dictum beneficium de geſtis in minori ætate infra quadriennium ab ingreſſu ætatis *L. ult. C. de tempor. in integ. reſtit.*

Digitized by Google

14. Nota tertiò: ſolet etiam quandoque concedi idem beneficium rudibus, ſeu imperitis perſonis, qui ignorant Jura, nec potuerunt conſulere peritiores; ut militibus, dum in expeditione verſantur; item ruſticis, fœminis &c. uti docet ex Maran. & Mol. Pirhingus.

CAP. IV.

Quibus de cauſis non detur Minori Reſtitutio in integrum.

1. Dico primò: Minori inducto ad emittendam profeſſionem Religioſam, vel contrahendum Matrimonium, non datur reſtitutio in integrum. Ita Abbas, Covarr. Molin. Pirhing. Ratio primi eſt; quia per emiſſam profeſſionem non cenſetur lædi Minor; cùm per eam meliùs conſulatur animæ ipſius; & ſtatus ejus commutetur in melius. Ratio ſecundi; quia Matrimonium eſt vinculum indiſſolubile quoad ſubſtantiam. Inductus tamen ad Matrimonium contrahendum poteſt reſtitui quoad dotem promiſſam, ſi in ea ſit læſus, *L. unic. C. ſi adverſùs dotem.*

2. Dico ſecundò: ſimiliter Minori puberi non datur beneficium reſtitutionis in integrum ſuper contractum celebratum, confirmatum juramentô, ſpontè factô de non retractando tali contractu. Ita Gloſſ. Molin. &c. Et conſtat ex authent. *Sacramenta puberum, C. ſi adverſus vend. Et L. 1. C. eod.*

3. Dico tertiò: Minori non favet beneficium reſtitutionis in integrum in delictis, quæ per dolum commiſit; ſecus in ijs, quæ per culpam. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et conſtat ex L. 1. junctâ Gloſſâ ver. *extravenit. C. ſi adverſus delictum* v. g. ſi Minor commiſiſſet furtum, vel damnum per injuriam intuliſſet, *L. in cauſa. 9. ſſ. nunc videndum ff. de minor.* Etenim malorum mores non excuſat infirmitas animi *L. 1. cit.* Non cenſetur autem Minor deliquiſſe ex dolo, ſi ſit ætate infans, aut proximus infantiæ.

4. Dico quartò; poſtquam Minor complevit annum 25. & ſponte, ac liberè confirmat ea, quæ in ætate ejus minori geſta ſunt, tunc ei ampliùs beneficium reſtitutionis petendæ in integrum non patrocinatur, nec conceditur. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. 1. & 2. C. ſi Major factus ratum habeat.*

5. Dico quintò: Minor contra caſum fortuitum non reſtituitur in integrum. Ita communis DD. Et patet ex *L. verum 11. ſſ. ſciendum ff. de Minor.* Unde ſi Minor emerit villam, aut hæreditate locupleti eam adierit, cujus prædia deinde aquarum inundatione devaſtantur, non reſtituitur *L. cit. ſſ. ſi locupleti.*

6. Dico ſextò: non datur beneficium reſtitutionis illi Minori, qui ſimulando ſe Majorem, hac via doloſè induxit alterum ad ſecum contrahendum; etſi probet ſe læſum. Ita communis DD. Et colligitur ex *L. 2. & 3. C. ſi Minor ſe Majorem dixer.* Nam deceptis; non autem decipientibus jura ſubſerviunt. *L. cit. 2.*

7. Dico ſeptimò; ſi contingat Minorem à Supremo Principe obtinere veniam ætatis, ſive diſpenſationem ſuper ætatem, non favet ipſi amplius beneficium reſtitutionis in integrum ſuper geſta, rata, firmataque poſt obtentam dictam veniam. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. 1. cit. de his, qui ven. ætat. impetr.*

CAP. V.

De tempore, Judice, & forma Reſtitutionis in integrum inſtituendæ; ejuſque effectu.

1. Dico primò: Reſtitutio in integrum petenda, & peragenda neceſſariò eſt intra quadriennium. Ita Vallen. Gloſſa, & communis DD. Et habetur *cap. 1. hoc tit. in 6.* Et elapſô quadrienniô læſus non eſt ampliùs admittendus, *cit. cap. 1.* niſi aliquid rationabile ſuadeat aliud, *cap. 2. hoc tit. in 6.* Et

2. Nota primò; quòd memoratū quadriennium Eccleſiæ, vel Reipublicæ incipiat currere, & computari à die læſionis, v. g. à die celebrati alicujus contractûs damnoſi; uti dicitur *Clement. un. hoc tit.* Minori verò à principio anni 26. ſuæ ætatis; quando ſcilicet factus eſt Majorennis currit circa actus, quos in Minoritate geſſit, *L. fin. Cod. de tempor. in integ. reſtit. Minorib.* diſpenſato in ætate computatur à die, quâ venia ætatis eſt obtenta, & intimata, *L. 1. de his qui ven. ætat.* In reſtitutione tandem Majorum natu tempus quadriennij incipit currere à die, quô ceſſat v. g. juſta cauſa abſentiæ, vel aliud impedimentum; uti colligitur ex *L. ult. C. de tempor. in integr. reſtit.*

3. Nota ſecundò: ſat probabilem, & tutam in praxi eſſe opinionem Recentiorum DD. quam defendit Arnol. Rath, Engel, &c. quòd quadriennium petendæ reſtitutionis

tionis præfixum non currat immediatè à die phyſica læſionis cauſatæ; ſed potiùs à die ſcientiæ, quô reſtituendus in læſionis cognitionem devenit. Nam aliàs non ſatis proſpectum eſſet indemnitati Eccleſiarum, Reipublicæ, & Minorum, ſi contra occultas ſuas læſiones nullum haberent remedium. Nec obſtat *Clement. unic. cit.* calculans quadrienniū petendæ reſtitutionis à die læſionis. Nam gloſſari poteſt cum Engel, ſi coincidant dies læſionis, & ſcientiæ. Et hanc gloſsā eſſe cōformem Juribus inde deduco, quòd Eccleſiæ, & Reipublicæ etiam poſt elapſum quadrienniū concedatur reſtitutio in integrum, ſi intervenerit inculpata ignorantia; utì conſtat ex *cap. 1. & 2. hoc tit. in 6.*

4. Nota tertiò: quòd Jura etiam in quibuſdam alijs caſibus, præter inculpatam ignorantiam concedant Eccleſiæ, & Reipublicæ reſtitutionem in integrum poſt lapſum quadriennij. *Primò* ſi prævaricatio, vel colluſio, vel manifeſta fraus intervenerit; v. g. quia colluſum fuit cum Prælato, vel Adminiſtratore bonorum Eccleſiæ, vel Reipublicæ; quia læſus fraude circumventus fuit, ne reſtitutionem intra quadriennium peteret, vel aliud quid adſit, quod moveat ſuperiorem, ad impertiendam reſtitutionem in integrum; utì colligitur ex *cap. 1. hoc tit. in 6.* *Secundò* ſi læſio ſit valde enormis; utì conſtat ex *cap. penult. de rebus Eccleſ. non alien.* & tenet Covarr. Gloſſa &c. *Tertiò* ſi alia juſta, & valde rationabilis ſubſit cauſa, v. g. ſi Prælatus qui fuit cauſa læſionis, ſeu malæ adminiſtrationis adhuc vivat, nec facilè adduci poſſit, ut proprium factum retractet; ſed ejus ſucceſſor poterit petere congruentiùs reſtitutionem in integrum; ut habet Gloſſa. Vel ſi Eccleſia propter metum non audeat petere reſtitutionem à Judice, qui ſententiam injuſtam tulit; ut habet Abbas &c. Circa alterum punctum hujus capituli, ſcilicet Judicem

5. Dico ſecundò: beneficium reſtitutionis in integrum debet poſtulari coram Judice rei, contra quem petitur; unde petens reſtitutionem eſt veluti actor, ideoque forum rei ſequi debet. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. 2. C. ubi, & apud quem cognit.* Et *cap. cauſa; hoc tit.*

6. Nota tamen quartò: quòd ſi Eccleſia ſit læſa à Laico in cauſa Eccleſiaſtica, ipſum debet convenire, & reſtitutionem petere coram Judice proprio, & Eccleſiaſtico. Quia dum Eccleſia agit ex jure, & privilegio ſpeciali, illud debet in judicio deducere coram Eccleſiaſtico Judice; utì conſtat ex *cap. 1. hoc tit.* Et *cap. penult. de rebus Eccleſiæ alien.* Et ex *tit. de foro competenti.* Si autem ſit læſa in cauſa laica, corum laico Judice debet ipsū convenire; nā tenetur ſequi forum rei in hoc.

7. Dico tertiò: Reſtitutionem in integrum nequit præſtare Minor Magiſtratus adverſus ſententiam Majoris. Ita Vallenſ. & communis DD. Et ita dicitur in *L. minor 18. ff. de minor.*

8. Dico quartò: adverſus verò ſententiam definitivam Principis Supremi, v. g. Cæſaris, vel Regis, aut eorum Vicarij, vel Delegati reſtituit ſolus Princeps Supremus. Ita Sfort. Vall. Abbas, &c. Et ita ordinatur *cit. L. minor.* Et *L. 3. C. ſi adverſus rem judicatam, &c.*

9. Dico quintò: cauſa reſtitutionis in integrum tractari debet coram Judice, ordinariam poteſtatem judicandi habente, vel ejus Delegato. Ita Pirh. & communis DD. Et ita dicitur *cap. cauſa 9. hoc tit.* Unde delegati à Judice, qui non pollet ordinaria poteſtate judicandi, & arbitri compromiſſarij, de cauſa reſtitutionis in integrum nequeunt cognoſcere; utì conſtat ex *cit. cap. 9.*

10. Nota quintò: obtentâ reſtitutione Judex proſpicere debet, ut res una cum fructibus, ſaltèm extantibus, reſtituatur læſo, *L. quod ſi Minor §. reſtitutio.* Et *L. patri §. ſi pecuniam ff. de minor.* Item ut reſtituatur cum ſumptibus, pretio, & melioramentis neceſſarijs, ac utilibus, in quibus læſus fuit, *cap. 1. hoc tit.* Circa tertium punctum

11. Nota ſextò: ut forma debita ſervetur in implendo beneficio reſtitutionis in integrum; reſtitutio peti debet libello; utì habetur *cap. 5. hoc tit.* Item citari pars, nè cauſa, quæ alios tangit, ijs inconſultis temerè mutetur *cap. quod omnes, de Reg. Jur. in 6.* Item debet fieri intra quadriennium; utì ſupra dictum eſt; & conſtat ex *L. fin. C. de tempor. in integr. reſtit.* Item debet peragi imploratô officiô Judicis, *L. quod minor 24. §. ult. ff. de minor.* & quidem Judicis competentis, & causâ cognitâ, & legitimè probata, L. 1. & *L. fin. ff. hoc tit.* Circa ultimum articulum hujus cap.

12. Nota ſeptimò: Effectus primus reſtitutionis in integrum communiter aſſignatur à DD. ut unusquiſque jus ſuum in integrum recipiat, *L. quod minor 24. §. reſtitutio ff. de minor.* Secundus eſt, ut executio ſententiæ latæ contra læſum ſuſpendatur; niſi ſubſit malitia in detrimentum alterius *cap. 6. hoc tit.* Tertius eſt, quòd probatâ causâ læſionis faciat cauſam redintegrari illi, qui ſe læſum probavit; non tamen ultra quàm læſus eſt, *Clement. un. hoc tit.* hic coincidit cum primo.

Digitized by Google

TITULUS XLII.

DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

CAP. I.

Quid ſit alienatio judicij mutandi causâ facta.

1. NOta primò: nonnunquam contingit, ut pars adverſa intelligens ſibi parari litem, rem circa quam ſuboritura eſt lis, ante acceptum judicium, dolô pernicioſô alienet, & transferat in aliam perſonam potentiorem, vel quæ ſit alterius fori, ut actoris intentionem eludat, eique opponat moleſtiorem adverſarium, & duriorem efficiat litem. Idcirco Jura tum Canonica *hoc tit.* tum Civilia *in ff.* & *C. eod.* meritò providerunt de ſpeciali opportuno remedio, huic iniquitati occurrendi, & ſuccurrendi illis, in quorum præjudicium rei in judicium deducendæ ſit alienatio, judicij mutandi causâ. Maximè cùm hujusmodi alienatio ſit una ex juſtis, & ſufficientibus cauſis petendi, & concedendi reſtitutionem in integrum, de qua *priori tit.* actum fuit. Ex his

2. Dico primò: rectè explicatur alienatio judicij mutandi causâ facta; quòd *ſit translatio doloſa, & mala alicujus rei in alienam perſonam, facta metu litis impendentis, ut judicium circa eandem rem mutetur, cum præjudicio adverſæ partis.* Ly *translatio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia: ſub nomine autem translationis, ſeu alienationis hìc intelligitur omnis actus, per quem dominium, vel poſſeſſio rei in alium transfertur, *L. item ſi res 4. ſ. 1. ff. eod.* Et L. *1. C. de fundo dotali*, ſive ſit aliqua conventio, v. g. venditio, permutatio, donatio; ſive ſit permiſſio, ut dum quis permittit rem ſuam uſu capi, *L. alienationis ff. de verb. ſignif.* ſive non uſus; v. g. ſi quis non utendo ſervitute illam amittat, *cit. L. alienationis.* Ex hac deſcriptione

3. Infertur primò: tria eſſe requiſita ad veram alienationem, de qua hìc; *Primum* eſt; ut ipſa fiat revera causâ mutandi judicij, & quidem futuri; non ejus, quod jam eſt, L. *ex hoc edicto 8. ſ. 1. ff. hoc tit.* nam ſi poſt judicium jam inchoatum per litis conteſtationem res alienetur, alienatio talis ipſo jure civili eſt nulla, ita ut nullô remediô Prætoriô reſtitutionis opus ſit; ſed res affecta vitiô litigioſi à quolibet poſſeſſore, etiam ignorante poteſt vindicari, perinde acſi nihil eſſet actum, *L. 2. C. de litigioſ. Secundum* eſt; ut res aut ejus poſſeſſio alienetur cum interventu doli mali, *L. 1.* Et L. *item ſi res 4. ſ. ſi quis ff. hoc tit.* Cenſetur autem intervenire dolus malus, ſi alienatio rei facta ſit vel in perſonam extraneam, ſeu alterius jurisdictionis, quæ non continetur ſub eodem Judice; Vel ſi facta ſit in perſonam potentiorem, vel alium, qui vexabit adverſarium: Vel ſi alio quovis modo conditio deterior adverſarij efficiatur; utì habetur L. *1. in fine.* Et *L. 2. & 3. ff. hoc tit. Tertium requiſitum* eſt; ut interſit actoris; ſivè ejus, qui petijt reſtitutionem ex hoc edicto; ut ſi quas fortè expenſas fecerit, vel aliam incommoditatem paſſus ſit in rebus ſuis ex eo, quòd alius adverſarius ſit ſubſtitutus, *L. quia 3. ſ. ex quibus ff. hoc tit.* Nam ei, cujus nihil intereſt alienationem non eſſe factam, non competit hæc actio reſtitutoria: ut ſi res alienata non pertinuit ad petitorem; vel ſinè culpa ejus, qui alienavit, perijt; *cit. L. 4.*

CAP. II.

Quid competat paſſo damnum ex alienatione rei, judicij mutandi causâ facta.

1. DIco primò: paſſo damnum ex alienatione rei judicij mutandi causâ facta conceditur actio *quanti intereſt*; ſeu *ad intereſſe*, contra alienantem, ut reſtituatur in integrum. Ita communis Legiſtarum Et habetur L. *1. & ſeqq. de alienat. judic. mutand. causâ facta.* Et quia æquum eſt, ut Prætor ſuccurrat illi, in cujus fraudem facta eſt alienatio, concedendo illi actionem in factum, per quam alienans conventus tenetur præſentare, quatenus intereſt petitoris, rem ita per fraudem alienatam non fuiſſe: & demum reſtituendo eundem in integrum, perinde acſi alienatio facta non fuiſſet: cùm non debeat alteri per alterum iniqua conditio inferri, ſecundùm Regulam Juris 74. *in ff.* neque alteri

alteri per alterius factum, aut dolum præjudicari, *L. 2. ff. quod vi, aut clam.*

2. Dico ſecundò: paſſo damnum ex alienatione rei judicij mutandi cauſâ facta competit etiam vindicatio directa rei adversus ejus poſſeſſorem. Ita communis DD. Et ita dicitur L. *ſin autem 27. ff. de rei vindic.* Et L. *2. C. de litigioſ.*

CAP. III.

Quid de Jure Canonico ratione alienationis rei judicij mutandi cauſâ factæ.

1. Dico primò: ſi quis Clericus adverſarius illius, qui impetravit aliquod reſcriptum à Papa, ad illud eludendum, rem, de qua controverſia movenda timetur, alienaverit judicij mutandi cauſâ, transferendo in aliam perſonam; tam ipſe Clericus alienans, quàm novus poſſeſſor rei alienatæ conveniri poteſt, & ad reſpondendum compelli; etſi in reſcripto non ſit nominatus. Ita communis Canoniſt. Et habetur apertè *cap. 1. hoc tit.* Et quia æquum eſt, ut hac ratione contra calliditatem, & verſutiam hominum provideatur; nè mandata Apoſtolica eludantur.

2. Dico ſecundò: vetitum quoque eſt Clericis, nè actionem, vel æs alienum alicujus laici in ſe transferri, aut ſibi cedi curent judicij mutandi cauſâ, & eô animô, ut adverſarium ſuum trahant ad forum Eccleſiaſticum, & cogant eundem ibi agere, vel defendere cauſam. Ita communis Canoniſt. Et ita dicitur *cap. 2. hoc tit.*

TITULUS XLIII.
DE ARBITRIS.

CAP. I.

De quidditate; varietate; & differentia Arbitrorum.

1. Nota primò: ſolent quandoque partes ſibi oppoſitæ ad homines idoneos recurſum facere, antequam ad litis conteſtationem, & formale judicium procedant, ut per eoſdem controverſiæ abſque ſtrepitu, ſinè ſumpto magno, & breviori tempore, ac privatim componantur, terminenturque: & hi vocantur Arbitri; de quibus idcirco *ultimus iſte tit.* proponitur. Dicitur autem *Arbiter* ab *arbitrando*, id eſt *cenſendo*, ſeu *æſtimando:* nam Arbiter communiter dicitur eſſe aliquis vir bonus, ad æſtimandum, & terminandum aliquod negotium electus.

2. Dico primò: bene deſcribitur Arbiter, quòd *ſit perſona idonea vel à partibus electa, vel ex Juris diſpoſitione conſtituta, ut circa controverſiam exortam ſuum arbitrium, ſeu judicium, animiq; ſenſum edicat, cui partes ſtare debent.* Ita deducitur ex *L. quis tam 52. de Decur. lib. 10.* Ly *perſona* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur *perſona idonea*; quia non quivis homo eſt habilis, ut conſtituatur Arbiter; uti dicetur infra. Dicitur *vel à partibus electa*; quia aliquando Arbitri ponuntur ex compromiſſo ipſarummet partium controvertentium, ut ſopiant in compendio temporis, & abſque ſtrepitu controverſias enatas. Dicitur *vel ex Juris diſpoſitione*; quia aliquando etiam ex præſcripto Juris, Legis, vel ſtatuti deputandi ſunt Arbitri. Reliquæ particulæ deſcriptionis oſtendunt cauſam materialem, & finalem, & Authoritatem Arbitrorum. Circa varietatem Arbitrorum

3. Nota ſecundò: Quosdam eſſe Arbitros Juris, ſeu neceſſarios, & alios Arbitros voluntarios. *Arbitri Juris* ſeu *neceſſarij* vocantur illi, qui ex neceſſitate Juris, ſeu ex præſcripto legis, aut ſtatuti conſtituuntur à Principe, vel à Judice, vel à partibus: tales ſunt qui in cauſa ſuſpecti Judicis aſſumuntur, ut cognoſcant de cauſa ſuſpicionis, *cap. ſuſpicionis; de officio delegati.* Tales etiam ſunt, qui cognoſcunt de revocatione alicujus reſcripti, *cap. paſtoralis 14. de reſcriptis.* Tales pariter ſunt, qui aſſumuntur ad decidendam cauſam vertentem inter Epiſcopum, & Clericum ſubditum, *can. ſi Clericus 46. cauſ. 11. q. 1.* & plures alij. Hujusmodi Arbitri Juris habent Jurisdictionem ipſis à Lege datam ad omnia expedienda, quæ neceſſaria ſunt ad cauſam definiendam; unde poſſunt partibus præſcribere terminum, etiam peremptorium; citare, & com-

& compellere teſtes; eoſdem examinare; & punire, ſi inobedientes ſint, *arg. cap. ſuſpicionis, de offic. delegat.* Iidem arbitri poſſunt compelli ad munus arbitri ſuſcipiendum, *cap. cum ſpeciali 61. de appellat.* Ab his appellari poteſt ad eum, qui juri, vel ſtatuto præeſt, vel qui ad Arbitros eligendos compulit, *cap. ab Arbitris 11. hoc tit. in 6.* cùm habeant jurisdictionem veluti veri Judices, & eorum pronunciatio magis ad judicialis ſententiæ naturam accedat; oritur enim ex illa actio in factum; ut obſervat Minſing.

4. Nota tertiò: *Arbitri voluntarij*, ſeu compromiſſarij ſunt illi, qui ſponte, & absque ullo præſcripto legis, vel alicujus ſtatuti aſſumuntur ex libero conſenſu, & compromiſſo partium: Hi nullam habent jurisdictionem; ſed tantùm cognitionem; quia totam poteſtatem à partibus compromittentibus accipiunt; privati autem homines nullam publicam poteſtatem alteri poſſunt conferre, *L. privatorum 3. C. de jurisdict. omni. judic.* Similiter ejusmodi Arbitri compromiſſarij nequeunt compelli ad acceptandum munus Arbitri, ſeu compromiſſum; ſed liberè illud ſuſcipiunt, vel reſpuunt, *L. 3. §. 1. ff. hoc tit.* Item ab ijsdem Arbitris voluntarijs, ſeu compromiſſarijs nequit appellari, *L. 1. C. hoc tit.* Et quia cùm ſponte partes elegerint hujusmodi Arbitros, & ſe obligaverint ad ſtandum arbitrio, ſeu laudo eorum, non debent illud impugnare.

5. Nota quartò: ſecundùm Abbatem, Sylveſt. & alios DD. Arbitri voluntarij, ſeu compromiſſarij rurſus alij ſunt, qui electi ſunt à partibus compromittentibus, ut ſervatô Juris ordine, & judicij formâ procedant, pronuncientque. Et vocantur *Arbitri recepti*; quia ex recepto, id eſt compromiſſo ad dirimendam controverſiam eliguntur. Horum ſententia, ſeu arbitrium vocatur *Laudum*; & *L. 1. ff. hoc tit.* de horum arbitrijs, ſeu laudis dicitur, quòd ſint redacta ad ſimilitudinem judiciorum, *L. 1. ff. eod.* unde citant coram ſe partes, jubent ſibi edi libellum petitionis, teſtes examinant; & ut verbô complectar plura, cauſam ſecundùm ordinem judicij per ſententiam, non ſecùs ac judices terminant. Quamvis non pari poteſtate; uti dicetur *ſequenti notab.* Alij ſunt Arbitri voluntarij, qui ſimpliciter ſunt aſſumpti, ut ſcilicet absque aliquo ordine, & forma judicij procedant; ſed extrajudicialiter arbitrentur, & ſtatuant de re aliqua, prout æquum ſibi videbitur. Et hi communiter vocantur *Arbitratores*, ſeu *amicabiles compoſitores*. Inter hos, & alios Arbitros procedentes cum Juris ordine, complures alias differentias enumerat Panormit. Innoc. Engel, & alij DD.

6. Nota quintò: complures eſſe differentias inter Arbitrum voluntarium, & Judicem: nam *primò* Arbiter voluntarius non habet jurisdictionem ordinariam, ſicut habet Judex. *Secundò* Judex poteſt dari invitus; Arbiter verò voluntarius, ſeu compromiſſarius nonniſi volens, *L. labeo 3. §. 1. ff. hoc tit.* *Tertiò* Arbiter non poteſt delegare arbitrium, *L. 32. §. quæſitum ff. hoc tit.* Judex autem poteſt delegare vices ſuas *L. more 5. ff. de jurisd.* *Quartò* laudum Arbitri condemnatum non infamat, *L. quid ergo 13. §. ex compromiſſo, ff. de his, qui not. infam.* Sententia verò Judicis ſuper delicto famoſo lata infamat, *L. 1. & L. 4. §. fin. ff. dicto tit.* *Quintò* à ſententia Judicis permittitur appellatio, *L. 1. & ſeq. ff. de appellat.* non item à ſententia Arbitri compromiſſarij, *L. 1. C. hoc tit.* *Sextò* Arbiter voluntarius ſententiam nequit mandare executioni; cùm careat ordinaria jurisdictione, L. *penult. ff. hoc tit.* ſed Judici demandatur talis executio: Judex autem poteſt ſuam ſententiam mandare executioni. *Septimò* Arbiter voluntarius non poteſt punire contumaces, nec cogere teſtes; Judex verò poteſt, L. *2. ff. de judic.*

CAP. II.

Quænam perſonæ poſſint, vel non poſſint fieri Arbitri.

1. Dico primò: Arbitri poſſunt fieri omnes illæ perſonæ, quæ à Juribus ab arbitrando non repelluntur, cujuscunque ſint gradus, dignitatis, vel conditionis. Ita communis DD. Et conſtat ex L. *3. §. fin. ff. hoc tit.* Ex hac generali concluſione

2. Infertur primò: omnes ſequentes poſſe conſtitui Arbitros. *Primò* tam ingenui, quàm libertini, L. *Pedius 7. in princ. ff. hoc tit.* *Secundò* tam Patresfamilias, quàm Filijfamilias; quia hi etiam Judices eſſe poſſunt, L. *cedant 5.* Et L. *ſeq. ff. eod.* *Tertiò* etiam infames inſtitui poſſunt Arbitri, *can. infames 2. §. cognitores, cauſ. 3. q. 7.* Et L. *cit. Pedius.* *Quartò* etiam illi, qui ſunt perſonæ publicæ de magiſtratu; etſi tales ad ejusmodi munus cogi nequeant, L. *3. §. ult. ff. hoc tit.* *Quintò* ſimiliter Clericus poteſt fieri Arbiter; ut habet Vall. *Sextò* etiam ipſemet Judex delegatus, *cap. cùm olim 7. hoc tit.* Et *cap. literas 14. de præſumpt.* Imò & Judex ordinarius à partibus conſtitui poteſt Arbiter in cauſa coram ſe agitata; uti colligitur ex text. in *cap. cum tempore 5.*

3. In-

Digitized by Google

3. Infertur ſecundò: à munere Arbitri prohiberi ſequentes. *Primò* furioſi, ſurdi, & muti, *L. ſed ſi 9. §. 1. ff. hoc tit. Secundò* minor 20. annis *L. cum lege 41. ff. eod. Tertiò* Servi, *L. Pedius 7. ff. eod. Quartò* mulieres; quia ipſæ ab omnibus officijs civilibus, & publicis removentur, *L. fin. C. hoc tit.* & conſequenter à munere Arbitri; nam arbitraria ad ſimilitudinem judiciorum ſunt redacta, L. *1. ff. eod. Quintò* excommunicati; tales enim à communione fidelium excluduntur, *cap. penult. de ſent. excom.* circa quod tamen eſt attendendum moderamen in Conc. Conſtantienſi factum de duobus tantùm generibus excommunicatorum vitandis hodie, maximè in Germania; de quibus proinde procedit hæc exceptio. *Sextò* in cauſa ſpirituali Laicus nequit conſtitui Arbiter principaliter, *cap. contingit 8. hoc tit.* nec etiam accidentaliter, *cap. decernimus; de judic.* Niſi aſſumatur junctim cum Clerico ex authoritate Judicis Eccleſiaſtici, *cap. per tuas, hoc tit* In cauſa tamen Civili poteſt in Laicum etiam à Clericis compromitti, *cap. dilecti, hoc tit. Septimò* neque Religioſus poteſt eligi Arbiter compromiſſarius, ſecundùm Gloſſam, Durand. Pirh. &c. Ratio eſt; quia arbitrium formam judicij poſtulat; quam exercere non convenit Religioſis: non enim Monachus judicij forenſis debet eſſe ſuſceptor, *can. de præſentium 20.* Et *can. Monachi 35. cauſ. 16. q. 1.* Si tamen Monaſterij utilitas poſtulet, & legitimi ſuperioris accedat licentia, Religioſus hujusmodi munere fungi poterit; uti & Arbitrator, ſeu amabilis compoſitor conſtitui, ubi non intervenit forma judicij; ut tenet Abbas, Pirh. Mol. &c. *Octavò* nemo in propria cauſa poteſt eſſe Arbiter rigoroſus; ſicut nec Judex, *L. qui juriſdictioni 10. ff. de juriſd.* Et quia nemo ſibi ſententiam, & jus dicere, ſibique imperare poteſt, *L. pen. ff. hoc tit.*

CAP. III.

De ipſo compromiſſo Arbitrorum.

1. Nota primò: quòd compromiſſum bene deſcribatur, *eſt communis conſenſus partium controvertentium in unum, vel plures perſonas idoneas, attributa eis poteſtate, ut dirimant, & ſopiant controverſiam.* Hujusmodi compromiſſum poteſt pluribus modis fieri. *Primò* ſolo conſenſu compromittentium partium, & ipſorum compromiſſariorum, ſeu Arbitrorum, verbis, vel alijs ſignis externis ſignificatô; v.g. Epiſtolis, internuncijs &c. Et hoc apponendo in compromiſſo aliquam pœnam, de qua accedere ſolet ſtipulatio, quâ partes compromittentes ſeſe obligant ad ſtandum definitioni, & ſententiæ Arbitrorum. Hoc caſu illa pars, quæ non ſtetit ſententiæ Arbitrorum, tenetur ſolvere pœnam: eâ verò ſolutâ liberatur à ſententia Arbitri, *L. 1.* Et *Authen. decernit Jus novum, C. eod.* Et *cap. dilecti 4. hoc tit. Secundò* fit nudo conſenſu partium, & Arbitrorum absque appoſitione ullius pœnæ. Hoc caſu contra non ſtantem ſententiæ Arbitrorum competit actio ad intereſſe, *cap. per tuas 9. hoc tit. Tertiò* fit cum appoſitione juramenti quô roboratur. Hoc caſu quoque naſcitur actio, & exceptio, *L. nè in arbitris 4. C. eod.* Circa autem ejusmodi actiones, & exceptiones

2. Nota ſecundò: eſſe differentiam inter Jus C. Jus ff. & Jus Canonicum; nam Jure Codicis ex ſententia arbitri homologata, id eſt expreſſim approbata, veluti per ſubſcriptionem; vel ſaltèm tacitè, ſcilicet per ſilentium 10. dierum, naſcitur actio, & exceptio; ſive pœna fuerit appoſita, ſive non, *L. cum antea 5. C. eod.* Jure verò ff. ex ſententia arbitri non naſcitur actio, vel exceptio; niſi pœna per ſtipulationem addita fuiſſet, *L. 2. ff. eod.* Jure demum Canonico indiſtinctè, & ſemper naſcitur actio contra non ſtantem ſententiæ Arbitrorum, ſive fuerit adjecta, & ſtipulata pœna, ſive non; ſive ſententia fuerit homologata, ſive non; uti habetur *cap. 1.* Et *cap. 9. hoc tit.*

3. Nota tertiò: compromiſſum legitimè condi poteſt, eligendo vel unum, vel plures, pari, vel impari numerô; ut habet Gloſſa, Vall. Pirh. & communis DD. quamvis ſit magìs conſultum, ut eligantur cum numero impari, *cap. 1. hoc tit.* ut ſi non omnes, ſaltèm major pars in arbitrando conſentiat, & ſtetur ejus arbitrio; quia aliàs ob naturalem hominum facultatem ad diſſentiendum deſideratus exitus arbitrij impediretur, *cap. 1. hoc tit.* Et *L. item ſi unus, 17. §. 6. ff. eod.* Dixi notanter *eſſe magìs conſultum* eligere Arbitros cum numero impari; quia circa hujusmodi numerum nullum eſt jus clarum; quia & cum numero pari conſtitui poſſunt, *cap. 1. & 3. hoc tit.*

4. Nota quartò: compromiſſum non conditur legitimè, in quo fit compromiſſio in duos, vel plures Arbitros tali conditione, ut in caſu diſcordiæ ipſimet Arbitri eligant tertium aliquē, vel plures, nemine in ſingulari nominatô quemnam eligere debeant. Ita Vallenſ. Pirh. Gloſſa, & communis DD. Ratio eſt; quia ita dicitur *cap. innotuit 12. hoc tit.* Et *L. item ſi unus 17. §. ſi in duos, ff. hoc tit.* Et quia fortaſ-

ſis Arbitri ſic electi eligerent talem, quem ſi prævidiſſent compromittentes electum iri, eligi noluiſſent. Quòd ſi tamen compromiſſum fiat cum tali conditione, ut in caſu diſcordiæ, ſeu diſſensûs, Arbitri ipſimet tertium in ſingulari nominatum, v. g. Cajum eligant; legitimè conditum cenſetur: nam in aſſumendo tali tertio nequeunt diſſentiri *cit. L.* & *§.*

5. Nota quintò: ſi erigatur compromiſſum aliquod in tres Arbitros, ex quibus duo condemnant unum compromittentium, in 10. v.g. talenta auri; & tertius ab ipſis diſcordans eundem condemnat in 5. talenta duntaxat; hoc caſu ſtandum erit arbitrio duorum condemnantium in 10. talenta. Quòd ſi autem ſinguli diſſentiant, ita ut unus Cajum condemnet in 5. talenta, alter in 10. & tertius in 15. tunc cenſetur melior, & efficacior ſententia primi, qui in minorem ſummam condemnavit: cùm in hac ſumma omnes tres ſint concordes virtualiter, & implicitè; nam ſumma minor ineſt majori; ita conſtat ex *cap. ſi ex tribus 1. hoc tit. in 6.* Et ex *L. diem 27. §. ſi plures ff. eod.*

6. Nota ſextò: ſi contingat aſſumi plures Arbitros, in ſententia ferenda, ſeu laudo pronunciando, ut valida ſit, omnes debent eſſe præſentes; & unô eorum abſente quacunque ex cauſa, etiam ex negligentia, vel malitia, arbitrium ſeu laudum pronunciatum invalidum erit; etſi cæteri omnes in illud conſenſerint. Ita habet communis DD. Et conſtat ex *L. item ſi unus §. fin. ff. hoc tit.* Et quia potuiſſet forſitan abſens Arbiter cæteros trahere in ſuam ſententiam, ſi præſens fuiſſet.

7. Nota ſeptimò: Compromiſſum debet à Compromiſſarijs expediri diligenter ſecundùm clauſulas, & conditiones in eo contentas; ſi alioquin juſtæ ſint, & legibus non adverſentur; uti conſtat ex *L. non diſtinguemus, 32. ff. hoc tit.* Unde ſi compromiſſum ſit factum in tres v. g. cum clauſula, *ut unitim omnes tres cauſam definiendam examinent*; tunc unus ſinè altero arbitrari nequit; uti tenet Gloſſa in *cap. 2. hoc tit. in 6.* compromiſſum enim ex partium voluntate pendet. Quod ſi tamen unus compromiſſariorum Arbitrorum malitiosè, & ſinè legitimo impedimento renuat præſentialiter comparere ad examinandam, & definiendam cauſam; tunc reliqui liberè procedere poſſunt, ac cauſam ſinè tertio terminare; non obſtante ejus abſentiâ; ſicut poſſent, ſi ille præſens eſſet, ſed cum ipſis concordare nollet; quia tunc ille abſens habetur pro præſente, *cap. 2. hoc tit. in 6.* Item ſi compromiſſum ſit conditum in tres cum clauſula, *quod ſi non omnes, reliqui procedant*; hoc caſu duo poſſunt ſinè tertio procedere, qui non poteſt, vel non vult intereſſe; ut habet Gloſſa, Molin. &c.

CAP. IV.

Super quibus cauſis poſſit legitimè fieri compromiſſum.

1. Dico primò: ſuper quavis cauſa, à Sacris Canonibus, vel legibus non prohibita fieri poteſt compromiſſu. Ita Hoſt. Vall. & communis DD. Quæ autem ſint cauſæ à Canonibus, & Legibus prohibitæ in compromiſſum deducere, conſtabit ex ſequentibus concluſionibus. Unde

2. Dico ſecundò: in cauſis matrimonialibus prohibentur fieri compromiſſa, & transactiones. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. ex parte, ult. de tranſact.* Et *cap. penult. de in integr. reſtit.* Et nè contingat matrimonia conciliari, aut diſſolvi contra Canones.

3. Dico tertiò: prohibentur quoque compromiſſa in cauſis criminalibus publicis, & privatis; ſi criminaliter intententur ad publicam vindictam, & pœnam corporalem, vel etiam pecuniariam, Fiſco applicandam. Ita Zoëſ. Vallenſ. & communis DD. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *cit. cap. ult.* Et *L. non diſtinguemus ff. hoc tit.* Et quia ut dicit rectè Zoëſius, crimina non privato arbitrio remittenda ſunt; ſed vindicanda condignè per publicam authoritatem, *cit. cap. penult.*

4. Dico quartò: vetant etiam Jura compromiſſum fieri in cauſis libertatis, ſeu in quibus agitur de libertate, ingenuitate vel libertinitate hominis. Ita Gloſſa, Vallenſ. Molin. Zoëſ. Pirhing. &c. Et ita patet ex *L. non diſtinguemus 32. §. de liberali, ff. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia ſimiles cauſæ favore libertatis majores Judices habere debent.

5. Dico quintò: ſimiliter compromiſſa fieri nequeunt ſuper translatione Epiſcopi; vel alijs rebus ſpiritualibus; vel cauſis beneficialibus, ſeu beneficijs Eccleſiaſticis; niſi accedat authoritas ſuperioris. Ita Vallenſis, Zoëſius, Engel &c. Et ita claret ex *cap. ex parte 10. hoc tit.* Eſtque Ratio; nè vitioſus ad canonica beneficia, quæ nonniſi canonica inſtitutione acquiri poſſunt, aditus paretur, contra *cap. 1. de Regul. Juris in 6.* Et quia in ſimilibus Arbitris eligendis læditur jus tertij, ſcilicet Papæ, vel Ordinarij; de quo ulteriùs

6. Dico ſextò: non permittitur etiam condi compromiſſum in cauſis exemptionum, & de illis, quæ vergunt in præjudicium Papæ, vel Eccleſiæ, v. g. exemptæ; niſi Sedis Apoſtolicæ accedat authoritas. Ita Vallenſ. Engel &c. Et

Et conſtat ex *cap. cum tempore 5. hoc tit.* Unde Prælatus, vel alius Clericus exemptus, ac immediatè ſubjectus Sedi Apoſtolicæ, abſq; ejuſdem conſenſu, & authoritate nequit compromittere in aliquid, quod vergit in præjudicium exemptionis ſui Monaſterij, vel alterius loci Eccleſiaſtici, cùm hi privilegiis, & indulgentiis Apoſtolicis, Monaſterium eximentibus renunciare non valeant; ut dicitur *cit. cap.*

7. Dico ſeptimò: tandem non toleratur compromiſſum de ijs, quæ per ſententiam indubitatam publicam deciſa ſunt, & jam tranſierunt in rem judicatam. Ita Zoëſ. Hoſtienſ. Pirh. &c. Et deſumitur ex *cap. expoſita, 11. hoc tit.* Vult etiam Abbas, & Gloſſa, non eſſe toleranda compromiſſa de ijs, quæ officio Judicis nobilis exercentur; adeoque ad merum, vel mixtum imperium pertinent; cùm Arbiter talis compromiſſionis communiter non habeat juriſdictionem; ſed meram cognitionem: quòd ſi tamen juriſdictionem aliquam ſortitus fuiſſet; compromiſſa prædicta valerent.

CAP. V.

De Poteſtate, & Officio Arbitrorum.

1. Dico primò: tanta eſt poteſtas Arbitrorum, quanta ipſis à partibus, vel Principe, vel Judice in compromiſſo attributa cernitur, ultra cujus fines extendi nequit. Ita Gloſſa, Vallenſ. Pirh. &c. Et ita patet ex L. *non diſtinguemus 32. ff. hoc tit.* Quare Arbiter non poteſt in qualibet re, & quovis modo arbitrari; nec extra compromiſſum aliud agere validè: compromiſſa namque ſunt ſtricti Juris; & propterea non extendenda ultra ea, de quibus cautum eſt, *cit. L. 32.* Et quia id tantùm venit in compromiſſum, de quo actum eſt, ut veniret, *cap. cùm dilectus 6. in fine, extra; hoc tit.*

2. Nota tamen primò: quòd Arbiter poſſit cognoſcere, & judicare de illis, quæ neceſſariò ſunt connexa, & ſine quibus cauſa principalis arbitrio ſubjecta commodè expediri nequit; etſi ea non eſſent expreſſa in Compromiſſis; uti obſervat Gloſſa, & Abbas.

3. Dico ſecundò: poteſtas Arbitrorum perſeverat ſemel legitimè factô compromiſſô, etſi eandem una pars controvertens alterâ invitâ devolveret ad Judicem; quo caſu invita poteſt repellere reſilientem exceptione pendentis arbitrij. Ita Vallenſ. &c. Et colligitur ex L. *ſi quis rem 3. ff. eod.*

4. Dico tertiò: ad officium Arbitrorum pertinet, ut ſententiam, ſeu laudum pronuncient præſentibus partibus compromittentibus; niſi aliter diſpoſitum fuiſſet in ipſo compromiſſo. Ita communis DD. Et habetur L. *diem 27. §. ſi quis litigatorum ff. hoc tit.* Et *cap. ex parte 10.* illis verbis, *in tua præſentia partibus conſtitutis*, hoc tit.

5. Dico quartò: ad eorundem munus ſpectat ſententiam, ſeu arbitrium æquum ferre; unde ſi laudum doloſum tulerint; vel quod ſimoniacam labem continet; id ſervandum non eſt. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. non ſinè 2. hoc tit.*

6. Dico quintò: ſimiliter ad ipſorum officium pertinet ſervare formam judicij, & ſervato Juris ordine judiciali procedere. Ita Abbas, Pirh. &c. Et ita colligitur ex *cap. cùm dilectus 6. hoc tit.*

7. Dico ſextò: ſi Arbitri poſt ſuſceptum ſemel officium arbitrandi, id exequi detrectent, poteſt Judex eos compellere. Ita Vallenſ. &c. Ratio eſt; quia ad Judicem ſpectat ſtudere, ut lites finiantur: nec decipi eos oportet, qui aliquem quaſi bonum virum deceptatorem inter ſe elegerint, L. *Labio 3. ff. eod.*

CAP. VI.

De effectu; loco; tempore; & fine compromiſſi Arbitrorum.

1. Nota primò: unus effectus Compromiſſi Arbitrorum eſt, pronunciare ſententiam, cui ſtandum eſt à compromittentibus, ſive æquum, ſive iniquum fuerit; ut habetur *cap. 9. per tuas; hoc tit.* ſibique partes imputent, quòd in tales Arbitros compromiſerint, L. *diem proferre 27. ff. eod.* Alter effectus Compromiſſi eſt, quòd ex ſententia Arbitrorum expreſſo, vel tacito decem dierum conſenſu à litigatoribus ſemel approbata, competat actio, & exceptio, L. 4. Et L. *pen. C. eod.* Niſi fortè Arbitri exceſſerint formam compromiſſi *cap. cùm dilectus; hoc tit.* Aut ſordibus, vel gratiâ ducti tulerint ſententiam L. *ita demum ff. eod.* Aut non obſervato Juris ordine. Tertius effectus ejus eſt, quod à ſententia Arbitri compromiſſarij non appelletur L. *1. C. eod.* Circa locum

2. Nota ſecundò: laudum ferri debet ab Arbitris in loco, qui in compromiſſo ipſis

aſſignatus fuit; & ſi locum mutaverint, partes citatæ ibi comparere non tenentur; ſicq; non incurrunt pœnam in compromiſſo taxatam L. *quid tamen 21. ff. hoc tit.* In Eccleſia non debent fieri arbitria, *arg. cap. de immunit. Eccleſ.* Nec in locis inhoneſtis; & partes eò vocatæ, impunè non parent, & pœnam compromiſſi non incurrunt, *L. cit.* Circa tempus

3. Nota tertiò: laudum die feriato, ſeu feſto in honorem DEI inſtituto latum eſt nullum, arg *L. omnes 3. C. de ferijs.* In feriis aut civilibus, ut vindemijs, meſſibus, &c. etſi regulariter laudum non ferendum ſit; latum tamen validum eſt. Arbitratores tamen omni tempore, etiam feſtivo poſſunt proferre arbitramentum; cùm ibi nulla forma judicij ſervetur. Circa ultimum articulum

4. Nota quartò: officium, & poteſtas Arbitrorum finitur variis modis. *Primò* lapſu termini, id eſt dici præfixi in compromiſſo, *L. ſi cùm dies 21. ff. eod.* Et L. *non diſtinguemus 32. §. ſumma ff. hoc tit.* *Secundò* finitur terminatâ ſemel cauſâ per Arbitrium pronunciatum, *cap. expoſita 11. hoc tit.* Et *L. qualem 19. ff. hoc tit.* *Tertiò* finitur, ſi deficiat conditio, compromiſſo appoſita, *L. litigatores 11. §. fin. ff. hoc tit.* *Quartò* finitur morte Arbitrorum, etiam unius, ſi plures fuerant electi; & res adhuc ſit integra, *cap. uno 41. de offic. Jud. deleg.* *Quintò* expirat etiam morte utriuſque, vel unius compromittentium, *cap. ex parte 10. hoc tit.* niſi in compromiſſo utrinque hæredum ſit facta mentio, *cap. fin. hoc tit.* *Sextò* acceptilatione, ſi ſcillicet uni compromittentium data ſit pœna; niſi appoſita fuiſſet clauſula *ratò manente compromiſſo L. ſi duo, 34. in fin. ff. eod.* Sed

5. Quæres primò: quæ remedia ſuppetant contra laudum injuſtum? Reſpondeo *primò* exceptio doli mali, *L. ita demum 31. ff. hoc tit.* *Secundò* ſi unus compromittens ſit læſus ultra dimidium juſti pretij, poteſt intentare remedium *L. 2. C. de reſciſſio. vendit.* *Tertiò* ſi laudum contineat enormem læſionem manifeſtam, poterit fieri reductio laudi ad arbitrium alterius boni viri; ut habet Gail. Pirhing. &c.

6. Quæres ſecundò: Quis debeat facere executionem compromiſſi? Reſp. Judex ordinarius; quia Arbiter voluntarius non habet juriſdictionem; ſed tantùm aliquam notionem L. 3. *C. de juriſd.*

CAP. VII.

De Arbitris in Ordine S. Franciſci.

1. DIco primò: dari poſſunt arbitri ad aliquas cauſas Fratrum in Ordine S. Franciſci de Obſerv. & Refor. Ita Sanctorus, S. Severino, & alij DD. Ordinis. Ratio eſt; quia horum uſus aliquando conducit paci altercantium, & tranquillitati Reipublicæ Seraphicæ, non minùs, quàm uſus arbitrorum in Republica ſæculari.

2. Nota autem primò: munus Arbitri Franciſcani eſt, ex æquo à ſimilibus ad ſimilia interpretando procedere in formando ſuo Arbitrio; ut notat Sanctorus. Non eſt ipſi tamen liberum mutare Ordinem Juris noſtri regularis, & modum procedendi in cauſis criminalibus Religioſorum; ſed ſervare debet praxim criminalem; ſententiam verò poterit mitigare, vel augere, pro qualitate delicti, & ob circumſtantiarum mutationem; uti advertit idem author.

3. Nota ſecundò: arbitrium, ſeu laudum latum in noſtro Ordine non debet extendi in perpetuum; niſi qualitas delicti, & circumſtantiarum ſit talis, quòd de Jure communi, & conſuetudine eſſet perpetua pœna imponenda; quo caſu Judex major Ordinis eſſet conſulendus; ut docet Sanctorus, & S. Severino. Arbitri regularis poteſtas finitur iiſdem modis, quibus terminatur cujuſcunque alterius Arbitri officium; de quibus *priori cap. not. 4.* dictum eſt.

Univerſas has reſolutiones Canonicas Lib. I. humiliter ſubjicio correctioni Supremi Canonum Conditoris, SS. D. Papæ.

Finis Lib. I. Decretalium.

LIBER

Digitized by Google

LIBER II. DECRETALIUM D. GREGORII PAPÆ IX.

PRÆFATIO.

Liber II. Decretalium D. Papæ Gregorij IX. tractat de toto ordine judiciario, ſeu de ritè inſtituendo, & terminando judicio: verbò, de proceſſu judiciali, qui obſervandus eſt in diſcutiendis, & decidendis cauſis, maximè civilibus; de criminalibus enim procedit Liber V. Decret. ejuſdem Summi Pontificis; etſi quoad modum eaſdem probandi, & finiendi eadem fermè ſit ratio. Conſiſtit autem hujuſmodi proceſſus Judicialis potiſſimè in obſervatione fori competentis, libelli oblatione, reconventione, litis conteſtatione, ſatisdatione, exceptione, probationibus, inſtrumentis, teſtibus, præſumptionibus, Juramentis, ſententia, & appellationibus. De quibus omnibus, & aliis connexis cum his, ſpeciales extant tituli in hoc Libro II.

TITULUS I.

DE JUDICIIS.

CAP. I.

Quid ſit Judicium, Judex, Actor, Reus, &c.

1. NOta primò: hoc vocabulum *Judicium* originatur à *Jure dicendo*; nam in omni bene formato judicio ſit Juris dictio, ſeu profertur à Judice id, quod Jus præſcribit; utì habetur ex L. *nemo C. de ſent. & inter loc.* Item ex *cap. forus; de verb. ſignif.* Unde ſub hac conſideratione Judicium idem eſt, quod ſententia Judicis tantùm, prolata ſecundùm Jura. Verùm magìs ad propoſitam materiam hujus Libri II. Decretalium ly *Judicium* uſurpatur cum majori extenſionê pro toto proceſſu, ſeu cauſæ alicujus diſcuſſione, quæ coram legitimo Judice pro tribunali ſedente ſit inter actorem, & reum, ut decidatur id per ſententiam, quod æquitati, & Juribus conſentaneum eſt. Ex quo patet, ſententiam in hoc proceſſu includi ut partem tantùm totius Judicij. Unde in hac uſurpatione ampliori

2. Dico primò: bene deſcribitur Judicium, prout de eo *hoc tit.* agitur, quòd *ſit alicujus*

cujus rei controverſæ apud legitimum Judicem inter partes controvertentes legitima diſceptatio. Ita Zoëſius, & alij DD. Ly *diſceptatio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia: ſub ly *alicujus rei controverſæ* comprehenditur omnis cauſa civilis, & criminalis, in judicium ſolita deduci, quæ eſt origo negotij, ſeu materia judicij. Per ly *apud legitimum Judicem* datur intelligi, lites, & cauſas non poſſe diſceptari, tractari, & dijudicari à quovis Judice; ſed ab eo duntaxat, qui forum competens judicandi talem cauſam ſortitus eſt. Ly *inter partes controvertentes* indicat perſonas principales, inter quas intercedit Judicium, nempe Actorem, & Reum. Ly demum *legitima diſceptatio* notat ad Judicium juſtum, & verum requiri diſcuſſionem, & dijudicationem legalem, ſeu à Legibus præſcriptam. Ex his

3. Infertur primò: ad legitimum Judicium quodcunque etiam inquiſitionis, vel aliud ſimile, requiri verè, vel fictè ſaltèm tres principales perſonas, & aliquam cauſam controverſam tanquam ſubſtratum, ſeu materiam circa quam Judicij exercendi, perſonæ autem illæ ſunt, ſcilicet Actor, Reus, & Judex: circa quas pono ſequentia notabilia

4. Nota ſecundò: Actor (ſic dictus ab *agendo*) bene deſcribitur, quòd *ſit illa perſona, quæ ſecundùm Juris ordinem actionem proponit, & prior ad Judicium provocat*; uti conſtat ex *L. in tribus 13.* Et *L. qui prior 29. ff. hoc tit.* Hic in cauſis criminalibus ſolet vocari Accuſator, *L. inter 10.* Et *L. accuſatore 13. ff. de public. Judic.* Ut autem Actor, vel Accuſator criminis legitimè in accuſando procedat, debet præſentare libellum ſcriptum, continentem accuſationem, cum ſubſignatione anni, menſis, & diei quô intentatur accuſatio: item cum expreſſione nominis Actoris, ſeu Accuſatoris, ſpecificatione delicti, v. g. homicidij, & loci, ubi contigerit, & alia obſervare, de quibus infrà *tit. de libelli oblatione*; & habet Clarus, Sylveſt. Leſſ. &c. patetque ex *L. libellorum 3. ff. de accuſat.* Actor in probatione criminis deficiens pœnâ talionis (ubi talis obſervari poteſt) plectendus eſt, *L. ult. C. de accuſat. & inſcript.* Et *L. ult. C. de calum.* Et L. *ab Imperat. ff. de prævaricat.* Si Accuſator in proceſſu cauſæ advertat ſe erràſſe in accuſatione; vel ſuboriatur dubium ſtabile de commiſſo delicto; vel advertat ſe defecturum in probationibus, tenetur deſiſtere ab accuſando; ut habet Herincx, & DD. Aliàs progrediendo calumniator cenſendus eſt. Actor faciens citari partes, & ipſemet non comparens, rectè condemnatur ad expenſas reſtituendas Reo, quas pro comparitione fecit; uti & ad reſtaurancda damna inde emergentia; uti conſtat ex *L. eum quem ff. de judic.* Et *cap. ex literis, de dolo. & contumacia.* Actoris vices interdum ſupplet Magiſtratus, ſeu Judex, vel potiùs fama præcedens, *cap. qualiter 17. de accuſat.* Et *cap. licet Heli 31. de Simon.* uti fit in criminalibus cauſis, quando Judex ex officio procedit per inquiſitionem, ubi Juriſfictione fama actorem agit.

5. Nota tertiò: Reus (ſic dictus non à reatu, ſed à *re*, de qua diſceptatur, ſeu controvertitur, *cap. forus 10. de verb. ſignif.*) rectè deſcribitur, quòd *ſit perſona provocata ad judicium, propulſans actionem Actoris, & ſe contra eundem defendens.* Reus debet acceptare ſententiam juſtam Judicis, & latam ſecundùm Juris ordinem, eique reſiſtere nequit: Ratio patet ex illo ad Rom. 13. *qui poteſtati reſiſtit, DEI ordinationi reſiſtit.* Poteſt tamen reſiſtere ſententiæ formaliter iniquæ, & latæ contra Juris ordinem; ut habet Covarr. Herincx, Lugo &c. Ratio eſt; quia id, quod contra juſtitiam eſt, iniquitatem continet, & adverſatur legibus, rectè abjicitur. Plura de Reo, vide in *Schola mea Theologica, tom. 4. tract. de virt. cardinal. diſt. 13. q. 8.* per totum.

6. Nota quartò; Judex (ſic dictus à *Juris dictione*, quaſi ſit *Jus dicens* populo, ſive quòd Jure diſceptet, *cit. cap. forus*) bene deſcribitur, quòd *ſit perſona publica legitima, & vir bonus, Juris, & æqui peritus, habens poteſtatem publicam cauſas enatas cognoſcendi, judicandi, & ſententiam ferendi ſecundùm Jura, vel conſuetudines probatas.* De qua deſcriptione, officio, ac obligatione Judicis, vide dicta ſuprà *lib. 1. Decret. tit. 32.* per totum.

7. Nota quintò: ad Judicium formandum concurrunt quoque aliæ quædam perſonæ minus principales, ut id faciliùs, & rectiùs expediatur; quæ variæ ſunt, pro varietate, ſtylô Curiarum, & Judiciorum; magis uſitatæ ſunt ſequentes; ſcilicet Aſſeſſores; item Auditores; item Notarij, ſeu Secretarij, ſeu Tabelliones; item Apparitores, Curſores, ſeu Viatores, ſeu Nuncij, ſeu Executores; item Advocati, & Procuratores; item teſtes; ut notat Pirh. Engel, & alij DD. *Aſſeſſores* ſunt illæ perſonæ, quæ aſſiſtunt Judici, eumque adjuvant conſiliô; unde *Conſiliarij* appellantur, *L. pen. ff. de offic. Aſſeſſor.* Hi nullam habent Juriſdictionem; unde abſente Judice nil ſtatuere poſſunt, *L. nunquam C. de Aſſeſſor.* *Auditores* ſunt certæ eruditæ, & bene literatæ perſonæ, aſſumptæ in Curia Apoſtolica, & à Legatis, ut cauſas examinent diligenter, & deinde eam referant Judici, ejuſque deciſioni relinquant. Hi habent quandam Juriſdictio-

dictio-

dictionem; ſed in ordine ad cognoſcendum tantùm; quatenus ſcilicet poſſunt ad audientiam citare partes, teſtes, & probationes admittere; ut habet Sylveſt. Bald. &c. *Notarij, Tabelliones*, ſeu *Secretarij* ſunt: qui Judicio aſſiſtunt, ejuſdem inſtruendi, vel expediendi causâ; unde rebus inconſcribendis, & annotandis præpoſiti ſunt. *Apparitores*, *Curſores, Viatores, Nuncij*, ſeu *Executores* ſunt, qui, quæ debent peragi in judicio ex ordinatione, & commiſſione Judicis, deferunt ad litigantes, denunciantque aliis. *Advocati* ſunt, qui patrocinantur in judicio partibus litigantibus, Jura allegando, &c. *Procuratores* ſunt, qui cauſam in Judicio ex mandato Domini ſui principalis proſequuntur. *Teſtes* ſunt, qui in Judicio probationis cauſâ aſſumuntur.

CAP. II.

De multiplicitate Judiciorum.

1. NOta primò: complures paſſim à Canoniſtis, & Legiſtis afferuntur diviſiones Judiciorum, deſumptæ partim à forma, partim à materia, partim à cauſa finali, vel efficiente, ſeu perſona judicante, puta Judice. Unde Judicium ut ſic primò partitur *ratione formæ* in ſummarium, & ordinarium. *Judicium ſummarium* (alij vocant *extraordinarium*) eſt, in quo proceditur ſimpliciter ſummariè, & de plano, ſinè ſtrepitu, & forma Judicij: id eſt non obſervatis ad amuſſim ſolemnitatibus Juris, & terminis judicialibus; ſed ſolâ facti veritate inſpectâ, & eſſentialibus, ac neceſſarijs duntaxat obſervatis: hujus exemplum eſt in cauſa electionum, poſtulationum, & proviſionum, vacantibus dignitatibus, aliiſque beneficijs Eccleſiaſticis, nè Eccleſiæ diu Miniſtris careant; de his procedit *Clement. ſæpe; de verb. ſignif.* Idem Judicium ſummarium exerceri ſolet licitè in cauſis matrimonialibus, nè mutuo corporis uſu, cum periculo incontinentiæ, diu fraudentur Conjuges; ut habet Zoëſius. Item in cauſis uſurarum, ut citiſſimè reſtituantur; *Clement. diſpendioſa, hoc tit.* Item in cauſa hæreſis; & læſæ Majeſtatis; *cap. fin. de hæret. in 6.* Et *Extravag. Henrici VII. quomodo in læſa Majeſtatis, &c.* Item in cauſa poſſeſſorij Judicij momentanei, *L. 1. C. ſi de moment. poſſeſſ.* Et *L. momentaneæ C. unde vi.* In ſumma in omnibus cauſis, quæ celerem expeditionem requirunt; uti ſunt pleræque cauſæ Canonicæ, *Clement. hoc tit.* Item cauſæ incidentales ſecundùm Gloſſam, &c. Item cauſæ Mercatorum, alimentorum, & tributorum. Item cauſæ naufragorum, pauperum, & miſerabilium perſonarum; puta viduarum, pupillorum. Item cauſæ mercedum, & ſalariorum; ut habet Marant. Pirhing. &c. Et quando agitur de dando tutore, vel curatore, filio emancipando, aut adoptando; ut tenent *cit. DD.* Demum etiam in cauſis modici momenti, ubi non fit præjudicium veritati, vel cauſæ principali, vel tertio; ut habet Gloſſa, Vallenſ. Marant. cujuſmodi ſunt cauſæ civiles, in quibus agitur de debito parvæ quantitatis, ſpectatâ qualitate perſonarum; item cauſæ agitatæ inter perſonas viles, ut ruſticos: item ſi agatur de delictis levibus. *Judicium ordinarium* (quod & *plenarium* vocatur) eſt, in quo ſervatô judicij ordine, & ſolemnitatibus Juris, de cauſa cognoſcitur; quæ ſolemnitates ſunt, ut videlicet reo citato offeratur libellus, ſeu actoris intentio ſcriptò edatur; fiatque conteſtatio litis; præſtetur Juramentum calumniæ; producantur probationes, cauſa diſcutiatur; concedantur dilationes petitæ; acceptentur exceptiones; ac ſententia proferatur in ſcriptis, & quidem à Judice ſedente pro tribunali; ac non die feriato; & tandem etiam executioni mandetur, niſi contra eam appelletur, & deferatur appellationi juſtæ.

2. Nota ſecundò: Eſſentialia, & neceſſaria obſervanda in Judicio Summario ſunt ſequentia; ſcilicet citatio partis; Juramentũ de malitia non committenda, & veritate dicenda præſtitum; certus terminus dandus ad exhibenda omnia acta; probationes neceſſariæ; & defenſiones legitimæ admittendæ; & demum ſententia definitiva proferenda à Judice in ſcriptis, ſive ſtante, ſive ſedente; quæ omnia habentur in *Clement. ſæpe 2. de verbor. ſignif.* Et fundantur in Jure naturali.

3 Nota tertiò: *ratione* præterea *materiæ*, circa quam verſatur, dividitur Judicium in petitorium, & poſſeſſorium. *Petitorium* eſt, in quo de proprietate rei eſt quæſtio extra poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem; ſeu in quo diſceptatur ſuper alicujus rei dominio, vel quaſi dominio; vel ſuper aliquo Jure in re, vel ad rem competente; tale eſt, ſi diſceptetur ſuper Jure pignoris, ſervitutis, hæreditatis; & Actor petat, ut declaretur talis rei dominus, vel quaſi dominus, vel hæres, &c. *Poſſeſſorium* eſt, in quo de ſola poſſeſſione adipiſcenda, vel retinenda, vel recuperanda diſceptatur, & Actor petit aſſequi, vel retinere, vel recuperare poſſeſſionem quietam rei. Poſſeſſio autem verſatur circa res ſolas corporales, *L. 4. in prin. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* Quaſi poſſeſſio verò circa res non corporales

Digitized by Google

porales, *L. ſi quis diuturno ff. ſi ſervitus vindicetur.*

4. Nota quartò: ratione *cauſæ finalis* ſeu finis, quem Judicium reſpicit, dividitur in Civile, criminale, & mixtum. *Judicium civile* eſt, in quo inſtituitur diſceptatio de cauſa civili, & civiliter agitur; ſeu principaliter in commodum privatum Actoris; ſi is videlicet proſequatur, quod ſuâ intereſt; vel quia res quæ petitur, eſt ſua propria; vel ipſi debita, idq; vel ex contractu, vel ex delicto, ideoque agit ad pœnam ſibi applicandam. *Criminale* eſt, in quo fit diſceptatio de cauſa criminali; ſeu in quo de crimine aliquo principaliter agitur ad commodum publicum, ſeu vindictam publicam; v.g. ſi agatur in foro Eccleſiaſtico ad degradationem; vel ad officij privationem; aut condemnationem ad triremes, vel carceres perpetuos, tanquã pœnam, *cap. etſi Clerici 4.* Et *cap. cùm non ab homine 10. hoc tit.* *Mixtum* eſt, quod participat de Civili, & Criminali; vel quatenus in eo diſceptatur de crimine ſimul civiliter ad intereſſe partis, vel pœnam Actori applicandam; & ſimul criminaliter ad vindictam publicam, *cap. tuæ 5. de Procurat.* Criminale aliud eſt *Capitale*, in quo agitur de imponenda pœna capitali v. g. mortis, ſervitutis ad metalla, &c. Et in *non capitale*, in quo agitur ad minorem pœnam v. g. pecuniariam, exercitationem corporalem, *L. 2. in prin. ff. de pœnis.*

5. Nota quintò: ratione cauſæ efficientis, ſeu perſonæ judicantis reſultat Judicium aliud ſæculare; aliud Eccleſiaſticum. *Seculare* eſt, quod exercetur, & inſtituitur coram Judice ſæculari de re ſæculari. *Eccleſiaſticum* eſt, quod exercetur coram Judice Eccleſiaſtico de re Eccleſiaſtica, v. g. matrimonio; vel beneficio Eccleſiaſtico; & huic annexo jure patronatûs: vel de crimine hæreſis; ſimoniæ, &c.

6. Nota ſextò: rurſus ſecatur Judicium in ordinarium, & delegatum. *Ordinarium* eſt, quod peragitur coram Judice ordinario, v.g. coram proprio Epiſcopo, vel Magiſtratu. *Delegatum* eſt; quod perficitur coram Judice delegato, *cap. quoniam 11.* junctâ Gloſſ. ver. *extraordinario.*

CAP. III.

De his, qui poſſunt; vel non poſſunt eſſe Actores, vel Rei in Judicio.

1. Dico primò: Minores 25. Annis, & pupilli per ſe nec agere ut Actores, nec conveniri poſſunt ut Rei in judicio, abſque tutorum, & curatorum authoritate. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. 1. & 2. C. qui legit. perſ. ſtand. in jud.* Et Ratio eſt; quia hi non cenſentur habere legitimam perſonam ſtandi in judicio. Debet ergo tutor, vel curator locô pupilli, & minoris 25. Annis agegere, & conveniri in judicio, quoties opus fuerit; aut ſaltèm eidem jam utcunque capaci ad negotia tractanda dare authoritatem id faciendi; ut dicitur *L. 1. & 2. ff. de adminic. tut.* Poterit etiam pupillus, & minor 25. Annis abſque authoritate tutoris, & curatoris agere in judicio poſſeſſorio, quando agitur de recuperanda, vel retinenda poſſeſſione, *L. fin.* junctâ Gloſſâ ver. *per quamcunque C. qui legit. perſ. ſtand. &c.* Item Clericus minor 25. Annis (dummodo pubes ſeu Annorum 14. ſit) in cauſis beneficialibus, aliiſque ſpiritualibus, & his connexis, *cap. ſi annum 3. & ult. hoc. tit. in 6.*

2. Dico ſecundò: præterea mulieres invitæ nequeunt perſonaliter trahi ad Judicium pro teſtimonio, dando, aut alia de cauſa, in Jure non expreſſa; neque in cauſis criminalibus agere, vel accuſare poſſunt; niſi ſuam, vel ſuorum injuriam proſequantur. Ita Gloſſa, Pirhing. &c. Primum habetur *cap. mulieres 2. hoc tit. in 6.* Secundũ deciditur *L. 1. & L. qui accuſare 8. ff. de accuſat.* Et *L. uxor 4. cum L. ſeq.* & L. *de crimine 12. C. de his, qui accuſare non poſſ.* Circa hanc autem Concluſionem

3. Nota primò: præfatum privilegium, quòd mulieres invitæ nequeant perſonaliter trahi ad judicium, ſolùm patrocinari mulieribus honeſtis, non autem inhoneſtis, v. g. meretricibus: neque illis patrocinatur, quæ gravia crimina commiſêre, quæ perſonalem præſentiam in Judicio poſtulant; hæ enim etiam invitæ incarcerari, & trahi poſſunt ad Judicium; ut habet Franc. Pirhing. &c. Poſſunt etiam mulieres ſtare in Judicio, ſi velint in cauſis civilibus agere, ad ſe defendendum; ut habet Gloſſa, Trax. &c. Et colligitur à contrario ſenſu *cit. cap. mulieres.* Hoc tamen vetitum eſt mulieri Religioſæ, ſub clauſura viventi, quæ extra clauſtum ad teſtandũ, vel aliud in judicio agendum non permittitur, *cit. cap. mulieres.* Nec ipſa poteſt invita ullô modô extrahi à clauſtro ad judicium; clauſura enim ſtatuta eſt in favorem Religionis.

4. Dico tertiò: filiusfamilias, etſi major 25. annis, regulariter nequit abſque aſſenſu patris, ſuo nomine agere in judicio, vel reſpondere. Ita communis DD. Et ita ordinatur

Digitized by Google

natur in *L. ult. C. de bonis, quæ liber.* Et *cap. ult. hoc tit. in 6.* Poteſt tamen filiusfamilias alieno nomine, id eſt, ut Procurator, absque patris conſenſu, ſtare in judicio; modò major ſit 25. annis, *cap. qui generaliter 5. de Procur. in 6.* Poteſt etiam agere in judicio, absque patris conſenſu, in ſequentibus caſibus: *Primò*, ſi Pater longiùs abſit, & non conſtituit Procuratorem, *L. ſi longius 18. ff. hoc tit.* *Secundò*, ſi pater ſit factus demens, aut rebus proprijs nequeat præeſſe; ut habet Durand. Pirh. &c. *Tertiò*, ſi filiusfamilias impetraverit veniam ætatis; modò evadat 20. annum, *L. 4. C. qui veniam ætatis.* *Quartò*, ſi ſuboriatur lis de bonis Caſtrenſibus, vel quaſi Caſtrenſibus, *L. miles 4. ff. de caſtrenſ. pecul.*

5. Dico quartò: ſimiliter prohibetur per ſe ſtare in judicio ſervus, deportatus, prodigus Interdictus bonis, furioſus, mente captus, ſurdus, mutus, & miles. Ita communis DD. Et colligitur ex diverſis Juribus; puta de ſervo, ex *L. ſervus 6. C. hoc tit.* De deportato; quia Fiſcus ex Juris diſpoſitione ejus locô convenitur in judicio; utpote qui bonis ejus ſuccedit. De prodigo interdicto ex *L. 15. ff. de tut. & curat.* De furioſo, mente capto, ſurdo, & muto arg. *L. 1. C. de curat. furioſ.* De milite *L. non prohibentur 8. C. de his qui accuſ. non poſſ.*

6. Dico quintò: Capitulum quoque vel Conventus Eccleſiæ ſive Regularis, ſive ſæcularis absque conſenſu Epiſcopi, vel Prælati non poteſt agere, vel conveniri in judicio, ſuper cauſis communiter pertinentibus ad Prælatum, & Capitulum. Ita communis DD. Et habetur in *cap. cauſam 9. hoc tit.* Niſi cauſæ eſſent propriæ Capituli, vel Conventûs circa aliqua bona ſeparatim attributa Capitulo, vel Conventui; ut habet Imola. Vel niſi Capitulum, vel Conventus agat pro bonis alienatis recuperandis, quæ Epiſcopus, vel Prælatus repetere negligit; ut habet Abbas, &c.

7. Dico ſextò: etiam Religioſi ſubditi quicunque regulariter prohibentur ſtare in judicio, ſive ad agendum, ſive ad defendendum, absque ſuperioris aſſenſu. Ita Navar. Sanch. Pirh. &c. Ratio eſt; quia Religioſi æquiparantur filijsfamilias, qui absque aſſenſu patris nequeunt ſtare in judicio, *L. lis noſtra, 22. ff. hoc tit.* Et *cap. ult. hoc tit. in 6.* Poteſt tamen Religioſus ſpoliatus, vel injuriâ laceſſitus ſtare in judicio, absque licentia, & aſſenſu expreſſo ſui ſuperioris, ſi ſit in loco remoto ſtudiorum causâ, & Prælati licentia commodè haberi nequeat; periculum autem ſit in mora; ut habet Pirhing. &c. Item in cauſa ſuæ ejectionis ab Ordine, invaliditate, vel validitate ſuæ profeſſionis Religioſæ; ut habet Abbas, Navar. &c. Item in cauſis ſui Monaſterij, longè abſente Superiore; quod à fortiori præſtare poterit, ſi accedat conſenſus Superioris legitimi, *can. Monachi 35. cau. 16. q. 1.* Item ſi Religioſus obtineat aliquod beneficium, cui adminiſtratio aliqua eſt annexa, v. g. Prioratum; quo caſu ſuper ſuis Juribus poteſt agere in judicio; ita Abbas, Pirhing. Navar. &c. Et colligitur ex *cap. cùm deputati 16. hoc tit.* Cæterùm Prælatus ipſe Religioſus in judicio ſolus agere, & conveniri poteſt, absque conſenſu Conventûs, ſi agatur de rebus communiter pertinentibus ad Prælatum; niſi cauſa ſit valde ardua, *can. Abbatem 4. cau. 18. q. 2.* Et *can. non dicatis 11. cauſ. 12. q. 2.*

8. Dico ſeptimò: Excommunicatus excommunicatione majori nequit agere in judicio, in cauſis diſtinctis à cauſa Excommunicationis ſuæ. Ita communis DD. Et dicitur *cap. intelleximus 7. hoc tit.* Poteſt tamen talis excommunicatus agere in cauſa ſuæ Excommunicationis, *arg. cap. 1. de reſcriptis in 6.* & tenet Pirh. Poteſt etiam conveniri ut Reus; ne videatur ex ſua malitia reportare commodum; quo caſu non poteſt Actorem ſuum reconvenire, *cap. cùm inter 5. in fine, de except.* nam reconventio eſt reciproca petitio, *cap. 2. de mut. pet.* & conſequenter habet rationem actionis, quæ prohibita eſt Excommunicato, *cit. cap. intelleximus.*

9. Dico octavò: generaliter loquendo omnes poſſunt eſſe Actores, & Rei; ſeu agere, & conveniri in judicio, qui perſonam legitimam ſtandi in judicio habent; ſeu nullo Jure prohibentur. Ita communis DD. Ratio eſt; nam quivis jus ſuum privatum, aut publicum Reipublicæ tueri poteſt, aut ſub perſona Actoris petendo, quod aut ſuum, vel Reipublicæ eſt; aut ſub perſona Rei repellendo injurias ſibi intentatas, aut illatas; niſi à legibus prohibeatur; cùm hoc æquitati, & juri naturali ſit conſentaneum.

CAP. IV.

Quæ cauſæ in judiciũ Judicis Eccleſiaſtici, & Laici cadant.

1. DIco primò: nullus Judex Eccleſiaſticus poteſt regulariter ſua authoritate in ſuum Judicium avocare

Digitized by Google

cauſas civiles, & temporales, ſeu profanas, aliàs pertinentes ad ſæcularem Magiſtratum. Ita Innoc. Pirh. & communis DD. Et ita conſtat ex *cap. novit 13. hoc tit.* Et quia poteſtas Eccleſiaſtica eſt diſcreta à poteſtate ſæculari; unde non expedit, ut una aliam in ſua jurisdictione impediat. Poteſt tamen Judex, ſeu Prælatus Eccleſiaſticus per viam denunciationis Evangelicæ ſibi denunciatum corrigere, & de quovis peccato mortali laici in ſpiritualibus cognoſcere, atque ad pœnitentiam admonere; maximè de perjurio, & fracta pace corrigere, etiam per cenſuras compellendo; utì habetur *cap. cit.*

2. Dico ſecundò: Judex Eccleſiaſticus poteſt ex commiſſione, ſeu delegatione Principis ſæcularis cognoſcere cauſas civiles, politicas, ſeu ſæculares. Ita Laym. Pirh. & communis DD. Et conſtat ex *cap. inter dilectos 6. de fide instrument.*

3. Dico tertiò: nullus Judex Laicus poteſt ad ſuum tribunal, & judicium avocare cauſas merè ſpirituales; vel his annexas neceſſariò, maximè criminales; idque nec propriâ, nec delegatâ authoritate Prælati Eccleſiaſtici; niſi ſolius Papæ præſtare poteſt. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. decernimus 2. hoc tit.* Et *cap. Clerici 8. eod. tit.* Unde Judex Laicus nequit cognoſcere de Jure patronatûs; cùm ſit res ſpiritualis; vel ſaltèm annexa rei ſpirituali; & quia ita ſpecialiter deciditur in *cap. quanto 3. hoc tit.* niſi de nuda inſiſtentia agatur. Nec de Jure ſepulturæ; cùm & hoc ſit ſpirituale quid ſecundùm ſe; vel ſaltèm ſpirituali annexum; ut habet Abbas, &c.

4. Nota tamen primò: quòd Laici poſſint tractare cauſas merè temporales Eccleſiarum, & perſonarum Eccleſiaſticarum; ita tamen, ut nulla præeminentia, tribunal, gubernium, forum competens, aut poteſtas ſuper Clericos ipſis per hoc concedatur; ut notat Abbas, & Sylveſt. Similiter poſſunt ex commiſſione Epiſcopi, vel alterius Prælati Eccleſiaſtici cognoſcere cauſas judiciales pecuniarias, ſeu merè civiles, quæ inter Clericos; vel contra Clericum, aut Eccleſias moventur à Laicis; ut habet Gloſſa, Abbas, Felin. Decius, &c. Ratio eſt; quia tunc non ſuâ, ſed delegantis utuntur authoritate, & jurisdictione, *L. 1. ſ. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. & jurisd.* Item iidem poſſunt cognoſcere cauſas feudales: de his enim poteſt, & debet cognoſcere Dominus feudi; ſive is ſit Laicus, ſive Eccleſiaſticus; dummodo Dominus feudi velit adminiſtrare juſtitiam inter vaſallos, & ipſi etiam parati ſint reſpondere coram illo; ita dicitur *cap. cæterum 5. hoc tit.*

5. Dico quartò: cauſas fori mixti poteſt tractare uterque Judex; & datur locus præventioni. Ita communis DD. Et patet ex varijs Juribus, quæ infra *tit. 2. cap. 7.* afferuntur.

6. Quæres primò: ad cujus Judicis judicium ſpectet cognitio cauſæ dotis, & alimentorum? Reſpondeo, ſi agatur de dote, & alimentis accidentaliter, ſeu incidentaliter ſcilicet ratione divortij inſtituendi; cognitio cauſæ dotis, & alimentorum ſpectat ad Judicem Eccleſiaſticum; utì conſtat ex *can. de Prudentia, 3.* junctâ Gloſſâ, verb. *incidens accessoriè, de donat. inter vir. & uxor.* Et quia ad eundem cauſa principalis divortij ſpectat, *cap. tuæ 5. de Procurat.* Si verò agatur de cauſa dotis, & alimentorum principaliter, & per ſe; tunc cognitio ejus pertinet ad Judicem Laicum; cùm cauſa ſit merè profana, & temporalis.

7. Quæres ſecundò: an aliquis poſſit eſſe Judex ſive Eccleſiaſticus, ſive Laicus in cauſa propria? Reſpondeo hoc concedi ſoli Papæ, Imperatori, vel Regi, ut habet Abbas, Felin. Pirh. &c. Et conſtat ex *L. & hoc 41. ff. de hered. instit.* junctâ Gloſſâ marg. Et *L. unic. C. ſi quis Imperat. maledix.* Et ex *cap. cùm veniſſent 12. hoc tit.* Nam non decet, ut ſupremus Princeps ſe ſubdat judicio ſui ſubditi: & quia præſumitur ſupremus Princeps tanquam author Legum, & Canonum nil injuſtum decreturum; etiam in cauſa propria. Solent tamen hodie ipſi Principes cauſas ſuas, quas proſequitur Fiſcus, transferre ad Judicem ſuæ Cameræ; vel ad arbitros, ut ipſi decernant, quod æquitati, & juſtitiæ conſentaneum eſt. Cæterùm nullus Judex Papâ, vel Cæſare, Regeque ſeu Principe inferior poteſt in cauſa propria judicare, utì habetur *can. inter querelas 25.* junctâ Gloſſâ, verb. *propriè, cauſ. 23. q. 4.* Et tenet Abbas, Dec. Pirh. &c. Et *L. unc. C. ne quis in ſua cauſa judicet.* Niſi cauſa, vel injuria Judici illata eſſet notoria; tunc enim incontinenti ſummariè judicare, & punire poteſt Reum; ut habet Abbas, Dec. Pirh. Vel niſi conſuetudine in quibusdam locis aliter eſſet introductum, ut Epiſcopum in ſuis cauſis perſonalibus aliquomodo judicare poſſit, dando ſcilicet Judices non ſuſpectos alteri parti litiganti. Vel niſi Epiſcopus judicet cauſam ſuæ Eccleſiæ; ut habet Abbas, &c. Etſi contra Epiſcopum ſic judicantem à parte adverſa opponi poſſet exceptio.

CAP.

CAP. V.

Varia de Judicijs reſolvuntur.

1. NOta primò: Judex debet conari, ut finiat (quàm citiſſimè fieri poteſt) controverſias litigantium, ſervatis tamen debitis ſolemnitatibus Juris; nè lites fiant immortales, & partes onerentur expenſis gravibus. Idem allaborare debet, & diſponere partes, ut ante inchoationem judicij proceſſûs litigioſi amicè componant, & tranſigant, ſi compoſitioni, & transactioni ſit locus: nam tenuis transactio præſtat pingui ſententiâ; ut habet vulgi adagium. Et in cauſarum controverſijs capitales inimicitiæ ſuboriuntur, fit expenſarum amiſſio, animus fatigatur, & turbatur; imò & corpus ſæpius hebetatur continuâ applicatione ad celerem litis expeditionem obtinendam; ac complura crimina eundem proceſſum quandoque conſequuntur, aliaque infinita mala litigantes comitantur.

2. Nota ſecundò: Nullus Judex, nec quidem delegatus Papæ, poteſt regulariter cogere partes, ut compareant perſonaliter in Judicio; ſed ſufficit ſi compareant per Procuratorem; niſi à Sede Apoſtolica ad hoc habeat ſpecialiale mandatum; vel niſi cauſa ſit criminalis; vel niſi juramentum de veritate dicenda, vel de non calumniando, ſit præſtandum; vel ob aliam Jûris neceſſitatem comparere debeant. Ita habetur *cap. juris 1. hoc tit. in 6.* Neceſſitates porrò aliæ Juris ad comparendum perſonaliter, eſſent; ſi ipſe Reus v.g. ſtatum, & veritatem rei magis perſpectam habeat, quàm Procurator, *L. ult. de Procurat.* junctâ Gloſſâ verb. *juſtiores.* Item ſi oporteat ſpecialiter examinare qualitatem perſonæ, maturitatem ætatis, judicij diſcretionem, *arg. L. 2. C. de his quæ ve. ætat. impet.* Item ſi indicia vehementia ſint contra Reum, perſonaliter debet comparere; nam ex ejus vultu, & conſtantia reſpondendi, vel trepidatione de facili veritas poteſt deprehendi. Item ſi agatur de facto aliquo proponendo, quod ipſi principales, ſeu partes meliùs noverunt proponere, quàm Advocati; niſi tales eſſent adeò ſimplices, & indiſcretæ, ut earum defectus per Advocatos de Juris licentia eſſet ſupplendus, *cap. paſtoralis 14. hoc tit.*

3. Nota tertiò: Acta coram Judice non competente invalida ſunt, & fidem non faciunt in alio Judicio; ut habet Clarus, Pirh. &c. DD. Et colligitur ex *cap. & ſi Clerici 4. in princ. hoc tit.* Acta tamen coram Judice competente valent, & fidem faciunt in alio Judicio; dummodo inter eaſdem perſonas, & in ordine ad eundem finem, & eundem effectum producantur; ut habet Abbas, Deci. Innoc. Et colligitur ex *cap. 2. de except. in 6.* Secus ſi ejusmodi acta ad diverſum finem, ſeu effectum tendant; ut tenet idem Abbas, Deci. Pirh. &c.

4. Nota quartò: modum procedendi judicialiter contra Clericos atrociter criminoſos, v. g. notabiles fures, homicidas, perjuros, & ſimiles, eſſe ſequentem ex *cap. cùm non ab homine 10. hoc tit.* Ut ſcilicet *Clericus criminoſus legitimè convictus ab Eccleſiaſtico Judice primò deponatur: quòd ſi depoſitus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deinde creſcente contumacia anathematizari: ac denique ſi in profundum malorum veniens contempſerit (omnes prædictas pœnas) cùm Eccleſia non habeat ultra, quod faciat; ideo ne aliis plurimis cauſa perditionis ſit, per ſecularem poteſtatem comprimi debet; ita ut ei exilium deputetur, vel alia legitima pœna inferatur.* Iſte tamen modus ſolet alterari plerumque in praxi, ita ut depoſitio demum poſt contumaciam inferatur, & deſuper ejus traditio curiæ ſæculari. Præterea ille modus procedendi, ſervatur, quando Clerici commiſerunt crimina, quæ nō ſunt valde atrocia: nam quando commiſerunt crimina valde atrocia, v. g. homicidium qualificatum, puta parricidium, vel latrocinia repetita, &c. tunc immediatè poſt depoſitionem Judici ſæculari tradi poſſunt à Judice Eccleſiaſtico, etiam non expectatâ eorū incorrigibilitate, ut habet Farrinac. Abbas, Pirh. Clar. &c. DD.

5. Nota quintò: varias in Jure Canonico eſſe taxatas pœnas Canonicas, quas Judex Eccleſiaſticus per judicium infligere poteſt Clericis valde criminoſis: tales ſunt detruſio Clerici in aliquod monaſterium ad tempus, vel in perpetuum ad agendam pœnitentiam, *can. lapſis 5. cau. 16. q. 6.* Vel in perpetuum carcerem *cap. novimus 27. de verbor. ſignif.* Deportatio in exilium perpetuum, *can. accuſatoribus 3. cau. 3. q. 5.* Pœna verberum ſinè ſanguinis effuſione, *cap. in Archiepiſcopatu 4. de raptor.* Redactio in ſervitutem, *cap. ita quorundam 6. de Judæis.* Confiſcatio bonorum temporalium, *cap. excommunicamus 13. de hæret.* Diffidatio, ſeu proſcriptio Clerici cum omnibus bonis, *cap. 1. de homic. in 6.* Damnatio ad triremes; uti habet praxis, & communis DD. Privatio beneficij, vel juriſdictionis; mulcta pecuniaria: incarceratio ad tempus, &c.

6. Nota ſextò: Judicium, ſeu inſtantia Judicij finitur, & perit, ſi cauſa non finiatur

Digitized by Google

ſecundùm Jus civile, intra certum lapſum temporis; ſcilicet ſi cauſa ſit criminalis, finitô bienniô: ſi autem ſit civilis, terminatô trienniô, numerandô à litis conteſtatione; uti conſtat ex *L. properandum in princ. C. hoc tit.* Secundùm verò Jus Canonicum non finitur, nec perit ulla cauſa civilis, vel criminalis, etſi biennium, vel triennium ſit elapſum; uti habet Gloſſa, & communis DD. Et colligitur ex *cap. pen. hoc tit.* Unde Juri Civili in hoc eſt derogatum per Canonicum pro foro Canonico. Et meritò; quià ſecundùm Jus Civile appellari tantùm poteſt à ſententia definitiva, *L. pen. de appell.* Secundùm verò Canonicum etiam ab interlocutoria, & à quovis gravamine, *cap. ſuper eo 12. de appell.* Unde Judex Eccleſiaſticus propter tam frequentes appellationes ſæpe intra triennium nequit decidere cauſam principalem. Finitur etiam Judicium, & perimitur inſtantiâ per abſolutionem ab obſervatione Judicij; ut ſi in progreſſu litis appareat, quòd intentio, & petitio Actoris in libello ineptè propoſita fuerit; quo caſu Reus debet abſolvi ab inſtantia tantùm hujus Judicij, eaque diſſolvi; ſervato tamen Actori Jure iterum agendi, & libellum, ac petitionem aliter, & aptè formandi; prout conſtat ex *cap. examinata 15. hoc tit.*

7. Nota ſeptimò: Judicium ex multiplici capite reddi poſſe nullum. *Primò* ob defectum citationis Rei *fin. Inſtit. de pœn. tem. litig.* Et *cap. Eccleſia 10.* junctâ Gloſſâ verb. *non convenit; de Conſtitut.* *Secundò* ob defectum aliorum ſubſtantialium omiſſorum, v.g. conteſtationis litis, juramenti, &c. *Tertiò* ob Judicem non competentem aſſumptum. *Quartò* ob perſonam Actoris, vel Rei, quæ non potuit ſtare in judicio, &c.

CAP. VI.

De Judicijs in Ordine S. Franciſci.

1. NOta primò: Judex Franciſcanus quatuor omninò ſervare debet, videlicet modum procedendi, præparatoria, ſententiam, & pœnas. *Primum*, ſcilicet *Modus procedendi*, eſt quadruplex; videlicet per accuſationem, per denunciationem, per inquiſitionem, & per exceptionem; uti conſtat ex *cap. qualiter, & quando, extra, de accuſat.* In accuſatione requiritur accuſator; in denunciatione charitativa admonitio; in inquiſitione diffamatio; & in exceptione legitima objectio. Sine his Judex Franciſcanus nequit procedere; aliàs proceſſus erit nullus; uti habet *Practica Criminalis Ordinis. Secundùm*; id eſt *Præparatoria*, ſunt, citatio Teſtium, & Rei: delatio Juramenti, conceſſio termini competentis, vel ad comparendum, vel ad probandum; exceptiones; defenſiones; & appellationes; quibus non ſervatis Judex officio deſtitui debet, & proceſſus erit nullus, juxta *Practicam criminalem Ordin.* *Tertium*; eſt *ſententia*; hæc debet eſſe conformis Canonibus, & Conſtitutionibus Ordinis. *Quartum* eſt *pœna*, quæ debet eſſe conformis delicto.

2. Dico primò: Judicium in Ordine S. Franciſci de Obſerv. & Reform. non debet eſſe ordinarium; ſed ſummarium, in quo de plano, ſola rei veritate inſpecta, rimulis omnibus, & apicibus, ſeu ſolemnitatibus Juris poſtpoſitis. Ita Sanctorus, Rodrig. & communis DD. Et ita conſtat ex conceſſione Bonifacij VIII. quæ refertur in compendio Privilegiorum Ord. FF. Minor. & Conſtitutionibus generalibus modernis *cap. 7. §. 6. n. 35.* Eſtque Ratio; quia Judicium ordinarium nimiùm diſtraheret, & Judices, & Reos Minoritas à Divinis obſequijs, & alijs regularibus exercitijs, ad quæ tenentur.

3. Nota autem ſecundò: in hoc ſummario Judicio à Judice Franciſcano eſſe neceſſariò eſſentialia Juris obſervanda, ſub nullitate actuum, & privationis actuum legitimorum; uti habent Conſtitutiones Generales Ordinis modernæ *cap. 7. §. 6. n. 35.* Eſſentialia autem Juris in proceſſu criminali obſervanda ſunt ſecundùm Practicam criminalem Ordinis ſequentia. *Primò*, ut Judex ſinè vel accuſatione, vel denunciatione, vel infamia, vel indicijs, vel exceptione non procedat. *Secundò*, ut teſtes tam pro Reo, quàm contra Reum legitimè producti cum juramento audiantur, ac examinentur. *Tertiò*, ut Reus citetur; nec abſens, niſi contumax fiat, condemnetur. *Quartò*, ut tempus ad neceſſarias probationes, excuſationes, & defenſiones Reo tribuatur. *Quintò* ut Reo petenti in ſua cauſa conſiliarius, ſeu Patronus, & Procurator (ſed intra ordinem) non denegetur. *Sextò*, ut juſtæ Rei exceptiones, & appellationes admittantur. *Septimò* ut non condemnetur Reus, niſi per plures teſtes convictus fuerit; aut crimen confeſſus. *Octavò*, ut ſententia definitiva profe-

Digitized by Google

proferatur ſecundùm allegata probata, ſive ad abſolutionem, ſive ad condemnationem Rei; non verò ſecundùm Zelum, & affectum Judicis.

4. Nota tertiò: Judicium, & proceſſus in Ordine noſtro contra aliquem formatus per viam delatoris, vel literas anonymas, eſt nullus; ut notat Sanct. & S. Severino. Similiter ſi fiat ſinè Notario: vel non ſervatâ materiâ, ut ſi conſtituatur Reus non infamatus; aut puniatur inauditus, non confeſſus, non convictus, &c. vel non ſervatâ formâ, ut ſi non dentur defenſiones ullæ, vel teſtes ſinè juramento examinentur. Judicia noſtra regularia non debent moroſè protrahi abſque gravi cauſa; per hoc enim aggravantur partes litigantes, juſtitiæ curſus retardatur, & variæ animorum acerbitates, ac diſtractiones à Divinis Officijs cauſantur.

5. Nota quartò: Reus in Judicio Minoritico (qui eſt una neceſſaria perſona ad Judicium regulare pertinens) nemo dicitur, niſi contra quem indicia, ac probationes laborant; nec antequam ad Judicium vocatur per citationem, juxta *cap. forus, de verb. ſig.* Reus demum poſt captas informationes per ſupra recenſitos modos procedendi, citandus eſt per præceptum Judicis regularis; cùm contra non citatum nulla ſit omnis ſententia lata *cap. paſtoral. de re judic.* Reus regularis ſi ſuſpectus ſit de fuga, poterit etiam ante citationem carcerari, uti habet *Practica criminalis.* Idem Reus non eſt conſtituendus niſi conſtet per informationem, ejus delictum eſſe ſemiplenè probatum; vel adeſſe æquipollentia indicia, *ibidem.* Reo ante conſtitutionem defertur juramentum; & poſt ejus delationem interrogandus eſt; iſque reſpondere tenetur ſub mortali culpa, de plano ſecundùm mentem interrogantis: & renuens reſpondere ſinè cauſa rationabili, pro confeſſo habetur, ac pro tali eſt condemnandus, vel torquendus; quo caſu non dantur illi defenſiones; cùm non torqueatur de delicto; ſed pro obtinenda reſponſione; *ibidem.* Reus repertus excommunicatus priùs eſt abſolvendus, quàm ulteriùs examinetur, ad effectû ſiſtendi ſe in judicio; quô elapſô recidit in eandem excommunicationem, *ibidem.* De tertia perſona neceſſaria componente Judicium Franciſcanum, ſcilicet Actore, dicetur *lib. 5. tit. 1.*

TITULUS II.

DE FORO COMPETENTI.

CAP. I.

De quidditate Fori competentis; & modis id ſortiendi.

1. Nota primò: rectè advertit Vallenſis *hoc tit.* Juriſdictionem, ſeu competentiam Fori eſſe totius Judicij contentioſi fundamentum; ita ut ſi proceſſus inſtituatur in foro non competenti, ſeu coram Judice ſimpliciter incompetenti, cujus juriſdictioni Reus non ſubjicitur, ſententia lata ipſo Jure eſt irrita, *L. 1. ff. hac autem verba ff. quod quiſque Juris in alterum, &c.* Quare ſummopere præcavendum erit Actori, ut cauſam ſuam inſtruat in Foro competenti, ſeu coram Judice competenti.

2. Nota ſecundò: Ly *Forus*, ſeu *Forum* (quorum utrumque apud Legiſtas, & Canoniſtas in uſu eſt, & pro ſynonymis accipitur; quidquid dicat Hoſtien. in *L. pupillus 239. ff. de verb. ſignif.*) in propoſito duas uſitatiores habet ſignificationes. *Primò* enim ſignificat locum ipſum, in quo exercentur lites, ſeu ubi quis poteſt conveniri, *cap. Forus, de verb. ſig.* Et *L. in hac 50. C. de donat.* *Secundò* ſignificat territorium, in quo quiſque Judex habet juriſdictionem, *L. pupillus 239. ff. de verb. ſig.* Et de Foro in iſta ſignificatione potiſſimè procedit iſte Titulus; & vocatur alio nomine *tribunal*, & *ſedes* ipſius juriſdictionis *L. 1. ff. de judicijs.* Item *auditorium L. 14. ff. 3. de re judicata.* Vocatur etiam *Forum fori; & forum externum*; ad diſtinctonem fori pœnitentiæ, ſeu interni, quod *forum poli* dicitur, *can. quicunque 43. can. 17, q. 4.* Unde

3. Dico primò: rectè deſcribitur Forum competens, quòd *ſit tribunal legitimum, cujus juriſdictioni Reus ſubjicitur*: & Judex competens, quòd *ſit perſona legitima, coram qua actio proponi, & decidi debet.* Ita colligitur ex *cap. ſi Clericus 5.* Et *cap. cum ſit generale 8. hoc tit.* Et *L. 49. ff. de judicijs.* Ly *tribunal* in prima deſcriptione; & ly *perſona* in ſecunda, ſunt genus

Digitized by Google

nus deſcripti; reliqua collocantur pro differentia.

4. Dico ſecundò; citatus ad forum incompetens, ſeu coram Judice incompetenti, impunè non comparet. Ita Zoëſius, & communis DD. Et habetur *L. fin. ff. de Juriſdict. omn. Judic.* Eſtque Ratio; quia extra territorium Jus dicenti impunè non paretur; niſi ad hoc, ut de Juriſdictione ipſa cognoſcatur, *L. 5. de Judic.*

5. Dico tertiò Actor regulariter debet ſequi Forum Rei, ad hoc ut in Foro competenti cenſeatur proſequi cauſam ſuam. Ita communis DD. Et habetur *cap. cit. ſi Clericus.* Et *cap. cit. cùm ſit generale.* Et *L. juriſdictionem C. de Juriſd. omn. Jud.*

6. Dico quartò: ſi Actor proceſſum inſtruat in Foro incompetenti, ſeu coram Judice non competenti, Reus poteſt ſemper opponere (etiam poſt latam ſententiam) exceptionem Fori declinatoriam; dummodo de incompetentia tali conſtet evidenter; & prius putaverit per errorem talem Judicem non eſſe incompetentem. Ita Gloſſa, Gail. Pirhing. Clarus, &c. Ratio eſt; quia acta in Foro non competenti, & coram Judice incompetenti, ſunt ipſo Jure nulla *L. 1. ff. quod quiſque Juris in alterum, &c.* adeoque meritò contra eandem agi poteſt per exceptionem actionis declinatoriæ Fori.

7. Nota tertiò: plures eſſe modos tum ordinarios, tum extraordinarios, quibus quis Forum competens ſortitur, ſeu ſubjicitur alterius juriſdictioni. *Ordinarij* recenſentur ſequentes quatuor in *cap. ult. hoc tit.* videlicet ratione domicilij ſeu loci, in quo quis eſt oriundus, vel ubi habitat; ratione rei ſitæ in alieno territorio; ratione contractûs; & ratione delicti commiſſi in alieno territorio. *Extraordinarij* ſunt varij, qui recenſentur ſequentibus duobus notabilibus.

8. Nota quartò: *primus* modus extraordinarius ſortiendi Forum eſt ſpecialiter pro Clericis advenis, & peregrinis; qui poſſunt conveniri in Curia Romana, ſi ibidem exiſtant, & aliàs Forum ſpeciale non ſortiantur, *cap. licet 20. & ult. hoc tit.* Imò non tantùm Clerici advenæ; ſed omnes prorſus Clerici ubicunque delinquentes, Romæ poſſunt conveniri de delicto, & puniri pœnâ extraordinariâ; ut habet Farinac. Similiter Laici quoad cauſas ſpirituales, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes Romæ conveniri poſſunt, ut habet Barboſ. ubi & in Curia Imperatoris, vel Regis omnes eorum vaſalli, juxta eundem Barboſ.

9. Nota quintò: *Secundus* modus extraordinarius ſortiendi Forum competens coram Judice, aliàs non ſuo, eſt ratione cauſarum talium ſpecialium; nam cauſæ Eccleſiaſticæ etiam inter Laicos coram Eccleſiaſtico Judice tractari debent, *cap. contingit 8. de arbitr.* Et Feudales coram Domino quocunque legitimo feudi, *cap. ex tranſmiſſa 6. hoc tit.* *Tertius* eſt ratione privilegij perſonis conceſſi; ſic Clericus ratione privilegij Clericalis coram Eccleſiaſtico Judice conveniri debet, *cap. 1. & 2. hoc tit.* Et miles ibi, ubi militat *L. municeps 23. ff. ad municip.* Et vidua in domicilio mariti, *L. Filius 22. ff. eod.* Et uxor in domicilio mariti, *cit. L.* *Quartus* eſt, ratione collegij, vel alterius Univerſitatis ad quã quis aſſumptus fuit ratione profeſſionis alicujus, vel negotiationis; hic conveniri debet coram ſuperiore talis collegij, *L. ult. C. de juriſd. omn. Judic.* debet autem collegium tale Principis authoritate fuiſſe erectum, vel ſaltèm confirmatum, *L. 3. ff. de Colleg. & corpor.* ſic ſtudentes coram Rectore Univerſitatis forum ſortiuntur; *Authen. habita C. ne filij pro patre.* *Quintus* eſt ratione prorogationis Juriſdictionis in Judicem non ſuum, *L. 3. C. de Juriſd. omn. Judic.* *Sextus*, ratione connexionis cauſarum; quia ea non eſt dividenda, *L. nulli 10. C. de Judic.* Et *cap. pen. de reſtit. in integ.* ſic v. g. cauſa divortij ob commiſſum adulterium, & cauſa dotis amittendæ eſſe acceſſoria, non eſt dividenda; ſed coram eodem Judice Eccleſiaſtico tractanda *cap. de prudentia 3. de Donat. inter uxor & mar.* De utriſque modis ordinarijs, & extraordinarijs ſtatuo ſequentia Capitula ſpecialia, in quibus ampliùs eorum natura, & qualitas explicatur.

CAP. II.

De modo ordinario ſortiendi Forum competens *ratione domicilij.*

1. Dico primò: ratione domicilij ſortitur quis competens Forum, ita ut ibi conveniri poſſit, in cujus territorio habet domicilium. Ita communis DD. Et ita dicitur *cap. dilecti 7.* & *ult. hoc tit.*

2. Nota autem primò: quòd dupliciter quis ſortiatur Forum competens ex hoc capite Domicilii, ſcilicet ratione originis, & ratione habitationis; ut patet ex *L. incola 29. ff. de municip.* *Ratione originis* poteſt quis conveniri in illo loco, in quo parentes tempore nativitatis filij habitárunt ſtabiliter; licèt filius ali-

us aliàs moraretur in alio territorio; ut habet Bart. Abbas, &c. Item in loco, ubi pater fuit natus, *L. cives 7. C. de incolatu.* *Ratione habitationis* poteſt quis conveniri ibi, ubi larem rerum, fortunarumq́; ſuarum ſummam, ſeu ſubſtantiam conſtituit, cum animo inde non diſcedendi, modò nihil eum avocet, *cit. L. cives.* Vel ſaltèm ubi majorem partem ſuorum bonorum poſſidet, *L. 2. C. ubi Senatores, vel clariſſimi.*

3. Nota ſecundò: ſi quis obtineat domicilium habitationis, in duobus locis, & æquè utrobique inſtructus ſit, & ibi commoretur; tunc in utroque conveniri poteſt, *L. Labeo 5. cum ſeq. ff. ad municipalem*; quia in utroque cenſetur habere domicilium ſtabilis habitationis. Sicut qui navigat, vel iter facit ea intentione, ut alibi ſe conſtituat, is ſinè domicilio eſſe cenſetur, *L. ejus qui 27. ff. ad municip.*

4. Dico ſecundò; Vagabundi cenſentur ubique domicilium habere, & hac ratione ſortiri Forum competens; ita ut in omni loco, ubi degunt pro tempore, conveniri poſſint, etiam ratione contractûs alibi initi; ac ubique puniri, propter delicta; ut habet Gloſſa, Pirh. Engel, Abbas, &c. Ratio eſt; quia hi cenſentur habere quaſi domicilium habitationis in loco contractûs, & delicti.

5. Dico tertiò: hæres cenſetur habere domicilium defuncti; unde in eo conveniri debet in cauſa contractûs, vel quaſi contractûs defuncti. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *L. heres abſens 19. in principio*; & ibi Gloſſa marg. *ff. de Judic.* Et quia hæres cenſetur moraliter una perſona cum defuncto; & jus defuncti in eundem hæredem tranſit; & conſequenter etiam domicilium.

6. Dico quartò: Religioſi cenſentur habere domicilium ſuum in Monaſterio illo, in quo commorantur; unde coram ejus ſuperiore conveniri poſſunt, & debent. Ita Abbas, Pirhing. &c. Dicuntur autem hoc domicilium amittere ſtatim, ac ad aliud transferuntur; ut ex Honor. obſervat Pirhingus.

7. Dico quintò: ſtudioſi cenſentur habere domicilium, & ſortiri Forum in Univerſitate, cui immatriculati ſunt; unde coram Rectore ejuſdem debent conveniri, etiam de rebus alibi geſtis, nè à ſuis ſtudijs (quibus totus illuminatur orbis, inquit textus *Auth. habita, C. ne filius pro patre*) abſtrahantur. Ita Engel, Pirhing, &c. Ratio eſt jam data in *cit. textu.*

8. Dico ſextò: Clericus cenſetur habere domicilium in loco beneficij poſtulantis reſidentiam; quare ibidem conveniri debet. Ita Abbas, Innoc. &c. Ratio eſt; quia ejuſmodi beneficium reſidentiale facit Clericum quodammodo civem loci, in quo illud obtinet. Quòd ſi is obtineat plura beneficia reſidentiam exigentia, dicitur habere plura domicilia; ſaltèm ſi omnibus deſerviat æqualiter: ſecùs ſi uni per ſe; alijs per Vicarium deſerviat; ut notat Abbas, Pirhing.

9. Dico ſeptimò: Milites præſidiarij in Urbibus, famuli, Officiales, ancillæ, & ſimiles perſonæ, quæ ſolent habitacula ſua quotannis, vel circiter mutare, cenſentur habere domicilium ibi, ubi pro tempore degunt; unde inibi conveniri debent de contractibus, & delictis. Ita Pirhing. & alij DD. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *L. 1. C. ubi de crimine agi oportet.*

10. Nota tertiò: mutatio domicilij non perimit inſtantiam coram Judice domicilij jam cœptam; ſed judicium inibi finiri debet; uti conſtat ex *cap. propoſuiſti 19. hoc tit.* Et ex *L. ſi quis poſtquam 7. ff. de Judic.*

11. Nota quartò: quilibet Reus in loco domicilij conveniri poteſt, non tantùm ſuper re ibidem ſita, vel contractu, aut delicto ibidem facto; ſed etiam ſuper re alibi conſtituta, & geſta; ut notat ex Panorm. Engel, ſive in loco domicilij reperiatur; ſive non: cùm enim domicilium efficiat quem eſſe ſubditum illius loci; propterea ſubjacet ejus juriſdictioni; licèt alibi exiſtat; modò non mutaverit totaliter domicilium, *cap. fin. de eo, qui mittitur.*

CAP. III.

De alio modo ordinario ſortiendi Forum competens *ratione Contractûs.*

1. Dico primò: ex hoc capite contractûs initi ſortitur quis competens Forum ita ut contrahens ſeſe ſiſtere debeat tam ad agendum, quàm ad defendendum, coram Judice illius territorij, in quo contraxit. Ita Vallenſ. Gloſſa, Pirhingus. Et ita conſtat ex *cap. 1. contrahentes; hoc tit. in 6.* Unde mercatores venientes ad nundinas, & tenentes officinas, tabernas, pergulas, vel tentoria, conveniri poſſunt in loco nundinarum, ubi contractus emptionis, & venditionis celebrant; etſi alibi habeant domicilium, *L. heres 19. ff. de judic.* Quod procedit, etſi mercatores tales factorem tantùm ibi haberent; perinde enim eſt, acſi cum Domino ipſo contraheretur, *cit. L. heres.*

2. Nota tamen primò: quòd ſi adimplementum, & ſolutio contractûs in alium locum

Digitized by Google

cum deſtinata fuiſſet, tunc creditor debitorem conveniri debet coram Judice illius alterius loci, tanquam in foro competenti; nam unuſquiſque intelligitur contraxiſſe in illo loco, in quo ſe, ut ſolveret, obligavit, *L. contraxiſſe 21. ff. de obligat. & action.* Et *L. 1. C. de Juriſdict.*

3. Nota ſecundò: ſimiliter ratione contractûs dotalis non debet ſolutô matrimoniô in eo loco dos exigi, ubi pacta dotalia celebrata fuêre; ſed in domicilio mariti, *L. exigere 65. ff. de judic.*

4. Nota tertiò: nec peregrinus tranſiens per locum alienum, & inibi parum commorans, ratione contractûs ibi facti conveniri poteſt in tali loco; ſed in loco ſui domicilij, ſi alter contrahens ſcivit eum eſſe peregrinum. Ita Pirh. Engel, &c. nam duriſſimum eſſet, quotquot locis quis navigans, aut itinerans delatus eſt, tot locis ſe defendere; ut dicitur *L. hæres 19. ff. de judic. §. proinde.* Quòd ſi tamen alter contrahens ignoraverit talem peregrinum brevi diſceſſurum, aut is ſit ſuſpectus de fide, tunc conveniri poteſt in loco contractûs; uti conſtat ex *cit. L.* & habet Gloſſa, & alij DD.

5. Nota quartò: nomine *contractûs*, ratione cujus quis cenſetur ſortiri Forum competens, venit non ſolùm omnis contractus rigoroſus, id eſt, ultro citroque pariens obligationem; cujuſmodi ſunt emptio, venditio, &c. ſed etiam omne pactum, vel utrinque, vel ex una tantùm parte obligatorium; imò omnis alius actus; ex quo oritur obligatio: quare hìc etiam comprehenditur adminiſtratio tutelæ, curæ, tranſactio, donatio, & alia ſimilia, *L. hæres abſens §. 1.* Et *L. omnem 20. ff. de judic.*

CAP. IV.

De alio modo ordinario ſortiendi Forum competens *ex delicto.*

1. DIco primò: ex iſto capite delicti cōmiſſi, ſortitur quoque quis Forum competens; ita ut ſubjiciatur illi Judici, in cujus territorio deliquit; tametſi aliàs ei ſubjectus non eſſet. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *cap. ult.* Et *14. hoc tit.* Et *Authen. qua in provincia C. de crimin. agi oportet.* Et quia hoc meritò ſtatutum eſt; tum ut purgentur ſcandala; tum ut vindicta tribuatur illi loco, qui per delictum injuriâ eſt affectus: tum quia in re præſenti facilior cognitio haberi poteſt, *cit. Auth.* Et propterea Judex ſæcularis apprehendens Reum, poteſt in loco delicti eum punire, pœnâ tam corporali, quàm pecuniariâ, pro qualitate delicti, *L. ſi cui, & L. fin. ff. de accuſat.* niſi talis Reus ſit ſpeciali privilegio exemptus; ut Miles, Studioſus, &c. Similiter Judex Eccleſiaſticus alicujus loci poteſt delinquentem aliquem in tali loco delicti apprehendere, & excommunicare; quia is ratione delicti loci, & quoad perſonam, & quoad bona, ſeu beneficia, etiam alibi ſita, factus eſt ſubditus Judici Eccleſiaſtico talis loci, juxta *cap. poſtulâſti 14. hoc tit.* Et *L. 1. C. ubi de crimine agi portet.*

2. Nota primò: ſi delinquens jam ſit egreſſus territorium talis Judicis, in quo deliquit; tunc ſi citatione præventus, ſive citatus exierit; etiam abſens legitimâ cognitione præcedente convictus condemnari poterit; uti ex Panorm. notat Vallenſis. Si autem talis delinquens abſconditus latitet; quò minùs citari non poſſit; aut citatio ei inſinuari; tunc abſens citari poteſt per Edictum, in loco delicti commiſſi publicandum, & valvis portarum affigendum, juxta dicta in *Novell. nulli judicium §. ſi quis verò*; non quidem ad hoc, ut quidquam in perſonam ejus decernatur; cùm per egreſſum ex territorio jam deſierit eſſe ſubditus quoad perſonam; adeóque ad perſonaliter comparendum compelli non poſſit, juxta *Clement. 2. de Sent. & re judic.* Sed in ordine ad hoc præfatus abſens citari poteſt, ut in caſu contumaciæ ejus in non comparendo miſſio fiat in poſſeſſionem bonorum, quæ in loco delicti habet; vel ſi bona non habeat, immiſſio decernatur in alia alterius territorij bona; requiſitô tamen priùs Judice illius territorij, arg. *cap. 2. §. contrahentes, hoc tit. in 6.*

3. Nota ſecundò; quòd ſi delinquens inchoët delictum in uno territorio, & illud cōſummet, ſeu perficiat in altero; probabiliùs eſt, Judicem utriuſque loci poſſe procedere contra ejuſmodi delinquentem, eundem citando, & puniendo; & datur inter ipſos Judices locus præventioni; ut habet Abbas, Farin. Clarus, &c. Talis enim Reus cenſetur in utroque territorio deliquiſſe; uti conſtat ex *L. 1.* illis verbis, *ubi commiſſa, vel inchoata ſunt, C. ubi de crimin. agi oportet.*

4. Nota tertiò: ſi delinquens à loco delicti conſummati fugiat ad aliud territorium, eidem Principi ſubjectum, & Judex loci in quo perpetratum eſt delictum, ipſum à Judice alterius territorij requirat; tunc ille Judex tenetur delinquentem capere, & remittere ad Judicem delicti; uti conſtat ex *L. ſi cui 7. §. fin. de accuſat.* Si autem illud territorium, ad quod

Digitized by Google

quod delinquens confugit, ſit ſubjectum alieno Principi; tunc delinquens neceſſariò in perſona remitti non debet; neque ad id Judex talis territorij compelli poteſt: rogatus tamen à Judice delicti, ultrò eum remittere poteſt; & ad ejuſdem Judicis inſtantiam debet arreſtare, vel aliter cogere talem Reum, ut ſatisfaciat; nè ſub hoc prætextu, & ſpe omnis evaſionis pœnarum delinquentes, eludant ſatisfactiones neceſſarias pro injurijs, & damnis illatis, audacioresque evadant ad perpetranda crimina.

5. Nota quartò: Vagabundi ſortiuntur ubique Forum competens ratione delicti; unde ubicunque fuerint inventi, puniri poſſunt, *L. 1. C. ubi de crimin. agi oportet.* Quare fugientes non ſunt neceſſariò remittendi ad Judicem delicti: niſi fortaſſis expediret eos remittere ad locum delicti pro infligenda pœna, in terrorem aliorum; vel ad tollendum ſcandalum; & ut ſatisfiat ſuperiori, vel Reipublicæ læſæ; ut vult Abbas, Farinac. &c.

6. Nota quintò: Judex ſæcularis per ſe. vel ſuos miniſtros, & apparitores non poteſt ultra fines ſui territorij inſequi Reum delinquentem fugientem, ingrediendo ipſum territorium alienum, & ibidem ipſum capiendo; utì ex communi praxi allegat Gail. Farinac. &c. Et ſic captus, debet ſtatim relaxari, ac reſtitui priſtinæ libertati; niſi ſit graſſator, prædo, latro, vel ſimilis perturbator publicæ pacis; qui etiam impunè perſequi poſſunt in alieno territorio, & illi Judici ſiſti, ubi capitur, juxta conſtit. imperialem, conditam anno 1559. & Auguſtæ promulgatam. Judex tamen, ſeu ſuperior Regularis poteſt inſequi ſuos Religioſos ſubditos delinquentes, & fugientes, in quodvis territorium; cùm perſonaliter ipſi obligati ſint ratione voti obedientiæ, arg. *L. 1. C. ubi quis de curiali.*

CAP. V.

De quarto modo ordinario ſortiendi Forum competens *ratione rei ſitæ in territorio alieno.*

1. Dico primò: ex iſto capite rei ſitæ ſortitur quis pariter Forum competens ita, ut actione reali, imò & mixta conventus de re aliqua immobili, ſita ſub Judice alterius territorij, coram eodem conveniri debeat, & reſpondere cogatur. Ita Vallenſ. Engel, Bartol. & communis DD. utriusque Juris. Et ita conſtat ex *cap. ſane.* Et *cap. ult. hoc tit.* Et ex *L. ult. C. ubi in rem actio exeqr. deb.* Et Jura meritò hoc ſtatuerunt; quia in loco rei ſitæ faciliores ſunt probationes tam circa poſſeſſionem, quàm proprietatem rei, & promptior in re ipſa expeditio haberi poteſt; ut notat Engel.

2. Dico ſecundò: etiam actione reali conventus de re aliqua mobili, ſita ſub Judice alterius territorij, ſortitur Forum competens ita, ut coram eodem conveniri debeat. Ita Gloſſa, Vallenſ. Pirh. Bartol. &c. Et habetur *L. quod legatum 28. ff. de judic.* Procedit autem iſta concluſio de illa re mobili, quæ permanſura eſt in illo loco, ubi hìc & nunc ſita eſt; nec exiſtat in tali loco ſolùm cuſtodiæ causâ.

3. Dico tertiò: ſed actione merè perſonali conventus, ſive rei immobilis, ſive rei mobilis nomine agatur, ſortitur Forum ſui domicilij; unde actor Forum domicilij Rei, ſeu conventi ſequi debet. Ita Bartol. Vallenſ. Laym. &c. Et ita conſtat ex *cap. fin. hoc tit.* Niſi cum bonis in loco ſitis concurrat locus contractûs, arg. L. *Hæres abſens 19. §. proinde ff. de Judic.*

CAP. VI.

De modo extraordinario ſortiendi Forum competens *ratione qualitatis cauſæ*, id eſt, vel Eccleſiaſticæ, vel feudalis, vel connexæ, vel mixtæ.

1. Nota primò: cauſæ Eccleſiaſticæ ſunt illæ, in quibus de rebus ſpiritualibus, vel ſpiritualibus annexis agitur: tales ſunt, ſi quæratur de valore profeſſionis Religioſæ, de obligatione voti, vel juramenti; de beneficijs Eccleſiaſticis; de electionibus canonicis; de jure patronatûs; de jure ſepulturæ, aut decimarum; de Matrimonio; de ſponſalibus; ex Trident. *Seſſ. 24. de Sacramento Matrimonij, can. 12.* & ſimiles complures.

2. Dico primò: ratione cauſæ Eccleſiaſticæ ſortitur quis Forum competens ita, ut coram ſolo Judice Eccleſiaſtico, & tribunali Eccleſiaſtico conveniri poſſit. Ita communis DD. Et conſtat *ex cap. decernimus 2. de Judic.* Quod procedit, ſive tales cauſæ Eccleſiaſticæ agitentur inter ipſas perſonas Eccleſiaſticas; ſive inter Laicas: & Judex ſæcularis

de facto ſeſe immiſcens poteſt per cenſuras cohiberi; ut habet Engel, Mart. &c. Et quidem cauſæ Eccleſiaſticæ ita determinatæ ſunt ad ſolum forum Eccleſiaſticum; ut nulla prorſus earum quà talis trahi poſſit ad forum ſæculare, & judicari per Laicum, *cap. qualiter, & quando 17. de Judic.* Et Laicis abſolutè omnis poteſtas judicandi Eccleſiaſtica adempta eſt, *cit. cap. 2.* cùm præfatos Laicos maneat obſequendi neceſſitas; non authoritas imperandi, *cap. Eccleſia 10. de conſtit.* Quod verum eſt, etſi Judex ordinarius Eccleſiaſticus eſſet negligens in adminiſtranda juſtitia; ut patet ex *cit. cap.* Et quia tunc recurſus fieri poteſt ad alium Judicem Eccleſiaſticum; & ita gradatim usque ad Papam.

3. Dico ſecundò: etiam ratione cauſæ feudalis ſortitur quis Forum competens, ita ut coram certis perſonis duntaxat conveniri poſſit. Ita communis DD. Et conſtat ex varia diſpoſitione Juris; de qua in *ſequentibus Notabilibus.* Unde

4. Nota ſecundò: ſi quæſtio, & lis oriatur ſuper feudo inter ipſos Vaſallos ejusdem Domini; v. g. ſi unus partem feudi petat, quam alter poſſidet; tunc Dominus directus feudi cenſetur eſſe Judex competens, & gerere Forum competens decidendi hanc controverſiam; uti habetur in *Conſtit. cap. Imperialem §. fin. de probib. Feud. alienand. per Frider.* Et *L. 2. feud. tit. 35.* Et ſi Dominus directus adhuc eſſet infans, vel mente captus, vel furioſus, de hujusmodi lite, & quæſtione cognoſcere debent tutores, & Curatores; ut habet Oldrad. Schrad. Engel &c. Nec diſtinguendum eſt, an vaſallus ſit Clericus, vel Laicus; quia in cauſis feudalibus etiam Clericus coram Domino fundi, licet is Laicus ſit, reſpondere debet, ibique forum ſortitur, *cap. verum, & cap. ex transmiſſa; hoc tit.*

5. Nota tertiò: ſi autem controverſia, lis, vel quæſtio oriatur inter Vaſallum, & extraneum; vel etiam inter Dominum, & extraneum; puta quia extraneus, aut dominium abſolutum, aut ſervitutem, aut aliquid ſimile prætendit; tunc cognitio ejus ad ordinarium Judicem pertinet; ut habetur *cap. un. de controv. inter vaſal. & alium.* Quòd ſi autem ipſe Dominus ſit ſimul Judex Ordinarius loci; tunc, cùm nemo poſſit eſſe Judex in propria cauſa, ſuperior ejusmodi loci adiri debet; ut notat Engel. Similiter ſi de re aliqua feudali tanquam feudali controverſia talis incidat, num feudum ſit novum, an verò antiquum; tunc Judex ordinarius de tali controverſia cognoſcere debet: nam in ea vertitur intereſſe Domini directi; qui proinde non facilè contra novam inveſtituram pronunciabit, *cap. 1. de inveſtit. in Marit. fact.* Et *cap. 1. an apud Judicem.*

6. Nota quartò: ſi demum controverſia, lis, vel quæſtio oriatur inter Dominum directum, & ſuum Vaſallum; tunc diſtinctione opus eſt, utrùm agatur ſuper ipſa proprietate rei feudalis, eò quod Vaſallus negat eſſe rem feudalem: vel an agatur ſuper aliquo Jure accidentali; ut quia Vaſallus denegat Domino directo ſervitia, ad quæ præſtanda ratione feudi obligatur; vel quia Vaſallus agit contra Dominum de evictione feudi, & negat ob feloniam feudum eſſe commiſſum &c. tunc in primo caſu cognitio talis controverſiæ, litis, & quæſtionis pertinet ad Judicem Ordinarium; ut habet Hoſtienſ. Innocent. Engel, Abbas &c. In ſecundo caſu verò ejus cognitio devolvenda eſt ad Pares Curiæ; ſi Dominus directus aliquos habeat, ut coram illis agitetur, & decidatur; uti conſtat ex *Conſtitut. cap. imperialem, §. fin. de probib. feud. alien. per Frider.* Vocantur autem *Pares Curiæ* reliqui Vaſalli, qui ab eodem Domino directo Feuda tenent; hi tunc debent præſtare juramentum de rectè judicando.

7. Dico tertiò: ſimiliter ratione cauſæ connexæ ſortitur quis competens Forum ita, ut de duabus cauſis inter ſe aliàs connexis coram eodem Judice quis conveniri debeat. Ita Gail. Engel, & communis DD. Et conſtat ex *L. nulli 10. de Judic.* Et ex *cap. pen. de in integ. reſtit.* Unde extat vulgare, & receptum axioma Juris, *cauſæ continentia dividenda non eſt.*

8. Nota autem quintò: quòd cauſæ inter ſe habeant connexionem ex triplici potiſſimùm capite; vel ratione perſonarum, quæ conveniuntur coram Judice competenti; vel ratione rei, de qua agitur; vel ratione generalis actionis, quæ intentatur. Ex primo capite, ſcilicet *ratione perſonarum*, connexa eſt una cauſa cum altera, & coram eodem Judice terminanda, ſi v. g. inter plures hæredes, vel ſocios actio *familiæ herciſcundæ*; vel *communi dividundo* inſtituatur. Item ſi plures Correi in aliqua obligatione individua conveniantur. Item ſi ex pluribus Tutoribus contra unum, eò quòd reliqui *non ſint ſolvendo* agatur, qui petat etiam reliquos conveniri, tunc omnes Correi, & Tutores ad eundem

eundem Judicem mittendi ſunt, *L. 1. & 2. ff. de quibus reb. ad eund. Jud. eatur.* Et notat Gail. Minſingerus &c. quòd in tali caſu ille Judex tanquam competens ſit adeundus, qui reſpectu omnium Correorum eſt ſuperior, v. g. Camera, vel Imperator. Quamvis ſecundùm Engel, Bart. & Schrader. in Jure communi non ſit diſtinguendum inter Judicem ſuperiorem, & æqualem; unde ibi lis terminanda erit, ubi contra unum Correorum præoccupata fuit.

9. Nota ſextò: ex ſecundo capite, ſcilicet *ratione rei*, de qua agitur, una cauſa cum altera connectitur, ſi circa eandem rem, de qua lis orta eſt, diverſæ quæſtiones vel principaliter, vel incidentaliter moveantur: hôc modô connexæ ſunt cauſa poſſeſſionis, & cauſa proprietatis; unde coram illo Judice, coram quo inſtitutum eſt Poſſeſſorium, etiam inſtitui, & agitari debet Petitorium, *L. nulli C. de Judic.* Et *cap. 1. de cauſ. poſſeſſ. & propr.* Hôc modô etiam connexa eſt cauſa dotis amittendæ, vel retinendæ cum cauſa divortij, ratione commiſſi adulterij, de qua utraque tractari debet coram Judice Eccleſiaſtico tantùm, *cap. 3. de don. inter uxor. &c.* Hôc modô pariter coñexa eſt cauſa reſtitutionis arrharum, & donationum cum cauſa diſſolutionis ſponſalium. Et demum, ratione talis connexionis cauſarum, ſingulariter notanda eſt ſequens doctrina. Unde

10. Nota ſeptimò: ſi de cauſa connexa incidentalis quæſtio ſuboriatur, continens incidens ſpirituale; & altera cauſa connexa, de qua principalis movetur quæſtio, ſit ſæcularis, ac jam inchoata coram Judice Laico; tunc Judex Laicus debet in cauſa principali ſuperſedere, & illud incidens ſpirituale remittere ad Judicem Eccleſiaſticum: v. g. ſi cauſa principalis de hæreditate filij agitetur coram Judice ſæculari, & in proceſſu cauſæ altera pars neget fuiſſe validum, ac legitimum matrimonium illud, unde hæres prodijt; tunc hoc incidens de valore matrimonij remittendum eſt ad Judicem Eccleſiaſticum; & interea quæſtio principalis de hæreditate ſuſpendenda, *cap. tuam de ord. cognit.* Et *cap. lator.* & *cap. cauſam quæ*; *Qui ſint filij legit.*

11. Nota octavò: ex tertio capite, ſcilicet *ratione generalis actionis* cauſa cenſetur connexa, ſi diverſæ res, vel cauſæ contineantur omnes ſub una actione generali; v. g. ſub actione tutelæ; vel negotiorum geſtorum; vel hæreditatis petitione. Unde ſi negotiorum geſtor conveniatur ſuper uno negotio, quod geſſit in loco tali, debet ibidem etiam reſpondere ſuper eo, quod geſſit in alio. Item Judex aditus per petitionem hæreditatis in uno loco, ubi major pars bonorum ſita eſt, cognoſcit etiam de bonis alibi exiſtentibus, ad eandem maſſam hæreditatis ſpectantibus; ut notat Gail. Engel, Menochius, &c.

12. Dico quartò: demum etiam *ratione cauſæ mixtæ* ſortitur quis Forum competens, ita, ut apud illum Judicem conveniri quis poſſit, qui prævenit, & præoccupavit cauſæ cognitionem. Ita Gloſſa, Clarus, Covarr. Engel &c. Et patet ex diſpoſitione variorum Jurium, mox adducendorum ſuper ſingulas cauſas mixtas, ſeu fori mixti. Unde

13. Nota nonò: *Cauſam mixtam*, ſeu *cauſam fori mixti* dici illam, quæ tam in foro Eccleſiaſtico; quàm ſæculari, ſeu civili licitè cognoſci, & tractari poteſt; circa quam proinde datur locus præventionis inter Judicem Eccleſiaſticum, & ſæcularem. Eſt autem cauſa mixta alia civilis; alia criminalis. *Civilis mixta* dicitur cauſa verſans circa materiam civilem, & politicam, quæ quidem originaliter eſt ſæcularis; propter certam tamen qualitatem ſpiritualem adjunctam habet reſpectum ad forum Eccleſiaſticum: vel quæ originaliter eſt Eccleſiaſtica; propter certam autem qualitatem temporalem adjunctam, etiam forum ſæculare reſpicit. *Criminalis mixta* ſunt certa crimina, quorum pœnæ ab utroque Jure ſtatuuntur: nam non tantùm tribunal politicum; ſed etiam Eccleſiaſticum de quovis peccato cognoſcere poteſt, & illud punire; cùm Epiſcopi per Spiritum S. conſtituti ſint, *ut evellant, & diſſipent, & ædificent, & plantent*: & propterea in V. Decret. Eccleſia taxavit varias pœnas pro varijs criminibus. Circa utraſque has mixtas cauſas, pono ſequẽtem earum ſpecificationem. Quare

14. Nota decimò: Cauſæ mixtæ civiles ſunt ſequentes: *Primò* Contractus civiles à ſæcularibus initi; ſed poſtea juramentô accedente confirmati; hi propter qualitatem ſpiritualem accedentem Juramenti, fiunt fori mixti; unde de his cognoſcere poteſt etiam Judex Eccleſiaſticus, *cap. licet mulieres, de Jurejurando in 6.* Et *cap. novit; de Judic.* Et *cap. fin. de foro competenti in 6.* *Secundò*, teſtamenta laicorum; de quibus non tantùm Judex ſæcularis; ſed etiam Eccleſiaſticus cognoſcere poteſt, quoad cauſas pias inſertas; juxta Trident. *Seſſ. 22. cap. 8.* *Tertiò*, cauſæ decimarum, Juris patronatûs, &c. quæ originaliter quidem Eccleſiaſticæ ſunt, & ad Eccleſiaſticum Judicem deferendæ; ſi tamen in hujuſmodi cauſis ſuper nuda poſſeſſione, & in-

& inſiſtentia Juris Eccleſiaſtici agatur; quis nimirũ in poſſeſſione Juris decimarum, vel Juris patronatûs ſit, ſi Laicus decimas ſolvere recuſet, &c. abſtrahendo à petitorio, & quæſtione proprietatis; tunc etiam Judex ſæcularis cognoſcere poteſt; quia poſſeſſio, ſeu nuda inſiſtentia, cùm ſit facti, temporalis cenſetur; dummodo actio contra laicum inſtituatur. *Quartò*, poſtulatio Reſtitutionis in integrum, ſi ab Eccleſia fiat contra laicum, non tantùm à Judice ſæculari; ſed etiam ab Eccleſiaſtico probabiliter peti poteſt; ſecundùm Gutier, Engel, &c. *Quintò*, cauſæ miſerabilium perſonarum, v. g. pupillorum, pauperum, viduarum, captivorum, peregrinorum, &c. etiam ab Eccleſiaſtico Judice cognoſci poſſunt, poſtquam Judex ſæcularis primæ inſtantiæ in adminiſtranda juſtitia fuit negligens, *cap. ex tenore, de foro compet.*

15. Nota undecimò: Cauſæ mixtæ criminales ſunt ſequentes, quas non tantùm Judex ſæcularis, ſed & Epiſcopus punire poteſt in laicis: *Primò*, adulterium; ut habet Clarus, Farin. Covarr. Pirhing. &c. *Secundò*, uſuræ; ut habet Abbas, Clarus, Covarr. Pirhing. &c. *Tertiò*, blaſphemia; ut patet ex *cap. 2. de maled.* Et tenent Abbas, Farin. &c. *Quartò*, perjurium; ut habet Abbas, Pirhing. &c. *Quintò*, ſortilegium, & divinatio, ſeu magia illicita; ut tenet Farinac. Pirhing. Abbas &c. *Sextò* ſacrilegium; utì conſtat *ex cap. cùm ſit; hoc tit.* tale eſt v. g. percuſſio Clerici, vel furtum rei ſacræ, &c. *Septimò*, Sodomia; utì docet Clarus, Farinac. Pirhing. &c. *Octavò*, crimen falſi, ſeu falſificatio literarum Apoſtol. juxta *cap. ad falſariorum 7. de crim. falſi.* *Nonò*, crimen ſpolij Eccleſiaſtici, vel invaſionis rerum Eccleſiaſticarum, *cap. cùm ſit generale 8. hoc tit.*

CAP. VII.

De modo extraordinario ſortiendi forum competens *ratione privilegij*, ſignanter *Clericalis*; ubi de foro competenti Clericorum.

1. DIco primò: ratione quoque privilegij ſortitur quis Forum competens v. g. Clericus ratione privilegij Clericalis; miles ratione militaris; vel alterius. Ita communis DD. Et de privilegio Clericali patet ex *cap. 1. & 2. hoc tit.* ratione cujus ſortitur forum competens apud ſolum Eccleſiaſticum Judicem. Et de privilegio militari ex *L. municeps 23. ff. ad municip.* ratione cujus ſortitur forum ibi, ubi militat: & ſic de alijs privilegijs diſponunt alia Jura. Et de privilegio perſonarum illuſtrium, quæ coram Principe conveniendi ſunt, *L. fin. C. ubi ſenat. vel clariſſ.* Et de privilegio ſtudioſorũ, ut coram Rectore Univerſitatis conveniantur, *Authen. habita C. ne filius pro patre.* Ex hoc

2. Dico ſecundò: Clerici univerſi habent privilegium fori Eccleſiaſtici, ita exemptivum eorundem, ut nullibi conveniri poſſint; nec ſortiantur forum competens, niſi coram Judice Eccleſiaſtico v. g. Epiſcopo, vel alio ſuo ſuperiore. Ita communis DD. Et habetur *can. ſi quis 45.* Et *can. ſi Clericus 46. cau. 11. q. 1.* Et *cap. ſi quis 1. hoc tit.* Et in Concilio Lateran. quod refertur *cap. nimis; de Jurejur.* Et ex Trident. *Seſſ. 25. cap. 20.* Et in *cap. quanquam; de Cenſ. in 6.* Ex his

3. Infertur primò: Perſonas Clericales ita gaudere privilegiô fori exemptionis, ut de Jure communi generaliter nullus Judex ſæcularis eas poſſit per ſe judicare, vel condemnare, ſeu in cauſa cum actione perſonali convenire v. g. ex mutuo, emptione, &c. Ita habetur *cap. nullus 2. hoc tit.* Et ſi hoc faciat Judex ſæcularis, incurrit excommunicationem latæ ſententiæ, *cap. 2. hoc tit. in 6.* Et *cap. 4. de immun. Eccleſ. in 6.* Et ex Bulla cœnæ, *caſ. 15.* in quibusdam tamen regionibus contrarium practicatur quò ad actiones ex mutuo, emptione &c. Privilegium hoc fori Clericorum exemptivum à judicio Laicorum ita radicatum eſt, ut nulla conſuetudine, etiam immemorabilis temporis poſſit induci oppoſitum, ut ſive in civilibus, ſive in criminalibus coram Judice ſæculari conveniri poſſint; utì conſtat ex *cap. Clerici 8.* junctâ Gloſſâ, verb, *conſuetudine; de judic.*

4. Infertur ſecundò: eaſdem perſonas Eccleſiaſticas ita habere exemptionem fori ſæcularis, ut etiam in cauſa, & actione reali non poſſint conveniri coram Judice Laico; ut habet Abbas, Marant. Farinac. Et conſtat ex *cap. ſi Clericus 5. hoc tit.* Et *ex cap. fin. de Judic.*

5. Infertur tertiò: quòd eædem perſonæ Clericales ob privilegium fori exemptivum, nec ratione domicilij, nec ratione rei ſitæ, nec ratione contractûs, nec ratione delicti conveniri poſſint; ut habet Panorm. Engel, Pirhing. &c. Et patet ex *cap. poſtulaſti.* Et *cap. fin. hoc tit.* Et *cap. 1. de privil. in 6.*

6. In-

Digitized by Google

8. Infertur quartò : Clericum etiam gaudere privilegiô fori Eccleſiaſtici in cauſa ſive civili, ſive criminali, communi cum laico ; unde propter conſortium tale laici conveniri nequit coram Judice Laico ; ſed laicus potiùs cum tali Clerico coram Judice Eccleſiaſtico conveniendus eſt; ſi cauſa individua ſit, arg. L. *ſi communem 10. ff. quemadmodum ſervit. amit.* ſi verò cauſa horum ſit dividua, & diviſibilis ; tunc quilibet in ſuo foro eſt conveniendus, arg. L. *ſi quis 52. §. 1. ff. de furtis.*

7. Infertur quintò : tam Clericos in ſacris conſtitutos, quàm Minoriſtas, vel primâ tonſurâ initiatos gaudere privilegio fori, ita ut coram Judice ſæculari conveniri non poſſint; ſed coram Eccleſiaſtico; uti conſtat ex *cap. 2. hoc tit.* modò habeat unam ex conditionibus, quas recenſet Trident. *Seſſ. 23. cap. 6. de Refor.* id eſt, ut vel habeat beneficium Eccleſiaſticum; vel habitum, & tonſuram deferens inſerviat Eccleſiæ alicui ex mandato Epiſcopi; vel ſit in Seminario Clericorum; vel in aliqua Univerſitate, utrobique incedens in habitu Clericali.

8. Infertur ſextò: eôdem privilegiô fori Eccleſiaſtici gaudere quoque Religioſos, & Religioſas, laicos, & laicas, novitios, ac novitias eorundem; ut proinde coram ſolo ſuperiore legitimo conveniri poſſint; uti patet ex *can. de perſona 38. cauſ. 11. q. 1.* Et ex *cap. Clericis 3. de immunit. Eccleſ. in 6.* Et ex *cap. minùs 4.* Et *cap. adverſùs 7. Extrav. eod.* Et *Authent. ſtatuimus C. de SS. Eccleſiis*, quibus Juribus eximuntur generaliter omnes perſonæ Eccleſiaſticæ à poteſtate ſæculari; quo nomine comprehenduntur etiam Religioſi utriuſque ſexûs, & eorum laici, & laicæ, novitij, ac novitiæ; *arg. cap. duo ſunt 7.*

9. Nota autem primò: quòd Clerici amittant hujuſmodi privilegium fori Eccleſiaſtici in pluribus caſibus. *Primò* ſi dimiſſo habitu Clericali ſeſe immiſceant enormitatibus, committendo multa enormia delicta, ob quæ meritò degradati fuêre, & traditi poteſtati ſæculari; ut habet Laym. Suar. & communis DD. *Secundò* ſi per ſententiam incorrigibiles declarentur, *cap. cùm non ab homine 10. de Judic.* Et *cap. ut famæ 35. de ſent. excom.* *Tertiò* ſi Clerici ordinati habitum clericalem, & tonſuram nunquam deferant, & ab Epiſcopo ter moniti incorrigibiles ſe oſtendant, *cap. in audientia 25. de ſent. excom.* Plures alij caſus recenſentur in Jure Canonico, quibus Clerici amittunt privilegium fori Eccleſiaſtici, ut *cap. un. de vit. & honeſt. Cleric. in 6.* Et Clement. 1. *eodem tit.* Et *cap. 1. de homic. in 6.* Et *cap. 2. de pœn. in 6.* uti oſtendetur ſuis ſpecialibus titulis, in decurſu hujus Operis.

10. Nota ſecundò: circa Clericos conjugatos Bonifacium VIII. ordinâſſe in *cap. uni. de Cler. conjug. in 6.* eos tunc tantùm gaudere privilegio fori Eccleſiaſtici, ſi connubium fecerint cum unica, & virgine; ac tonſuram, & clericalem habitum deferant: & addit Tridentinum *Seſſ. 23. de Refor. cap. 6.* ſi tales ab Epiſcopo deputati ſint ad alicujus Eccleſiæ miniſterium. Uxores quoque eorundem videntur participare de privilegio fori Eccleſiaſtici, *arg. L. fin. de incol.* Et L. *fœminæ, ff. de Senator.* Et *L. 2. C. de Epiſc. & Cleric.*

11. Nota tertiò: quòd etiam aliqui de familia quorumcunque Clericorum participent de privilegio fori Eccleſiaſtici; Puta *primò* ſervi rigoroſi, ſeu mancipia Clericorum, per *cap. Eccleſiarum ſervos 69.* junctâ Gloſſâ, *cau. 12. q. 2.* *Secundò* familia Epiſcopi; ut habet Engel, Panorm. & alij DD. in *cap. fin. de offic. Archid.* *Tertiò* probabiliter famuli Clericorum, & Religioſorum, qui ad tempus pro ſervitijs ordinarijs conducuntur: niſi conſuetudine firmâ loci contrarium obſervetur. Cæterùm famuli conductitij, qui dietim modico tempore ſerviunt Clericis, non participant de privilegio fori Eccleſiaſtici.

12. Nota quartò; Privilegium fori Eccleſiaſtici exemptivum Clericorum à poteſtate laica ſaltèm quò ad judicium, & condemnationem, & quò ad ſpiritualia, ſecundùm Gloſſam, Innocent. Abbat. Azorium, Fagn. & infinitos alios Canoniſtas, fundari in Lege naturali, & Divina; unde jam in Lege veteri Sacerdotes, & Levitæ erant exempti à juriſdictione ſæculari aliarum tribuum, uti & lege ſolvendi tributa; ſicut colligitur ex *47. cap.* Gen. Et Leu. *ult. cap.* Et Num. *18. cap.* Idem de Jure Divino aſſerit Jus Canonicum *cap. quanquam 4. de cenſ. in 6.*

CAP. VIII.

De modo extraordinario ſortiendi forum competens *per prorogationem Judicis.*

1. NOta primò: per prorogationem Judicis hìc intelligitur conſenſus, quô aliquis ultrò conſentit in Judicem nõ ſuum; ſeu ſubjectio ſui voluntaria alicui Judici, cui quis aliàs in cauſa ſubjectus non eſt, ejus Juriſdictionem ſuper ſe extendendo, & ſic alienum, & incompetentem Judicem ſuum competentem facit; uti ſumitur ex *L. 1.* junctâ Gloſſâ, ver. *ſi ſe ff. de Judic.*

2. Dico primò : poteſt quis ſortiri Forum competens per prorogatam in ſe Juriſdictionem Judicis aliàs incompetentis. Ita communis DD. Et patet ex *cap. ſignificaſti 18. hoc tit.* Et *cap. P. & G. de offic. Jud. Deleg.* Et *L. 1. & 2. C. de Judic.* Et *L. ſi convenerit. ff. de Juriſd. omn. Judic.* Eſtque Ratio; quia cuique liberum eſt, favori ſuo, & per conſequens foro, ſive exemptioni fori declinatoriæ, renunciare, ac in alium Judicem conſentire, *L. pen. C. de pactis.*

3. Nota autem ſecundò : certas requiri conditiones ad hoc, ut prorogatio Juriſdictionis in Judicem non ſuum ſubſiſtat. *Prima* eſt, ut ille Judex alienus, in quem fit prorogatio, ſeu cui partes litigantes ſeſe ſubjiciunt, habeat aliàs aliquam Juriſdictionem ſimilem, ſufficientem ad cognitionem, & deciſionem cauſæ, quæ vertitur inter litigantes, v. g. ſpiritualem, ſi cauſa ſit ſpiritualis; & criminalem, ſi cauſa ſit criminalis; utì conſtat ex *L. 1. C. de Judic.* Alioquin partes non tam veterem Juriſdictionem prorogarent, ſeu extenderent; quàm novam conferrent; quæ non eſt in poteſtate privatorum, *L. privatorum C. de Juriſdict. omn. Judic.* *Secunda conditio* eſt; ut illa Juriſdictio Judicis alieni, quæ prorogatur, ſit Juriſdictio ordinaria; non autem delegata: nam cùm delegata Juriſdictio non ſit propria ipſius delegati; ſed delegantis; *L. 1. §. fin.* Et *L. etſi Prætor. ff. de Juriſdict. ejus, cui demand. eſt Juriſd.* ideo non poteſt ultra perſonas in inſtrumento delegationis expreſſas, de ipſarum conſenſu prorogari; utì patet ex *cap. P. & G. de offic. Jud. delegat.* Quamvis autem Juriſdictio Judicis delegati de perſona ad perſonam, quæ hìc ſubſtantialia ſunt: non poſſit prorogari, & extendi; poteſt tamen prorogari de partium conſenſu de tempore ad tempus; item de loco ad locum; item de quantitate minori ad majorem; (quæ ſunt accidentalia) ut notat Vallenſ. Pirh. Et patet ex *L. 2. §. ſed ſi Judex ff. de Judic.* *Tertia conditio* eſt; ut interveniat conſenſus tum renunciantis ſuo foro; tum adverſarij; ut habetur *L. 2. ff. de Judic.* Et *L. 2. C. de Juriſd. omn. Judic.* Non eſt autem neceſſe, ut accedat conſenſus Judicis Ordinarij, cujus forum declinatur; nec illius, in quem fit prorogatio; utì patet ex *L. 2. ff. de Judic.* modò hic patiatur deinde litem coram ſe conteſtari; ut habet Gloſſa in *cit. L.* *Quarta* eſt; ut ambæ partes litigantes liberè, & ſcienter conſentiant in prorogationem Judicis incompetentis; ut habet Gloſſa, Pirh. &c. Sufficit autem conſenſus tacitus, qui ſcilicet fit ipſô factô; veluti litis conteſtatione, vel oppoſitione alicujus exceptionis dilatoriæ: ut tenet Bart. Pirh. Marant. &c. *Quinta* eſt, ut prorogatio fiat lege non prohibente; ſed permittente; cùm hæc ſuam originem, & robur ſortiatur à Lege, *L. 1. & 2. ff. de Judic.* Leges autem permittunt ſolùm fieri prorogationem ad Judicem ſub eodem ſupremo Principe conſtitutum; ut notat Pirhing. &c.

4. Nota tertiò : quælibet pars litigantium, & prorogantium Juriſdictionem Judicis incompetentis poteſt alterâ invitâ recedere à conventione jam facta, ſeu à prorogatione; modò res adhuc ſit integra; utì conſtat ex *L. ſi convenerit ff. de Juriſd.* Cenſetur autem hic res adhuc eſſe integra, ſi citatio à Judice prorogato necdum ſit emiſſa, *arg. L. cit.* & ſi citatio jam fuiſſet emiſſa; modò conteſtatio litis necdum ſit ſecuta; ut putat Gloſſa, Accurſ. Bart. Alexan. Jaſon.

5. Nota quartò : non quamlibet perſonam litigantem poſſe prorogare Juriſdictionem Judicis incompetentis in ſe: nam *primò*, Clericus nec quidem juratò poteſt renunciare Privilegio ſui fori Eccleſiaſtici, & hac viâ in ſe prorogare juriſdictionem Judicis laici; utì conſtat ex *cap. ſi diligenti 12. hoc tit.* ejuſmodi enim Privilegium non eſt à Papa conceſſum in favorem particularis Clerici; ſed in favorem totius ſtatûs, & Ordinis Clericalis; ſicque eſt publicum: privatorum autem pactis nequit derogari ijs, quæ ſunt Juris publici, *L. Juriſgentium 7. ff. de pactis.* Imò Clericus unius diœceſis prohibetur prorogare in ſe Juriſdictionem etiam Judicis Eccleſiaſtici, puta Epiſcopi alterius Diœceſis; niſi accedat conſenſus proprij Epiſcopi, *cap. ſignificaſti 18. hoc tit.* *Secundò*, Vaſallus nequit prorogare Juriſdictionem in cauſa feudali invitô Dominô feudi; cùm cauſæ feudales coram Domino feudi tractari debeant, *cap. ceterum 5. & cap. transmiſſa 6. hoc tit.* *Tertiò*, appellans nequit prorogare Juriſdictionem in Judicem alienum; debet enim gradatim appellari ab inferiori ſcilicet Judice, ad Superiorem; ut notat Felin. Pirhing. &c. *Quartò*, Laici nequeunt in cauſis Eccleſiaſticis v. g. matrimonialibus prorogare Juriſdictionem in Epiſcopum alterius Diœceſis, ſine conſenſu proprij Epiſcopi; utì ſumitur ex *can. 1. cau. 6. q. 3.* *Quintò*, nec in foro pœnitentiæ poteſt fieri prorogatio Juriſdictionis; ut videlicet quis ab alio Sacerdote, extra mortis articulum abſolvatur à mortalibus, abſque licentia, ſaltèm tacita proprij; ut conſtat ex *can. 2. cauſ. 9. q. 2.* Et *cap. omnis utriuſque 12. de pœnit. & remiſſ.* Excipe, niſi ille alius Sa-

Digitized by Google

cerdos eſſet Regularis mendicans, vel aliunde privilegiatus.

6. Quæres primò: quis ſit Judex, ſi de ipſa fori competentia quæratur? Reſpondeo; quilibet Judex Ordinarius, & delegatus poteſt cognoſcere, an ſua ſit Juriſdictio, *L. ſi quis ex aliena ff. de judic.* Et *L. 2. ff. ſi quis in Jus vocatus non iverit; vel &c.* Et *cap. ſuper literis de Reſcriptis.* Et ſi cognoverit eſſe ſuam; eundem poteſt mandatis pœnalibus contra non obtemperantes defendere, juxta *cit. L. 2.* Et *L. 1. ſi quis Jus dicen. non obtemp.* Et obtemperandum eſt Judici Juriſdictionem ſuam legitimè, & ſecundùm Jura exequenti; juxta illud Scripturæ ad Rom. 2. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et illud aliud ad Hebr. 13. *obedite præpoſitis veſtris.* Quòd ſi tamen Judex exercitium Juriſdictionis, vel citationis faceret contra Jus commune notorium, & regulare; vel contra privilegium, clauſum in Jure (quale eſt v. g. Clericorum *cap. ſi diligenti, de foro compet.*) tunc citatus non tenetur obtemperare, ſeu comparere *L. fin. ff. de Juriſd.* Si verò citatio facta ſit adverſus aliquod Privilegium ſpecialiter impetratum; vel contra exceptionem partis, quæ in Jure dubio, vel in facto conſiſtit (v. g. ſi negetur contractus in loco actionis inſtitutæ initus eſſe) è contra autem Juriſdictio Judicis erga citatum fundetur in Jure communi; tunc tenetur citatus comparere eatenus, ut privilegium ſuum exhibeat, & exceptionem declinatoriam fori probet; juxta *cap. cùm Perſonæ de Privileg. in 6.* Et *L. ſi quis ex aliena ff. de Judic.*

CAP. IX.

De Foro competenti FF. Minorum S. Franciſci.

1. Dico primò: Forum competens FF. Minorum de Obſerv. & Ref. non eſt tribunal Ordinarij, ſeu Epiſcopi Diœceſani; ſed Prælatorum ſeu Superiorum ejuſdem Ordinis. Ita communis DD. Ordinis noſtri. Et conſtat ex pluribus Privilegijs Apoſtolicis, quibus Summi Pontifices exemerunt Ordinem Franciſcanum à juriſdictione Ordinariorum quoad regimen, cauſas, & judicia FF. Minorum: & eos ſubjecêre proprijs Prælatis regularibus Minoritis: ſic fecit ſignanter Sixtus IV. *in Mari Magno Minorum, & Prædicatorum.* Et in Bulla aurea, *Regimini &c.* ſic Gregorius IX. Innocentius IV. Clemens IV. Martinus V. Clemens V. Sixtus V. Nicolaus V. ac complures alij, qui tum noſtrum, tum alios Ordines Mendicantium (cum quibus communicat in Privilegijs Ordo FF. Minorum) exemerunt ab Ordinariorum foro contentioſo. Motiva conceſſionis horum Privilegiorum vide *in Schola mea Theologica tom. 3. tract. de Privil. diſt. 2. q. 5.* Unde

2. Nota primò: Fratres Minores nec ratione delicti, nec ratione contractûs, nec ratione rei ſitæ in Diœceſi Epiſcoporum, de qua controvertitur, conveniri poſſe coram Ordinario; ſed coram ſolo Prælato Ordinis, vel Romano Pontifice; uti habet *cit. Mare Magnum*, & Bulla Benedicti XI. *inter cæteros.* Nec Epiſcopum poſſe legitimè cenſuras ferre contra eoſdem; & latæ ſunt nullæ; uti habet idem *Mare Magnum*; & tenet Rodrig. & communis DD. Ordinis. Nec præſcribere leges ijſdem Fratribus, cauſas, & tribunalia eorum concernentes; nam de his procedit illud *cap. à nobis, de ſent. excomm. extra territorium Jus dicenti impunè non paretur.*

3. Nota tamen ſecundò: aliquas modificationes circa hoc privilegium exemptionis FF. Minorum, & aliorum Regularium fuiſſe factas in Concilio Tridentino; quarum tenorem, & examen jam attuli ſupra *lib. 1. tit. 31. cap. 9.*

4. Nota tertiò: ſi quis Frater Minor de Obſerv. vel Reform. præſumpſerit declinare forum competens ſuorum Prælatorum, & ad Ordinariorum tribunalia appellaverit; aut quovis modo ad ea judicialiter recurſum fecerit, juxta Bullam Pij V. *etſi mendicantium,* ipſo facto incidit in excommunicationem, & abſolvi non poteſt extra mortis articulum, præterquam à ſolo Romano Pontifice; uti habent Conſtitutiones generales Ordinis modernæ *cap. 7. §. 6. n. 58.* Inſuper idem recurrens incurrit pœnas privationis officiorum, inhabilitatis perpetuæ ad illa, & omnia alia; necnon vocis activæ, & paſſivæ; *ibidem.*

5. Nota quartò: in Ordine noſtro forum competens reſpectu FF. Minorum gerunt ſequentes. *Primò* Guardianus, & quiſcunque alius ſuperior localis. *Secundò* Miniſter, Vicarius, & Commiſſarius Provincialis. *Tertiò* Capitulum, & Congregatio Provincialis. *Quartò* Procurator, & Commiſſarius Generalis Curiæ reſpectu Apoſtatarum. *Quintò* Miniſter, Vicarius, Commiſſarius, & Vice-Commiſſarius Generalis. *Sextò* Capitulum, & Congregatio Generalis. *Septimò* Protector Ordinis. *Octavò* S. Congregatio, & Summus Pontifex; ac ab eo ſpecialiter delegatus. Ad horum ergo tribunalia, & non alia, Fratres Franciſcani ſuas cauſas deferre debent, & ab eiſdem judicari.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS III.
DE LIBELLI OBLATIONE.

CAP. I.
De quidditate, & qualitatibus Libelli offerendi.

1. Nota primò: poſteaquam conſtiterit Actori de competentia fori, & Judice competenti, ac legitimo, coram quo lite diſceptandum eſt; debet is conficere Libellum, ſeu Scripturam, cui inſerta ſit ſua petitio, & intentio; ſeu res, quæ petitur; eamque debet offerre Judici, ut is, & Reus de qualitate cauſæ informentur. Ex his

2. Dico primò: rectè deſcribitur Libellus, quòd *ſit Scriptura Actoris, ſeu Accuſatoris, Judici legitimo exhibita, continens Actoris, ſeu Accuſatoris petitionem, ejuſque cauſam.* Ita Schneidev. Engel, Vallenſ. &c. Ly *Scriptura* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur autem *Scriptura*; quia in omni Judicio ordinario Libellus in ſcriptis offerri debet; *Authen. offeratur C. de litis conteſt.* Et *cap. 1. hoc tit.* Et quia acta omnia Judicij in ſcriptis ſunt redigenda per Notarios, vel duos viros idoneos; nè fraus circa illa poſſit committi, *cap. quoniam 11. de probat.* adeoque ad hunc finem libellô ſcriptô opus eſt. Dicitur *Actoris, ſeu Accuſatoris,* quô ſignatur Author Libelli. Dicitur *Judici legitimo exhibita,* ut monſtretur perſona, cui libellus neceſſariò eſt primò offerendus in ordine ad conveniendam partem adverſam, per Judicis citationem; nam Judici principaliter offerendus eſt Libellus, ut eô inſpectô ſciat, quid petatur, & quô pactô à ſe concipienda ſit ſententia; quippe quæ debet eſſe conformis Libello, *L. ut fundus ff. communi dividundo.* Et *cap. licet 31.* junctâ Gloſſâ verb. *Judicij forma; de Simon.* Dicitur *continens Actoris &c.* ut oſtendatur finis Libelli, & intentio libellantis. Porrò ut Scriptura iſta, & Libellus cenſeatur legitimus, atque debitus, debet ſequentes habere qualitates.

3. *Prima* qualitas Libelli debitè inſtructi eſt; ut ſit ſcriptura brevis: unde tantùm neceſſaria, & utilia continere debet; quæ ſi legitimè extiterint probata, intentionem Actoris contra adverſarium evincent, rejectis ſuperfluis, *L. ampliorem 39. §. in refutatoriis, C. de appellat.*

4. *Secunda* eſt; ut Libellus præfatus ſit clarus, & certus, non alternativus; ut notat ex Gailo, Vallenſ. Pirh. &c. Ratio eſt; quia ſi offeratur Libellus obſcurus vel ratione æquivocationis, vel nimiæ generalitatis, vel alternativæ propoſitionis, vel quia conditionalis eſt, ita ut non appareat quid petatur, is poteſt rejici, *L. Prætor 7. ff. de injuriis.* Repeɼiuntur nihilominus quidam caſus, in quibus Libellus alternativus ſuſtinendus, & admittendus eſt; de quibus fusè agunt Min. Gail. Vall. &c. *Primò,* in actione hypothecaria; ut ſi Actor dicat, peto illum condemnari ad traditionem rei oppignoratæ, vel ad ſolvendum debitum, *L. ſi fundus 16. ff. de pignor. Secundò,* quando agitur ex *L. 2. C. de reſcind. vendit.* ubi venditor concludere debet, ut emptor aut ſuppleat, quod eſt de juſto pretio; aut rem emptam reſtituat, *cap. dilecti 3. de emption. & vend. Tertiò,* quando petitur reſtitutio adverſus contractum, teſtamentum, vel ſententiam; tunc enim Actor poteſt alternativè petere, ut declaretur nullus; aut ſi quô modô valeat, reſcindatur; aut ipſe adverſus eum in integrum reſtituatur. *Quartò,* quando petitur reſtitui res ipſa, ſi adhuc exiſtat, & incertum ſit, an exiſtat; aut ejus æſtimatio, ſi jam conſumpta ſit: alioquin ſi certum ſit, rem adhuc exiſtere, ipſa res peti debet, non ejus æſtimatio; utpote, quæ in ſubſidium tantùm debetur *L. fin. C. de fideicomm. libert. Quintò,* quando incertitudo provenit ex facto adverſarij, *L. 1. §. quia autem ff. quorum legatorum:* & hinc valeret hujusmodi Libellus teſte Gailo, *peto rem jure dominij, vel quaſi dominij:* Vel *peto me declarari dominum; vel quaſi dominum.*

5. *Tertia* qualitas Libelli eſt, ut ſit ordinatus: conſiſtit autem ordo ejus in tribus: ſcilicet in præfatione ſeu facti narratione; Secundò in medio concludendi, ſeu juſta cauſa; & tertio in concluſione, ſeu petitione.

CAP. II.
De diviſione, & forma ſubſtantiali, ſeu formalibus requiſitis Libelli.

1. Nota primò: Libellus eſt duplex, ſcilicet civilis, ſeu conventionalis; & criminalis; uti conſtat ex *cap. fin. hoc tit.*

tit. Libellus civilis, ſeu *conventionalis* eſt, qui in cauſis civilibus offertur; quando ſcilicet Actor petit rem civilem ratione dominij, vel alterius Juris; de hoc procedit *Authen. offeratur C. de lite conteſtanda.* Et *cap. 3. hoc tit. Criminalis* eſt, qui adhibetur in cauſis criminalibus, ſeu qui continet accuſationem alicujus criminis; de hoc procedit *can. nullus*; *cauſ. 4. q. 4.* Et *L. libellorum 3. ff. de accuſat.*

2. Dico primò: Jure moderno in Judicio ordinario oblatio Libelli eſt de ſubſtantia ordinis judicialis: ita ut neceſſariò ab Actore offerendus ſit, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus; tam coram Judice ordinario, quàm delegato. Ita Gloſſa, Abbas &c. Et colligitur ex *cap. 1.* ex illo verb. *oportet, hoc tit.* Et ex *Authen. offeratur C. de litis conteſt.* Quòd ſi tamen partes litigantes compromittant in Judicem ut arbitrum, poterit omitti Libelli oblatio. Uti & in cauſis modicis; vel vilium perſonarum v.g. ruſticorum; vel ubi conſuetudine aliud introductum eſt; conſuetudo enim fori derogat Juri ſcripto circa judicia, *L. 3. ff. de teſtib.*

3. Dico ſecundò: ad formam ſubſtantialem Libelli civilis, ſeu conventionalis pertinet quoque expreſſio cauſæ petendi, ſeu motivi ad concludendum, ex Jure deſumpti. Ita Gloſſa, Engel, Vallenſ. Ratio eſt; quia ex cauſa petendi debitè expreſſa, ſeu medio concludendi colligitur, & demonſtratur qualitas intentatæ actionis, *cap. literæ tuæ, de dilat.*

4. Nota autem ſecundò: quòd in actione perſonali cauſa remota ſit contractus, vel quaſi contractus, delictum, vel quaſi delictum, *L. conſenſ.* Et *L. actionum genera ſ. actionum ff. de obligat. & action.* Proxima verò eſt jus inde competens, & obligatio rei correſpondens, *L. licet ſ. ea obligatio ff. de procurat.* In actione reali cauſa remota eſt factum, ſive titulus, ex quo cauſatur dominium, vel quaſi dominium, v.g. quòd res ſit legata, vendita, & tradita.

5. Nota tertiò: in Libello civili actionis perſonalis ſufficit exprimere cauſam remotam, *cap. fin. hoc tit.* dicendo v.g. *peto à Livio mille aureos, quos mihi debet ex contractu mutui; vel ex depoſito*; quia ex cauſa remota præſumitur proxima, ſcilicet obligatio, ſeu jus inde competens. Nec ſufficit exprimere cauſam proximam tantùm, dicendo v.g. *peto mille aureos à Livio, ad quos mihi obligatus eſt*: nam hoc modo Libellus eſſet nimis generalis; cùm ex pluribus cauſis nobis deberi poſſit, *L. & an eandem ſ. actiones ff. de except. rei judic.* In Libello verò actionis realis, puta vindicationis rei, ſufficit exprimere cauſam proximam, dicendo v.g. *peto rem, quæ mea eſt ratione dominij, vel quaſi dominij.* Nec requiritur, ut cauſa remota, ſeu titulus exprimatur, quô dominium, vel quaſi dominium fuit acquiſitum; ut notat ex Gloſſa, & Gailo, Vallenſis, ac Pirhingus: nam per expreſſionem ſolius cauſæ proximæ in Libello talis actionis Reus ſufficienter fit certus, an cedere, vel contendere velit; ut habet Gloſſa &c. cùm duo non poſſint habere dominium ejuſdem rei in ſolidum, *L. ſi ut certum ſ. ſi duobus ff. commodati.*

6. Dico tertiò: præterea de forma ſubſtantiali Libelli conventionalis, ſeu tanquam formalia ejus requiſita, ſunt ea omnia, quæ his vocabulis denotantur, *quis*; *quid*; *coram quo*; *quo jure*; & *à quo.* Ita Gloſſa Hoſtienſ. Vallenſ. &c. Ratio eſt; quia abſque his Reus, & Judex non ſufficienter inſtruuntur ad operandum in Jure.

7. Nota autem quartò: Ly *quis* requirit ad formam ſubſtantialem Libelli conventionalis expreſſionem nominis Actoris, ut de eo conſtet. Ly *quid* petit expreſſionem cauſæ, ſeu narrationis facti. Ly *coram quo* petit expreſſionem Judicis; ut conſtet, an is ſit competens; nec nè. Non requiritur tamen, ut nomen proprium Judicis exprimatur in Libello civili; ſed ſufficit, ut Judex à ſuo officio, & juriſdictione appelletur. Ly *quo jure* petit exprimi cauſam, ex qua, vel in qua Actor intentionem ſuam fundare velit; quæ omnino eſt exprimenda, *cap. fin. hoc tit.* Ly tandem *à quo* petit exprimi nomen adverſarij, ſeu Rei conventi; ita communis DD.

8. Nota quintò: in Libello civili ſecundùm Jus Canonicum non eſt opus, conceptis terminis exprimere nomen actionis, *cap. dilecti, de judic.* nam ſufficit, ut ex forma concluſionis certum genus actionis intelligatur; cùm ex motivo petendi, ſeu cauſa, & medio concludendi colligatur qualitas intentatæ actionis, *cap. literæ tuæ*; *de dilat.*

9. Dico quartò: in Libello criminali, ſeu accuſationis, formalia requiſita, & neceſſariò exprimenda ſunt ſequentia; ſcilicet narratio facti, v.g. homicidij; locus ubi factum eſt delictum; tempus; annus; menſis; accuſator, Reus; & Judex. Ita Vall. Felin. Pirh. Ratio eſt; quia abſque his Judicium ſecurè inſtitui, & compleri nequit.

10. Dico quintò: mutare Libellum tam civilem, quàm criminalem licitè poteſt Actor ante litis conteſtationem; non item poſt litem conteſtatam; ſi mutatio cadat ſuper ſubſtantiam Libelli. Ita Bart. Gail. Vall. &c. Primum conſtat ex *L. edita 3.* Et eſt Ratio; quia ante

Digitized by Google

litis conteſtationem cenſetur Judicium necdum inceptum propriè; ideoque Actor ab eo recedere,& pœnitere poteſt. Secundum conſtat per *arg.* L. *non poteſt 23. ff. de judic.* Et eſt Ratio; quia mutatio ſubſtantialis Libelli facit perire rem, vel cauſam Libelli.

11. Nota tamen ſextò: Quòd ſi Actor poſt litem conteſtatam velit uti novô Libellô, ſeu novâ inſtantiâ,id ei permittitur, cum refuſione expenſarum, *cap. examinata 15. de judic.* Similiter Actor poſt litis conteſtationem poteſt declarare Libellum ſuum,ſi quid obſcuriùs in eo contineatur: nam declarans nil de novo dicit, *arg. L. Heres 21. §. ſi quid ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Idē Actor poteſt quoq; in accidentalibus ipſum mutare etiam poſt litem conteſtatam, *arg. cit. §. ſi quid.* Item ſi Actor in Libello omiſit petere acceſſoria v. g. fructus,& expenſas.

12. Dico ſextò emendare Libellum poteſt Actor, etiam uſque ad ſententiam. Ita Vall. &c. Et conſtat ex L. *ſi quis intentione C. de edendo.* Eſtque Ratio; quia emendare Libellum eſt tantùm vitium, ſeu mendum aliquod ejus,vel obſcuritatem tollere; vel aliud quid accidentale facere; ſalvâ ipſius Libelli ſubſtantiâ; quod proinde fieri permittitur. Hinc ſi Actor de ſumma aliqua petita velit diminuere, uſque ad ſententiam eſt audiendus, *arg.* L. *quidam ff. ſi certum petatur.* Sicut & ſi errore ductus ab initio minùs, quàm ſibi debebatur,petierit, poteſt in eadem inſtantia corrigere errorem ſuum, *§. ſi minus, Inſtit. de action.*

13. Nota ſeptimò: poſtquam Libellus cum debita forma ſubſtantiali,& omnibus formalibus requiſitis hactenus allatis inſtructus Judici oblatus eſt,is citare debet Reum, ſeu adverſarium in Judicium, & dare ipſi copiam ejusdem Libelli, ut ſciat, ob quam cauſam vocatus ſit in Judicium; & cognitâ actione,quâ convenitur, poſſit deliberare, utrùm liti cedere; an contendere velit; & ſi contendendum putet, veniat ad defendendum inſtructus, *L. 1.* junctâ Gloſ. ver. *ad agendū, ff. de edendo.*

14. Nota octavò: effectus Libelli oblationis eſt, quòd ſecundùm petitionem Libello inſertam ferenda ſit ſententia; & quòd Actor poſt Libellum Judici oblatum cogatur litem proſequi, & deducere ad finem, *Authen. qui ſemel C. quomodo, & quando Judex.*

15. Nota nonò: Reus citatus, & aſſecutus copiam Libelli,ſibi à Judice tranſmiſſi non ſtatim obtentô libellô cogitur reſpondere; ſed eidem dandæ, & concedendæ ſunt induciæ,ut interim deliberet, an contendendum ſit; an acceptandus,vel recuſandus Judex; & & ut ſi quas habeat exceptiones,proponat. Et quidem de Jure comuni conceditur tali Reo dilatio 20. dierum, *Authent. offeratur C. de litis conteſtatione;* hujusmodi tamen dilationem Judex quandoque coarctare poteſt juſtis de cauſis, *arg.* L. *2. ff. de re judic.*

CAP. III.

De citatione,ſeu in Jus vocatione.

1. NOta primò: principium inſtituendi Judicij eſt Citatio,ſeu in Jus vocatio, Juris experiendi cauſâ, *cap. quoniam contra, de prob.* Et *Clem. paſtoralis, de re jud.* de qua quia in Corpore Juris Canonici non extat ſpecialis titulus; cùm de ea tantùm fiat mentio *cap. pen. de foro comp.* ideo de ea hic tractabo. Deſcribitur autem bene ſic; Citatio *eſt actus judicialis, quô is qui in Judicio ſiſti opus habet, à Judice legitimô mandatô vocatur in Judicium, Juris experiendi causâ.* Ly *actus* eſt genus; reliqua ſtatuuntur pro differentia

2. Nota ſecundò: Citatio eſt actus præparatorius Judicij, ita neceſſarius, ut eâ omiſſâ omnis alius actus judicialis irritus ſit, & nullus, *cap. Eccleſia; de Conſt.* ſpectat enim ad defenſionem,quæ eſt Juris naturalis;& nemo inauditus eſt condemnandus; ut notat Zoëſius; & colligitur ex facto Domini, qui Adam lapſum ſinè prævia citatione, & audientia noluit condemnare; utì ex illo Gen. *3. cap.* patet, *Adam ubi es?*

3. Nota tertiò: Citatio alia eſt publica; alia privata. *Publica* eſt,quæ fit per proclama, ſeu vocem Præconis; vel per tubam; vel campanam; vel edictum valvis publicis Curiæ, aut portis civitatis affixum. *Privata* eſt, quæ fit privatim in perſonam citandi. Hæc rurſus alia eſt verbalis; alia realis. *Verbalis* eſt,quæ fit vel in faciem, vel per apparitorem, aut literas, *Realis*, quæ fit per apprehenſionem perſonæ ex mandato Judicis, & adductionem ejusdem perſonæ ſic apprehenſæ ad Judicium, *cap. ſi Clericos 15. de ſent. excom. in 6.* Huic locus eſt potiſſimè in cauſis criminalibus. Publicæ citationi,maximè edictali, locus eſt in caſu,quo Reus aliô modô citari nequit; ut ſi locus,in quo citandus moratur, non ſit tutus, vel non ſit territorij proprij, vel ſit remotus, aut varius; vel ſi ipſe citandus ſit vagabundus,ita ut Citatione verbali conveniri nō poſſit; vel ſi contradictor ſit incertus, & citentur omnes in genere,quorum intereſt; vel ſi incerti ſint creditores defuncti, & volens adire hæreditatem ſuſpectam, cupiat facere inventarium; vel ſi agatur de materia infamationis; utì notant Vall. Menoch.

4. Nota quartò: præterea Citatio alia eſt ſimplex; alia peremptoria, ut notat Vall. Pirh. & patet ex varijs Juribus. *Simplex* eſt,quæ citatum non reddit priùs contumacē, quàm

Digitized by Google

quàm tribus vicibus emiſſa ſit, *L. tres denunciationes 9. C. quomodo & quando Judex*; & ita quidem, ut inter ſingula tria edicta Citationum intercedat juſtum intervallum, ſcilicet non minus, quàm 10. dierum. *L. ad peremptorium 68.* Et duabus LL. ſeq. *ff. de Judic.* Hodie verò 30. dierum, *ex Authent. qui ſemel C. quomodo & quando Judex &c.* Quamvis Judex pro qualitate perſonæ, cauſæ, temporis, loci, aliiſque circumſtantijs, & numerum Edictorum, & intervalla eorundem, ſi neceſſitas poſtulet, augere, vel diminuere poſſit, *L. nunquam 72. ff. de judic.* *Citatio peremptoria* (ſic dicta, quia omnes ſimplices Citationes perimit) eſt, quæ pro memoratis tribus ſimplicibus Citationibus decreta eſt cum expreſſo termino *peremptoriè*; & contumacem conſtituit citatum, ſi in Jus vocatus præfixa die non comparuerit, *L. & tertium.* Et *L. nonnunquam ff. de judic.* Attamen abſens etiam poſt peremptorium Edictum benignitate Judicis citari poteſt, *L. & poſt peremptorium ff. de judic.*

5. Nota quintò: tandem Citatio alia eſt Juris; alia hominis. *Prima* habetur quando Jus, vel lex ſtatuit certum terminum ad comparendum. *Secunda* habetur, quando Judex ſtatuit terminum ad comparendum in judicio; *Clement. 2. de pœnis.*

6. Nota ſextò: ut Citatio aliqua cenſeatur eſſe legitima, & valida, requiruntur ſequentes conditiones. *Prima* eſt, ut Citatio contineat nomen, & cognomen Judicis citantis; ut videlicet citatus cognoſcat, an juſſu competentis Iudicis decreta ſit Citatio; cùm ſupra Iuriſdictionem, vel extra territorium citanti impunè non pareatur, *L. fin. ff. de jurisd. omn. judic.* Si autem citatus dubitet, an juſſu Iudicis competentis ſit vocatus, comparere nihilominus tenetur, & incompetentiam allegare, *L. 2. ff. ſi quis in Jus voc. non ierit.* *Secunda conditio* eſt, ut Citatio contineat nomen, & cognomen ejus, qui citatur, *cap. 34. & 36. de Reſcript.* uti & actoris, ad cujus inſtantiam citatur; utì habet Vallenſ. Gail. ut intelligat citatus Citationem fieri non ex officio Iudicis; ſed ad petitionem partis; nam ſola commiſſio Iudicis ſinè petitione, & inſtantia partis citandum non coarctat ad comparendum, *L. peremptorium 68.* junctâ Gloſſâ marg. *ff. de judic.* *Tertia* eſt, ut Citatio fiat mandatô Iudicis competentis, ſcilicet Ordinarij, vel delegati; aliàs citatum non arctat, *L. neminem C. de exhib. reis*: & propterea Citatio regulariter fit per apparitorem, habentem ſpeciale mandatum, aut commiſſionem Iudicis *L. properandum C. de judic.* niſi ex ſpeciali conſuetudine Curiarum ſit introductum, ut ſufficiat generale mandatum. *Quarta* eſt, ut in Citatione exprimatur cauſa, ſaltèm in genere, ob quam Reus citetur; præſertim dum citatur ex loco remotiori; ut is inſtruatur, ſuper quo convenitur, & paratus ad reſpondendum accedat; & deliberare poſſit, num lite cedere; vel contendere velit; ut habet Vallenſ. Pirh. Gail. &c. *Quinta* eſt, ut in Citatione exprimatur locus Iudicij, ſeu tribunal; ut cognoſcat citatus, an Iudex citans excedat, vel non excedat fines ſuæ Iuriſdictionis, citando extra territorium: item an locus, ad quem citatur, ſit tutus, & commodus: citatio enim ad locum non tutum, vel incommodum, infert gravamen, à quo licitè appellatur. *Sexta* eſt, ut Citatio contineat terminum, & diem certum, ac opportunum, quô citatus compareat, ut commodè ad locum Iudicij venire poſſit; ſciatque an dies præfixa ſit juridica; nam ad diem feriatum non tenetur comparere; utì conſtat ex *cap. 1. de feriis.*

7. Nota ſeptimò: Citari, & in jus vocari debent omnes, quorum intereſt, & quorum cauſa agitur; ſeu qui lædi poſſunt per aliquem actum judicialem ſubſequentem, *L. de unoquoque 47. ff. de re judic.*

8. Nota octavò: finis præcipuus Citationis reſpectu Actoris eſt, ut Reus ad inſtantiam ipſius compareat: reſpectu verò Rei, ut is interim ſe ad defenſionem parare poſſit; utì notat Hiltrop. Pirh. &c. DD.

9. Nota nonò, effectus Citationis varij ſunt. *Primus* eſt, quòd Citatio legitimè facta conſtringat citatum ad comparendum; niſi juſtâ exceptione ſe tueatur; v. g. quòd Magiſtratum gerat; quòd ſit parens, vel patronus, quos ſinè permiſſu Prætoris in jus vocare non licet: vel quòd propter loci religionem ſe inde movere non poſſit; vel quòd funus ducat, aut juſta defuncto ſolvat; vel alia ſimili cauſa impediatur; de quibus videnda eſt *L. 2. & 3. & ſeq. ff. de in jus vocando.* Et *lib. 2. cum ſeq. ff. ſi quis cautiom. in jud. ſiſt.* Quòd ſi citatus, nullâ juſtâ, & legitimâ cauſâ à comparendo præpeditus, non compareat, puniendus eſt, ut contumax. *Secundus* effectus Citationis eſt; quòd perpetuet Juriſdictionem Judicis delegati, poſtquam ab ipſo emanavit; etſi nondum ad notitiam citati pervenerit, *cap. 10. & fin. de offic. Jud. deleg.* Quare ſi quis, poſtquam citatus eſt, alterius fori eſſe cœperit, in ea cauſa jus revocandi domum non habeat, *L. ſi quis poſtquam 7. ff. de Judic.* *Tertius*

Digitized by Google

eſt, quòd interrumpat præſcriptionem odioſam longiſſimi temporis, 30. vel 40. annorum; ut notat Gloſſa, Minſin. Vallenſ. &c. Et habetur *L. fin. de annal. except.* *Quartus* eſt, quòd vitium litigioſi inducat, ita ut talis rei litigioſæ alienatio ſit prohibita; & litis pendentiam, ad eum effectum, ut lite pendente nil poſſit innovari, *Authent. litigioſa, C. de litigioſ.* Et *Clement. 2.* junctâ Gloſſâ, verb. *ad hoc ut lite pendente.*

10. Nota decimò: Citatio debet in executionem debitè duci: quare Nuncius debet Reum citandum diligenter inveſtigare, ut eidem coram, & in faciem inſinuet Citationem. Quòd ſi is non inveniretur, poteſt accedere ejus Procuratorem, ſi quem conſtituit; vel domeſticos ejus adire; aut his deficientibus vicinos, iiſque annunciare citationem talis rei; & eiſdem relinquere exemplar ſuæ commiſſionis, ut ſic ad eum Citatio perveniat, *cap. cauſam, de dolo.*

11. Nota undecimò: poſtquam Nuncius peregit Citationem aliquô ex ſupradictis modis, debet ea in acta referri, ut appareat de ipſius legitima executione: & Nuncio referenti modum Citationis executæ credendum eſt, propter fidem ejus delectam, & Juramenti religionem, quâ eſt obſtrictus Judici; uti ex Gailo notat Vallenſis.

TITULUS IV.

DE MUTUIS PETITIONIBUS.

CAP. I.

De quidditate, & effectu mutuarum petitionum.

NOta primò: ſolet interdum poſt Reo
1. oblatum Libellum Actoris, Reus viciſſim aliquid ab Actore petere, proponendo contra ipſum actionem, & ſuper aliqua cauſa eundem reconveniendo porrectô libellô; præſertim quando compenſationi locus non eſt; ut quia debitum liquidum non eſt ex utraque parte; vel ſi neque per confeſſionem Rei ſit liquidatum; vel ſi ex una parte debeatur ſpecies, ex altera quantitas; vel quia compenſatio lege prohibetur, ut in *L. 1. 2. C. de compenſat.* In his ergo, & ſimilibus, in quibus compenſatio non habet locum, Reus recurrere debet ad reconventionem, quam Papa Gregorius IX. *hoc tit.* appellat *mutuam petitionem;* eò quòd Reus mutuè reagat contra Actorem; ſeu viciſſim actionem inſtituat coram eodem Judice; & ſic oriantur duæ mutuæ, ſeu reciprocæ petitiones. Ex his

2. Dico primò: bene deſcribuntur mutuæ petitiones, quòd *ſint conventio ex parte Actoris, & reconventio ex parte Rei, quâ Reus poſt oblatum, & viſum libellum Actoris viciſſim aliquid ab eo petit coram eodem Judice, ac in eodem Judicio; etiamſi aliàs Judex ille non ſit Actoris competens.* Ita Vallenſis, & Pirh. Et colligitur ex *L. cùm Papianus 14.* junctâ *Authen. Et conſequenter C. de ſentent. & interl. omn. Judic.* Ly *conventio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Dicitur *conventio ex parte Actoris,* ut oſtendatur prima ex mutuis petitionibus, quæ eſt conventio Actoris, facta per oblationem libelli. Dicitur, *& reconventio ex parte Rei,* ut oſtendatur ſecunda reciproca petitio, quæ eſt conventio Rei. Ly *quâ Reus poſt oblatum, & viſum libellum Actoris viciſſim aliquid ab eo petit coram eodem Judice, ac in eodem Judicio,* exprimit qualitatem, & finem reconventionis Rei, & indicat Judicem, coram quo fieri debet reconventio, qui eſt idem Judex, cujus officium priùs imploraverat Actor: reliquæ particulæ *etiamſi aliàs Judex ille &c.* inſinuant Actorem debere pati reconventionem Rei, etiam in caſu, quo Judex, cujus Judicio ſeſe ſubjecerat per oblationem ſui libelli, aliàs non eſſet ordinarius, & competens Judex. Ex his

3. Infertur primò: in mutuis petitionibus, ſeu reciprocis conventionibus non concedi Reo durante Judiciô conventionis, Actorem convenire coram alio Judice; nè coram diverſis Judicibus eodem tempore agatur, *cap. fin. & cap. diſpendia; de reſcriptis in 6.* Et nè in ipſius calumnioſa poteſtate ſit, Actorem ad alium Judicem trahere, & ſic ejus actionem elidere, Actoremque à petitionis ſuæ proſecutione diſtrahere, *L. ſi idem §. ſed etſi mutua ff. de Juriſdict.* Et *Authen. & conſequenter C. de ſent. & interloc.* Niſi Reus ob juſtum impedimentum, vel ſpecialem repugnantem qualitatem talis cauſæ, v. g. quia ſpiritualis, vel feudalis eſt, poſthac nullo unquam

quam

Digitized by Google

quam tempore poſſet Actorem convenire; uti notat Vallenſ. ex Bart. in *citatam Authenticam*; quo caſu non Actor ipſe, ſed genus ſpeciale talis cauſæ recuſat, & dedignatur eundem Judicem.

4. Infertur ſecundò: ſimiliter in mutuis petitionibus non poteſt Actor declinare Judicem eundem à Reo imploratum cum libello reconventionis; nec ſe tueri ulla exceptione fori incompetentis, quò minùs cogatur reſpondere coram eodem Judice, *L. Papinianus C. de ſent. & interlocut. omn. Judic.* Et quia æquitati conſentaneum eſt, ut Actor, qui ſponte ſibi eligit talem Judicem contra adverſarium, viciſſim etiam patiatur, ut adverſarius contra ipſum petere, & eligere poſſit eundem Judicem; nec debet Actori licere, quod Reo non permittitur, *L. non debet, 41. ff. de Reg. Jur.* Item patet ex *can. 1. cau. 3. q. 8.* Quòd ſi Actor nolit reſpondere libello Rei in cauſa conventionis coram eodem Judice; nec Reus tenebitur Actori in ejus cauſa reſpondere, *cap. 1.* & *2. hoc tit.* Et *cap. fin. de Juramento calumn.*

CAP. II.

In quibus cauſis habeat, vel non habeat locum mutua petitio, ſeu reconventio.

1. Dico primò: mutua petitio ſeu reconventio habet locum in omnibus cauſis, quæ ſpecialiter in Jure non ſunt prohibitæ. Ita ſentit torrens DD. ut Marant. Bartol. Vallenſ. Pirh. Zoëſ. &c. Unde etiam in cauſis diverſas qualitates habentibus locum habet; ut notat Zoëſ. Quare agenti ſuper Feudo coram Curia feudali etiam proponi poteſt de pecunia aliunde debita. Item in cauſis ſummarijs ejus uſus eſt, ſi utraque cauſa ſit ſummaria; ut tenet Gloſſa; & conſtat *ex Clement. 2. ſ. verùm de V. S.* Si autem una tantùm ſit ſummaria, quæ celerem expeditionem poſcit; & altera plenaria, ſeu ordinaria, quæ longiores dilationes exigit; tunc procedit quidem reconventio quoad prorogandum Judicem, uti patet ex *Clement. ſæpe*, quæ loquitur indiſtinctè; ſed non quoad hoc, ut ſimul, & unâ ſententiâ ambæ cauſæ terminentur, niſi parte volente, uti ex Bart. & Marant. obſervat Vallenſis, & Pirhingus.

2. Dico ſecundò: ex prohibitione Juris mutua petitio, ſeu reconventio non habet locum in cauſis criminalibus. Ita Engel, Gloſſa, Vallenſ. Zoëſ. &c. Ratio eſt; quia non relatione criminum; ſed innocentiâ Reus purgari debet, *can. 1. & can. 2. caus. 3. q. 11.* Et *L. is qui ff. de Judic.* Et quia conventus criminaliter non poteſt reconvenire Actorem, ſeu Accuſatorem ſuper pari, vel minori crimine, *L. negânda 19. C. de his, qui accuſar. non poſſ.* Poteſt tamen eum convenire ſuper crimine majori, objiciendo ei majus crimen; vel proſequendo ſuam, ſuorumque injuriam, *cit. L. neganda.* Et *L. 2. ſ. ſed etſi, ff. de Judic.*

3. Nota primò: Reus criminaliter conventus etiam non poteſt Actorem civiliter convenire; vel è contra; uti habetur in *cit. L. 2.* nam pendente criminali causâ, nequit eſſe locus quæſtioni civili, *L. fin. C. de ord. Judic.* Niſi in quæſtionem civilem principaliter motam incidat quæſtio criminalis; vel criminali judicio priùs inſtituto adjungatur cauſa civilis; quo caſu Judex ſuâ ſententiâ ſuper principali causâ latâ, utramque quæſtionem dirimet: ſublatô enim principali, acceſſorium quoque corruit, *L. cum principalis ff. de Reg. Jur.* Et *cap. acceſſorium eodem tit. in 6.* Reus autem civiliter conventus de aliquo crimine poteſt Actorem reconvenire de alio crimine civiliter, coram Judice competenti, id eſt, qui ſit Judex competens reconvenienti; uti obſervat ex Maranta Vallenſis.

4. Dico tertiò: mutua Rei petitio, ſeu reconventio non habet locum in cauſis executivis, quæ nimirum habent paratam executionem; ut in debitis confeſſionatis; & in depoſito. Ita Vallenſ. Engel, Marant. &c. Et conſtat ex *L. pen. C. depoſiti.* Et *L. ult. ſ. in fine ff. de compenſat.*

5. Dico quartò: ſimiliter nec in cauſis appellationum; nec in cauſis ſpolij habet locum reconventio. Ita Abbas, Engel, Maran. Pirh. Durand. &c. De primo adeſt diſpoſitio Juris in *L. 1. cùm qui appellavit, in Provincia defendi.* Et eſt Ratio; quia appellatio interponitur communiter ob neceſſitatem impellentem; puta ob gravamen aliquod, ſeu injuriam illatam à tali Judice; adeoque coram eodem nequit reconveniri appellans. Ratio ſecundi eſt; quia ſpoliatus agens judiciô poſſeſſoriô, ſive interdictô recuperandæ poſſeſſionis non poteſt reconveniri à Reo judiciô petitoriô ſuper proprietate; neque poſſeſſoriô; niſi Reus ſpoliatus reconveniat Actorem ſuper alia ſpoliatione, contra ſe per eum facta; alioquin enim non tenetur ſpoliatus reſpondere; niſi priùs reſtituatur, *cap. fin. de ord. cognit.*

6. Dico quintò: non admittitur reconventio in cauſis, quarum natura, & qualitas ei repugnat; & de quibus Judex conventionis cognoſcere nequit, ob incapacitatem, cujuſmodi eſt cauſa ſpiritualis, de qua laicus nequit

Digitized by Google

nequit cognoſcere. Ita Abbas, Pirh. Honor. Engel, &c. Ratio eſt; quia in his non adeſt ulla competentia fori.

7. Dico ſextò: ſimiliter non admittitur in cauſis non feudalibus coram Paribus Curiæ feudalis. Ita Minſing. Pirhing. &c. Ratio eſt; quia cum hi non habeant juriſdictionem, niſi quæ ex lege feudorum ipſis competit; conſequenter extra cauſas feudales non poſſunt cognoſcere.

8. Dico ſeptimò; etiam excommunicatus nequit Actorem reconvenire. Ita Engel, &c. Ratio eſt; quia reconventio non eſt defenſio; ſed nova impugnatio, quæ excommunicato non permittitur, *cap. cum inter; de except.*

9. Dico octavò: probabiliùs etiam eſt, in Jure Canonico, quòd Clericus conveniens laicum coram Judice ſæculari, coram eodem non poſſit à Reo reconveniri, ſive in cauſa criminali, ſive in civili diverſa. Ita Joann. Andr. Abbas, Pirhing. & communior DD. contra Vallenſ. Engel, Zoës, &c. Ratio eſt *primò*; quia à generali regula prohibitoria non eſt recedendum, niſi reperiatur caſus in Jure ſpecialiter expreſſus, uti conſtat ex *cap. 2. de transl. Epiſc.* Et *cap. 1. de ſupplend. negl. Prælat.* ſed in Jure Canonico paſſim, ſignanter *cauſ. 11. q. 1.* extat generalis regula prohibitoria ne Clericus in cauſa ulla, etiam civili trahatur ad Judicem ſæcularem, & coram eo conveniatur, aut ab eo judicetur; à qua generali prohibitione nullibi reperitur except⁹ caſus reconventionis: Ergo, &c. Ratio eſt *ſecundò*; quia Clericus nequit ſe ſubjicere Juriſdictioni Judicis laici; cùm non poſſit renunciare privilegio fori, conceſſo in favorem totius ſtatûs Clericalis, *cap. diligenti 12. de foro compet.* Adeoque nequit à Reo laico reconveniri coram Judice ſæculari, ſive in cauſa criminali, ſive in civili.

10. Nota tamen ſecundò: quòd Clericus à laico Reo poſſit conveniri in cauſa illa merè civili, in qua Clericus Reum convenit coram Judice ſæculari; ſi per modum exceptionis, v. g. compenſationis aliquid ſit opponendum: vel ſi quid per modum acceſſorij, ſeu tanquam connexum viciſſim petatur, v. g. ut Clericus Actor ſolvat expenſas litis; nam de talibus etiam Judex ſæcularis contra Clericum cognoſcere poteſt; uti obſervat Imola, Pirh. Marant. &c. quamvis talis Judex non poſſit perſonam Clerici exequi, & conſtringere ad ſolvendum; ſed hoc Judex Eccleſiaſticus præſtare debet, juxta Felin. &c.

Objecta alterius ſententiæ vide ſoluta apud Laym. Pirhing.

CAP. III.

De tempore, & modo inſtituendi mutuam petitionem, ſeu reconventionem; ejuſque cognitionem.

1. Dico primò: etſi magìs uſitatum ſit, ut mutua petitio, ſeu reconventio proponatur ante litis conteſtationem; vel ſaltem paulò poſt, antequam ad alios actus judiciales procedatur; attamen probabiliùs eſt, etiam quocunque alio tempore durante eôdem Judiciô, uſque ante ſententiam definitivam, poſſe eandem inſtitui, ſaltèm quoad prorogationem juriſdictionis. Ita Engel, Pirh. Bart. Marant. &c. Primum conſtat ex *Clement. ſæpe*, verb. *verum; de verb. ſignif.* Et *Authen. de execut. §. ſancimus, coll. 7.* Secundum conſtat ex *cap. diſpendia 3. §. reus quoque; de Reſcript. in 6.* ubi generaliter dicitur, Reum poſſe convenire Actorem durante Judiciô eôdem; durat autem idem Judicium uſque ante definitivam ſententiam: Ergo, &c.

2. Dico ſecundò; idem modus procedendi, qui tenetur in cauſa conventionis, tenendus quoque eſt in cauſa reconventionis. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. Prudentiam 2. hoc tit.* Circa modum cognoſcendi reconventionem

3. Nota primò: poſtquam porrectus eſt uterque libellus, ſcilicet unus conventionis ex parte Actoris, & alter reconventionis ex parte Rei, Judex de utraque cauſa cognoſcere debet; ita tamen, ut priùs Reus ad libellum Actoris reſpondeat; deinde Actor ad libellum Rei; & deſuper ſuper utraque petitione, lite conteſtatâ, utriuſque cauſæ ſingulos, vel etiam plures actus judiciales viciſſim, eodemque die, ſi fieri poſſit, expediat *cap. 1.* Et *2.* verb. *cum ea; de ordin. cognit.* junctâ *Clement. ſæpe*, verb. *vos uſum, de verb. ſignif.* Debet autem ſemper dari prærogativa Actori; ut videlicet primò expediantur actus in cauſa conventionis, *arg. L. qui prior appellat. 29. ff. de Judic.* Atque ita ſi de utraque cauſa pariter liqueat, Judex utramque unâ ſententiâ ſcriptâ terminabit *cap. 1. hoc tit.* ita tamen, ut in ea primò ſcribatur caput conventionis; & ſecundò caput reconventionis.

Digitized by Google

TITULUS V.
DE LITIS CONTESTATIONE.

CAP. I.
De quidditate Litis conteſtationis; & ejus requiſitis.

1. NOta primò: ſi Judicium latiùs ſumatur, tunc citatio dicitur principium ejuſdem inſtituendi quoad aliquos effectus Juris; nam legitimè factâ citatione res, de qua orta eſt controverſia, redditur litigioſa, ita ut ejus alienatio ſit prohibita, *Authen. litigioſa C. de litigioſis.* Item Citatio inducit litis pendentiam, ut nihil innovari poſſit *Clement. 2.* junctâ Gloſſâ ver. *ad hoc, ut lite pendente, &c.* Item inducit præventionem, ſi plures Judices aliàs in ſolidum habebant Juriſdictionem in ordine ad poſſe cognoſcere talem rem, *L. ſi quis poſtquam 7. ff. de judicijs.* Item quòd perpetuet Juriſdictionem Judicis delegati, *cap. ſuper quæſtionum 27. de offic. & poteſt. Jud. deleg.* Item quòd interrumpat præſcriptionem longiſſimi temporis, puta 30. vel 40. annorum; & alios effectus, quos ſupra *tit. 3. cap. 3.* attuli. Si verò Judicium ſumatur in rigore, & ſtricta, ac propria uſurpatione; tunc illud propriè incipit à Litis conteſtatione; quæ proinde fundamentum, baſis, & initium Judicij dicitur *cit. cap. ſuper quæſtionum.* Et *§. fin. Inſtit. de pœn. temer. litig.* Et *cap. quoniam, de probat.* Unde ante Litis conteſtationem non dicitur quis propriè agere, vel petere; ſed agere, vel petere velle, *L. amplius ff. ratam rem haberi.* Et propterea etiam ante eandem Litis conteſtationem poteſt mutari libellus, tam criminalis, quàm civilis; non item poſt, *L. non poteſt. 23. de Judic.* etiamſi partes conſentirent in ejus mutationem; quia actus ſubſtantiales, qualis eſt Litis conteſtatio, nequeunt conſenſu partium tolli; ut notat Gloſſa. Item ante eandem poteſt recuſari Judex, *L. fin. C. de recept.* Non autem poſt ipſam, *L. nemo 4. C. de Juriſd. omn. Judic.*

2. Dico primò: rectè deſcribitur Litis conteſtatio, quòd *ſit declaratio pura voluntatis litigantium, per petitionem unius, & reſponſionem negativam alterius coram Judice facta, quâ profitentur ſe ſuper cauſa controverſa utrinque in Judicio velle litigare.* Ita colligitur ex *cap. unic. hoc tit.* Ly *declaratio* eſt genus; reliqua habent rationem differentiæ. Ex hac deſcriptione

3. Infertur primò: ad debitam Litis conteſtationem requiri, ut ſit pura declaratio, & non conditionalis: Litis conteſtatio enim eſt actus legitimus, qui neque diem, neque conditionem recipit, *L. actus legitimi 77. ff. de R. I.*

4. Infertur ſecundò: ad eandem non ſufficere ſimplicem narrationem facti in libello, & ſecutam reſponſionem deſuper, *cap. un. hoc tit.* Et *cap. dudum 54. §. partibus, de elect.* Sed requiri neceſſariò petitionem unius partis, ſcilicet Actoris; quæ plerumque conſiſtit in affirmatione rei; & per reſponſionem alterius, ſcilicet Rei, quæ conſiſtit in negatione; quibus confitentur ſe velle omnino litigare de re controverſa, & per ſententiam definitivam expectare exitum Judicij: unde abſque animo, & intentione litigandi ex utraque parte non fit Litis conteſtatio: hinc ſi Reus proteſtetur expreſſè, ſe non animô litem conteſtandi, aut litigandi in Judicio; ſed potiùs Judicis informandi causâ, reſpondere ad petitionem Actoris, non inducitur Litis conteſtatio; ut notant DD. in *L. unic. C.* Et *in cap. uni. hoc tit.* Quòd ſi autem Reus quidem in principio proteſtetur generaliter, & obiter, ſe nolle ſuper libello exhibito litem côteſtari; poſtea tamen ſimpliciter reſpondeat negativè ad eundem libellum; tunc per hoc cenſebitur lis conteſtata; uti colligitur ex *cap. un. hoc tit.* & tenet Vallenſ. Ferrarien. Felin. Gail. & alij DD. Ratio eſt; quia proteſtatio illa præcedens actui reſponſionis negativæ contraria, non cenſetur aliquem effectum producere, *cap. cùm M. Ferrar. de conſtit.* ſed Reus cenſetur relictâ priori intentione, nunc verô animô litem conteſtari; nam nemo cenſetur dixiſſe, quod non mente agitavit, ſeu conceperit, *L. Labio 7. §. ſervias ff. de ſuppel. Legat.*

5. Infertur tertiò: ad Litis conteſtationem debitam requiri, ut fiat coram Judice, ſeu in Judicio, & Jure; non enim extra Judicium fieri poteſt, *arg. L. voluit 4. ff. de interrog. in Jure fac.* Unde ſi Reus extra Judicium, id eſt ante petitionem Actoris in Judicio factam, debitum v. g. controverſum fateatur, non inducitur per hoc Litis conteſtatio: ac proinde nec ſententia Judicis definitiva; ſed præceptum duntaxat ſolvendi ſubſequi debet, *L. ſi debitori 21. de Judic.*

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

De forma faciendi conteſtationem Litis; & pœnis eam temerè eludentium.

1. NOta primò: Forma Conteſtationis Litis ſolet in praxi hæc adhiberi ſecundùm Bartol. Gail. Pirh. &c. *Primò* Actor vel ad interrogationem Judicis, vel per ſeipſum, omnia in ſuo libello narrata, & petita repetendo dicat; *affirmo narrata uti narrata fuere, vera eſſe; & petita ut petita fieri debere.* Vel ſic; *repeto narrata, & petita libelli mei.* *Secundò* deſuper Reus reſpondet ſic; *nego narrata, prout narrata fuere, vera eſſe*: vel ſic *dico petita fieri non debere; petoq́; me abſolvi ab inſtituta actione.* Sufficeret tamen etiam, ſi Reus ſimpliciter neget, quod ab adverſario petitum eſt; *L. unic.* & ibi Gloſſa *C. hoc tit.* quæ eſt implicita litis conteſtatio. Rectè etiam inſtituitur Litis conteſtatio per verbum dubitativum credulitatis; v. g. ſi dicat Reus, *non credo narrata eſſe vera*; vel *ignoro narrata eſſe vera.* Item ſi Reus dicat, *tu mentiris*; uti notat Maran. Bald. &c. niſi hæc verba enuncientur ex impetu coleræ, & iracundiæ; ut obſervat Abbas, Vallenſ. &c. Item fieri poteſt non ſolùm per ipſas partes principiales litigantes; ſed etiam per earundem Procuratores, vel Advocatos: dummodo eorum reſponſio ad petitionem emanata, non fuerit revocata à partibus principalibus, *cap. cùm cauſam, de appellat.* Circa alterum articulum hujus capituli

2. Nota ſecundò: ſi Reus interponat proteſtationem frivolam de non reſpondendo ſuper libellum Actoris, vel ejus poſitiones, & tergiverſetur proteſtando, ſolùm ut differat hôc modô Judicium, poterit contumacia ejus per remedium Juris coëceri, & ipſe ad conteſtandam litem compelli; v. g. Actori petenti miſſionem in bonorum, poſſeſſionem decernendo ex primo, vel ſecundo decreto: nam ex primo decretò nudam rei detentionem cuſtodiæ causâ, & pignoris vice Actor conſequitur, nec fructus lucratur; ex ſecundo verò verus poſſeſſor efficitur.

CAP. III.

De poſitionibus, & articulis, ac reſponſionibus, ſolitis fieri poſt Litis conteſtationem.

1. NOta primò: poſitiones bene deſcribuntur, quòd *ſint quædam narrationes, ſeu aſſertiones alicujus facti, ad cauſam controverſam pertinentis, ſuper quo petitur ab adverſario reſponderi, ut ita ipſe ponens, ſeu Actor ab onere probandi per confeſſionem adverſarij relevetur*; ut habet Gloſſa. Nam ſi Reus reſpondendo ad ejuſmodi poſitiones, confeſſus ſit dictum, vel factum aliquod, nullâ amplius opus eſt probatione, v. g. teſtibus; ut notat Durand.

2. Nota ſecundò: Articuli verò bene deſcribuntur, quòd *ſint quædam aſſertiones, quas Reus conventus negat.* Ideoque articulans, ſeu Actor debet eas probare per teſtes, vel inſtrumenta; neque cenſetur fateri id, quod in eis continetur; ſicut qui edit Poſitiones: unde Poſitiones debent præcedere; Articuli verò ſequi; ita ut poſtquam Reus reſpondit ad Poſitiones, ſingulas confitendo, aut negando; Actor poſtea ſolas poſitiones negatas denuò offerat Judici, ut appareat, quænam probari debeant.

3. Nota tertiò: Poſitiones (ſeu ut alij loquuntur *Poſitionalia*) debent eſſe breves, nihil ſuperflui continentes, ſed ad rem, ſeu cauſam principalem pertinentes. Debent inſuper eſſe claræ, & non obſcuræ: unde ſi vel impertinentes, vel valde obſcuræ ſint, debet eas Judex rejicere; ſicut & libellum ineptum. Erunt autem Poſitiones impertinentes; ſi non ſint ex ipſo libello concinnatæ; ut notat Gailus, &c. DD.

4. Nota quartò: tam poſitiones, quàm Articuli debent continere ea tantùm, quæ ſunt facti; non autem fictionis; ſeu quæ fieri debent de ijs, quæ ſunt Juris, id eſt de caſu legis: nam Judici per ſe nota ſunt Jura; nec egent probatione aliqua. Poſitiones, & earum reſponſiones in ordinarijs Judicijs debent Judici præſentari ſcriptò, ut exinde meliùs colligere valeat, num ſint vel impertinentes, vel impoſſibiles, vel captioſæ, vel negativæ, &c. ut habet Gloſſa. Debent inſuper Poſitiones porrigi mediante juramento (quod *Juramentum dandorum* vocatur) quô Actor atteſtatur, ſe hujuſmodi Poſitiones afferre non animò calumniandi; ſed Juris ſui tuendi causâ. Idem obſervandum cum reſponſionibus porrectis

rectis ſuper poſitionalia; ubi Juramentum interveniens ex parte rei dicitur *Juramentum reſpondendorum*, *cap. 2.* & ibi Gloſſa, *de teſtibus in 6.*

5. Nota quintò: Reſponſiones ſolitæ à Reo dari ſuper Poſitiones, & Articulos Actoris debent quoque eſſe claræ, ad rem pertinentes, puræ, & abſque conditione, ut adverſarius ſit certus, quid ſit probandum: & fieri debent per verbum *credo*, vel *non credo*, dicendo, *non credo hanc propoſitionem; vel articulum*; uti obſervat Gailus.

CAP. IV.

De effectibus conteſtationis litis.

1. NOta primò: plures recenſentur effectus Conteſtationis Litis ab Hoſtienſ. Mar. Durand. Vallenſ. &c. principaliores ſunt ſequentes: *Primus*, quòd factâ Litis conteſtatione procedi poſſit ad ſententiam definitivam; ad quam abſque illa non poſſet procedi; uti colligitur ex *cap. ſi verò etiam; in novell. de exhibendis reis 53. cap. 3.* *Secundus* eſt, poſt eandem conteſtationem, per mortem Actoris, ſeu principalis, cauſa non finitur; ſecùs ſi lis non ſit conteſtata, *L. nullæ 23. C. de Procurat.* *Tertius* eſt; Conteſtatio litis facta facit rem litigioſam, ita ut ea ampliùs alienari non poſſit, *Authent. litigioſa C. de Judic.* *Quartus*, poſt eam Judex ampliùs recuſari nequit; quia partes in eum conſenſiſſe cenſentur, & Juriſdictionem ejus prorogâſſe, *L. nemo 4. C. de Juriſd. omn. Judic.* *Quintus*, poſt eandem non poſſunt ampliùs à Reo opponi exceptiones dilatoriæ, & fori declinatoriæ; quia iiſdem cenſetur opponens renunciâſſe per Litis conteſtationem, *L. Pomponius 40. §. ratihabitionis ff. de Procurat.* *Sextus*, per Litis conteſtationem interrumpuntur præſcriptiones longi temporis, ſcilicet decem, vel viginti annorum, inchoatæ à Reo, *L. moræ 26. C. de rei vindic.* *Septimò*, Litis conteſtatio facit, ut actiones pœnales, ex delictis, vel quaſi delictis deſcendentes tranſeant in ſolidum ad Reorum hæredes, *§. in fine Inſtit. de perpet. & tempor. actio.* quæ alioquin ex Juris civilis diſpoſitione, nonniſi quatenus ad eos pervenerit, competunt, *L. unic. C. de delictis defunct.*

TITULUS VI.

UT LITE NON CONTESTATA NON PROCEDATUR AD TESTIUM RECEPTIONEM; VEL AD SENTENTIAM DEFINITIVAM.

CAP. I.

Generaliter non licet teſtes excipere, & ſententiare, lite non conteſtata.

1. DIco primò: antè Litis conteſtationem regulariter vetitum eſt Judici recipere teſtes, & procedere ad ſententiam definitivam; ſed ſolitus ordo judiciarius eſt ſervandus. Ita Gloſſa Vallenſ. Zoëſ. Engel, & communis. Et conſtat ex *cap. 1. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia ante Litis conteſtationem cauſa principalis non cenſetur in Judicium ſtrictè ſumptum deducta, *cap. accedens §. cùm igitur 2. hoc tit.* Et quia tunc nihil adhuc eſt, ſuper quo teſtes recipi, aut ſententia definitiva ferri poſſit; Litis enim conteſtatio eſt exordium, & baſis Judicij formandi; uti conſtat ex L. *1.* cum *Authent. offeratur C. de Jurejurand.* Unde ſi ante eam lata fuerit aliqua ſententia, erit ipſo Jure nulla, *cit. cap. §. cùm igitur.* Ex hac Regula generali

2. Infertur primò: præfatam Regulam procedere etiam in cauſa matrimoniali, ubi ordo Judiciarius aliàs non ità exactè ſervatur: in hac etiamſi agatur de crimine adulterij civiliter tantùm, ſcilicet in ordine ad inſtituendam ſeparationem Thori, vel dotis reſtitutionem; attamen ante litem non conteſtatam nequeunt excipi teſtes, nec ferri ſententia definitiva, quamvis Reus eſſet contumax, ſed is ſententiæ excomunicationis ſubjici poteſt, *cap. ad hoc 1. hoc tit.* Et eſt generale remedium contra contumaces quoſcunque in cauſis civiliter attentatis, ſi ter legitimis intervallis, vel ſemel peremptoriè citati contempſerint comparere in Judicio, ſicque Litis conteſtationem protervè impedire, nè teſtes recipi poſſint, & ad ſententiam definitivam

Digitized by Google

procedi; quòd tunc propter contumaciam eorum excommunicentur, ſi cauſa ſit talis, in qua immiſſio in bona fieri nequeat, *cap. tuæ 3. hoc tit.* vel Actor mittatur in poſſeſſionem bonorum; ut hac ratione Reus videns adverſarium ſuum in poſſeſſione bonorum ſuorũ, tandem tædiô affectus, accedat Judicium, pro reſpondendo, *cap. quoniam ſſ. ſi in alijs; hoc tit.* Interea autem teſtes recipi nequeunt ad probandam Actoris intentionem, *cap. 1. 2. 3. & 4. hoc tit.*

3. Infertur ſecundò: etiam in cauſa reſtitutionis contra contumacem procedit illa regula; ita ut abſque prævia Litis conteſtatione nequeat fieri teſtium receptio, & ſententia ſinè hac lata ſit nulla; uti conſtat ex *cap. accedens 2. hoc tit.*

CAP. II.

De caſibus exceptis à priori Regula generali.

1. Nota primò: ab hac Regula generali excipi in Jure quoſdam caſus, in quibus ſi civiliter agatur, etiam lite non conteſtata poſſunt recipi teſtes; & interdum ad ſententiam definitivam procedi; quos fusè proſequitur Gloſſa. *Primus* eſt, ſi agatur de valore electionis, vel proviſionis Eccleſiæ prælaturæ: vel de valore matrimonij, & Reus per contumaciam abſit; tunc enim non tantùm ſententia excommunicationis in eum ferri poteſt; ſed etiam teſtes recipi, & ad ſententiã definitivam procedi: ne videlicet propter longiorem moram, Prælatura, vel Eccleſia detrimentum patiatur; vel in matrimonio viro, aut mulieri occaſio fornicandi præbeatur, *cap. quoniam 5. ſſ. porrò, hoc tit.* *Secundus* eſt, ſi agatur proceſſus inquiſitionis, teſtes excipi, & examinari poſſunt, nullâ attentâ litis conteſtatione, *cit. cap. quoniam.* *Tertius* eſt; ſi Actor metuat, ne inter litis conteſtandæ moras copia probationum ſibi ſubtrahatur; ex eo quòd teſtes examinandi ſint ſenes, valetudinarij, vel diu abſuturi (mors enim, & longa abſentia æquiparantur per textum *cap. præſentata, de teſt.*) vel quia ad bellum profecturi ſunt; aut mare transfretaturi: vel ſi Actor timeat teſtes ob moram variaturos depoſitionem; labilis enim eſt hominum memoria; in his inquam, & ſimilibus circumſtantijs poterit Actor petere, ut tales teſtes, etiam lite non conteſtatâ, examinentur; ut habet Engel, Vallenſ. Felin. Sencin. Erit autem Actor poſt exceptionem teſtium ex præfatis motivis factam obligatus intra annum utilem (id eſt ab eo tempore, quo agere, vel denunciare potuit) actionem formalem civilem inſtituere; aut ſaltèm præfatam teſtium receptionem Reo denunciare, ut ipſe advertat produci contra ſe tales teſtes, & contra eoſdem oppoſitiones congruas (ſi quæ adſint) formare valeat; aliàs dictæ teſtium receptiones nullum habebunt vigorem in futuro Judicio, *cap. fin. in principio.* Et *cap. quoniam ſſ. ſed etſi Actor,* Junctâ Gloſſâ ibidem, *hoc tit.*

2. Nota autem ſecundò: quòd ſi tamen criminaliter agatur, ſeu Actor, vel potiùs Accuſator inſtituere velit cauſam criminalem, non permittuntur recipi teſtes pro futura ejus accuſatione (niſi pro perſona Rei ad probandam ipſius innocentiam, ad quem finem teſtes quocunque tempore, abſque diſcrimine ætatis, valetudinis, aut abſentiæ recipi poſſunt *cap. ſignificavit, de teſtib.*) nam in criminalibus requiruntur probationes liquidæ, præſentes, & ſtrictæ, *L. fin. C. de probat.* Et meliùs eſt nocentem dimittere, quàm innocentem punire, *L. abſentem ff. de pœnis.*

3. Nota tertiò: *Quartus* caſus à ſuperiori Regula generali exceptus eſt, ſi quis timeat, ſibi aliquando movendam litem; talis quà futurus Reus poteſt curari examinari teſtes *ad perpetuam rei memoriam*, ut dicitur, & futuram ſui defenſionem; & non tantùm illos, circa quos eſt periculum mortis, vel abſentiæ; ſed etiam quoſcunque: quare circa hoc indulgetur plus Reo, quàm Actori; & meritò; quia non eſt in poteſtate Rei quando conveniatur in Judicio; ſicut eſt in poteſtate Actoris, quãdo agere velit.

4. Nota quartò: quandocunque ante litis conteſtationem in præfatis, vel ſimilibus caſibus recipiuntur teſtes, tunc requiritur, ut pars adverſa citetur, & denuncietur ijs, qui putantur aliquam prætenſionem habituri, ut videant teſtes jurare, & poſſint proponere ſua interrogatoria, ſi velint. Si tamen Reus ad Jus propterea vocandus, ſit tyrannus, vel ſævus, vel potens nimis; quem proinde Actor non audet convenire, aut eidem teſtium receptionem denunciare; tunc pro illo tempore omitti poteſt illius citatio; Judex tamen debet diligenter ſupplere vices partis abſentis; ut notat Abbas: & Actor infra annum numerandum à tempore, quô poterit conveniri, dictum Reum convenire neceſſe habet; vel eidem ſaltèm teſtium exceptionem factã denunciare, & depoſitiones eorum tranſmittere; aliàs ejuſmodi receptio erit invalida; præſumetur enim teſtes in fraudem fuiſſe receptos, ut videlicet Reus tractu temporis perdat occaſionem opponendi, & excipiendi cõtra tales teſtes, *cap. ult. hoc tit.* verb. *ſed ſi Actor.*

5. Nota

5. Nota quintò: ut exceptio teſtium in præmiſſis, & alijs caſibus eò firmior, & utilior ſit, poterit is, qui eam à Judice petit, poſtulare inſtrumentum publicum, deſuper à Notariò confectum, quod ſuo tempore in Judicium afferri poterit ad probandam ſuam intentionem; uti conſtat ex *cap. ſignificavit. tit. de teſtib.*

TITULUS VII.
DE JURAMENTO CALUMNIÆ.

CAP. I.

De quidditate, contentis, & neceſſitate Juramenti calumniæ.

1. Nota primò: facta litis conteſtatione ſolet à partibus litigantibus exigi Juramentũ calumniæ, ſcilicet vitandæ, (ut exponit Abbas, & communis DD.) Eſt autem *calumniari* in criminalibus cauſis, intentare alteri falſa crimina *L. 1. ſ. 1. ff. S.C. Turpil.* in cauſis autem civilibus, eſt per meras fruſtrationes negotium differre; vel per fraudem alios vexare litibus: unde Calumniatores dicuntur à lege illi, qui alios per fraudem, & fruſtrationem litibus vexant, *L. ſi calumnietur 233. in prin. ff. de V. S.*

2. Dico primò: rectè deſcribitur Juramentum calumniæ, quòd *ſit invocatio Divini Numinis ut teſtis, quâ profitentur partes litigantes; quòd in Judicio inchoato, tam agendo, quàm excipiendo, & defendendo abſque intentatione falſi criminis, vel fraude, & fruſtratione, cum fide bona cuncta peragere velint; & credere ſe habere bonam cauſam.* Ita colligitur ex *L. 2. C. de Jurejur.* Et *cit. L. 1.* & alijs. Ly *Invocatio* eſt genus; reliqua ſubeunt rationem differentiæ. Ex hac deſcriptione

3. Infertur primò: plura contineri capita in Juramento calumniæ. *Primò*, utraque pars litigans ſuô Juramentô aſſeverare cenſetur, quòd credat ſe juſtam cauſam habere, & fovere, *L. 2. C. hoc tit.* *Secundò*, ſimiliter utraque pars jurando ſe obſtringere cenſetur, quòd legitimè interrogata, veritatem in omnibus dicere velit; ut habet Vallenſ. Pirh. *Tertiò*, pariter uterque litigantium obligatur, ad non utendum falſis, aut ſuperfluis, aut calumnioſis probationibus, *Authent. in iſto juramento C. hoc tit.* *Quartò*, quòd iidem nullam calumnioſam dilationem petent in fraudem, aut protelationem cauſæ, *L. 1. C. hoc tit.* *Quintò*, quòd ijdem litigantes nihil penitus patrocinij causâ Judicibus, vel alijs quibuſvis perſonis dederint, promiſerint, vel daturi ſint, per ſe, vel per alios; præterquam Advocatis ſalaria, cæteriſque perſonis, quibus à Jure permittitur, *Authen. principalis C. eodem.* De his omnibus extant illi vulgati verſus à Gloſſa, relati in *cap. 1. hoc tit.*

Illud juretur, quod lis ſibi juſta videtur.
Et ſi quæretur verum, non inficietur.
Nil promittetur: nec falſa probatio detur.
Ut lis tardetur; dilatio nulla petetur.

4. Dico ſecundò: Juramentum calumniæ neceſſariò præſtandum eſt ab utraque parte litigantium, ſi exactum fuerit; & ſi ab alterutra omiſſum fuerit, vitiatur proceſſus, atque ſententia lata eſt nulla. Ita Vallenſ. Bart. Franc. Gailus, &c. Et conſtat ex *L. 2. ſ. ſed quia C. eod.* Quòd ſi autem Juramentum exactum non fuerit, & propterea omiſſum ab alterutra parte, non vitiatur proceſſus; uti conſtat ex *cap. 1. ſ. propter; hoc tit. infra* Et quia in tali caſu cenſetur tacitè remiſſum fuiſſe.

5. Nota ſecundò: partes litigantes non poſſunt per pactum expreſſum, vel mutuum conſenſum remittere Juramentum; uti habetur *cit. cap. 1.* Et *L. 2. C. hoc tit.* Quia ipſum introductum eſt ob bonum publicum; ut videlicet fraudes evitentur in Judicijs; & nè veritas occultetur, *cit. L. 2.* Et ad coërcendos litigatores à malitioſa litium intentatione, *arg. cap. ſi diligenti; de foro competenti.* Et *L. ſi unus ſ. illud nulla ff. de pactis.* Neque etiam quacunque conſuetudine contraria introduci poteſt, ut partes non peragant Juramentum de vitanda calumnia, illudque recuſent, quando à Judice ipſis offertur; uti conſtat ex *cap. cæterum 5. hoc tit.* Cùm omnis talis conſuetudo cenſeatur irrationabilis, & bonis moribus repugnans; utpote quæ aperit viam calumniandi, occultandi veritatẽ, & fraudes, ac fruſtrationes committendi.

6. Nota tamen tertiò: quòd per reſcriptum Principis ſupremi poſſit remitti Juramentum certis perſonis litigantibus, aliàs de fide,

fide, & calumnia committenda non ſuſpectis; modò in tali reſcripto habeatur clauſula, *lege non obſtante.* Ratio eſt; quia ſupremus Princeps poteſt derogare Legi comuni. Non poſſunt tamen Judices inferiores ordinarij, vel delegati tale Juramentum remittere; cùm ad ſubſtantiam Judicij pertineat.

CAP. II.

Quæ perſonæ debeant præſtare Juramentum calumniæ?

1. Dico primò: omnes perſonæ principales litigantes, puta Actor, & Reus, cujuſcunque ſtatûs ſint, tenentur præſtare Juramentum calumniæ vitandæ. Ita Gloſſa, Hoſtienſ. Vallenſ. & communis DD. Et conſtat ex *Authent. principales C. de Jurejur. propter cælum.* Ex hac generali regula

2. Infertur primò: etiam perſonas Eccleſiaſticas in quacunque dignitate conſtitutas debere jurare de evitanda calumnia in progreſſu litis, ſi ipſæ perſonaliter ſuam propriam cauſam agere velint; & renitentes cōpelli debent à Judice, non obſtante contraria conſuetudine, *cap. cæterum 5. hoc tit.* Alioquin ſi cauſam ſuæ Eccleſiæ tantùm agant, non poſſunt compelli ad edendum Juramentum calumniæ; ſed alijs idoneis perſonis defenſoribus hoc munus poſſunt delegare; uti colligitur ex *cap. 1. hoc tit.*

3. Infertur ſecundò: quòd non tantùm ipſæ primæ perſonæ principales litigantes jurare debeant, de evitanda calumnia; ſed etiam earum hæredes, ad quos tranſijt inſtantia, *Authent. principales*, junctâ Gloſſâ ver. *migraverit;* nam Juramentum defuncti principalis non tranſit in hæredem; cùm non tranſeat de perſona in Perſonam; uti notat Gloſſa! Nec in hoc hæres, & defunctus cenſentur eſſe una perſona; ex eadem Gloſſa.

4. Infertur tertiò: quòd etiam Epiſcopi per ſe litigantes debeant præſentialiter præſtare Juramentum calumniæ; uti habetur *cap. cum cauſa 7. & ult. in prin. hoc tit.* Nec adverſatur huic concluſioni *cap. 1. hoc tit.* dicens, quòd Epiſcopus non debet jurare; ſed alijs officium jurandi delegare: Quia *cit. cap. 1.* tantùm vult, quòd Epiſcopus non debeat vi aliquâ extrinſecâ compelli ad præſtandum Juſjurandum; non autem quòd obligatus non ſit ad jurandum; ut notat Gloſſa ibidem. Cæterùm decentiùs, & convenientiùs eſt, ut Epiſcopus non agat per ſe in Judicio, & conſequenter nè juret; ſed ut per Syndicum agat, & juret, tam in cauſis proprijs, quàm Eccleſiæ; uti conſtat ex *can. quia 3. cauſ. 5. q. 3.* idemque ibi ſtatuitur de Sacerdotibus, ut & ipſi per Advocatum agant, & jurent.

5. Nota ſecundò: ſi contigat Clericum perſonaliter agere, vel defendere, coram alieno Judice Eccleſiaſtico; tunc Juramentum calumniæ facere nequeunt abſque ſpeciali licentia ſui proprij Epiſcopi; uti conſtat ex *cap. 1. hoc tit.* Quòd ſi tamen talis Clericus juraret coram alieno Judice Eccleſiaſtico, abſq; licentia ſui Epiſcopi, non propterea vitiatur proceſſus; uti notat Gloſſa, Abbas, Bartol. &c.

6. Nota tertiò: Juramentum calumniæ regulariter à laico præſtatur tactis SS. Evangelijs, *L. 1. & 2. in principio C. hoc tit.* à Clericis autem, ſignanter Epiſcopis, fit propoſitis tantùm Evangelijs, *cap. fin. hoc tit.* ſufficit tamen etiam maximè in cauſis ordinarijs, & levibus, ſi vel tacto pectore ſacerdotali jurent; vel promiſſionem per ſuam conſecrationem Sacerdotalem faciant; uti habetur *can. ſi Preſbyter 4. cauſ. 2. q. 5.* In cauſis tamen arduis, & gravioribus Clerici, etiam Epiſcopi jurare tenentur tactis SS. Evangelijs, *can. quoties 9. cauſ. 1. q. 7.*

7. Dico tertiò: Procuratores etiam perſonarum principalium litigantium jurare debent in animam earundem perſonarum, ſeu dominorum; dummodo ad hoc habeant ab eis ſpeciale mandatum. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. nullus 3. & ult. hoc tit. in 6.* Quod procedit, etſi Principales perſonæ, ſeu eorum Domini ipſimet etiam in perſona priùs præſtitiſſent Juramentum; uti colligitur ex *cap. 2. de Procurat. in 6.* Imò ijdem Procuratores requiſiti etiam nomine proprio Juramentum calumniæ edere debent; etſi aliud prius jam edidiſſent nomine ſuorum dominorum; ſi tamen ſpeciale ad hoc habeant mandatum, uti colligitur ex *eodem cap. 2.* & habet Gloſſa, Vallenſ. Pirh. Franc. &c.

8. Dico quartò; etiam patroni cauſarum, ſeu Advocati Juramentum calumniæ præſtare tenentur, ſecundùm Juris diſpoſitionem. Ita Abbas, Pirhing. & communis DD. Et patet ex *L. 2. in prin. C. hoc tit.* Et *L. rem non novam 14. C. de Judic.*

9. Dico quintò: ſimiliter tutores, curatores, Syndici, ſeu Actores generales, aut œconomi alienarum rerum, generalem adminiſtrationem habentes, v. g. Eccleſiarum, Collegiorum, Civitatum, Xenodochiorum, & Univerſitatum quarumcunque; item Eccleſiarum Prælati per ſe agentes in Judicio in propriam animam de calumnia jurare tenen-

Digitized by Google

tenentur; etiamſi ſpeciale mandatum ad hoc non haberent. Ita Vall. Pirh. Zoëſ. & communis DD. Et conſtat ex *cap. in pertractandis 3. hoc tit.* Et *Authen. principalis; in fine.* Et *L. 2. C. hoc tit.* Et *cap. Imperat. 4. hoc tit.*

10. Dico ſextò: parentibus tamen, & patronis litigantibus cum liberis, & libertis remittitur Juramentum calumniæ. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et habetur *L. ſi Patronus 16. ff. de Jurejur.* Et *L. licet 7. §. ne defunctus ff. de obſeq. parent. & patron. præſt.* Et quia hoc exigit reverentia his perſonis debita; nam ſanctior, & honeſtior debet eſſe perſona patris, & patroni liberis, ac libertis; quàm ut ſuſpicari debeant quidquam illos animô calumniandi attentaturos; ut dicitur *cit. L. licet.* Similiter nec Dominus feudi cum vaſallo litigans; nec è contra vaſallus cum Domino Juramentum calumniæ tenentur præſtare; utì dicitur in *tit. 33. §. in quibus etiam cauſis, lib 2. feudor.*

CAP. III.

In quibus cauſis Juramentum calumniæ; & quando ſit præſtandum.

1. DIco primò: Juramentum calumniæ debet præſtari in omnibus cauſis, tam civilibus, quàm criminalibus, & mixtis. Ita Gloſſa, Abbas, Vallenſ. Menoch. &c. Et patet per *arg. L. 1. in princ. C. de Jurejur.* Et *L. fin. C. de fide inſtrum.* Quod procedit ſive procedatur ſummariè, & de plano; id eſt abſque figura, & ſtrepitu Judicij; ſive agatur plenariè, & ſervato ordine communi Judicij; utì conſtat ex *Clement. ſæpe de verb. ſignif.* ſive cauſæ ſint profanæ; ſive ſpirituales; v. g. dum agitur de decimis, de jure patronatûs &c. *cap. cæterum, hoc tit.* Et *cap. 1. in fine, eod. tit. in 6.* Quamvis olim in cauſis ſpiritualibus Juramentum calumniæ non deferreretur, nec reciperetur, *cap. literas 2. hoc tit.* eò quòd in hujuſmodi cauſis præſumebatur, quòd DEUS ſemper haberetur præ oculis, & ſic non calumniarentur litigantes; ſed Juramentum tantùm de dicenda veritate practicaretur; utì conſtat ex *cap. dudum 54. §. verum ibi; de elect.*

2. Dico ſecundò: tametſi juratum fuiſſet in cauſa principali, & prima inſtantia, de calumnia evitanda, aut veritate dicenda; nihilominus iteratò etiam in cauſa appellationis, ſeu in ſecunda inſtantia utrumque Juramentum repeti debet. Ita Bartol. Vallenſ. Zoëſ. &c. Et ita ordinatur *cap. 2. in princ. hoc tit. in 6.* Et eſt Ratio; quia cauſa ac inſtantia appellationis eſt omninò cauſa, & inſtantia diſtincta à prima cauſa principali, ac prima inſtantia; eſt enim in cauſa appellationis alius Judex, & aliud tribunal, & novæ probationes in illo afferri, & defenſiones novæ in ipſo adduci poſſunt; ideoque etiam nova libelli oblatio, & nova litis conteſtatio fieri debet; ut rectè ex Franc. notat Pirhingus. Circa alterum articulum capituli

3. Dico tertiò: regulariter ſolet Juramentum calumniæ (idem eſt de Juramento veritatis, quod in ſolis cauſis ſpiritualibus, & eis annexis, ac in criminalibus fit) præſtari à principio litis, puta poſt ejus conteſtationem, priuſquam Actor offerat poſitiones. Ita communis DD. Et deciditur in *Authen. hoc Sacramentum.* Et *L. 2. in princ. C. hoc tit.* Quòd ſi tamen Juramentum calumniæ non ſtatim poſt litis conteſtationem ederetur, non propterea proceſſus evadet vitioſus; utì conſtat ex *cap. 1. in princ. hoc tit. in 6.* Debet tamen deinde ſuppleri; cùm ſit de ſubſtantia Judicij.

4. Nota tamen quartò: Juramentum præſtatum (idem eſt de Juramento veritatis dicendæ) poteſt à Judice in quavis parte litis exigi, & præſtari debet, *cap. 1.* Et *2. hoc tit. in 6.* Etiam poſt concluſionem in cauſa; ut habet Gloſſa, Vallenſ. Gail. Imò etiam in ijs locum habet, quæ emergunt ante litem conteſtatam: & in qualibet exceptione; & quoties Judici in proceſſu litis videbitur, exigi poteſt, juramentum malitiæ *cit. cap. 2.* ſi videlicet ſuſpicio ſit, quòd Actor, vel Reus aliquid malitiosè proponat, vel excipiat, vel dilationem petat.

CAP. IV.

De pœna renuentis præſtare Juramentum calumniæ; & ejus effectu.

1. DIco primò: ſi Actor renuat præſtare Juramentum calumniæ, tanquam improbus litigator cadit ab inſtituta actione; ſi verò Reus id recuſet, habetur pro confeſſo. Ita Gloſſa, Vallenſ. Pirhing. Zoëſ. &c. Primum ita ordinatur *cap. ult. §. pœna verò, hoc tit.* Secundum etiam habetur ex *L. 2. §. ſin autem reus C. eodem.* Et *cap. cit. ult.* Ut autem præfatæ pœnæ incurrantur, opus eſt ſententiâ Judicis, per quam Reus, ſi Actor jurare nolit, abſolvatur ab inſtituta actione; & ſi Reus jurare nolit

Digitized by Google

nolit, tanquam confeſſus condemnetur per eandem ſententiam; cùm in confeſſum non ſint aliæ partes Judicis, quàm in condemnando, *L. unic. C. de confeſſis.*

2. Nota primò: quòd antequam ſequatur ſententia Judicis contra Actorem, vel Reum, nolentem jurare, ille qui recuſat præſtare Juramentum, poſſit contumaciam ſuam purgare, & præfatam pœnam evitare præſtando Juramentum calumniæ, *arg. L. etſi 8. ff. ſi quis cautionibus.* Quia in pœnis Legalibus mora purgari poteſt ante ſententiam, *arg. L. qui cùm major 14. ff. accuſaſſe.* Et *L. in ſervitutem 16. ff. de libert.* Similiter ſi ante latam memoratarum pœnarum ſententiam contra recuſantem jurare, moriatur ipſe recuſans, tunc illæ pœnæ non tranſeunt ad hæredes ejus; tanquam nondum commiſſæ; uti conſtat ex *L. eos qui, in princ. ff. de Jure Fiſci.* Circa effectum Juramenti calumniæ

3. Nota ſecundò: effectus Juramenti calumniæ eſt, quòd jurans excuſetur ab omni tacita, & præſumpta ſuſpicione calumniandi; non tamen ab omni expreſſa, & evidenti. Et propterea committens calumniam tam in cauſa criminali, quàm civili, poteſt criminaliter tanquam calumniator accuſari finitâ causâ; uti ex Maranta obſervat Vallenſis, & Pirhingus.

TITULUS VIII.
DE DILATIONIBUS.

CAP. I.
Quid, & quotuplex ſit Dilatio.

1. Nota primò: Dilationes à Jure ſunt introductæ, ut partes litigantes deliberatè reſpondere valeant: unde & ſunt quædam induciæ petitæ ad maturiùs procedendum in cauſis controverſiæ. Dilatio in genere deſcribitur, quòd *ſit conceſſio temporis, intra quod aliquid agi debet.* Hujus variæ ſunt ſpecies ſubalternæ, ſcilicet conventionalis, legalis, Extrajudicialis, & Judicialis. *Conventionalis* eſt, quæ ex conventione partium conſurgit; de hac procedit *cap. paſtoralis §. cùm autem, de offic. Jud. deleg.* Et *L. de die ff. qui ſatisdare cogantur*: talis eſſet, ſi partes litigantes de termino unius anni convenirent ad ſolvendum aliquod debitum, *L. cedere 113. ff. de V. S.* *Legalis* eſt, quæ à Lege, vel ſtatuto, vel ſtylo curiæ, vel conſuetudine conceditur, abſque Judicis miniſterio, vel litigantium; de his procedit *L. 1. & 4. ff. de re judicata.* Talis eſt illa, quâ ad appellandum conceduntur 10. dies, *cap. quod ad conſultationem 15. de ſent. & re judicat.* *Extrajudicialis* eſt, quæ extra Judicium conceditur cum certo temporis intervallo, in quo aliquid agi oportet; talis eſt illa, quæ conceditur ab arbitris in aliqua cauſa extrajudiciali. De Judiciali, de qua potiſſimè præſens eſt titulus, ſit ſequens concluſio.

2. Dico primò: Dilatio Judicialis bene deſcribitur; quòd ſit *juſtum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicialem commodiùs perficiendum Actori, vel Reo conceditur à Judice.* Ly *intervallum* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Per Ly *intervallum temporis* datur intelligi in omni Dilatione Judiciali à Judice aſſignandum eſſe certum terminum temporis, intra quem Actor, vel Reus debet reſpondere, vel comparere, vel aliud agere in Judicio. Reliquæ particulæ inſinuant finem, quem ſpectat Dilatio, & cauſam efficientem, ſcilicet Judicem.

3. Nota autem ſecundò: quòd quemadmodum Judicium plenarium latè ſumptū conſtat tribus partibus; quarum *prima* eſt uſque ad litis conteſtationem excluſivè; quæ pars potiùs præparatoria eſt, quàm eſſentialis; ut rectè notat Vallenſ. *Secunda* eſt à litis conteſtatione uſque ad ſententiam definitivam excluſivè. *Tertia* à dicta ſententia uſque ad ejus executionem incluſivè: Ita pariter triplicis generis ſunt Dilationes Judiciales; ita ut aliæ pertineant ad primam partem Judicij; & ex his aliæ ſunt citatoriæ, aliæ deliberatoriæ, aliæ recuſatoriæ, ſeu dilatoriæ; aliæ pertinent ad ſecundam partem, & dicuntur Probatoriæ; & aliæ ad tertiam, & dicuntur executoriæ, & definitivæ: de quibus omnibus in ſequentibus agetur. Unde ſit

CAP. II.

Digitized by Google

CAP. II.

De Dilationibus Citatorijs; Deliberatorijs; & Recuſatorijs, quæ in prima parte Judicij occurrunt.

1. Dico primò: bene deſcribitur Dilatio Citatoria (quæ aliàs etiam *expectatoria vocatur*) quòd *ſit illud intervallum temporis, quod Reo abſenti aſſignatur ad comparendum, & reſpondendum in Judicio petitioni Actoris.* Ita conſtàt ex *L. tres citationes 9. C. quomodo, & quando.* Nam Reus regulariter nequit in civilibus ita citari, ut illicò, rebus omnibus, & negotijs relictis, comparere debeat; ſed aliquis terminus temporis ipſi aſſignandus eſt à Judice, intra quem commodè poſſit comparere. Et ſi Reus ſemel vocatus cum debita dilatione non compareat, vocandus præterea eſt ſecundò, & tertiò; atque ſingulis citationibus terminus Dilationis ſaltèm 10. dierum aſſignari debet, *L. ad peremptoriam, & ſeqq. de Judic.* Et *L. properandum §. 2. C. hoc tit.* Noviſſimo autem Jure *Authen. qui ſemel C. quomodo, & quando Judex.* aſſignantur 30. dies pro quovis intervallo. Imò hodie paſſim uſus, & ſtylus Curiarum obtinuit, ut Judex terminum, & intervallum temporis pro comparendo taxet juxta varias circumſtantias cauſæ, temporis, & perſonarum ſenum, vel juvenum qualitatem, locorumque diſtantiam, & ſimiles, aſſignando nunc majorem, nunc minorem, extendendo legalem præfatum, vel imminuendo, juxta *cap. conſuluit 24. de officio delegati.* Et *L. nunquam ff. de judic.* Unde Dilationes Citatoriæ meritò nunc ſunt arbitrariæ. Quin imò ſi ſubſit juſta cauſa (ut periculum in mora, ſuſpicio fugæ, viarum periculum, celeritas expeditionis, Juriſdictionis Judicis in proximo expiratio, rei conſervandæ de qua agitur difficultas, & ſimiles) tunc etiam Dilatio Citatoria peremptoria adhiberi poteſt; id eſt unica citatio pro tribus; cum talibus tamen Dilatorijs intervallis inſtructa, ut citatus non nimìs breve tempus habeat ad comparendum; maximè ſi de rebus Eccleſiaſticis agatur; alioquin appellationi locus erit, *cap. 1. hoc tit.*

2. Dico ſecundò: Dilatio Deliberatoria bene deſcribitur, quòd *ſit illud intervallum temporis, quod aſſignatur Reo ad deliberandum poſt libelli exhibitionem, an litigare velit, vel non.* Ita colligitur *ex Authen.* mox citanda. Hoc intervallum conſtat regulariter termino 20. dierum, numerandorum à die porrecti libelli, *Authen. offeratur C. de litis conteſt.* Quòd ſi autem Reus per literas citatorias plene inſtrui potuit, & ſecum deliberare, utpote quia libellus eis inſertus fuit; tunc non conceditur ei Dilatio Deliberatoria, *cap. præterea 2. hoc tit.* Nec eſt ratio, cur Dilatio Deliberatoria concedi deberet; cùm eam petere videatur tantùm judicij differendi causâ; ut obſervat Vall.

3. Dico tertiò: Dilatio Recuſatoria (quæ & *declinatoria* dicitur) rectè deſcribitur, quòd *ſit illud intervallum temporis, quod datur ad omnes exceptiones dilatorias, ſeu declinatorias opponendas priuſquam fiat litis conteſtatio.* Ita conſtat ex *cap. paſtoralis 4. de exception.* Hujus uſus eſſet, ſi v. g. quis velit recuſare Judicem tanquam ſuſpectum, *L. apertiſſimi 16. C. de Judic.* Vel ſi velit impugnare reſcriptum, vi cujus ad incompetentem Judicem citatus eſt, *L. 2. C. hoc tit.*

CAP. III.

De Dilationibus Probatorijs, & Allegatorijs in ſecunda parte Judicij; & de Definitorijs, ac Executorijs, in tertia uſitatis.

1. Dico primò: rectè definitur Dilatio Probatoria, quòd *ſit illud intervallum temporis, quod lite jam conteſtatâ, & emiſsô Juramentô calumniæ conceditur, tum Actori ad ſuam intentionem probandam; tum Reo ad ſuas exceptiones formandas.* Ita conſtat ex *L. 1. & 2. C. hoc tit.* Hæc Dilatio in civilibus cauſis eſt regulariter peremptoria, ſeu unica; quâ elapſâ Judex nequit ullam aliam concedere; ſed procedere debet in cauſa *L. 1. in fine C. hoc tit.* Et L. *fin. in princ. ff. de feriis, & dilat.* Et quamvis in conceſſione Dilationis Probatoriæ non contineatur terminus iſte *peremptoria*; adhuc is ex diſpoſitione Juris ſubintelligitur; uti ex Maranta notat Vallenſis, & Pirhingus. Sed nec quoad hanc Dilationem extat ullum diſcrimen inter Actorem, & Reum; niſi quòd Judex poſſit Reo concedere longiorem Dilationem, quàm Actori; eò quòd non perinde Reus paratus poſſit comparere in Judicio; ſicut Actor; uti habent *citati* DD.

2. Nota tamen primò: quòd ſi inopinatum aliquod juſtum impedimentum emergat ex

gat ex parte Actoris, vel Rei ob quod iſ ſuas probationes inter terminum præſcriptum non potuit inſtruere; tunc Judex plures alias Dilationes probatorias concedere poteſt; ſed cum cauſæ ſaltèm modica cognitione, *L. in oratione ff. de feriis, & dilat.* Sed ante quamlibet ſic impeditus Actor, vel Reus Juramentum calumniæ deponere debet, quòd non malitiosè eas petat; utì colligitur ex *Authen. de teſtib. collat. 7.* Et ex *cap. paſtoralis, de except.*

3. Nota ſecundò: ſimiliter in cauſis criminalibus poſſunt dari plures Dilationes; videlicet Reo tres; & Accuſatori duæ; & quidem ex quacunque cauſa, & nullô etiam allegatô impedimento; dummodò non ſit præſumptio, quòd malitiosè petantur; & dummodò dentur causâ cognitâ, *L. fin. ff. de fer. & dilat.* Quòd autem in criminalibus dentur plures Dilationes. Ratio eſt; quia cauſæ criminales ſunt gravioris momenti, quàm civiles; in quibus proinde cum una Dilatione peremptoria facilè contingeret lædi innocentiam. Quòd etiam plures concedantur Reo, quàm Actori, Ratio eſt; quia favorabilior eſt Reus; & ut ejus innocentia faciliùs defendatur.

4. Nota tertiò: Dilatio Probatoria habet regulariter intervallum trium menſium, quando ex eadem provincia probationes teſtium, inſtrumentorum, &c. adducendæ ſunt: Sex verò, ſi probationes ex adjacentibus provincijs capiendæ ſint: & demum novem, quando ex transmarinis Regionibus petendæ ſunt probationes *L. 1. C. hoc tit.* Hodierno tamen Jure, & ſtylô Curiarum, etiam Cameræ Imperialis, hæc intervalla temporis facta ſunt arbitraria, & ſubjecta arbitrio Judicis; utì notat Maranta, Pirhingus, Gailus, & Vallenſis. Attamen ſemper inter Actorem, & Reum ſervanda eſt æqualitas, ut quantum temporis Actori datur, tantundem concedatur & Reo, ſi petat; cùm ejus partes ſint favorabiliores, *L. favorabiliores 125. ff. de Reg. Jur.* Et *cap. non licet; hoc tit. in 6.*

5. Dico ſecundò: Dilatio Allegatoria bene deſcribitur, quòd *ſit intervallum temporis, quod conceditur parti volenti allegare plures probationes, vel exceptiones.* Ita colligitur ex *Authen. Jubemus C. de Judic.* Nam Judex auditis probationibus, & exceptionibus partium litigantium, antequam procedat ad ſententiam definitivam, debet ſciſcitari à partibus, utrùm alia adhuc habeant allegata proponenda: & ſi una pars renunciet ulterioribus allegationibus; altera verò non, ſed dicat ſe habere plura allegata proponenda; tunc huic dantur Dilationes ternæ ſucceſſivè, quarum ſingulæ 30. dies continent; juxta *cit. Authen. jubemus.* Circa Dilationes tertiæ partis Judicij

6. Dico tertiò: Dilatio Definitoria bene deſcribitur, quòd *ſit intervallum temporis, quod conceditur ad defendendam cauſam controverſam.* Nam Judex evolutis, & ponderatis probationibus, atque exceptionibus partium litigantium, debet præfigere terminum, intra quem comparere debent ad audiendam ſententiam definitivam. Porrò Dilatio iſta Definitoria ſuapte natura non eſt peremptoria; ſed ſecunda, & tertia addi poteſt; niſi præfigatur cum termino peremptorio, utì præfigi poteſt, *L. in peremptorio 71. ff. de Judic.*

7. Dico quartò; Dilatio Executoria bene deſcribitur, quòd *ſit intervallum temporis condemnato conceſſum ad ſatisfaciendum, vel ſolutionem faciendam.* Ita colligitur ex *cap. quærenti; de offic. deleg.* Intervallum hujus Dilationis conſtat ex ſpacio 4. menſium, *cit. cap.* Et *L. ſi debitori ff. de Judic.* Quod tamen à Judice poteſt prolongari, vel abbreviari, *cap. quod ad conſultationem 15. de ſent. & re judic.*

8. Nota quartò: Dilationes Executoriæ non habent locum in actionibus realibus, in quibus ſit ſtatim executio; exceptis quibusdam caſibus, ut ſi poſſeſſor neget, ſe ſtatim poſſe reſtituere, & caveat per fidejuſſores de re, vel ejus æſtimatione reſtituenda; tunc enim aliqua dilatio ei concedi poteſt à Judice *§. etſi in rem, Inſtit. de Offic. Jud.* Similiter in criminalibus locum non habet; niſi in certis caſibus, v. g. dum Summus Princeps jubet aliquem acriùs ſolitò puniri. Vel cum ſervus ratiocinijs obligatus damnatur. Vel cùm mulier prægnans damnatur ad mortem. Vel dum alicui inſula aſſignanda eſt pro exilio; & in ſimilibus caſibus, quos affert Hoſtienſ. &c. DD.

CAP. IV.

De prorogatione; effectu; & modo Dilationum.

1. NOta primò: Prorogatio Dilationum eſt quædam extenſio Dilationis labentis, nondum tamen elapſæ: nam ſi elapſa ſit, non prorogatio; ſed nova Dilatio petenda eſt; & quidem ex cauſa debita; ut notat Pirh. & alij DD.

2. No-

2. Nota ſecundò: Prima Dilatio Probatoria nequit prorogari; utì notat ex Gailo Vallenſis, & Pirhingus: ſupereſt enim ſecunda, & tertia; imò quandoque & quarta; quando ſcilicet de juſto conſtat impedimento: & quia Dilationes ſunt amputandæ, juxta *L. 2. C. de temp. appell.* Neque deveniendum eſt ad remedium extraordinarium Prorogationis, dum ſupereſt ordinarium, ſecundùm *L. in cauſa cognitione ff. de minor.* Quinimò ſi accumulentur in prima Dilatione teſtes examinati, non eſt concedenda ſecunda, & tertia; utì advertunt *cit.* DD. Etenim multitudo teſtium refrænanda eſt, *cap. ſignificaverunt 36. de teſtib.* Quarta verò Dilatio propter juſtam, ac legitimam cauſam poteſt prorogari cum eadem ſolemnitate, quâ fuit conceſſa; licèt non expediat, ut Judex facilè eam proroget; nè fraus fiat legi; & nè in effectu quinta concedatur, quæ de Jure nequit concedi; ſecundùm eosdem DD. Advertat etiam Judex, ne prorogationem faciat majorem Dilatione.

3. Nota tertiò: intervalla temporis pro Dilationibus ſunt continua; ut notat Gloſſa: unde includuntur in eis tam dies feriati, & ſolemnes; quàm non feriati; ita ut nec quidem repentinis ferijs interpolentur; niſi quòd in caſu ſuperventionis talium feriarum permittatur ijs ſubditis beneficiô reſtitutionis aliorum tot dierum ſubſtitutio, *L. ſed etſi 20. 7.* Et *L. ex quibus cauſis majores.* Circa effectum Dilationis

4. Nota quartò: principalis effectus Dilationis eſt; quòd eâ pendente officium Judicis conquieſcat; nihilque ſit agendum, aut innovandum circa articulum, ſeu capitulum, ſuper quo conceſſa eſt Dilatio, *cap. 2. præterea; hoc tit.* Et *L. 3. C. eod.* Alter ejus effectus minùs principalis eſt, quòd dum lapſus fuerit terminus, ſeu dies in ea præfixus, regulariter habeat vim ſententiæ interlocutoriæ, *L. qualem ff. de recept. arbitr.* Et perimat actum, qui in aſſignato Dilationis termino fieri debuit; ita ut pars poſtmodum comparens ampliùs ſuper eadem re, niſi ex graviſſima cauſa, audiri non debeat, *L. 1. & ult. ff. de feriis.* Circa modum Dilationis

5. Nota quintò: Dilationes Judiciales concedi debent à Judice ſedente pro tribunali, cauſâ cognitâ, & utraque parte præſente, *L. procedente 4. C. hoc tit.* Concilium etiam Tridentinum *Seſſ. 25. cap. 10.* in fine admonet tam Ordinarios, quàm alios quoscunque Judices, ut omni poſſibili ſtudeant celeritati pro terminandis cauſis; & litigatorum artibus, ſive in Dilationibus impetrandis, ſive in litis conteſtatione, ſive in alia quacunque Judicij parte decernenda modis omnibus occurrant per præfixionem termini, ſeu conceſſionem Dilationum, non exorbitantium; aut alia competenti ratione.

CAP. V.

De Dilationibus in Judicio Ordinis S. Franciſci concedendis.

1. DIco primò: nullus Frater Minor de Obſerv. & Reform. reus criminaliter condemnari debet, nec poteſt; niſi priùs eidem aſſignentur defenſiones, cum termino competenti trium, vel quatuor dilationum, cum ſpacio trium, vel quatuor dierum pro qualibet, ad arbitrium Judicis regularis, & juſtam rei petitionem; etiamſi convictus, & confeſſus fuerit crimen; & licèt ipſe Reus non petat ejusmodi dilationes. Ita habetur in *Practica criminali Ordinis.* Eſtque Ratio; quia hujusmodi defenſiones cum dictis Dilationibus ſunt de Jure naturæ; ut notat Sanctor. Salicet. Maran. & communis DD. & eas Ordo Juſtitiæ expoſcit ubique; & ubique concedi debent; ac proinde etiam in Judicio regulari Ordinis noſtri concedendæ ſunt.

2. Nota primò: Poteſt nihilominus Reus confeſſus ſponte hujusmodi defenſionibus cũ dictis terminis Dilationum renunciare: hæc tamen renunciatio non ita facilè acceptanda eſt à Judice Minorita; minùs ab eo ſuaderi debet Reo; acceptata tamen eam vim ſortitur, acſi Reus nihil habuiſſet, quod pro ſua defenſione adduceret; utì habet *eadem practica criminalis.*

TITULUS IX.

DE FERIIS.

CAP. I.

Quid, & quotuplices ſint Feriæ.

1. NOta primò: Feriæ ſunt quædam etiam Dilationes, quæ conceduntur à Jure, & in quibus officium Judicis quieſcit, ſicut durantibus Dilationibus: unde meritò de ipſis hic poſt titulum de Dilationibus agitur. Derivatur autem grammaticaliter Ly *Feria*, vel à *feriendis hoſtiis*, id eſt victimis, quæ diebus Feriarum cedebantur, teſte Feſtô *lib. 6.* vel à *ferendis epulis*; eò quòd epulæ olim ferebantur diebus feriarum ex pecorum, frugumque proventibus; ut vult Vallenſis, &c. Hodie Feriarum nomine in materia Judiciali intelliguntur dies certi, in quibus nulli actus judiciales ſolent peragi. Hæ olim vocabantur *Juſtitium*, eò quòd Jus, ſive Judicium tunc ſtaret. Unde

2. Dico primò: bene deſcribuntur Feriæ, quòd *ſint certa tempora, ſeu dies, quibus forenſis ſtrepitus, & contentioſæ juriſdictionis exercitia planè conquieſcere jubentur.* Ita habetur *L. 5. ff. hoc tit.* Ly *tempora*, ſeu *dies* eſt genus; reliqua ſtatuuntur pro differentia. Conſiſtit autem *forenſis ſtrepitus* in tribus, ſcilicet in inchoatione cauſæ alicujus controverſæ, quæ fit per citationem, & formationem proceſſus; item in cognitione cauſæ; & demum in prolatione ſententiæ. *Contentioſæ* verò *Juriſdictionis exercitia* conſiſtunt in actibus judicialibus, litem connotantibus, quos Judex exercet.

3. Nota ſecundò: Feriæ aliæ ſunt ſolemnes, ſeu ordinariæ; & aliæ repentinæ, ſeu extraordinariæ. *Solemnes*, ſeu *Ordinariæ* ſunt, quæ inſtitutæ ſunt à legibus, & SS. Canonibus, & recurrunt quotannis ſervandæ; tales ſunt Feriæ vindemiarum, & dies feſti totius Eccleſiæ, vel locorum partialium. *Repentinæ*, ſeu *Extraordinariæ* ſunt, quæ non conſtituuntur ab aliqua lege, vel canone; ſed propter extraordinarium aliquem eventum à Principe; tales legimus olim conſtitutas à Scipione, poſt proſperum bellum cum Carthaginenſibus concluſum, teſte Livio *Lib. 38.* tales etiam à Magiſtratu vel propter victoriam à Principe partam; vel ob natalem filij Principis ſolent conſtitui; ad quas alludit Martialis dicens; *Natalem colimus, ſilete Leges.* Et hæ dicuntur Honorariæ; quia in Principis honorem factæ, *L. 7. C. eod.*

4. Nota tertiò: Feriæ ſolemnes ſubdividuntur in Ferias Sacras; & profanas. *Feriæ Sacræ* ſunt, quæ ad Divinum cultum, & ſanctorum venerationem conſtitutæ ſunt; de quibus *cap. ult. hoc tit.* Et *L. 2. ff. eod.* Et vocantur *dies feſti*. *Profanæ* ſunt, quæ vel in honorem Principis, vel ob neceſſitates, & utilitates humanans inſtitutæ ſunt; tales ſunt feriæ ob natum Principem, vel ob meſſem, & vindemiam conſtitutæ; de quibus habetur *cap. ult. hoc tit.* Et *L. 2. & 5. C. eod.* Ad has reducuntur *Feriæ nundinarum*, quæ ob publicum mercatum exercendum inſtituuntur in Provincijs; de quibus agitur *ff. C. de nundinis.*

5. Nota quartò: extant etiam adhuc aliæ quædam Feriæ, quæ *Feriæ nuptiarum* dicuntur, in quibus permiſſum non eſt nuptias celebrare; de his procedit *cap. Capellanus 4. hoc tit.* Et ſunt hodierno Jure Tridentini *Seſſ. 24. cap. 10. de Refor. Matr.* tempus à S. Adventu Domini usque ad Epiphaniam; & à ſeptuageſima usque ad Octavam Paſchatis incluſivè.

CAP. II.

Qui actus Judiciales ſint validi; vel invalidi, facti in Ferijs.

1. DIco primò: actus Juriſdictionis contentioſæ in Ferijs profanis, & ſacris celebrati ipſo Jure ſunt nulli; neque aliquis eo tempore in Jus vocari poteſt. Ita communis DD. Et dicitur *cap. fin. hoc tit.* Et *L. 2. C. eod.* ubi dicitur apertè, nec proceſſum tenere, nec ſententiam, quæ lata eſt die feriato.

2. Nota primò: Valent tamen actus Juriſdictionis voluntariæ, qui ſcilicet ſinè contentione, & diſſenſu partium, tantùm in volentes exercentur; cujusmodi ſunt emancipationes, diſpenſationes, privilegiorum conceſſiones, & ſimiles; qui proinde diebus feriatis validè expediuntur.

3. No-

3. Nota ſecundò: ſunt pariter aliqui actus Judiciales validi ob neceſſitatem, vel utilitatem publicam, imò & privatam, die feriato exerciti; puta illi qui celeritatem expeditionis poſtulant; ut quia res aliàs eſt peritura *L. 4. §. ſed excipiuntur* & *L. ſolet 3. ff. hoc tit.* Et quia neceſſitas non habet legem *cap. 2. de ob- obſerv. jejun.* Vel ſi contra latrones ſit procedendum, *L. pen. C. eod.* Vel ſi crimen ſit atrox, & cum publico ſcandalo patratum; tale enim ſtatim judicari poteſt; unde ſolent hæretici die feſto judicari, ut tantò major ſit populi concurſus ad terrorem. Similiter actus Judiciales ſpectantes cauſas pietatis validè die feriato peraguntur; puta ſummarius proceſſus viduarum, incarceratorum, pupillorum, pauperum, & miſerabilium perſonarum; item tutorum, & curatorum conſtitutio; ſummarius proceſſus alimentorum; ut tenet Gloſſa, Abbas, & communis DD.

4. Nota tertiò: ſunt etiã validi actus Judiciales, facti diebus feriatis, ob prævíam renunciationem partium, quâ Ferijs renunciarunt; cum quilibet favori ſuo poſſit renunciare, L. *pen. C. de pactis.* Ubi tamen advertendum, non quibuslibet Ferijs poſſe licitè renunciari; nam imprimis Ferijs ſacris non eſt conceſſum renunciare, *cap. ult. hoc tit.* cùm cultum Divinum publicum concernant; & pactis privatorum nequeat derogari Juri publico, *cap. ſi diligenti, de for. compet.* Neque Ferijs repentinis, quæ ob cauſam publicam, aut favorem principaliter inſtituuntur, v. g. ob honorem Principis; nam & hìc procedit illud axioma Juris, quòd pactis privatorum non poſſint tolli ea, quæ ſunt Juris publici, *L. Jus publicum ff. de pactis.* Itaque ſolis Ferijs ruſticis, ſcilicet meſſium, & vindemiarum partes litigantes renunciare poſſunt, & conſentire, ut in his Judex procedat validè, quippe quæ in favorem earum potiſſimè ſunt introductæ, *cap. ult. in fine hoc tit.*

5. Nota quartò: Appellatio ſimiliter validè interponitur die feriato; cùm ſit Juris naturalis, & res favorabilis, quæ ſinè ſtrepitu magno fieri poteſt; ut tenet Gloſſa, Abbas, Thus. &c. Non tamen poteſt appellans eandem proſequi tali die; cùm ad hoc major ſtrepitus forenſis requiratur. Plures etiam DD. ut Abbas, Durand. Azorius &c. putant teſtes validè, & licitè poſſe examinari die feriato, & eorum depoſitiones recipi; modò præcedenti die præſtiterint Juramentum; cùm teſtium depoſitio videatur eſſe actus extrajudicialis. Attamen ſecurior in praxi, & verior eſt altera ſententia Suar. Vallenſ. & aliorum; eò quòd teſtes die feriato non poſſint cogi ad edendum teſtimonium; uti conſtat ex *L. ult. C. hoc tit.* Adeòque nec Judex poteſt juridicè teſtes examinare tali die: niſi eſſet periculum in mora, eò quòd teſtes poſteà examinari non poſſent, ob valetudinem ſiniſtram, vel mortem ſuperventuram.

CAP. III.

De Ferijs ſacris in ſpeciali.

1. Nota primò; per Ferias ſacras, uti dixi ſuprà, intelliguntur dies feſti, ſeu feſta ſolemnia, Calendario inſerta; quæ quoad abſtinentiam à laboribus ſervilibus in Europa computantur à prima media nocte, uſque ad ſecundam mediam noctem; ſecundùm Panormit. Covarr. &c. De his

2. Dico primò: bene deſcribitur Feſtum, quòd *ſit dies determinata, quâ DEUS ob particularia quædam myſteria, vel ſancti, ob inſignem notam ſanctitatis, vel aliam rationem, ſpectantem ad DEI, Sanctorúmq; Venerationem, juxta Eccleſiæ, vel Fidelium particularium conſtitutum, ſingularis cultus demonſtratur.* Ratio eſt; quia hac definitione quidditas Feſti debitè explicatur. Per ly *dies determinata*, datur intelligi, non omnes dies hebdomadæ, vel anni eſſe Feſtos; ſed tantùm aliquos legitimè conſtitutos. Dicitur, *quâ DEUS ob particularia quædam myſteria*, ut exprimatur motivum unum, ob quod determinata dies aſſumpta eſt ad rationem Feſti, ſcilicet ob Commemorationem myſteriorũ DEI, in quibus ſe generi humano mirabiliter aliquando communicavit; ut in Nativitate Dominica, Paſchate, & Pentecoſte &c. Additur, *Vel ſancti, ob inſignem notam ſanctitatis, vel aliam rationem &c.* ut exprimantur alia motiva conſtituendi Feſtos dies. Apponitur, *juxta Eccleſiæ, vel fidelium conſtitutum*, ut ſignificetur cauſa conſtitutiva Feſtorum. Dicitur tandem, *ſingularis cultus demonſtratur*; ut explicetur cauſa finalis conſtitutorum Feſtorum.

3. Dico ſecundò: Origo Feſtorum promanat jam à principio conſtitutæ Eccleſiæ. Ita Tolet. Herincx, Laym. Azor. & communis DD. Ratio eſt; Tum quia ita colligitur ex perpetua Eccleſiæ traditione: Et ex *1. cap. Apocal.* ubi fit mentio diei Feſti, ſcilicet Dominicæ, dum D. Joannes dicit; *Fui in ſpiritu in Dominica die*, quæ jam tanquam Feſta ab ipſis Apoſtolis conſtituta erat, locò Sabbathi Judaici; uti patet ex Concilio Laodicenſi *cap. 29.* Tum quia ita ſentiunt SS. PP. Juſti-

Digitized by Google

nus in *Apolog. 2. pro Chriſtianis.* S. Auguſt. *lib. 4. de Gen. ad literam, cap. 13.* Concilium Taurin. ſub Siricio Papa *cap. 4.* Tum tandem, quia cùm DEUS in Lege Gratiæ, ob abundantiam gratiæ, & beneficiorum, vel plurimùm colendus ſit, præſumendum eſt, Sacros Antiſtites, & Fidei Chriſtianæ anteſignanos, ac cultores DEI Apoſtolos, certos determinâſſe dies, quibus vellent Chriſti Fideles ceſſare ab omni ſervili opere, & humanis commercijs, ad vacandum ſoli DEO, laudeſque Divinas, gratiarum actiones, & alia Religionis exercitia perſolvenda.

4. Nota autem ſecundò: Inter hujuſmodi dies Feſtos, principalem ſemper fuiſſe Dominicam; ut obſervant PP. & TT. Laym. Herincx, Suar. Caſtro Palao, &c. in commemorationem operationis Divinæ, quâ diebus continuis ſex mundum univerſum creavit, ordinavit, ac diſtinxit; die verò ſeptimò, id eſt Dominicâ quievit ab univerſo opere, quod patrârat *Gen. 2. cap.* Eâdem etiam mundum recreavit naſcendo, & à mortuis reſurgendo: ſimiliter eâdem in gratia confirmavit, Spiritum S. mittendo. Poſt hanc ſuccedunt Feſta alia DEI, & Chriſti Domini, DEIparæ V. MARIÆ, Apoſtolorum, & SS. diverſorum.

5. Dico tertiò: Feſta ſub obligatione ſolùm conſtitui poſſunt à Sum. Pontifice, ac Concilijs Generalibus pro univerſa Eccleſia: item ab Epiſcopis pro ſuis Diœceſibus, cum conſenſu Cleri, & Capitum Populi. Ita Abbas, Armilla, Laym. Herincx, Tabiena, & communis. Ratio primi eſt; quia ita obſervat antiqua Eccleſiæ praxis, ut Feſtum pro univerſa Eccleſia ſub obligatione, tantùm à Summo Pontifice, & Concilio Generali conſtituatur: Et quia ſolus Summus Pontifex, & Concilium Oecumenicum ſunt Superior Eccleſiaſticus univerſæ Eccleſiæ. Secundum patet ex *1. cap. diſt. 3. de Conſecrat.* Et *cap. ult. de Ferijs.* Dixi *de conſenſu Cleri, & Capitum populi*; quia juxta Regulam 29. Juris *in 6. Quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.* In quibuſdam tamen Diœceſibus conſuetudo obtinuit; ut Epiſcopus ſine Clero, & Capitibus populi Feſta conſtituat; vel abroget.

6. Dico quartò: eſt obligatio gravis ſervandi Feſta, à Summo Pontifice, vel Epiſcopis legitimè conſtituta. Ita Rodr. Laym. Tolet. Bonac. Filiuc. & communis. Ratio eſt; quia gravibus de cauſis Papa, Concilia, & Epiſcopi Feſta quædam ordinant, ad commemorationem ſingularium myſteriorum, & beneficiorum DEI; itemque in honorem illuſtrium SS. Patronorum Provinciæ: ac proinde præſumitur, eos velle gravem obligationem ea obſervandi fidelibus imponere. Num verò hæc obligatio quoad Feſta ab Epiſcopis conſtituta, etiam afficiat univerſaliter Regulares; vide quæ dico in Theologia mea *Tract. de Privilegijs, diſt. 2. q. 6.*

7. Dico quintò: gravis obligatio ſervandi Feſta, conſiſtit, partim in audiêda Miſſa, partim in abſtinentia ab operibus quibuſdam prohibitis; ita ut ſub mortali regulariter & Miſſa die Feſto debeat audiri, & intermitti omnis labor ſervilis (præter illum, quem conſuetudo legitimavit) imò & quidam labores liberales. Ita Herincx, Suar. Laym. Sylv. Tolet. &c. Primũ determinatur in *cap. ſi quis etiam.* Item in *cap. omnes fideles, & in cap. Miſſas, de Celebrat. Miſſarum.* Secundum patet ex præcepto Eccleſiæ, hac de re poſito, cujus meminit Clem. *lib. 8. Conſtit. cap. 39.* S. Auguſtinus *Serm. 215.* Et Innocent. I. *Epiſt. ad Decentium cap. 4.* Eſt autem opus ſervile, illud quod corporis commoditatibus inſervit; cujuſmodi eſt fodere, arare, ſuere, fabricare, & omne id, quod effectum corporeum, materialem, & menchanicum reſpicit, v. g. domum, veſtes, &c. Hæc dicuntur *ſervilia*, quia propria ſunt ſervorum. Liberale verò eſt, quod inſervit ad recreandum, excitandum, vel inſtruendum animum; cujuſmodi ſunt ſpeculari aliquam quæſtionem Theologicam, Juridicam, vel Canonicam; comtemplari aſtra; concipere carmina, orationes, &c. Hæc dicuntur *liberalia*, quia propria ſunt ingenuorum, & liberorum hominum.

8. Nota tertiò ex his ſequentia Corollaria DD. variorum. *Primò*, licitum eſſe die Feſto ſcribere, & tranſcribere, etiam ob mercedem, ſecundùm Cajet. Herincx, Laym. Navarr. Lopez. & alios, contra Abbat. Roſel. Tabien. &c. Ratio eorum eſt; quia ſcriptio inſervit ad informandam mentem, quod proprium eſt operis liberalis. Nec ratio mercedis facit ſcriptionem opus ſervile. *Secundò*, licitum eſſe in Feſto itinerari, ſive peditando, ſive currizando, ſive in navigio, tenet Azor. Angel. Suarez. Laym. Herincx, & Cajetan. Ratio eorum eſt; quia eſt opus naturale terminatum ad ubicationem, omnibus hominibus commune: quare etiam conceſſum videtur die Feſto onera ad uſum itineris neceſſaria, utpote acceſſoria itineri, deportare; ùt bene obſervat Cajet. *Tertiò*, etiam licitum eſſe die Feſto animi relaxandi cauſâ, modicam venationem, piſcationem, aucupium exercere; juxta Navarr. Herincx, & Laym.

Digitized by Google

Ratio eorum eſt; quia etſi hujuſmodi opera ex genere ſuo ſint ſervilia; ſi tamen causâ recreationis fiant, induunt naturam operis liberalis. *Quartò*, pariter licitum eſt exercitia militaria practicare die Feſto; ſecundùm Molin. Laym. Herincx, & Becan. Ratio eorum eſt; quia talia exercitia, etſi ex natura ſua ſint ſervilia; tamen conſuetudo ea cohoneſtavit, & liberalia fecit: quod etiam putat noſter P. Herincx valere de arte digladiatoria. *Quintò*; licitum eſſe in Feſtis præparare fercula, etſi præparatio eorum opus ſervile ſit; tenent Laym. Herincx. Suar. & communis. Ratio petitur ex conſuetudine Chriſti fidelium, & neceſſitate eſcarum præparandarum; ac tandem tacita permiſſione Eccleſiæ, quæ hujuſmodi præparationem ſemper indulſit Chriſtianis; nè videantur judaizare. *Sextò*, licitum eſt facere illa opera ex ſe quidem ſervilia; ſed tamen ordinata immediatè ad perficiendos aliquos actus Religionis; talia ſunt pulſare organa, aliaque muſicalia inſtrumenta, deferre crucem, vel ſtatuas pias in Publicis proceſſionibus. Idem judicium eſto de actionibus proximè præparatorijs, & omninò neceſſarijs ad Cultum DEI; uti ſunt pulſare campanas, ornare altaria &c. ùt habet P. Herincx. Multi etiam DD. ut Lopez, Layman, Herincx, & Medina putant, eſſe licitum pingere, & ſculpere aliqua in Feſtis; quod admitti poſſet, ſi hæc recreationis, vel artis addiſcendæ, vel fallendi temporis causâ fiant.

9. Nota quartò: opera liberalia prohibita diebus Feſtis eſſe ſequentia: *Primò*, exercere mercimonia, ſeu mercatus; cujuſmodi ſunt nundinæ, contractus privati, emptionis, venditionis, locationis &c. habetur *cap. de Ferijs*. *Secundò*, omnes actus forenſis Judicij ordinati ad lites tum criminales, tum civiles, etiam ſpirituales, v. g. beneficiarias, & matrimoniales; ſive hi conſiſtant in ſola inchoatione cauſæ, per citationem Rei, ſive in ipſo proceſſu per cauſæ cognitionem, quâ teſtes producuntur, & examinantur, inſtrumenta afferuntur, & juramenta deponuntur &c. ſive in terminatione Judicij, per ſententiæ prolationem, ſive tandem Judicium ſit tantùm arbitrarium, in quo forma judicialis ſervari debet. Ratio eſt; quia omnes ſimiles actus prohibentur *cap. 1.* Et *ult. de Ferijs.* Et *L. 1.* Et *toto Tit. C. de Ferijs.* Arbitria tamen conſiſtentia in ſola amicabili compoſitione, die Feſto poſſunt terminari. Idem puto cum Abbate, & Suarez de Excommunicatione in aliquem ferenda; & de Abſolutione à Cenſuris, quæ non poſtulant Judicialem proceſſum.

10. Dico ſextò: Cauſa vera, & ſufficienter excuſans ab obſervatione Feſtorum quoad opera ſervilia, eſt realis neceſſitas, publica, vel Privata. Ita Navarr. Herincx, Laym. Soto, & communis DD. Et colligitur ex *cap. ult. de Ferijs.* Et eſt Ratio; quia in alijs præceptis excuſat ab obſervantia eorundem realis publica, vel privata neceſſitas uti patet in jejunio, audienda Miſſa, &c.

11. Ex his cape ſequentia Corollaria. *Primò*, excuſari ab obſervatione Feſtorum, & conſequenter à peccato, omnes operarios, extruentes, vel deſtruentes fabricas, pontes, valla, aquæductus, theatra, vias publicas, &c. quæ ob commune bonum Reipublicæ differri non poſſunt, v. g. milites tempore obſidionis, vel conflictûs, conſtruentes propugnacula, muros, foſſas, & ſimilia, contra hoſtes appropinquantes: item artifices, & mechanici præparantes feſtivas portas, theatra, & ſimilia, pro ingreſſu Cæſaris, Regis, vel alterius ſupremi Principis; ut habent *citati* DD. hujuſmodi enim opera ſervilia fieri permittit neceſſitas realis publica. *Secundò*, pariter excuſantur ab obſervantia diei Feſtæ pauperes, qui quotidianam alimoniam ſibi, ſuiſque prolibus aliter lucrari nequeunt: neque conditionem ſuæ familiæ, vel perſonæ propriæ conſervare valent, niſi diebus Feſtis pariter laborent, vel ſuos laborare permittant; ut habet Herincx, Laym. & alij AA. Ratio eſt; quia hìc neceſſitas realis privata obligationem ſervandi Feſtum evacuat. *Tertiò*, Excuſat eadem privata neceſſitas colonos, qui ob metum imminentis pluviæ, ſerere, metere, & colligere manipulos, ac fœnum debent, ne notabile damnum in re œconomica patiantur; ùt habent ijdem DD. Idem ſentiendum de Aurigis, coctoribus laterum, & vitrorum; nautis, & ſimilibus, quorum facturæ jam ceptæ citra jacturam gravem interpolari non poſſunt. Idem quoque judicium eſto de Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, & alijs præparantibus medicinas, vel inſervientibus ægrotis; ùt tenent ijdem AA. *Quartò*, per conſuetudinem longam toleratam etiam videntur excuſari Sartores conficientes veſtimenta lugubria, ſponſalitia, & ſimilia, quæ moram in certis circumſtantijs non patiuntur: & Barbitonſores comam, ver barbam tondentes ijs perſonis, quæ diebus ferialibus continuis laboribus detinentur; ùt habet Herincx. *Quintò*, etiam cenſentur excuſari ſervi, ancillæ, uxores, & aliæ perſonæ ſub poteſtate conſtitutæ, quæ ad declinandum odium

odium, iram, & verbera ſui Domini, aliaque incommoda, ea opera ſervilia præſtant, quæ Dominus præcipit; modò ea non imperentur expreſſè in contemptum Religionis; ita habet Soto, Layman, Navarr. Herincx. *Sextò*, putat Herincx etiam excuſari ab obſervantia Feſtorum Piſcatores halecum, & ſimilium piſcium, qui niſi piſcentur certis diebus, quibus hujuſmodi piſces adventant, & emergunt ex profundo aquarum, lucrum totius anni perdunt. *Septimò* tandem, excuſat quemlibet legitima diſpenſatio, obtenta à Summo Pontifice, vel Epiſcopo, vel proprio Prælato, vel Parocho; ut habet Herincx; non verò obtenta ab aliqua poteſtate ſæculari, quæ in hanc meſſem nec debet, nec poteſt mittere ſuam falcem.

12. Nota quintò: Auditorem Miſſæ, ut ſatisfaciat, debere modô humanô Miſſæ adeſſe; mente ſcilicet & corpore; in tali ſitu, ut ad minùs viſu, vel auditu percipiat ſacrificantem. Quapropter non adimplent præceptum Eccleſiaſticum de audienda Miſſa confabulatores, negotiantes, amoribus puellarum intendentes, per actiones omnis generis diſtractivas; ut docet Bonacin. Brugnoli, &c. DD.

13. Dico ſeptimò: ſeptennes proles, ſi uſum rationis aſſecutæ ſint, ad Miſſæ auditionem, & quidem ſub mortali tenentur. Ita Azor. Sanch. Brug. &c. Ratio eſt; quia præceptum Eccleſiæ de audienda Miſſa loquitur indefinitè de omnibus fidelibus, capacibus præcepti Eccleſiaſtici: cujuſmodi ſunt ſeptennes proles. Non obligantur autem Catechumeni: cùm hi necdum ſint formaliter Eccleſiæ ſubditi facti.

14. Dico octavò: Auſcultans duas partes Sacri à diſparatis Presbyteris, diſparato tempore, adimplet præceptum Eccleſiaſticum. Ita Navarr. Nug. Sà, Brugnoli &c. Ratio eſt; quia duæ partes Miſſæ faciunt veram Miſſam; ſicut duo ſucceſſivè perficientes Miſſam, perficiunt verum ſacrificium: Ergo auſcultans talem Miſſam, ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico. Accedit, quòd Eccleſia nuſquam reprobet hujuſmodi auditionem Miſſæ.

15. Dico nonò: Peccat, & non adimplet præceptum de Miſſa audienda, qui Oblationem, Conſecrationem, vel ſumptionem negligit. Ita Azorius &c. Ratio eſt; quia hæ tres partes ſunt integrantes Miſſam.

16. Nota ſeptimò: ſi initium Miſſæ uſque ad Evangelium incluſivè omittatur, pariter mortaliter peccatur; uti habent DD. Ratio eſt: quia à DD. cenſetur gravitas materiæ adeſſe. Non peccat tamen mortaliter, qui finitâ communione ſtatim diſcedit; ut vult Rodrig. & Nug. cenſetur enim pravitas materiæ adeſſe.

17. Dico decimò: Qui format intentionem non ſatisfaciendi hâc Miſſâ Eccleſiæ præcepto, ſed aliâ; audit tamen hanc Miſſam; ſatisfacit præcepto Eccleſiaſtico. Ita Navar. Azor. Bonac. &c. Ratio eſt; quia præceptum Eccleſiæ petit tantùm actum auditionis Miſſæ more humano; & non ſe explicat, an intentio ſatisfaciendi præcepto Eccleſiæ debeat actui eſſe annexa: ergo ponendo actum auditionis probabiliter ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico. Et hinc etiam ignorans eſſe diem Feſtum, ſi audiat Miſſam, ſatisfacit Eccleſiæ. In his tamen eſt notandum; ut intra debitum tempus, illi audientes Miſſam ſciant, & cogitent, ſe nihilominus præceptum Eccleſiæ adimpleviſſe.

18. Dico undecimò: Non cenſetur verè audiviſſe Miſſam, nec Eccleſiæ ſatisfeciſſe, qui majori parte Miſſæ confabulatur; vel dormit, vel objecta vana intuetur cum poſitiva diſtractione, vel confitetur ſua peccata; vel concionatur. Ita Scotus, Anton. Con. Her. Bonac. &c. Ratio eſt; quia hujuſmodi actiones omnes impediunt attentionem requiſitam, & ut homo putetur moraliter eſſe præſens ſacrificio.

19. Dico duodecimò: Qui recitat horas Canonicas, ad quas obligatur; vel perſolvit pœnitentiam pro peccatis injunctam; aut meditatur res divinas; verè audit Miſſam, & implet Eccleſiæ præceptum. Ita Svar. Nav. Bonac. &c. Ratio eſt; quia hujuſmodi opera cohærent cum intentione audiendi Miſſam; nec tollunt moralem præſentiam ſacrificij, vel attentionem; imò eam adjuvant.

20. Dico decimo tertiò: Non ſatisfacit præcepto de audienda Miſſa, qui duas partes Miſſæ ſimul audit à duobus Sacerdotibus, quorum unus incipit Canonem, alter Introitum; ſi ceſſet audire Miſſam, dum alter pervenit usque ad Canonem. Ita Svar. Herincx. &c. Ratio eſt; quia hoc eſt contra communem Doctorum, & Fidelium ſenſum. Et quia alioquin 7. Sacerdotibus diverſas Miſſæ partes celebrantibus ſimul, poſſet quis voluntati Eccleſiæ ſatisfacere, ſpatiô breviſſimô; quod videtur inconveniens. Tandem non ſatisfacit præcepto de recitandis horis Canonicis, qui pſalmos legeret, alio recitante alios pſalmos, & lectiones; etiamſi ſimul ad recitationem horum pſalmorum poſſet attendere; adeoque idem dicendum hic de partibus Miſſæ præfatô modô auditis.

21. Dico decimò quartò: ſatisfacit præcepto

Digitized by Google

cepto Eccleſiæ Parochianus, licet in Regulari Eccleſia Miſſam audiat. Ita communis DD. Tolet. Nav. &c. Et conſtat ex Bulla Leonis X. Et Pauli III. Et Pij V. pro Regularibus conceſſis. Unde Epiſcopus nequaquam poteſt cogere Fideles ad Miſſas in Parochialibus Eccleſijs audiendas; uti etiam declaravit S. Congregatio apud Averſ. *q. 11. Sect. 19.*

22. Nota octavò: Ab auditione Miſſæ excuſantur. *Primò*, illi qui ſinè detrimento proprio, vel alieno ſpirituali nequeunt accedere Miſſam, v. g. Puella periculum raptûs in via ad Eccleſiam, vel perdendæ pudicitiæ timens. *Secundo*, qui ſinè detrimento proprio, vel alieno etiam corporali nequeunt accedere Eccleſiam, v. g. ob infirmitates, vulnerationem, &c. *Tertiò*, qui graviſſima negotia debent neceſſariò conficere, quæ omitti nequeunt. *Quartò* qui nequeunt Miſſam audire absque gravi damno famæ, honoris; ut ſi vir nobilis veſte decenti careat. *Quintò*, famuli, & uxores, qui timerent rixas, verbera, &c. *Sextò* qui notabiliter ab Eccleſia diſtant; puta unum, & medium milliare Germanicum, vel Hiſpanicum, ut vult Covarr. & Her. *Septimò*, Cenſurâ innodati, ut excommunicati, interdicti &c. *Octavò*, conſuetudo quorundam locorum excuſat viduas ad tempus poſt mortem viri. Ita Sylv. &c.

23. Nota tandem Miniſtros Miſſarum, ut Accolythos, & ſimiles, licèt ad omnes partes Miſſæ non adſint, ſatisfacere tamen præcepto. Ita Præpoſ. & Herincx. Ratio eſt; quia in communi DD. opinione hi aſſiſtere cenſentur toti Miſſæ, dum Miſſæ ſervitijs occupantur.

TITULUS X.

DE ORDINE COGNITIONUM.

CAP. I.

Quid ſit ordo cognitionum.

1. NOta primò: ſolet nonnunquam contingere, quòd in Judicio præter quæſtionem principalem, aliæ quoque quæſtiones incidentes emergant, ac proponantur, quæ pariter poſtulant ſuam diſcuſſionem: unde meritò hic Titulus proponitur, in quo reſolvendum erit, quis modus, & ordo ſit ſervandus in concurſu ſimilium quæſtionum cum quæſtione, ſeu cauſa principali; nè earum confuſio Judicium impediat; v. g. quando cum cauſa principali matrimoniali, quâ mulier aliqua petit talem virum ſibi dari tanquam ſuum ſponſum, & legitimum maritum, concurrit cauſa incidentalis conſanguinitatis, quâ vir è contra opponit, talem mulierem eſſe ſuam conſanguineam. Ex his

2. Dico primò: bene deſcribitur Ordo cognitionum, quòd *ſit modus, & ordo ſervandus à Judice in examine plurium quæſtionum, puta principalis, & aliarum incidentalium, quæ in eodem Judicio concurrunt inter eaſdem perſonas.* Ita Bartolus hìc in princ. Pirh. &c. Ly *modus*, & *ordo* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico ſecundò: regula generalis eſt circa ordinem cognitionis plurium quæſtionum, ſeu cauſarum concurrentium, quòd quotieſcunque una quæſtio, vel cauſa concurrens dependet ab altera, illa à qua alia dependet, priùs cognoſcenda, & judicanda eſt à Judice. Ita Vallenſis, Engel, Farinac. &c. Et conſtat ex *L. 1. §. 8. & 9. & 10. ff. de agnoſ. & alend. liber.* Et eſt Ratio; quia illa cauſa, à qua altera dependet, cenſetur præponderans. Quod totum in ſequentibus particularibus reſolutionibus quæſtionum concurrentium ampliùs ſtabilietur. Unde

CAP. II.

Variæ particulares reſolutiones circa ordinem cognitionũ.

1. DIco primò: in concurſu cauſæ principalis matrimonij cum cauſa incidentali conſanguinitatis immixtæ, hic ordo cognitionum ſervandus eſt; ut priùs cognoſcatur cauſa conſanguinitatis, quàm matrimonij; ut ſi ſimul concurrat hæc cauſa principalis matrimonij, quâ mulier judicio petitorio prætendat virum aliquem tanquam ſuum maritum; & hæc alia cauſa incidentalis conſanguinitatis, quâ vir excipit contra matrimonium, per oppoſitionem impedimenti conſanguinitatis; hoc caſu cauſa incidens conſanguinitatis priùs diſcutienda eſt; quàm

quàm altera principalis matrimonij. Ita communis DD. Et reſolvitur *cap. intellexi-mus 1. hoc tit.*

2. Nota tamen primò: ſi mulier judiciô poſſeſſoriô prætendat virum tanquam maritum ſuum ſibi reſtitui, tunc proceditur in cauſa principali matrimonij; & cauſa incidens conſanguinitatis tanquam exceptio inutilis rejicitur; cùm præſumatur matrimonium eſſe validum; uti conſtat ex *cap. ex conqueſtione 10.* Et *cap. literas 13. de reſtit. ſpoliat.* Et quia uxor fuit in quaſi poſſeſſione matrimonij, & per maritum eſt ſpoliata; cui proinde, non obſtante exceptione conſanguinitatis, maritus eſt reſtituendus.

3. Dico ſecundò: ſimiliter in concurſu quæſtionum, & cauſarum præjudicialium cum principali, priùs ordine cognoſci debent præjudiciales per Judicem competentem; ut ſi cum cauſa principali hæreditatis, quâ cognati proximi defuncti petunt hæreditare, concurrat alia incidens cauſa legitimationis, ſeu filiationis legitimæ, quâ negatur à cognatis, hunc eſſe legitimum filium defuncti; hoc caſu incidens quæſtio filiationis legitimæ ordine priùs eſt cognoſcenda, diſcutienda, & decidenda per Judicem Eccleſiaſticum. Ita Vallenſ. Engel, Zoëſ. Et deciditur *cap. tuam 3. hoc tit.* Et eſt Ratio: quia deciſio principalis quæſtionis de hæreditate pendet à deciſione quæſtionis incidentis ſuper natales filij; nam ſi probetur coram Judice, talem filium non eſſe legitimum, Judex ſæcularis eidem per ſententiam denegabit hæreditatem.

4. Dico tertiò: etiam in concurſu cauſæ ſeu actionis ſpolij, cum ſimili cauſa ſpoliationis alterius rei per modum exceptionis à Reo objectæ Actori, priùs cognoſci debet cauſa Rei objicientis ſpolium alterius rei. Ita Abbas, Vallenſ. Engel, & communis. Et conſtat ex *cap. cùm dilectus*, verb. *ſed quoniam 2. hoc tit.* Et ſi Reus probet objectum ſpolium alterius rei, non priùs compelli poteſt ad reſpondendum Actori, quàm reſtitutione ſibi facta, *cit. cap. cùm dilectus.* Et quia dum Reus, & Actor hærent in eadem cauſa, & delicto, favorabilior cenſetur eſſe Reus, quàm Actor *L. favorabiliores ff. de Reg. Jur.*

5. Nota ſecundò: quòd ſi tamen Reus per modum actionis ſpolium alterius rei objiceret Actori, ſeu agendo de ſpolio contra eundem; tunc actio Rei ſpoliati non debet priùs cognoſci, quàm cauſa Actoris: ceſſat enim hic ratio citatæ *L. favorabiliores*; cùm uterque evadat Actor, emergantque duæ cauſæ, ſeu quæſtiones principales, ſcilicet conventio, & reconventio, quæ cùm deducantur in idem Judicium; ideo ſimul etiam cognoſci debent; & priùs quidem cauſa Actoris, deinde cauſa Rei; ita tamen ut ſimul finiantur per ſententiam ſimultaneam.

6. Dico quartò: quando concurrunt ſimul cauſa, ſeu actio civilis, & criminalis, & ſi utraque principaliter tractetur; tunc criminalis præfertur civili, & priùs eſt cognoſcenda, quàm civilis. Ita communis DD. Et habetur *L. fin. C. de ord. judic.*

7. Dico quintò: quando verò civilis quæſtio ſola principaliter agitatur, & criminalis tantùm incidentaliter; vel è contra, ſi criminalis cauſa principaliter intentetur, & civilis incidentaliter tantùm moveatur; tunc utraque ab eodem Judice ſimul, & per eandem ſententiam definiri poteſt. Ita pariter communis DD. Et conſtat ex *L. pen. C. eod.*

TITULUS XI.

DE PLUS PETITIONIBUS.

CAP. I.

Quid ſit plùs petitio; & quot modi ejus.

1. Nota primò: notant communiter DD. Panormit. Vallenſ. Pirh. Engel, &c. quòd inter quæſtiones incidentes, quæ Actori, vel Reo poſt litis conteſtationem objiciuntur, (de quibus *priori tit.* actum eſt) quandoque etiam moveatur illa, quòd Actor plus æquò petat, quàm ſibi debeatur; id cùm iniquum ſit, impunè non eſt permittendum: quot modis autem ejuſmodi cauſa, actio, vel quæſtio fiat, & quô pactô puniatur, *hoc tit.* reſolvitur.

2. Dico primò: bene deſcribitur plus petitio, quòd *ſit inordinata Actoris poſtulatio libellatica, aliquid ultra æquum apud Judicem exigentis à Reo.* Ly *poſtulatio* eſt genus; reliqua ſtatuuntur pro differentia. Dicitur *libellatica poſtulatio*; quia in Judicio plùs petiones debent contineri in libello Judici præſentato.

3. Nota ſecundò: ſunt autem communes quatuor

quatuor modi, quibus committuntur plus petitiones, qui recenſentur *cap. conſilium, unic. hoc tit.* ſcilicet cauſa, re, loco, & tempore. *Cauſâ* plus peti cenſetur, quando Actor à reo aliquid poſtulat in ſpecie, vel unum præcisè petitur; cùm tamen in genere, vel alternativè tantùm debeatur: v. g. ſi Plato petat à Cicerone diamantem; cùm tamen ei tantùm promiſerit, & debeat lapidem pretioſum in genere; vel ſi Plato petat à Cicerone præcisè librum; cùm tamen ei debeat tantùm gladium, vel librum; & unum, vel alterum dare poſſit. Nam in debitis alternativis Rei, ſeu Debitoris eſt electio *L. plerumque 10. in fine ff. de Jur. dot. & Reg. Jur. 70. in 6.*

4. Nota tertiò: *re*, ſeu *entitate* plus peti cenſetur, ſi cùm v. g. Actori 10. aurei tantùm debeantur, is nihilominus petat 20. vel cùm res ejus ſit tantùm pro dimidia parte; nihilominus petat totam. Differt hic modus plus petendi à modo *cauſa* plus petendi per hoc; quod dum *re* plus petitur, id poſtulatur, quod in obligationem non eſt deductum; nam obligatus ad ſolvendum 10. aureos, non eſt obligatus ad 20. Quando autem *cauſâ* plus petitur, poſtulatur id, quod eſt in obligatione, & debito, ſaltèm disjunctivè; nam in debitis alternativis, utraque pars eſt in obligatione, licèt ſub disjunctione.

5. Nota quartò: *locô* plus peti cenſetur, quando illud, quod certô locô v. g. Pragæ promiſſum eſt dari, petitur in alio loco, v. g. Niſſæ Sileſiorum dari, abſque commemoratione loci Pragenſis, de quo conventum fuerat, ut res traderetur. *Tempore* tandem plus peti cenſetur, quando petitur res ante diem, vel conditionem, pactioni ſeu conventioni adjectam; ut ſi petantur 100. aurei 1. Auguſti extradi, de quibus tamen conventum fuerat, ut extradantur 1. Septembris. Vel ſi Anno 1685. poſtulentur à Claudio 100. aurei, ſuper quos extradendos tamen fuit facta conventio conditionalis talis; *dabo tibi 100. aureos, ſi anno ſequenti 1686. Imperator Leopoldus I. expugnaverit Budam Metropolim Ungariæ*: quæ petitio tempore prævenit conditionis eventum.

CAP. II.

De pœnis plus petentium.

1. Dico primò: qui *cauſa, re, & loco* plus petit, Jure civili condemnatur in omne damnum, & expenſas, quas Reus ſubire, & præſtare debuit; & inſuper debet pendere triplum ejus, quod ob majorem quantitatem libellô conventionis comprehenſam, viatoribus, ſeu executoribus litium ſportularum nomine præſtandum fuit. Ita Vallenſ. Pirh. Abbas &c. Et habetur in *Conſtit. Juſtiniani §. tripli, Inſtitut. de action.* Olim erat major pœna *cauſa, re, & loco* plus petentium; ita ut planè cauſâ caderent, id eſt rem amitterent; uti conſtat ex Paulo *1. Sent. cap. 10.* ubi ait; *cauſâ cadimus, vel locô, vel ſummâ, vel tempore, vel qualitate.* Verùm hodierno Jure Juſtinianæo hæc pœna eſt ſublata, & non viget ampliùs; niſi in unico caſu, puta ſi creditor exactâ per dolum malum majoris ſummæ, quam ſibi debeatur, cautione, plus petat, & ſuper hujuſmodi petitione litem conteſtetur; tunc enim debitô totô carere debet: quod contra Uſurarios notandum eſſe monet Gloſſa, ſuper *cit. conſtit.* Juſtiniani Imp.

2. Nota etiam primò: quòd pariter pœna præfata tripli viatoribus litium præſtanda probabilius in Jure Canonico locum non habeat; uti advertit Abbas, Panormit. Vallenſ. &c. Ratio eſt primò: quia *cap. unic. hoc tit.* ejuſmodi pœna tripli non reperitur expreſſa; ſed Papa tantùm dicit ibidem, quòd plus *re* petens ſit condemnandus in expenſas; *locô* verò plus petens teneatur etiam ad intereſſe. Ratio eſt ſecundò: quia in *cit. §. tripli* agitur de expenſis factis nomine ſportularum Viatorum; in foro autem Eccleſiaſtico hæ ſportulæ non præſtantur, *cap. cùm ab omni 10. de vita, & honeſtat. Cleric.* adeoque pœna tripli in Jure Canonico locum non habet.

3. Dico ſecundò: ſi *tempore* plus petitur, Actor condemnandus eſt in expenſas priùs ſolvendas, & Reo duplicantur induciæ ad ſolvendum, ita ut ſi v. g. priùs fuiſſet obligatus intra annum ſolvere, jam non teneatur, niſi poſt biennium. Ita Panor. Engel, Pirh. &c. Et conſtat ex *cap. unic. hoc tit.*

4. Nota autem ſecundò: quòd pœnæ hactenus relatæ contra plus petentes locum non habeant, ſi Actor probaverit, ſe non malitiosè; ſed juſto errore ductum plus petiiſſe; v. g. ſe petiiſſe totum legatum, eò quòd vigore teſtamenti ſibi id competere videbatur, circa quod demum prodiit Codicillus in quo dimidia pars legati ei adempta fuit, & alteri data: Ratio eſt; quia error facti præſtat excuſationem; cùm prudentiſſimos, & optimos quoſque fallere poſſit, *§. ſi quis agens 33. Inſtit. de actio.* Et quia in *L. 1. in fine C. hoc tit.* requiritur; ut plus petens convictus ſit, ſe avaritiâ id feciſſe.

5. Nota tertiò: ſimiliter ſi Actor plus petens deſiſtat ab hujuſmodi petitione ante litis

conteſtationem, non incurrit memoratas pœnas; uti colligitur ex *cap. unic. hoc tit.* illis verbis, *ſi ſuper petitione ſua duxerint in Judicio perſiſtendum.* Quod ſi tamen Reus interea aliquas expenſas feciſſet, Actor plus petens eaſdem refundere debet; uti & omne intereſſe; & ſic demum poteſt impunè pœnitere, & deſiſtere à petitione, ac evitare pœnas ſupra taxatas; uti notat Gloſſa, Hoſtienſ. Pirhingus &c.

TITULUS XII.

DE CAUSA POSSESSIONIS; ET PROPRIETATIS.

CAP. I.

De quidditate; diviſione; & diſtinctione Poſſeſſionis.

1\. NOta primò: moventur ſæpiſſimè in Judicio quæſtiones, & cauſæ poſſeſſionis, & proprietatis, & de eiſdem dubitare contingit, quo ordine ſint diſcutiendæ, ac cognoſcendæ; an nimirum poſſint accumulari, an verò ſeorſim ſint judicādæ: quare Sum. Pontifex prioribus duobus titulis tractantibus ſuper ordinem cognitionum, congruè hunc quoq; adjungit; qui abſorbet plurimas leges, quæ in Codice, & Pandectis de interdictis, & eorum uſu continentur.

2\. Nota autem ſecundò: hoc vocabulum *poſſeſſio* varias habet uſurpationes: nam aliquando capitur pro ipſis rebus poſſeſſis; uti fit *L. quæſtio 115. ff. de V. S.* Aliquando pro ipſa proprietate; quo ſenſu dicitur quis legare alteri ſuas poſſeſſiones, *L. interdum 78. ff. eod.* Aliquando, & ad propoſitum hujus Tituli, ſumitur pro actu, vel jure poſidendi, à quo denominatur quis poſſeſſor. Actus poſſidendi ſolet dici *poſſeſſio facti*; Jus verò poſſidendi dici conſuevit *poſſeſſio Juris.* Circa grammaticalem originem hujus termini *poſſeſſio*, putant plures Juriſtæ ipſum ortum ducere *à pedum poſitione*; quod colligunt ex *L. 1. in prin. ff. de acquir. poſſ.* eò quòd potiſſimus actus, quô apprehenditur poſſeſsio rerum immobilium, ſit pedum poſitio, *L. 3. §. 1. ff. eod.* Alij deducunt eum à *ſedium poſitione*; ut Alceatus apud Covarr. & Gloſſa; quia ſedes in re v. g. fundo ponebatur. Ego puto connaturalius, & veriùs derivari *poſſeſſionem* à *poſſe ſedere*; ita ut poſſidens ſit potens ſedere, civiliter ſcilicet, tenendo locum aliquem, vel rem.

3\. Nota tertiò: In propoſito titulo Juris ſumitur ly *cauſa poſſeſſionis* pro lite, quæſtione, ſeu controverſia, in qua principaliter diſceptatur in Judicio de poſſeſſione, vel quaſi poſſeſsione, ſive adipiſcenda, ſive retinenda, ſive rècuperanda, v. g. ſi Actor principaliter contendat, poſſeſſionem rei ſibi eſſe reſtituendam; & Reus hoc neget; & hoc vocatur *Judicium poſſeſſorium, cap. cùm ſuper 4. hoc tit.* Et *cauſa momentanea*, ſeu *momenti cap. 1. hoc tit.* non quòd ſemper in momento abſolvatur; ſed quia ſuapte natura in momento, id eſt brevi tempore poteſt peragi; nec diu eſt duratura apud poſſeſſorem, ſi de proprietate Actor docuerit; ut notat Gloſſa, & DD. communiter hìc. Ly verò *cauſa proprietatis* accipitur hìc pro lite, quæſtione, & controverſia, in qua principaliter diſceptatur de rei controverſæ proprietate, ſeu dominio, vel alio jure extra poſſeſſionem, vel quaſi poſſeſſionem; v. g. ſi Actor intendat ſe eſſe, & declarari dominum rei controverſæ; Reus verò neget: & hoc appellatur *Judicium petitorium cap. cùm ſuper 4. hoc tit.* tale Judicium exercetur, quando v. g. petitur hæreditas, *toto tit. ff. de petit. hæred.* Item dum quis contendit ſibi competere jus eligendi, præſentandi, vel beneficium conferendi, *cap. 3. & 4. hoc tit.* Quô verò Judicio ex his duobus diſceptetur, apparet ex libelli porrecti concluſione.

4\. Nota quartò: poſſeſſio, & quaſi poſſeſſio in hoc diſtingvuntur; quòd *poſſeſſio* ſuapte natura requirat apprehenſionem, quæ fit per ſenſum aliquem exteriorem, v. g. ſi manu tangam 100. aureos mihi redditos; vel pede tangam agrum mihi legatum: *quaſi poſſeſſio* autem non requirit talem apprehenſionem; unde competit rebus incorporalibus, cujuſmodi ſunt Jura, & Juriſdictionalia, quæ quis habet ſuper res corporeas; talis eſt Jus patronatûs, quod quis acquirit ex eo, quòd Clericum ſæpius præſentaverit ad beneficium Eccleſiaſticum vacans.

5\. Dico primò: Poſſeſſio Juris rectè deſcribitur; quòd *ſit Jus inſiſtendi alicui rei tanquam ſuæ, non prohibitæ poſſideri.* Ita Covarr. cū Leſſio. Et deſumitur ex Bart. *L. 1. de acquir. vel amittend. poſſeſſ.* Clarificatur breviter: Ly *Jus* eſt genus: reliqua habent rationē differentiæ: & per ly *Jus*, definitū hìc diſtinguitur à Poſſeſſione facti, quæ eſt actualis detentio rei. Per ly *inſiſtendi*

Digitized by Google

inſiſtendi alicui rei differt à dominio nudo, quod ſolùm importat Jus diſponendi, & remedium Juris ſe defendendi; Poſſeſſio verò tribuit facultatem applicandi tam remedia Juris, quàm armis repellendi, perturbantes pacificam Poſſeſſionem. Additur ly *tanquam ſuæ*, ad denotandum omnem Poſſeſſionem Juridicam fundari in dominio rei poſſeſſæ. Ly tandem *non prohibitæ poſſideri*, innuit Poſſeſſionem legitimam non poſſe eſſe contra Juris diſpoſitionem, & prohibitionem legum; ſed conformiter ad Jus, & Leges.

6. Dico ſecundò: Poſſeſſio facti *eſt detentio rei, corporis, animi, & Juris adminiculo.* Ita Sylv. Molina, Leſſ. Hoſtienſ. Covarr. &c. Explicatur laconicè: ly *detentio rei*, id eſt phyſica apprehenſio, ſtatuitur locô generis; (reliqua pro differentia) & comprehendit tam detentiones, & apprehenſiones rerum corporearum, puta fundorum, ædium, equi, donariorum; quàm etiam incorporearum, cujuſmodi ſunt diverſa Jura, ſervitutes, beneficia, & ſimilia, quæ ſtylô Moraliſtarum poſſideri dicuntur; à Legiſtis verò, & *L. ſervus ff. de aquir. rerum domin.* quaſi poſſideri. Ly *corporis adminiculo*, oſtendit in vera Poſſeſſione facti rem debere phyſicè aliquo ſenſu, vel membro attingi, puta oculis, pedibus, vel manibus, in ſe, vel in delegato ad apprehenſionem. Ly *animi adminiculo*, petit ad Poſſeſſionem voluntatem detentivam rei, & ejuſdem in proprietatem attractivam; ut habetur *L. 3. ff. de acqu. poſſeſ.* unde ex hoc capite Poſſeſſio differt à detentione depoſitaria, quâ depoſitum apprehenditur quidem; ſed ſinè voluntate id tranſmittendi ſub proprietatem, & dominium perfectum. Apponitur tandem *& Juris adminiculo*, ut detur intelligi, legitimam Poſſeſſionem non debere eſſe contra Juris diſpoſitionem, impedientem hujuſmodi Poſſeſſionem; quomodo contra Juris Civilis diſpoſitionem *L. quod univerſas 30. ff. de acquirend. vel amittend. poſſeſſ.* eſſet Poſſeſſio Laici, quam attentaret circa locum Religioſum, vel ſacrum.

7. Nota quintò: Poſſeſſionis mox deſcriptæ hæc eſſe ſpecialia privilegia. *Primò*; ſi bona fides adſit, parit præſcriptionem. *Secundò*; naſcente dubio reali de dominio rei poſſeſſæ, & eo durante, melior eſt conditio poſſidentis. *Tertiò*, Poſſeſſor non tenetur probare rem eſſe ſuam; ſed alter rem prætendens. *Quartò*, Poſſeſſor etiam armis poteſt defendere ſuam Poſſeſſionem. Ita ex diverſis Legibus deducunt Sylv. Leſſ. & DD.

8. Nota ſextò: Doctores paſſim Poſſeſſionem Facti partire in Civilem, & Naturalem. *Civilem* ajunt eſſe rei detentionem, continuatam ſolô animô; licèt ad eam à principio corporis adminiculum pariter adfuerit: talis eſt etiam in Plauto v. g. abſente à ſua villa. *Civilis* appellatur; quia magìs diſpoſitioni Legum Civilium, quàm Juri Naturali innititur, qui corporis adminiculo rem detinet. *Naturalis* eſt, detentio rei utroque adminiculô, animi videlicet, & corporis firmata.

9. Nota ſeptimò: Poſſeſſionem diſtingui ex multiplici capite à Proprietate; & propterea dicitur *L. naturaliter 12. §. 1. ff. de acquir. poſſeſſ.* quòd Proprietas nihil commune habeat cum Poſſeſſione. *Primò* itaque, Poſſeſſio diſtinguitur in hoc à Proprietate, quòd planè ſeparabiles ſint ab eadem perſona; unde ſæpe contingit alicujus rei aliquẽ eſſe poſſeſſorem, & non dominum; & è contra; utì dicitur *L. exitus 35. ff. de acquir. poſſ.* *Secundò*, dominium non acquiritur ſinè aliquo titulo, juxta *L. nunquam nuda 31. de acquir. rerum dominio:* Poſſeſſio verò in profanis non deſiderat adminiculum tituli; niſi adversùs eum, à quo poſſidetur, *L. clam poſſidere 6. §. qui ad nundinas ff. de acquir. poſſ.* *Tertiò*, Proprietas interdum acquiritur ſolô animô, ante apprehenſionem rei, v. g. hæreditatis *L. cùm hæredis 23. in prin.* Poſſeſſio verò non acquiritur ſolô animô; ſed poſtulat apprehenſionem ejuſdem veram, vel fictam *L. 3. §. 1. ff. eodem*; nam conſiſtit plus in facto; quàm in jure: è contra amittitur Poſſeſſio ſolô animô, *cit. L. 3. §. in amittenda:* Proprietas verò non amittitur ſic, *L. ſi quis vi 17. §. differentia ff. eodem.* *Quartò*, Poſſeſſio poteſt haberi ex pluribus cauſis; utì conſtat ex *L. cit. 3.* Proprietas autem ex una duntaxat cauſa acquiritur, *L. & an eadem 14. §. actiones ff. de exceptio. rei judic.* Vide plures aliàs differentias Poſſeſſionis à Proprietate apud Vallenſ. *hoc tit.* Et alios DD.

CAP. II.

Qua ratione acquiratur; & amittatur Poſſeſſio.

1\. NOta primò: Poſſeſſio rerum corporearum acquiritur tripliciter, ſeu tribus modis; videlicet apprehenſione verâ; apprehenſione fictâ; & diſpoſitione Legis. *Apprehenſione verâ* acquiritur, quando res poſſidenda attingitur manibus, vel pedibus: & hæc debet intervenire, quotieſcunque quis efficitur Dominus rerum carentium determinatô dominiô, puta theſaurorum, ferarum, fluminum, hæreditatis relictæ, cujus nullus extat dominus, piſcium, avium, gemmarum, & ſimilium.

Digitized by Google

2. Nota ſecundò: *apprehenſione fictâ* acquiritur Poſſeſſio rerum corporearum, quando res poſſeſſorem habet, à quo, vel à Judice tranſmittitur in poſſeſſionem; nulla tamen interveniente apprehenſione facta manuum, vel pedum adminiculô; & perficitur multimodè. *Primò*, conſignatione clavium pro ædibus, in quibus reconduntur merces tradendæ, facta à priori poſſeſſore; utì notat Covarr. Leſſ. &c. *Secundò*, exhibitione authenticæ Scripturæ poſſeſſoris antiqui, exprimentis legitimum titulum, & jus priſtinæ Poſſeſſionis, ac voluntatem realem tranſlativam hujuſmodi Poſſeſſionis; utì tenet Herincx, Lugo, Leſſ. &c. *Tertiò* oſtenſione fundi eminùs, facta à priori poſſeſſore; ſi deſuper accedat acceptatio novi poſſeſſoris, *L. 1. §. ſi juſſerim.* Et *L. quod meo 18. §. ſi venditorem, ff. de acquir. poſſeſſ.* *Quartò*, appoſitione cuſtodiæ ad res, v. g. recenter emptas, facta à poſſeſſore novo, & conſentiente antiquo, *L. quarumdam 51. ff. de acquir. poſſeſſ.* *Quintò*, ſubſtitutione antiqui poſſeſſoris, qui nomine novi exorditur Poſſeſſionem rei, à ſe priùs venditæ; vel agit ejus conductorem, erigendo novum contractum uſûs fructûs, vel fit ejuſdem depoſitarius, vel alia ratione nomine ipſius velit poſſidere, idque is ratum habeat; utì patet ex *L. cit quod meo.* Vide plures alios modos acquirendi poſſeſſionem rerum corporearum, apud Molin. & alios DD.

3. Nota tertiò: *legis* tandem *diſpoſitione* acquiritur Poſſeſſio alicujus rei corporalis, ſi transferantur dominia rerum in novos Poſſeſſores ſecundùm ſpeciales conſtitutiones Provinciarum, ordinantes tales in ſpecie modos translativos; de quibus conſulendi ſunt cujuslibet Provinciæ ſpeciales ritus legales, conſuetudines, & præſcripta.

4. Nota quartò: ut acquiratur Poſſeſſio rerum incorporalium v. g. Juris eligendi, vel præſentandi, &c. requiritur *Primò*, exercitium illius Juris; & ſufficit aliquando exercitium unius duntaxat actûs, ut ſi quis intraneus ad ſuffragandum in electione ſemel ſecluſô omni alio reſpectu admittatur, ſtatim vendicat ſibi Jus eligendi, & acquirit quaſi Poſſeſſionem. Aliquando requiruntur plures actus; ut ſi quis extraneus ex gratia admitteretur aliquoties ad ſuffragandum in electione: quare horum actuum, ſeu exercitij qualitas, & aliæ circumſtantiæ inſpici debent, an unicus, vel plures actus ſufficiant ad quaſi Poſſeſſionem talis Juris; utì notat Abbas, Pirhing. &c. *Secundò*, requiritur, ut priſtinus poſſeſſor, ſeu in cujus præjudicium Jus acquiritur, ſciat, & patiatur fieri exercitium talis, vel talium actuum, *L. 2.* junctâ Gloſſâ ver. *ſciente C. de ſervit. & aqua.* *Tertiò* requiritur, ut exercitium, ſeu actus talis fiat veluti ex debito, & tanquam jus agendi alicui competat; non autem ex gratia, familiaritate, vel amicitia *L. ult. ff. quemadmodum ſervit. amitt.* unde ſi v. g. in aliqua electione ex amicitia concedatur extraneo, ut ſimul ſuffragetur, talis non incipit poſſidere jus. Circa amiſſionem Poſſeſſionis.

5. Nota quintò: Poſſeſſionem amitti varijs modis. *Primò* voluntate Poſſeſſoris, nolentis ampliùs poſſidere, vel quaſi poſſidere; utì conſtat ex *L. 3. §. in amittenda ff. de acquir. & omitt. poſſ.* *Secundò* abſentiâ poſſeſſoris ad longum tempus, intra quod non ponit proteſtationem retinendæ Poſſeſſionis. *Tertiò* conniventiâ, ut res ab alio poſſideatur. *Quartò* morali impotentiâ rem ſemel amiſſam recuperandi; puta quia fortè fugâ, vel aliâ viâ res irrecuperabilis evaſit poſſeſſorem priorem.

CAP. III.

De triplici judicio Poſſeſſorio.

1. Nota primò: In cauſa Poſſeſſionis varias eſſe proditas actiones, quæ appellantur *Judicia poſſeſſoria*; item *remedia poſſeſſoria*; item *interdicta*: & ſunt in triplici differentia; aliud enim eſt Judicium poſſeſſorium, ſeu remedium poſſeſſorium, ſeu interdictum poſſeſſionis adipiſcendæ; aliud poſſeſſionis retinendæ; & aliud poſſeſſionis recuperandæ; utì conſtat ex *§. ſequens diviſio, Inſtit. de interdict.* Hujuſmodi actiones vocantur ideo *interdicta*; qui per ea Prætor aliquid in controverſijs poſſeſſionis jubet fieri, aut prohibet, ſeu interdicit.

2. Nota ſecundò: primò judiciò poſſeſſoriô, ſeu remediô poſſeſſoriô *adipiſcendæ* agitur, ut quis poſſeſſionem, quam nunquam habuit, acquirat: & pro hoc extant varia Interdicta; *primum* eſt Interdictum *quorum bonorum*, quod competit hæredi ex teſtamento, vel ab inteſtato, poſt aditam hæreditatem Jure Civili, vel poſt agnitam poſſeſſioné bonorum Jure Prætorio, *L. 1. & 2. C. quorum bonorum*, ad capiendam poſſeſſionem rerum hæreditariarum, quam nunquam habuit: nam ſi aliquando habuit, non competit ei remedium poſſeſſorium *adipiſcendæ*; ſed recurrendum eſt ad poſſeſſorium *recuperandæ*; & hoc eſt generale in omnibus Judicijs poſſeſſorijs *adipiſcendæ*, utì ex Gloſſa notat Vallenſ. *Secundum* Interdictum eſt *quod legatorum*; quod competit hæ-

Digitized by Google

eſt hæredi, vel poſſeſſori bonorum ad avocandam poſſeſſionem legati à legatario, qui illud propria authoritate occupavit, eo fine, ut Falcidiam valeat ex ea detrahere; cùm legatarij non debeant propriâ authoritate ſibi jus dicere, & legata occupare; ſed ea ab hærede petere oportet, *L. 1. in prin. ff. quod legatorum.* *Tertium* Interdictum eſt *Salvianum*; quod cõpetit domino, ſeu locatori fundi adversùs colonum, ſeu conductorem, ut rerum, quæ pro mercede conductionis expreſsè pignori obligatæ ſunt, poſſeſſionem conſequatur, *ſ. adipiſcendæ in fine*, *Inſtit. de interdict.* Plura Interdicta hujus Judicij luſtra apud Vallenſ. Bart. Abbat. &c.

3. Nota tertiò: ſecundò judiciô, ſeu remediô poſſeſſoriô *retinendæ* agitur contra illos, qui nos in poſſeſſione jam acquiſita turbare conantur: pro hoc extant duo Interdicta, *Uti poſſidetis*; & *Utrobi*. Primum datur pro immobilibus; ſecundum pro mobilibus uti dicitur *ſ. retinendæ*, *Inſtit. de interdict.* Et habet Gloſſa in *cap. paſtoralis* ver. *quod de recuperanda hoc tit.* Et quidem Interdictum *Uti poſſidetis* datur poſſeſſori, qui injuſtè, & extrajudicialiter turbatur in ſua poſſeſſione, adversùs turbantem, ut is deſinat turbare, ac moleſtare poſſeſſorem; teneaturque ad intereſſe turbationis factæ. Alterum verò Interdictum *Utrobi* datur ad hoc, ut decernatur apud quem debeat eſſe poſſeſſio illius rei mobilis, de qua eſt controverſia.

4. Nota quartò; tertiô demum judiciô, ſeu remediô poſſeſſoriô *recuperandæ* agitur ad rurſus recuperandam, ſeu rehabendam poſſeſſionem, à qua quis per ſpoliationem, aut aliam cauſam violentam excidit. Pro hoc extant pariter duo Remedia; unum pro recuperanda poſſeſſione rerum immobilium, à qua per vim quis eſt dejectus; & dicitur Interdictum *unde vi ſ. recuperandæ*, *Inſtit. de interd.* Alterum ad recuperandas res mobiles vi ablatas; & appellatur *Actio vi bonorum raptorum*; de quo *ff. & Inſtit. de vi bon. rapt.*

5. Nota quintò: Interdictum poſſeſſoriũ *adipiſcendæ*, *retinendæ*, & *recupernadæ* poſſeſſionis rerum ſpiritualiũ, vel quaſi ſpiritualium v. g. Juris patronatûs, decimarum, Juris electionum, beneficiorum &c. inſtitui debet apud Judicem Eccleſiaſticum, ſi controverſia ſit de jure poſſidendi; ſive agitetur hæc controverſia inter meras perſonas Eccleſiaſticas; ſive inter unam Eccleſiaſticam, & alteram Laicam; uti tenent Covarr. Azor. &c. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *Clem. 1. de ſequeſtr. poſſeſſ.* Et *cap. 2. de Judic.* Et quia Jus poſſidendi rem ſpiritualem, vel quaſi ſpirituale eſt ſpirituale quid; adeoque ventilari debet coram Eccleſiaſtico Judice; nam Judex ſæcularis nullam habet juriſdictionem in Clericos *cap. 1. & 2. de for. compet.* In quibuſdam tamen Regionibus conſuetudo obtinuit, ut poſſeſſorium decimarum (quod importat Jus quaſi ſpirituale, & rei ſpirituali annexum) etiam tractetur à Principe Laico.

CAP. IV.
De Proprietate ſeu Dominio.

1. Nota primò: nullam hìc dari differentiam inter proprietatem, & dominiũ; ſed eſſe ſynonima, utì patet ex ipſis Legibus Civilibus; nam ea, quæ tradit Calliſtratus in *L. ſi de vi 37. ff. de Judic.* eadem quoque ſcribit de dominio Martianus. in *L. qui cætu 5. ſ. 1. ff. ad Legem Juliam de vi publica.*

2. Dico primò: rectè deſcribitur Proprietas, ſeu Dominium, quòd *ſit jus in re aliqua extendens ſed ad omnem ejus uſum, ſeu diſpoſitionem*; *niſi lege prohibeatur.* Ita cum communi Leſſius, Herincx &c. Evolvuntur autem ſingulæ particulæ. Ly *Jus in re aliqua* ſubit rationem generis; reliqua rationem differentiæ. Dicitur *in re aliqua* in communi, ut comprehendantur tam res corporales, id eſt, quæ tangi poſſunt; utì ſunt fundus, veſtis &c. quàm etiam ſpirituales, quæ non poſſunt tangi, quales ſunt cenſus, uſusfructus, obligationes, ſervitutes, & ſimilia Jura, quorum Dominium proprium etiam poteſt habere homo; quidquid dicat Part. in *L. ſi quis*, & alij Juriſtæ poſt ipſum: nam cùm cenſus, uſuſfructus, & ſimilia Jura vendi, & emi poſſint, cenſeri debent ſub Dominio, & poſſeſſione hominis eſſe. Ly *extendens ſe ad omnem ejus uſum, ſeu diſpoſitionem*, oſtendit differentiam Dominij ab uſufructu, & uſu &c. quæ etſi Jura quædam ſint; non tamen ſe extendunt ad indefinitam & omnimodam diſpoſitionem rerum, quibus adhærent; unde uſufructuarius non poteſt indefinitè de villa diſponere, cujus uſumfructum habet, eam deſtruendo ſubſtantialiter, vel vendendo. Additur *niſi lege prohibeatur*; quia à quibuſdam perſonis, quæ pollent verò reali Dominiô in actu primo auferunt Leges exercitium ſeu actum ſecundum Dominij; ut plenè de rebus ſuis diſponere nequeant: ſic pupillus, prodigus,

Digitized by Google

prodigus, & minor, lege prohibentur alienare res ſuas, etſi verum Dominium earum habeant; ut habet Lugo, Leſſius, Herincx, Laym. & communis DD. Sic pariter Majoratus, ſeu Fideicommiſſa, & alia quæ *bona vinculata* à Juriſtis dicuntur, à ſuis poſſeſſoribus diſtrahi, vendi, aut deſtrui non poſſunt; ut habent *citati* DD. licèt eorum veri Domini reputentur; ut docet Covarr. Gomez, Molina, & paſſim Juriſtæ.

3. Dico ſecundò: Ad acquiſitionem veri Dominij Proprietatis, regulariter hæc duo ſimul adeſſe debent, Titulus, & Traditio. Ita Covarr. Herincx, Leſſius, Laym. &c. Et conſtat ex duabus Legibus Juris Civilis, hæc duo ſimul poſtulantibus pro acquiſitione Dominij, ſcilicet *L. Traditionibus 20. C. de pactis.* ubi dicitur, *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* Et *L. nunquam 31. ff. de acquirendo rerum dominio,* cujus ſunt hæc formalia; *Nunquam nuda traditio transfert dominium; ſed ita, ſi venditio, aut aliqua juſta cauſa* (per quam intelligitur Titulus aliquis) *præceſſerit, propter quam Traditio ſequitur.*

4. Nota autem ſecundò: quòd *Titulus* ſit juſta cauſa, in qua totum Jus originaliter, & primitiùs fundatur: talis eſt emptio, donatio, ſucceſſio hæreditaria &c. *Traditio* eſt actualis exhibitio, & apprehenſio rei Jure acquiſita. Hæc etſi regulariter, ut dixi in concluſione, ſimul cum Titulo conjungi debeat ad legitimam Dominij acquiſitionem; in quibuſdam tamen caſibus abſque ea vera Dominij ratio ſubſiſtit: & *primò* quidem, in materia beneficiorum abſque traditione per ſolam beneficij v.g. Parochialis collationem, & reciprocam acceptationem acquiritur Dominium Parochiæ; ita reſolvitur in *cap. ſi tibi de Præbendis in 6.* *Secundò*: in puncto relictæ maſſæ hæreditariæ, cujus quis efficitur verus Dominus per hoc ſolum, ut adeat hæreditatem; ut reſolvitur *L. cùm hæredes 23. ff. de acquirend. vel amitt. poſſ.* aditur verò hæreditas, dum ſolummodò acceptatur, verbô, vel factô; ut dicitur *Inſtit. de hæredum qualit. ſ. ult.* *Tertiò*, in caſu relicti alicujus legati in valido teſtamento: hujuſmodi enim legatum tranſit ſub perfectum tuum Dominium eô ipsô, quô ut inſtitutus hæres teſtatam hæreditatem, acceptas; ita docetur *L. à Titio 64. ff. de furtis.* *Quartò*, in caſu donationis, vel venditionis alicujus rei factæ Eccleſiæ, alijs pijs locis, & redemptionis captivorum; uti deciditur *L. ult. C. de ſacroſanctis Eccleſiis.* *Quintò*, dum erigitur contractus ſocietatis omnium facultatum, & bonorum, mediante connubio; ut habet Leſſ. *lib. 2. cap. 3.* *Sextò*, ſi condidiſti conditionatum pactum cum altero, cedendo ei bona tua immobilia, ut ſufficientem victum, aliave vitæ neceſſaria tibi ſuppeditet; eo denegante præſtitas ſuppetias, abſque traditione redit ad te Dominium illorum bonorum immobilium; quemadmodum deducitur ex *L. 1. C. de donationibus, quæ ſub modo.* Ita etiam in his caſibus ſentiunt Leſſ. Herincx, Laym. Covarr. &c.

5. Nota tertiò: Titulum hìc alium eſſe verum, alium præſumptum: *Verus* eſt v.g. certa & evidens Venditio, vel Donatio rei, jam tuæ evidenter; item ſucceſſio hæreditaria, & ſimiles. *Præſumptus* eſt v.g. Emptio rei alienæ à bonæ fidei poſſeſſore; Ad transferendum verum Dominium ſufficit titulus verus; non item Præſumptus.

CAP. V.

Qua ratione ſint tractandæ cauſæ Poſſeſſionis, & Proprietatis.

1. DIco primò: cauſa poſſeſſionis, & cauſa proprietatis ab eodem Judice cognoſci, & tractari debet. Ita communis DD. Et deciditur in *cap. ſuſceptis 1. hoc tit.* Limitatur tamen præfata concluſio in caſu, quo partes litigantes ſunt diverſi fori, v.g. Clericus & Laicus: nam tunc Actor v.g. Clericus qui obtinuit cauſam in judicio poſſeſſorio coram ſæculari Judice Rei, non tenetur eô terminatô coram eodem reſpondere in cauſa proprietatis; uti colligitur ex *cap. ult. de Judic.* Sed coram Judice Eccleſiaſtico debet conveniri in hac cauſa.

2. Dico ſecundò: cauſa poſſeſſionis, & cauſa proprietatis poſſunt ſimul cumulari in eodem judicio, ita ut Judex receptis probationibus ſuper utraque cauſa dilatâ cauſâ proprietatis, ſeu petitorij, priùs poſſit diſcutere cauſam poſſeſſionis, illamque terminare, & demum cauſam proprietatis proſequi, & finire. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ita ſtatuitur *cap. ad ultimum 2. hoc tit.* Et *cap. cum Eccleſia 3.* Et *cap. cùm ſuper 4. hoc tit.*

3. Dico tertiò: ſi autem ſimul ex æquo diſcuſſa ſit cauſa poſſeſſionis, & cauſa proprietatis; ſeu ſi ſimul actum ſit judiciô poſſeſſoriô, & petitoriô, utrumque debet unâ ſententiâ terminari; hoc tamen ordine obſervato, ut priùs pronuncietur ſuper poſſeſſione. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. cùm dilectus 6. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia poſſeſſorij ea natura eſt, ut præmitti debeat *L. 2. de Inter.*

Et *L.*

Digitized by Google

Et *L. ordinarij C. de rei vind.* In executione tamen (ſi fortaſſis adjudicetur proprietas alteri parti) prævalebit cauſa petitorij, ut priùs executioni mandetur *cap. 5. hoc tit.* Et quia hujusmodi cauſa eſt potentior; cùm dominium ſit potentius poſſeſſione, eamque ad ſe trahat.

4. Dico quartò: ſi inchoatô jam judiciô petitoriô, ſeu cauſa proprietatis Actor videat difficilem pronunciationem, & ſe defecturum in probationibus, poteſt ante concluſionem cauſæ redire ad poſſeſſorium. Ita Zoeſ. Engel. &c. Et conſtat ex *cap. 5. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia res facilè ad naturam ſuam redit. Nec obſtat *Authent. qui ſemel C. quomodo & quando Judex &c.* quia hæc procedit tantùm de illo, qui animo tergiverſandi in cauſa ſemel inchoata non procedit; hìc autem ſubeſt juſta cauſa, ut videlicet ſaltèm poſſeſſio probetur; & cauſa ſuſcepta non tam extinguatur, aut deferatur; quàm tantùm ſuſpendatur, *L. cùm feudum §. fin. ff. de vi; & vi arm.*

5. Dico quintò: ſi contingat aliquem ſpoliatum agere ſimul judiciô poſſeſſoriô, & petitoriô; probet autem tantùm poſſeſſionem, & ſpoliationem; non verò proprietatem ſeu dominium; tunc ei reſtituenda eſt ſola poſſeſſio; non autem proprietas; & altera pars abſolvitur à lite intentata proprietatis. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. 3. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia à poſſeſſione ad proprietatem non fit bona illatio; cùm ſint diverſæ cauſæ, & nihil commune habeant. Et

6. Nota primò: conſultum non eſſe, ut Actor cauſam proprietatis facilè intentet, quamdiu poteſt aliquô remediô poſſeſſoriô agere: cùm proprietas, & dominium ſint difficillimæ probationis: non enim illicò arguere licet ſic; villam emi; ergo mea eſt: nam poteſt eſſe, quòd ejus venditor non fuerit verus dominus illius villæ; quare neque proprietatem, ac dominium contractu transferre potuit in me: cùm nemo plus Juris in alium transferre poſſit, quàm ipſe habeat, *L. nemo de R. J.*

7. Nota ſecundò; in cauſa poſſeſſionis, & judicio poſſeſſorio graviſſimas aliquando oriri difficultates, quæ Judicem meritò perplexum faciunt, utri poſſeſſionem adjudicare valeat; quando ſcilicet utraque pars litigans probat ſe actus poſſeſſorios exercuiſſe, v. g. piſcando in eodem flumine, vel venando in eadem Sylva, &c. uti in foro contentioſo in dies auditur. Quare in his, & ſimilibus difficultatibus, ac caſibus decidendis obſervandæ ſunt ſequentes reſolutiones. *Primò* ſi altera pars litigans deficiat in probationibus; tunc locum habet vulgata illa Regula Juris; *actore non probante reus abſolvitur*, *L. 4. C. de edendo.* Sicque lucratur cauſam poſſeſſionis, & mittitur, aut manutenetur in poſſeſſione controverſa. *Secundò*, ſin autem utraque pars probet ſe juſtè, nec vi, nec clam, nec precario poſſidere; tunc is cauſam poſſeſſionis lucratur, & obtinet legitimè poſſesſionem, qui probavit poſſesſionem antiquiorem: nam poſſesſio recentior hoc caſu præſumitur vitioſa propterea, quod duo eandem rem, & eodem modo poſſidere nequeunt, *cap. licet cauſam 9.* verſ. *ex præmiſſis, & probat.* *Tertiò*, ſi neutra pars probet poſſesſionem antiquiorem, ſed parem in tempore; tunc præferendus eſt is, cujus poſſesſio eſt munita titulô aliquô Juridicô: nam quamvis in poſſeſſorio *retinendæ* opus non ſit probare titulum; imò nec quidem allegare; eò quòd teſte Juriſconſultô in *L. 2. ff. uti poſſidetis*, quilibet poſſeſſor hôc ipsô, quia poſſeſſor eſt, plus Juris habeat, quàm ille, qui non poſſidet; attamen ſi quis probaverit titulum, utique in pari cauſa prævalere debet illi, qui tantùm probavit poſſesſionem, *cit. cap. cauſam.* *Quartò*, ſi autem in titulo ſit paritas; tunc is cauſam poſſeſſionis lucratur, qui producit teſtes numerô plures, opinione integriores, & depoſitione probabiliores, juxta reg. *cap. in noſtra, de teſtib.* *Quintò*, ſi tandem utrinque omnia appareant paria (quod vix in praxi ſolet contingere) nonnulli DD. arbitrantur, in tali caſu pro Reo potius, quàm pro Actore Judicium eſſe; juxta illam Reg. Juris, *in dubio favorabiliores ſunt partes Rei, quàm Actoris.* Cùm autem in poſſeſſorio *retinendæ* uterque ſit Actor, & Reus (uterque enim contra alterum affert querelas pares) ideo cenſent iidem DD. illum eſſe Actorem, qui priùs ad Judicium provocavit: quod ſi verò uterque ad Judicium provocaverit eodem tempore, volunt poſſesſionem eſſe dividendam, & cuilibet mediam partem adjudicandam. Verùm ego in ſimili caſu, quô omnia apparent æqualia ex utraque parte litigante, judico debere pronunciari ſecundùm formam Interdicti, *uti poſſidetis, ita poſſideatis*; videlicet ut uterque poſſideat communiter, & pro indiviſo; arg. *cap. licet cauſam*, verſ. *cùm commune*; *de probat.* v. g. ut utraque pars venetur in eadem Sylva. Nam hoc pacto quilibet tantùm obtinebit, quantùm probavit; ſecundùm *L. 3. in princ. ff. uti poſſidetis.* Quod ſi autem ex hoc ſequerentur inimicitiæ, & rixæ; tunc Judex ſequeſtrabit poſſeſſionem, usque dum partes, vel perpetuam ineant tranſactionem, vel Petitorium inſtituant,

Digitized by Google

tuant, ex quo pleniùs eliciatur, cui jure proprietatis poſſeſſio danda ſit. Vel re ſummatim diſcuſſâ, id eſt ſinè præjudicio partium, declaret Judex interim alteram partem litigantem eſſe poſſeſſorem, donec de poſſeſſione pleniùs per inſtitutionem petitorij cognoſcatur, per text. in *L. æquiſſimum, aliàs L. ſi cujus 13. ʃʃ. 3. ff. de uſufructu*, ibi *cur enim* (ait Julianus) *ad arma & rixam procedere patiatur Prætor, quos poteſt juriſdictione ſua componere.*

8. Nota tertiò: poteſt autem in Judicio poſſeſſorio poſſeſſio varijs modis, & actibus poſſeſſorijs probari; puta ex perceptione fructuum; ex cenſuum, & collectarum ſolutione; alijsque actibus Juris poſſeſſorij realiter, & in effectu factis; item demonſtratione viciniæ; ſcientiâ; locatione; plantatione; ſatione, &c.

TITULUS XIII.

DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM.

CAP. I.

Quid ſit Spoliatus, & reſtitutio Spoliatorum; & quando fieri debeat.

1. NOta primò: partes de re aliqua v. g. fundo, vel domo altercantes ſolent nonnunquam ſibi inferre violentias antequam in Judicio compareant, & una alteram vel per vim publicam (quæ & *armata* dicitur, eò quòd armis fiat) vel per vim privatam (quæ fit abſque armis) de poſſeſſione talis rei dejicere, deturbare, & ſpoliare. Quare Jus Canonicum *hoc tit.* & alibi, & Jus Civile *in Inſtit. & Cod.* providerunt de opportunis remedijs, quæ competunt Spoliato contra Spoliatorem; quorum primum dicitur Interdictum *unde vi*: & deſcribitur, quòd *ſit remedium recuperandæ poſſeſſionis, quô poſtulat Spoliatus interverſam poſſeſſionem ſibi reſtitui, agendo contra Spoliatorem ipſum, qui vel per ſe, vel per alium dejecit, vel dejici mandavit, vel dejectionem ratam habuit, vel accedere prohibuit.* Hoc remedium inſervit non tantùm ad recuperandam poſſeſſionem; ſed etiam quaſi poſſeſſionem rerum, quâ obtinentur res incorporales; utì ſunt jura varia v. g. electionis, præſentationis ad beneficia &c. item ſervitutes, penſiones, juriſdictiones &c. Et afficit hoc remedium ex Interdicto ſolas res immobiles vi ablatas v. g. fundos, domos &c. Nam ſi fiat Spoliatio violenta rerum mobilium v. g. equi, pecuniæ, veſtis &c. competit Spoliato aliud remedium, ſcilicet *actio vi bonorum raptorum*; vel furti; vel *ad exhibendum L. 1. ʃ. illud ff. de vi; & vi armat.* Secundum remedium vocatur *cap. ſæpe.* Tertium *redintegranda*: de quibus omnibus in ſequentibus cap. Interea.

2. Dico primò: Spoliatus bene deſcribitur, quòd *ſit ille, qui vi, vel clam injuſtè dejectus eſt à poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione rerum ſuarum.* Et reſtitutio Spoliatorum, quòd *ſit redintegratio illius, qui vi, vel clam dejectus eſt à poſſeſſione rerum in priſtino ſtatu, authoritate Judicis facta.* Prima deſcriptio habetur ex *ff. quod vi, aut clam*; Secunda colligitur ex *can. Epiſcopis 1. cauſ. 3. q. 1.*

3. Dico ſecundò: reſtitutio Spoliatorum ante omnia fieri debet, quando in judicio diſceptatur. Ita communis DD. Et conſtat ex *cit. can. Epiſcopis.* Et ex *can. redintegranda 3. & 4. in eadem cauſa 3.* Et *L. 1. ff. de vi, & vi armat.* Unde Spoliator conventus à dejecto ſeu Spoliato, ne in ſuis quidem exceptionibus (ſi v. g. Actori objiciat aliquod crimen; vel quod vi, aut clam rem poſſederit, *c. lt. cum quis hoc tit.* aut ſi agatur de beneficio Eccleſiaſtico, quòd non ſit canonicè inſtitutus, *cap. in literis hoc tit.*) audiendus eſt: nec Spoliatus tenetur reſpondere ad objecta, antequam adverſarius reſtitutionem præſtiterit illius, quod vi abſtulit, *cap. conquerente in fin. hoc tit.* Et *L. 1. C. ſi per vim, vel alio modo.* Quod etiam procedit, etſi Spoliator excipiat de dominio; id eſt dicat ſe eſſe dominum rei, de cujus poſſesſione ſpoliatum dejecit, *cap. 1. hoc tit.* Et *cap. frequens, eod. tit. in 6.*

4. Nota tamen ſecundò: extare nonnullos caſus exceptos, in quibus præfata regula generalis, quòd videlicet *reſtitutio Spoliatorum ante omnia fieri debeat*, non procedat: *primò*, quando beneficiatus ſpoliatus beneficiô Eccleſiaſticô ante ſpoliationem ſpontè renunciaverat beneficio, non eſt reſtituendus, *cap. accepta 3. hoc tit.* alioquin ſi poſt ſpoliationem

nem renunciavit beneficio, reſtituendus eſt. Ratio eſt; quia præſumitur tunc renunciâſſe vi; niſi Actor contrarium probet, *cap. ſollicitè 2. hoc tit.* *Secundò*, quando ſpoliatus non eſt capax poſſeſſionis, non eſt pariter reſtituendus, *cap. ex parte 14. hoc tit.* Unde non eſt reſtituendus Laicus jure decimandi; aut beneficiô Eccleſiaſticô ſpoliatus; cùm tale jus ſpirituale & beneficium regulariter nequeat poſſidere, *cap. cauſam 7. de præſcript.* *Tertiò* quando reſtitutio ſpoliati fieri nequit absque gravi periculo corporis; ut ſi maritus agat poſſeſſoriô recuperandæ, & reſtituendæ ſibi uxoris, quæ diſceſſerat ab eo, ſinè judicio Eccleſiæ; hæc autem objiciat ſævitiam mariti; tunc enim reſtitutio differenda eſt; & priùs cognoſcendum de ſævitia mariti, *cap. ex transmiſſa 8. hoc tit.* *Quartò*, quando reſtitutio ſpoliati fieri nequit absque periculo animæ; ut ſi maritus pariter agat poſſeſſoriô recuperandæ uxoris, quæ abierat ſinè prævia Eccleſiæ determinatione; ipſa verò alleget impedimentum dirimens conſanguinitatis, ob quod in uſu matrimonij committeretur inceſtus; tunc ſi mulier dicat ſe habere probationes paratas ad conſanguinitatem demonſtrandam, & priùs ſuper hoc præſtiterit juramentum malitiæ, negari debet reſtitutio mulieris quoad thorum; & priùs de conſanguinitate cognoſcendum, *cap. literas 13. hoc tit.* ne videlicet uxor animæ periculum incurrat, carnaliter rurſus cognoſcendo virum. *Quintò*, quando maritus, qui agit petitoriô recuperandæ Uxoris fugitivæ, commiſit adulterium tempore petitæ reſtitutionis, de quo notoriè conſtat per evidentiam rei, vel per ſententiam, vel per confeſſionem judicialem, *cap. ſignificaſti, de divortiis.* *Sextò*, quando tertius aliquis intervenit pro ſuo intereſſe impediens reſtitutionem, ita ut rem nec ſpoliati, nec ſpoliatoris; ſed ſuam eſſe, vel ſaltem jus aliquod v. g. uſusfructûs ſibi in ea competere aſſerit; tunc reſtitutio ſpoliati eſt differenda, & talis interveniens priùs audiendus; uti conſtat ex *L. ſæpe 63. ff. de re judic.* Et *cap. cùm ſuper 17. de ſent. & re judic.*

CAP. II.

De primo remedio recuperandæ poſſeſſionis Spoliatorum ex Interdicto *Unde vi.*

1 DIco primò: Spoliatus agere poteſt remedio recuperandæ poſſeſſionis ex Interdicto *Unde vi* ad reſtitutionem ſuæ priſtinæ poſſeſſionis. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *L. 1. ff. de vi, & vi armat.*

2. Dico ſecundò: remedium recuperandæ poſſeſſionis ex Interdicto *Unde vi* conceditur omni, & ſoli illi, qui vi dejectus, & ſpoliatus fuit poſſeſſione rei immobilis. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. 1. ſ. dejicitur ff. de vi, & vi armat.* Et procedit iſta concluſio, ſive quis juſtè, ſive injuſtè poſſederit rem immobilem; nam & prædo, qui aliquem injuſtè expulit à poſſeſſione rei immobilis, & ab eodem expulſo rurſus illâ ſpolietur ex intervallo, interea reſtituendus eſt; uti conſtat ex *L. 1. ſ. qui me.* Ex hac concluſione

3. Infertur *primò*: hoc remedium recuperandæ poſſeſſionis ex Interdicto *Unde vi* concedi debere etiam tantùm uſufructuarijs ſpoliatis, etſi domini non ſint talis rei; uti conſtat ex *L. 3. ſ. fin. ff. de vi, & vi armat.* quia hi ſunt in quaſi poſſeſſione Juris, ſeu dominij utilis, ſeu uſusfructûs, quod verè, & quaſi civiliter, ſuoque nomine poſſident, *L. ſciendum 15. ſ. 1. ff. qui ſatisd. cog.* *Secundò* item remedium concedi debere, ſive quis civiliter, ſive naturaliter poſſideat rem, *L. 1. ſ. dejicitur. ff. de vi, & vi armat.* *Tertiò*, concedi quoque debere hæredibus, cæteriſque ſucceſſoribus, *cit. L. 1. ſ. hoc interdictum 44. ff. eodem*: non tamen contra quemlibet poſſeſſorem tertium, qui non ſpoliavit, & eandem rem poſſidere cæpit *L. cùm à te 7. ff. eod.* Nec contra hæredes, aut ſucceſſores univerſales ſpoliatoris; cum pœnale ſit *L. 1. ſ. interdictum 44. de vi*; ſed ejus locô actio in factum competit, *cit. L. 1. ſ. ult.* Sed adverſùs eum, qui per ſe, vel alium dejecit, vel dejici mandavit; modò factum fuerit ſubſecutum; vel etiam dejectionem ratam habuerit, *cit. L. 1. ſ. dejeciſſe 12.* junctô *ſ. ſed etſi 14.*

4. Dico tertiò: Interdictum *Unde vi* nonniſi intra annum utilem intentari poteſt. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et conſtat ex *L. 1. in princ.* junctâ Gloſſâ verb. *annum*; & *ſ. annus ff. de vi, & vi arm.*

5. Dico quartò: qui agit Interdicto *Unde vi* obligatur ad probandum duo, nimirum poſſeſſionem, & dejectionem ſeu ſpoliationem. Ita Abbas, Gail. Covarr. &c. Et ita conſtat ex *L. 1. ſ. interdictum autem ff. de vi.* Et ex *cap. conſultationibus 10.* junctâ Gloſſâ verb. *poſſeſſionem, & dejectionem*; *de offic. & poteſt. Jud. deleg.* Et niſi agens hoc interdictô probet debitè poſſeſſionem actu à ſe habitam, & ſecutam ejus deſuper ſpoliationem, audiendus non eſt; etſi dicat, ſe dominum rei eſſe; uti patet ex *cap. olim 17. hoc tit.*

6. Nota primò: non debet in executione hoc

Digitized by Google

ne hoc remedium recuperandæ poſſeſſionis ex Interdicto *Unde vi* concedi illi Clerico ſpoliato beneficiô Eccleſiaſticô, contra quem eſt magna præſumptio, quod illud ſinè titulo, aut cum titulo vitioſo obtinuerat: unde reſtituendus non eſt, antequam titulum ſuæ inſtitutionis probet, ac juſtificet; uti tenet Menoch. Maſcard. &c. Ratio eſt; quia periculum eſt, ne alioquin rurſus eveniat ingreſſus vitioſus, ſeu intruſio in beneficium. Idem, dicendum de ſpoliato jure decimarum, qui pariter reſtituendus non eſt priùs, antequam oſtenderit titulum, vel ſaltèm præſumptionem tituli; ut quòd longo tempore in pacifica poſſeſſione illius Juris fuerit, *cap. ad decimas 2. hoc tit. in 6.*

7. Dico quintò: Spoliatus agens Interdicto *Unde vi* non poteſt repelli per exceptionem criminis; ſed reſtituendus eſt, non obſtante criminis objectione; & priùs cognoſcendum eſt ſuper ſpolio; quàm de crimine. Ita communis DD. Et deciditur in *cap. cùm quis 6. hoc tit.*

8. Nota ſecundò: ſi committatur clam ſpolium ædium abſente domino, aut alio curam & poſſeſſionem ædium habente; vel ſi vi expellatur dominus, aut alius poſſeſſor ædium; tunc is poteſt clandeſtinum, & injuſtum talem invaſorem, ſi abſcedere nolit, aut per vim expellere; modò fiat in continenti, & non ex intervallo; & modus juſtæ defenſionis non excedatur: nec tali clandeſtino ſpoliatori, vel invaſori patrocinatur Interdictum *unde vi*; uti conſtat ex *L. 1.* junctâ Gloſſâ ver. *ad defendendam poſſeſſionem C. unde vi.* Et ex *cap. olim 12. hoc tit.*

9. Nota tertiò: ſi colonus, aut alius inquilinus, vel alius rem tenens, precariò terminato tempore locationis, vel conceſſionis nolit eam reſtituere domino; is cenſetur eum ſpoliare, ac proinde eum dominus poteſt expellere per vim; ita conſtat ex *L. colonus 12. ff. de vi.*

CAP. III.

De altero remedio recuperandæ poſſeſſionis ſpoliatorum ex *cap. ſæpe.*

1. Nota primò: ſi quidem per remedium ex Interdicto *Unde vi*, de qua *priori cap.* actum eſt, ſpoliatis non ſatis conſulitur; cùm illud detur duntaxat contra illum, qui per ſe, vel per alium dejecit à poſſeſſione, vel dejici juſſit, vel dejectionem factam ratam habuit, aut accedere prohibuit: ideo Papa Innoc. in *cap. ſæpe contingit 18. hoc tit.* introduxit aliud remedium amplius recuperandæ poſſeſſionis, ſeu reſtitutionis ſpoliatorum, ſimile præfato interdicto *Unde vi*; quod deſcribitur bene *eſſe illud, quô ſpoliatus poteſt convenire quemcunque poſſeſſorem rei ſpoliô ablatæ, habentem notitiam ſpoliationis.*

2. Dico primò: remediô capitis *ſæpe* ſpoliatus agere poteſt ad recuperandam poſſeſſionem adversùs quemlibet poſſeſſorem ſpoliationis conſcium; ſive is rem immediatè à ſpoliatore acceperit; ſive mediatè, etiam ab intermedio poſſeſſore bonæ fidei. Ita Vallenſ. Pirhing. Abbas, & communis Canoniſt. Et ita conceditur *cap. ſæpe 18. hoc tit.* quod eſt deſumptum ex Concil. Lateran. ſub Innocentio III. Et eſt Ratio; quia talis poſſeſſor immediatus, vel mediatus ſcienter detinens rem alienam, ſeu ſpoliô ablatam, *cenſetur ſuccedere ſpoliatori in vitium* (inquit *cit. cap.*) *ſiquidem quoad periculum animæ, ſive peccatum, non multùm intereſt inter hæc duo, injuſtè detinere, & invadere rem alienam.* Quare Jus Canonicum in hoc aliquid ultra Jus Civile conceſſit ſpoliato: & hoc remedium hodie etiam in foro civili locum habet; nam dum aliquid decernitur ratione peccati ſeu periculi animarum amovendi, id etiam in foro Civili inter Laicos obſervandum eſt, uti advertit Abbas, &c. DD.

3. Nota ſecundò: præfatum remedium non conceditur ſpoliato adversùs illum, qui bona fide ignorans rem ſpoliô ablatam poſſidet, *cap. cit. ſæpe.* Ceſſat enim in hoc caſu periculum animæ, ſeu peccati, in quo fundatur præfata determinatio cononica *capituli ſæpe*; cùm ad commiſſionem peccati ſemper requiratur ſcientia.

4. Nota tertiò: agenti hoc remediô incumbit probare clarè poſſeſſorem eſſe conſcium ſpoliationis: nam communiter ignorantia facti alieni præſumitur, ſi non probetur ſcientia, juxta *Reg. Juris 74. in 6.* Et ſcientia rei alienæ objecta ab Actore, ab eodem probari debet, *L. verius 21. ff. de probat.*

5. Nota quartò: quinimò hoc remedium competit etiam adversùs illum poſſeſſorem, qui ab initio bona fide rem à ſpoliatore accepit, ignorans eam eſſe vi, & per ſpolium ſublatam; eâ autem acceptâ demum cognoſcit ipſam laborare vitiô violentiæ; ſeu eſſe vi ablatam; uti tenet Vall. Joan. Andr. Abbas &c. Ratio eſt; quia ſuperveniens ſcientia, & co-

Digitized by Google

& cognitio perinde ac illa quæ ab initio adfuit, ſingulari ſucceſſori nocet: & quia etiam in hoc caſu currit dictum allegati *cap. ſæpe*, quòd parùm interſit ad peccatum, rem alienam invadere; & injuſtè eam detinere. Et procedit præfata reſolutio; ſive talis poſſeſſor titulô lucrativô, ſive oneroſo acceperit; item ſive primus ſpoliator ſit ſolvendo, ſive non quia in *cit. cap. ſæpe*, à Pontifice condente Canonem non tam ſpectatur cauſa acquiſitionis; quàm modus; id eſt ſcientia accipientis, aut detinentis injuſtè; ſive periculum animæ, ſeu peccati, utì advertit Vallenſ. hic.

CAP. IV.

De tertio remedio recuperādæ poſſeſſionis, ex *can. reintegranda.*

1\. Nota primò: conceſſum eſt & tertium valde pingue remedium recuperandæ poſſeſſionis, ſeu obtinendi reſtitutionem ſpoliatorum, quod à Pragmaticis appellatur *remedium redintegrandæ*; quod affertur in *can. reintegranda cau. 3. q. 1.* Hoc eſt latisſimè patens, plenisſimum, & utilisſimum inter omnia remedia recuperandæ poſſesſionis; concurritque cum omnibus alijs; & uſus ejus hodie eſt frequens. Et deſcribitur bene, quòd *ſit illud, quò quis agere poteſt adverſus omnem prorſus poſſeſſorem rei ſpoliò ablatæ, quamvis is non ſpoliaverit, nec etiam ſpoliationis ſit conſcius; ſed bonæ fidei poſſeſſor; & ſive cum vitio, ſive abſque vitio; ſive cum titulo, ſive abſque titulo, ad eum res pervenerit.*

2\. Dico primò: ſpoliatus agere poteſt remediò *can. reintegranda* adverſus omnem poſſeſſorem, quôcunque modô rem ſpoliô & vi ablatam poſſideat. Ita Gloſſa, Vallenſ. Marant. Abbas &c. Et conſtat ex *cit. can. reintegranda.* Et competit hoc remedium non tantùm perſonis Eccleſiaſticis; ſed etiam Laicis, qui de re aliqua, etiam mobili vi dejecti ſunt; utì notat Menoch. & Vallenſ. Vel cui aliàs quovis modò, ſinè juſta cauſa, res eſt ablata; juxtà Marant. &c. Et procedit abſque ulla temporis præfinitione. Hôc remediô etiam uti poteſt colonus, & inquilinus, ſi de poſſeſſione fuerit per vim dejectus, etiam adverſùs quemlibet poſſeſſorem; utì vult Vallenſ. hic.

CAP. V.

Quid ſpoliator, aut alius poſſeſſor reſtituere debeat ſpoliato.

1\. Dico primò: Spoliator tenetur rem ablatam reſtituere ſpoliato cum omni cauſa, id eſt cunctis fructibus perceptis, & qui percipi potuiſſent à die, quô vi Actorem dejecit; cæteraſque utilitates, inſuper damna omnia reſarcire, ac de injurijs integrè ſatisfacere. Ita communis DD. Et ita ordinatur in *cap. gravis 11. hoc tit.* Et *L. 1. §. eum qui.* Et *§. non ſolùm, ff. de vi, & vi arm.* Et *L. qui reſtituere ff. de rei vindicat.* Et eſt Ratio; quia æquum eſt, ut ſpoliatus tantùm conſequatur, quanti ejus intereſt. Si autem ea in ſpecie reſtitui nequeant, quæ aſſecuturus erat, ſaltèm eorum æſtimatio reſtituenda eſt, *L. 1. cit. §. quod autem.*

2\. Dico ſecundò: poſſeſſor malæ fidei, ſeu qui ab initio ſcivit rem talem eſſe alienam, ſeu vi & ſpoliô ablatam; & tamen eam conſervat, aut alienavit, pariter tenetur domino ſpoliato eam reſtituere quoad entitatem, & omnes ejus fructus (exceptis merè induſtrialibus) quos percepit; ſive ij adhuc extent, ſive jam conſumpti ſint; imò & illos, quos ſpoliatus veriſimiliter percepiſſet; niſi ei res injuſtè ablata fuiſſet: & demum etiam omne illud damnum debet reſarcire, cujus ipſe injuſta cauſa fuit. Ita Menoch. Pirh. &c. Et habetur ex *cap. gravis hoc tit.* Et ibi Gloſſa verb. *fructus.*

3\. Dico tertiò: Poſſeſſor ab initio bonæ fidei; ſed cui poſt poſſeſſionem, & detentionem aliqualem demum ſupervenit ſcientia rei alienæ, quam priùs non habuit; non tenetur reſtituere niſi id, quod tempore acquiſitæ ſcientiæ actu poſſidet, & penes ipſum extat; aut quatenus ex ea locupletior eſt effectus; quòd ſi autem per legitimam præſcriptionem interea temporis dominium rei acquiſiviſſet; tunc nihil omninò reſtituere tenetur. Ita Menoch. Mol. Pirh. &c. Primum conſtat ex *L. item veniunt 20. §. præter hæc, ff. de hered. petit.* Ratio ſecundi eſt; quia præſcriptio cùm conferat dominium, elidit omnē repetitionem rei, quæ aliquando fuit aliena, ſed inſciò poſſeſſore.

4\. Nota primò: quòd etiam fructus rei naturales, & mixti apud talem bonæ fidei poſſeſſorem exiſtentes ante præſcriptionē do-

mino rei ſpoliato reſtituendi ſint, *L. certum 22. C. de rei vindic.* Et quia quævis res domino ſuo fructificat. Fieri autem poteſt præfata reſtitutiô deductis expenſis, & æſtimatione laboris, *L. ſi à domino 36. §. ult. ff. eod.* Talis autem poſſeſſor bonæ fidei non tenetur fructus naturales, & mixtos reſtituere, quos jam conſumpſit; niſi quatenus eſt factus inde locupletior, & patrimonium auctum eſt, *L. ſi rem 22. Non enim debet quis cum alterius jactura locupletari*; ait *Reg. Juris 48. in 6.* Similiter idem poſſeſſor non tenetur reſtituere fructus rei naturales, vel mixtos, quos percipere potuiſſet; ſed neglexit. Ratio eſt; quia cùm ex his non ſit factus ditior, non tenetur reſtituere ratione rei acquiſitæ: & cùm non fuerit domino cauſa injuſta damni, non tenetur pariter reſtituere ratione injuſtæ acceptionis. Tandem nec fructus merè induſtriales, ſeu potiùs lucra acquiſita negotiando pecuniâ, frumentô, vel vinô, &c. reſtituere tenetur idem poſſeſſor bonæ fidei; uti notat Mol. &c. Ratio eſt; quia hæc ſubſunt induſtriæ hominum; unde pertinent ad eum, cujus induſtriâ proveniunt.

TITULUS XIV.

DE DOLO, ET CONTUMACIA.

CAP. I.

De dolo.

1. Nota primò: ſolet interdum ſpoliator ſubterfugere Judicium per dolum, aut contumaciam, ita ut ſpoliatus nequeat reſtitutionem rei conſequi; ideo titulus iſte priori ſubjungitur, in quo de doli, & contumaciæ remedijs agitur. Circa primum ejus articulum

2. Nota ſecundò: dolus ſtatuitur duplex bonus, & malus. *Dolus bonus* deſcribitur rectè, quòd *ſit quædam ſolertia, quâ quis machinatur aliquid adversùs hoſtes, vel latrones, præſertim publicos, in ordine ad excludendas eorum fraudes, & injurias*; ita conſtat ex *L. 1. §. non fuit ff. de dolo.* Et *can. dominus 2. cau. 23. q. 3.* Hic dolus eſt permiſſus in Jure. Dolus malus in genere deſcribitur, quòd *ſit calliditas quæcunque, fallacia, vel machinatio, ad circumveniendum alterum adhibita.* Ita conſtat ex *L. 1. cit. §. 1.* Fiunt autem calliditas, fallacia, & machinatio diſtinctis actibus: nam calliditas committitur tacendo, vel diſſimulando: fallacia decipiendo mendacijs: machinatio occultas ſtruendo inſidias; uti notat Hoſtienſ.

3. Dico primò: Dolus malus in ſpecie (de quo ex profeſſo *hoc tit.* agitur) *eſt quædam vel calliditas, vel fallacia, vel machinatio contumaciæ adhærens, in ordine ad circumveniendum alterum adhibita.* Ly *calliditas, vel fallacia, vel machinatio* ſtatuitur locô generis; reliqua pro differentia: & per ly *contumaciæ adhærens* differt dolus ſpecificus, de quo hìc, à quocunque alio dolo, qui contumaciæ non eſt adjunctus. Dolus iſte ſpecificus neceſſariò debet eſſe conjunctꝰ contumaciæ, ratione cujus detrectat in judicio comparere; unde eo ceſſante nemo contumax cenſetur, *L. contumacia 53. ff. de re judic.* Etſi autem in *iſto tit.* agatur tantùm de iſtô dolô ſpecifico contumaciæ adhærenti; attamen etiam generaliter nonnullas reſolutiones de dolo malo quocunque magìs utiles, & neceſſarias ad præſens inſtitutum Canonicum hìc proferam; cùm nuſquam ſit aptior locus de dolo generaliter diſſerendi: Unde ſit

CAP. II.

Variæ reſolutiones de dolo generaliter.

1. Nota primò: dolum malum poſſe in pluribus rebus committi; nam *primò* committi poteſt circa ſubſtantiam rei; ut ſi venditor dolô ſubtrudat vitrum coloratum pro gemma; vel aurichalchum pro auro. *Secundò* circa qualitatem rei, puta circa accidentia extrinſeca ejus. *Tertiò* in contractibus; ſi videlicet alter alterum dolosè inducat ad contrahendum, vel promittendum. *Quartò* in teſtamentis, ſi quis ea ſupprimat, celet, cancellet, vel deleat ea, quæ in ipſis ſcripta reperiuntur. *Quintò* in legibus, ut ſi quis ſalvis verbis Legis ſententiam ejus circumveniat; vel ubi id fit, quòd Lex fieri noluit; fieri autem non vetuit, tunc fraus fit *L. contrà 29. ff. de leg.* Item ſi quis Leges corrumpat, mutilet, vel falsò interpretetur, aut alleget. *Sextò* in ſolutionibus, ut ſi petat rurſus ſolvi id, quod

Digitized by Google

quod jam ſolutum eſt. *Septimò* in electionibus, & alijs compluribus actionibus moralibus.

2. Dico primò: in quacunque materia datur exceptio doli. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. apud Celſum 4. ſ. 4. ff. de except.* ubi exceptio doli vocatur *generalis*; eò quod adverſus quemlibet, qui id, quod qualibet exceptione excludi poteſt, petit, opponi poteſt *L. 2. ſ. generaliter ff. eodem.* Et quia Actor ex dolo ſuo non debet quidquã conſequi, *L. 1. apud Celſum 4. ſ. Marcellus; de doli mali except.* Unde hujuſmodi exceptio datur etiam contra illos, qui contra æquitatem naturalem aliquid exigunt; adeò ut etiam contra pupillum, minorem, furioſum, prodigum (ſi fortè pecuniam ſinè tutoris vel curatoris authoritate mutuò acceptum iteratò exigant, & ex illa facti ſint locupletiores;) de dolo excipi poſſit. *L. cit. 4. ſ. ſi quis pupillo.* Et eadem exceptio doli eſt perpetua, & ſemper competit; etſi actio de dolo certô tempore finiatur, *L. purè 5. ſ. ult. ff. de doli mali except.*

3. Dico ſecundò: actio de dolo competit contra quemcunque committentem dolum in quacunque materia. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. 1. ff. de dolo.* Hæc porro actio eſt Prætoria, & Perſonalis; quia ex delicto, ſcilicet dolo deſcendit. Et quia eſt merè rei perſecutoria ex parte actoris, ut res dolô obtenta reſtituatur; vel ejus æſtimatio, ſi res ipſa non poſſit; ac damnum, & intereſſe compenſentur. Eſt etiam arbitraria, in qua jubetur fieri reſtitutio arbitriô Judicis: eſt & extraordinaria, & ſubſidiaria; quia non datur; niſi deficiat actio ſpecialis, *L. 1. ſ. Pratore ff. de dolo.* Datur autem & dolum paſſo, & ejus hæredibus, adverſus decipientem, ſeu doloſum: in ejus autem hæredes, cæteroſque ſucceſſores eatenus tantùm perpetuò datur, quatenus ad eos ratione doli commiſſi pervenit; aut quò minùs perveniret, dolô eorum factum eſt, *L. plures 17. ff. de dolo.* Datur etiam iſta actio non aliter, quàm cauſâ cognitâ *L. 1. ff. de dolo.* Nam cum famoſa, & gravis ſit actio, non paſſim, ac temerè eſt indulgenda; adeóque Prætor meritò cauſæ cognitionem requirit *L. ſi quis 9. ff. eod.* Unde ſi modica ſumma ſit, v. g. 2. aureorum, non debet dari hæc actio, *cit. L. 9.*

4. Nota ſecundò: dolô malô inductus ad contrahendum, vel promittendum aliquid, ipſo jure civili obligatus eſt ad implendum contractum vel ſolvendum promiſſum; ſi dolus reverà dedit cauſam contractui, vel promiſſioni; ut habetur ſ. 1. *Inſtit. de except.* Tali tamen dolô inducto datur exceptio doli mali contra doloſum, ut contractus, & promiſſio reſcindatur; & eam oportet reſcindi: uti conſtat ex *L. ſi dolo 5. de reſcind. vendit.* Et *cit. Inſtit.* Et quia nemini dolus per occaſionem Juris civilis (ſecundùm quod inductus dolô obligatur) prodeſt contra æquitatem naturalem. Si autem dolus non dedit cauſam contractui vel promiſſioni factæ; ſed incidat tantùm in contractum, ità ut contractus nihilominus fuiſſet factus, etſi contrahens deceptus non fuiſſet; tunc decepto non competit exceptio doli; nec petitio, ut contractus reſcindatur; uti notant communiter DD. Mol. Pirh. Leſſ. &c. Ratio eſt; quia talis dolus non tollit ſubſtantiam contractûs.

5. Nota tertiò: ſi committatur dolus verſans circa ſolam qualitatem contractûs, etſi ei cauſam dediſſet, non propterea contractus eſt penitus irritus ipſo Jure; quia ita conſtat ex *L. ſi quis 36. ff. de verb. oblig.* Et quia ad talem contractum cenſetur adfuiſſe ſufficiens conſenſus. Talis tamen contractus per exceptionem doli eſt reſcindendus; quia nemini debet ſuus dolus patrocinari per occaſionem Legis civilis. Si verò committatur dolus verſans circa ſubſtantiam ipſam contractûs, & ei det cauſam; tunc contractus ipſo Jure eſt irritus. Ratio eſt; quia deeſt ſubſtantialis conſenſus, ut ſi quis vitrum pro gêma emat; nam tunc non conſentit in illam rem; ſed in aliam, ſicque errat; errantis autem nullus eſt conſenſus, *L. 9. C. de Reg. Jur. & fact. ignor.*

CAP. III.
De contumacia.

1. Nota primò: *contumacia* dicitur à *contemnendo*; nam dum alter litigantium reſpuit parere juſto mandato Judicis, is contemni dicitur. Ex quo patet Contumaciam eſſe actum inobedientiæ erga Judicem, vel Prælatum, vel alium Superiorem exercitum; uti notat Hoſtienſ.

2. Dico primò: benè deſcribitur contumacia (de qua hîc) quòd *ſit inobedientia illius litigatoris, qui tribus edictis propoſitis; aut unô peremptoriô pro tribus evocatus, & nullâ juſtâ cauſâ præpeditus præſentiam ſui coràm Judice facere contemnit*, Ita colligitur ex *L. contumacia 53. ff. de re judic.* Ly *inobedientia* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota ſecundò: duplex affertur communiter contumacia, ſcilicet vera, & ficta. *Vera* habetur, quando litigator perſonaliter eſt citatus, vel ſi ad domum ejus, vel ad valvas publicas facta ſit citatio, ita ut illa ipſi certò inti-

Digitized by Google

tò intimata fuerit, & ad ejus notitiam pervenerit; & tamen comparere contempſerit. *Ficta* habetur, quando litigatur non perſonaliter, & in faciem eſt citatus; eò quòd non ſit inventus; ſed per edictum affixum ad domum ejus, vel ad valvas Eccleſiæ, vel curiæ; ita tamen ut dubium ſit, an ad ejus notitiam pervenerit, nec ne; & is non comparet per ſe, vel per Procuratorem.

4. Nota tertiò: Contumacia poteſt committi pluribus modis, & quis conſtitui contumax: *Primò*, non comparendo in judicio poſt citationem, triplici edictô, vel uno peremptoriô factam, *L. contumacia 53. §. 1. ff. de re jud.* *Secundò*, ſi Reus latitet malitiosè, ita ut citatio ad eum pervenire nequeat; vel facit, ut citatio ad ſe non perveniat, quo caſu pro citato haberi debet. *Tertiò*, ſi Reus comparens ſinè Judicis licentia, negotiô infectô recedat, nec revertatur *cap. cauſam hoc tit.* quo caſu rurſus pro citato haberi debet. *Quartò*, ſi Actor in termino citationis nòn ſit præſens in Judicio; nam tunc Reus abſolvitur à citatione, *L. poſt edictum 73. ff. de judic.* *Quintò*, ſi Actor veniens ad Judicium non edat actionem, ſeu libellum; quo caſu Reus rurſus abſolvitur: vel ſi editô libellô, & lite conteſtata non proſequatur actiónem; quo caſu Reus item abſolvitur. Ex oppoſito etiam Reus contumax efficitur, ſi non reſpondeat libello, aut articulis Actoris, *cap. ut lite non conteſtata.* Vel ſi obſcurè reſpondeat; non categoricè. Vel ad quoſdam articulos reſpondeat; ad quoſdam autem non. *Sextò*, tam Actor, quàm Reus evadunt contumaces, ſi allegata, & deducta non probent; item ſi non pareant mandato Judicis circa præſtandum Juramentum calumniæ, & circa exhibitionem inſtrumentorum rationum, aliorumque ad cauſam deſervientium, &c. *L. unic. ff. ſi quis jus dicenti.* *Septimò*, ſi tandem partes recuſent executioni mandare ſententiam Judicis, *cit. L.* Et univerſaliter contumacia committitur circa omnes partes Judicij, in quibus Actor, vel Reus non obedit mandato Judicis.

5. Nota quartò: ſi citatus juſta de cauſa impediatur, ita ut comparere nequeat, non incurrit pœnas contra contumaces ſtatutas *L. contumacia 53. ff. de re judic.* Juſta porro cauſa excuſans cenſetur eſſe adverſa valetudo; viarum inpracticabilitas ob aquarum inundationes; militum graſſatio; peſtis; loci diſtantia nimia; & ſimiles difficultates, impoſſibilem reddentes acceſſum citati ad Judicem.

6. Nota quintò: ſi citatus antè litem conteſtatam in contumaciam cadat poſt triplex edictum miſſum, vel unum peremptorium; tunc recipiantur teſtes alterius partis (etiam lite non conteſtatâ) & ad pronunciandam ſententiam definitivam procedatur; ita habetur *cap. cauſam 3. hoc tit.*

7. Nota ſextò: ſi Actor contumax efficiatur, eò quòd abſque juſta cauſa non comparuerit illo die, quem Reo præfici fecit à Judice, comparente tamen Reo; compareat autem poſt elapſum illum terminum; tunc talis Actor condemnandus eſt ad legitimas expenſas, quas Reus fecit. Et ſi rurſus petat Reum citari, audiendus non eſt; niſi priùs ſufficienter caveat de comparendo certò in novo termino præfigendo. Ita conſtat ex *cap. Ad hæc 1. hoc tit.*

8. Nota ſeptimò: ſi Reus citatus poſt litem conteſtatam evadat contumax; tunc vel liquet de cauſa; & ſic fieri debet ſententia definitiva: vel non liquet; & ſic Actor immitti debet in veram poſſeſſionem, reſervatâ Reo abſenti quæſtione proprietatis; utì conſtat ex *cap. prout nobis 4. hoc tit.*

9. Nota octavò: ſi Actor ob contumaciam Rei per primum decretum immiſſus fuerit in poſſeſſionem bonorum rei ſervandæ cauſâ; non poſſit autem intra annum ob potentiam, & dolum adverſarij conſequi talem immiſſionem; in tali caſu Actor elapsô annô efficitur verus poſſeſſor; utì reſolvitur *cap. contingit 9. hoc tit.* Et quia non debet contumax melioris eſſe conditionis, quàm obediens: nec contumax ex malitia ſua comodum reportare.

10. Nota nonò: poſſunt interdum emergere tales circumſtantiæ, ob quas Judex rationabiliter non teneatur Actorem immittere in poſſeſſionem bonorum Rei, etſi is contumax eſſet; ſed poteſt eam ſequeſtrare, Reumque cõdemnare in expenſas, quas fecit Actor ob contumaciam Rei; ita dicitur *cap. ex literis 2. hoc tit.* Poteſt etiam Judex contumaciam Rei quandoque tantùm punire ſuſpenſione ab officio, & beneficio; imò creſcente eâdem caſtigare excommunicatione: & quando per viam inquiſitionis, aut denunciationis proceditur contra abſentem contumaciter, poſſunt teſtes (etiam lite non conteſtatâ) recipi, & ſententia definitiva ferri *cap. veritatis 8. hoc tit.*

11. Nota decimò: ſi aliquis citatus ad totam cauſam, fiat contumax in comparendo per ſe, vel per Procuratorem; is comdemnandus eſt in omnes expenſas factas a die citationis. Ita habetur *cap. cùm dilecti 6. hoc tit.* Vel ſi quidẽ comparuit; poſtea tamen appellando à Judice recedat, & Judex illius appellationi

Digitized by Google

tioni non deferat tanquàm frivolæ, vel illegitimæ; contra ipſum ut abſentem contumacem feratur ſententia definitiva; uti conſtat ex *cap. ſi ante un. in Clement.* Cæterum contumax appellans non auditur; cùm nonniſi de ſe queri poſſit, *L. properandum 13. §. ſin autem.*

12. Nota undecimò: ſententia pronunciata in cauſa beneficiali contra abſentem, & contumacem, non tranſit in rem judicatam quoad Superiorem, quo minùs poſſit de partium juribus inquirere, ac cognoſcere; uti habetur *cap. 7. hoc tit.* idque non Jure ſtricto; ſed ex gratia, ſolet enim in ſimili cauſâ rigor non ita attendi *cap. 1. hoc tit.*

13. Nota undecimò: Judex de Jure nunquàm contra contumacem ex officio in civilibus cauſis (ſecùs eſt in criminalibus, in quibus Judex ex officio inquirit, & manualiter comprehendi facit Reum.) procedere poteſt ad aliquem actum, niſi ad inſtantiam, & petitionem partis adverſæ *L. ad peremptorum 68. ff. de Judic.* Et *L. properandum 13. §. 2.* ibi. *ex una parte &c. C. de Judic.*

TITULUS XV.

DE EO, QUI MITTITUR IN POSSESIONEM CAUSA REI SERVANDÆ.

CAP. I.

Quid; & quotuplex ſit miſſio in poſſeſſionem.

1. NOta primò: inter cætera remedia, & pœnas contra contumacem procedendi, de quibus actum eſt *priori tit.* etiam adhibetur interdum miſſio in poſſeſſionem bonorum; de qua ſpecialis iſte titulus conſtitutus eſt, ut appareat, quid juris quis conſequatur ex ejuſmodi miſſione.

2. Nota ſecundò; duplex autem aſſignatur hic miſſio in poſſeſſionem bonorum, ſeu rerum; nimirum miſſio ex primo decreto Judicis; & miſſio ex ſecundo decreto Judicis. *Miſſio ex primo decreto* deſcribitur bene quòd *ſit illa, quâ Actor miſſus ita mittitur in poſſeſſionem bonorum, ut nec dominium, nec veram, & ſtabilem poſſeſſionem eorum acquirat; ſed detentionem duntaxat, & cuſtodiam:* uti patet *cap. fin. §. in alijs; ut lite non conteſtata &c.* Altera autem *Miſſio ex ſecundo decreto* ſic bene deſcribitur; quòd *ſit illa, quâ Actor miſſus ita mittitur in poſſeſſionem bonorum, ut acquirat veram, & ſtabilem poſſeſſionem, ſervatâ Reo legitimâ defenſione ſuper proprietate, ſeu dominio eorundem*; colligitur ex *cap. 1. hoc tit.*

CAP. II.

Quomodo, & quando Miſſiones in poſſeſſionem fiant.

1. NOta primò; circa præfatas duas Miſſiones bene obſervandum eſt; an Reus contumax antè litem conteſtatam, reali, vel perſonali actione conveniatur ab Actore; item an ſuo, vel alieno nomine poſſideat rem; nam pro utroque diſtinctæ extant reſolutiones in Jure. Unde

2. Dico primò; ſi Reus conveniatur actione reali; & rem petitam ſuo nomine poſſideat, ſitque contumax ante litem conteſtatam; tunc Actor mittitur in poſſeſſionem rei, quam vindicat, ex primo decreto Judicis; ſeu ut alij loquuntur, ex prima juſſione Judicis, & cuſtodiæ cauſâ duntaxat. Ita communis DD. Et ita habetur *cap. quoniam, ut lite non conteſtatâ:* & hoc ideo, ut Reus hac ratione tædiô affectus compareat ad reſpondendum in Judicio. Quòd ſi autem intra añum non comparuerit ad reſpondendum, nec præſtiterit cautionem *Judicio ſiſti*, finitô annô Actor miſſus in poſſeſſionem verus poſſeſſor rei, & fructuum irrevocabiliter, & ſtabiliter illicò, id eſt abſque decreto alio Judicis efficitur; ſalvo tamen manente Jure proprietatis Reo abſenti; uti conſtat ex *cap. conſtitutis 1. hoc tit.* Si tamen Reus contumax intra annum comparuerit, & cautionem *judicio ſiſti* dederit, inſuper exhibuerit congruam refuſionem expenſarum, poſſeſſionem recuperabit; uti patet ex *cap. cùm ſicut 2. hoc tit.*

3. Dico ſecundò: ſi Reus conveniatur actione reali, & rem petitam alieno nomine poſſideat, ſitque contumax antè litem conteſtatam; tunc Actor nominabit Dominum in judicio; & ſi poſt inſinuationem eidem Domino infra terminum à Judice datum factam ipſe dominus per ſe, vel per Procuratorem non compareat; ac tribus edictis legitimè evocatus in eadem contumacia perſiſtat; Actor

poſt

poſt Summariam cognitionem mittetur in rei poſſeſſionem, reſervatâ abſenti quæſtione ſuper proprietate. Ita Vallenſ. &c. DD. Et ita conſtat ex *cap. quoniam*; *ut lite non conteſtatâ.*

4. Dico tertiò: ſi verò Reus conveniatur actione perſonali, & contumaciter abſit ante litis conteſtationem; tunc Actor propter contumaciam Rei mittitur cuſtodiæ causâ in poſſeſſionem bonorum, ſeu rerum; primò quidem mobilium, deinde etiam immobilium, ſi mobilia vel nulla, vel non ſufficientia adſint; & poſtremò Jurium: non acquirit tamen ullam veram poſſeſſionem eorum; ſed tantùm detentionem. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. cum legati, 12. ff. quibus ex cauſis in poſſ. eatur.* Et *Authen. & qui jurat, C. de bonis author. Judicis poſſid.* Quòd ſi Reus in contumacia perſtiterit; tunc arbitriô Judicis (qui plerumq; ſolet obſervare interſtitium unius anni) fiet miſſio ex ſecundò decreto, ex quo Actori vera poſſeſſio, vel quandoque etiam licentia res mobiles alienandi, & de pretio ſibi ſatisfaciendi conceditur; dummodo idem Actor debitum ſufficienter liquidaverit, *L. Fulcinius 7. §. 1. ff. ex quibus cauſis in poſſ. eatur.*

5. Dico quartò: ſi Reus actione reali conveniatur poſt litem jam conteſtatam, maneatque contumax; tunc ſi adhibito diligenti examine conſtet de veritate controverſiæ motæ; aut poſſit conſtare ex actis, ſcilicet per teſtium depoſitiones, inſtrumenta, confeſſiones factas &c. poteſt Judex Reo contumace abſente procedere ad ſententiam definitivam, vel Reum abſolvendo; ſi merita cauſæ ita poſtulaverint; vel condemnando, ſi noxius repertus fuerit; eandemque ſententiam mandare executioni. Ita Vallenſ. & alij DD. Et habetur in *L. properandum 13. §. ſin autem Reus 3. C. de Judic.*

6. Quod ſi opponas huic reſolutioni *L. de unoquoque 42. de re judic.* in qua dicitur, ſententiam contra abſentem, & in defenſum latam eſſe nullam. Reſpondeo, id quidem procedere regulariter: ab hac tamen Lege eſſe exemptum hunc caſum, propter contumaciam Rei abſentis; & quia litigatoris talis abſentia DEI præſentia ſuppletur; ut ait *Imp. L. properandum 13. §. ſin autem ff. de Judic.*

7. Nota ſecundò: ſi verò non poſſit conſtare Judici ex actis de veritate controverſiæ motæ; ex eo quod Actor non produxerit ulla inſtrumenta, teſtes, vel confeſſionem factam; tunc Judex nequit procedere ad ſententiam definitivam; ſed adjudicabit Actori veram rei poſſeſſionem; ſalvâ abſenti quæſtione ſuper proprietatem ejuſdem, *cap. prout in fine 4. dolo, & contum.* Quod ſi locus non eſſet tali adjudicationi; tunc Reus etiam invitus cogendus eſt ad comparendum, *L. conſentaneum, circa fin. C. quomodo & quando Judex.*

8. Dico quintò: Miſſio in poſſeſſionem ex primo decreto propter contumaciam Rei conventi non habet locum in cauſis beneficialibus, ſeu in benenficijs Eccleſiaſticis, v. g. dignitatibus, perſonatibus, &c. Ita Vallenſ. Pirh. Franc. &c. Et conſtat ex *cap. cùm qui unic. hoc tit. in 6.* Et quia aliàs daretur vitioſus ingreſſus ad beneficia, quæ obtineri non poſſunt abſque inſtitutione canonica; unde in ſimilibus ſtante contumacia recipiuntur probationes, & proceditur ad ſententiam definitivam, etiam lite non conteſtatâ; uti habetur *cit. cap. unic.* Vel Reus contumax ſupponitur cenſuræ Eccleſiaſticæ, *cap. tuæ fraternitati; ut lite non conteſtatâ.*

TITULUS XVI.
UT LITE PENDENTE NIHIL INNOVETUR.

CAP. I.
Quando incipiat litis pendentia.

1. NOta primò: quoniam ex deciſionibus *prioris Tit.* de facienda miſſione in poſſeſſionem bonorum occaſione contumaciæ alterius partis litigantis poſſet quis exiſtimare, lite pendente regulariter fieri poſſe innovationes, quibus ſtatus cauſæ mutaretur in præjudicium alterius; ideo Summus Pontifex meritò ſubjunxit *hunc titulum*, qui continet circa hoc regulam generalem contrariam, quod videlicet, lite pendente nihil innovetur. Circa quem

2. Nota ſecundò: Litis pendentia tam ex parte Actoris, quam Rei attendi poteſt. Ex parte Actoris cenſetur lis pendere, poſtquam ab eo inchoata eſt conventio judiciaria, ſeu libelli

Digitized by Google

libelli oblatio facta; ex parte verò Rei, poſtquam citatio ejus à Judice competente emanavit, & legitimè ad ipſum pervenit; vel per eum ſtetit, quo minùs perveniret; dummodo unà cum tali citatione ſit tranſmiſſus libellus; aut in ipſa citatione intententio Actoris ſufficienter ſit expreſſa, ut Reus ſufficienter poſſit inſtrui in ijs, ſuper quibus in judicio convenitur; uti conſtat ex *Clem. cum lite 2. hoc tit.* Et *Authen. litigioſa C. de litigioſis.*

CAP. II.

An; & in quibus caſibus procedat hæc regula; *lite pendente nihil innovandum.*

1\. DIco primò: generalis regula eſt, quòd lite præfatô modô pendente nullæ faciendæ ſint innovationes, per quas qualitas, & ſtatus cauſæ aliquomodò immutetur in præjudicium Rei citati; vel ejus, cui lis mota eſt; ſed omnia relinquenda ſunt in eodem ſtatu, quo erant tempore litis inchoatæ. Ita Hoſtienſ. Zoëſ. Vallen. & communis DD. Et ita generaliter deciditur *cap. 1. hoc tit.* Et eſt Ratio; ne altera pars læſa conqueratur, ſe injuſtè privatam ſuo Jure, & in ſui diſpendium aliquid attentatum fuiſſe in re controverſa. Ex hac regula generali capè ſequentes reſolutiones caſuum particularium. Unde

2\. Dico ſecundò: lite pendente nemo privandus eſt (niſi in caſu contumaciæ) poſſeſſionis ſuæ commodô, & uſu; unde etiam Reſcriptum à Sum. Pontifice impetratum, quô quis antè cauſæ cognitionem privaretur poſſeſſione privilegij alicujus, eſt invalidum, & privilegiatus poteſt, non obſtante tali reſcripto, uti privilegiò. Ita conſtat ex *cap. 1. hoc tit.* ubi declaratur Archi-Epiſcopum Eboracenſem, tenentem privilegium Apoſtolicum, vigore cujus per univerſam Angliam ei Crux deferebatur, poſſe continuare hujus privilegij uſum, & poſſeſſionem durante lite, quam ei movit Archi-Epiſcopus Cantuarienſis; tametſi Reſcriptum Apoſtolicum contrarium à Cantuarienſi fuiſſet impetratum; cùm hoc eſſet invalidum; eò quòd præſumatur Pontificem non conceſſiſſe tale Reſcriptum, ſi noviſſet litem ſuper tali re pendere, *cap. ſuper literis 20. de reſcript.*

3\. Dico tertiò: ſimiliter lite pendente ſuper adulterio commiſſo, de quo accuſatur Conjux in ordine ad faciendam ſeparationem thori, Conjux accuſatus non eſt privandus poſſeſſione conjugali, ſeu carnalis commercij. Ita communis DD. Et ita reſolvitur *cap. laudabilem 2. hoc tit.* Sed præfata concluſio intelligenda eſt, modò inter ipſos priùs fuerit matrimonium conſummatum: nam ante conſummationem matrimonij Conjux accuſatus non fuit in poſſeſſione illius carnalis commercij; quare nec lite pendente eâ uti poterit.

4\. Dico quartò: pariter lite pendente actionum, & rerum litigioſarum alienatio eſt prohibita; & ipſo Jure irrita. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. 3. & cap. 4. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia per hujuſmodi alienationem durior fit adverſarij conditio *L. fin. ff. de litigioſ.* Et is, qui ejuſmodi actiones, & res litigioſas recepit, cogitur illas alienanti reddere; vel æquivalens, quod pariter alienari non poterit pendente lite, *cap. 3. cit.* Imò ſi ſciens rem litigioſam emerit, perdit ejus pretium, & illud arripit Fiſcus: ſi autem ignarus fecit, pretium ejuſdem, vel veram æſtimationem ipſius, ubi pretij datio non intervenit, unà cum alia tertia parte eiuſdem pretij, vel æſtimationis ab alienāte propter dolum ejus, & ſui deceptionem recuperabit, *L. fin. cum ſua Authen, C. de litig.*

5\. Nota autem: ſi res litigioſa alienata facta ſit obnoxia Religioni, ſeu tranſierit in rem ſacram; non redditur in ſpecie, nec reſcinditur alienatio; & hoc in favorem Religionis; quia tamen dedicans contumelioſus in DEUM extitit, falsâ Religionis ſpecie in alterius injuriâ eum honorans, ideo duplum alteri rependere jubetur, *L. fin. in fine C. de litig.*

6\. Dico quintò: ſi contingat in diſcordia duos eligi in Prælatum alicujus Prælaturæ vacantis, qui apud Sedem Apoſtolicam litigant de ejuſmodi electione; moriatur autem unus eorum, vel renunciet, vel à proſecutione cauſæ propter defectum excludatur; interim lite pendente ſuper alterius electione, nequit procedi ad novam electionem; & novâ attentata eſt irrita. Ita communis DD. Et habetur *cap. diſpendia 1. hoc tit. in 6.* ſimiliter ſi duo litigent ſuper dignitate, perſonatu, vel alio beneficio Eccleſiaſtico jam obtento, moriente uno, vel renunciante talem dignitatem, perſonatum, vel aliud beneficium Eccleſiaſticum, nequit conferri alteri, ante finitam litem cum ſuperſtite; & collatio facta eſt irrita, uti habetur *cap. ſi ijs 2. hoc tit. in 6.*

TITULUS XVII.

DE SEQUESTRATIONE POSSESSIONUM, ET FRUCTUUM.

CAP. I.

Quid; & quotuplex ſit ſequeſtratio; & quas res afficiat.

1. NOta primò: in *priori titulo* deciſum fuit nullas fieri debere innovationes lite pendente; inter quas etiam computantur ſequeſtrationes, *L. unic. C. de Sequeſt. pecun. prohib.* Et *cap. 1. hoc tit.* & nihilominus aliquando petuntur, & fieri debent; quare *hoc tit.* de eiſdem agendum eſt.

2. Nota ſecundò: *Sequeſtrationem* deſumi à *Sequeſtro*: eſt autem *Sequeſter* illa perſona tertia, apud quam Actor, & Reus eandem rem controverſam deponunt, *L. ſequeſter 110. ff. de ver. ſignif.* Dicitur autem ſic, eò quòd ejus fidem ſequantur partes litigantes, vel Judex, dum res litigioſa committitur ejus cuſtodiæ; uti conſtat ex *cit. L. Sequeſter.* Ex his

3. Dico primò: bene deſcribitur Sequeſtratio, de qua hìc, quòd *ſit depoſitio rei controverſæ, vel fructuum ejus apud tertium, medium inter Actorem, & Reum, facta vel ab ipſis litigantibus, vel à Judice; eo fine, ut finita lite ei, qui vicerit cauſam, reſtituatur.* Ly *depoſitio* eſt genus; reliqua habent rationem differentiæ. Ex hac deſcriptione

4. Infertur: duplicem eſſe Sequeſtrationem; unam voluntariam; & alteram neceſſariam. *Voluntaria* eſt, quæ fit conſenſu communi Actoris, & Rei litigantium, convenientium in unum tertium, apud quem res litigioſa cuſtodiæ causâ deponatur uſque ad litis finem, & eventum. In hac transfertur poſſeſſio in Sequeſtrum *L. intereſſe ff. de acquir. poſſeſſ.* *Neceſſaria Sequeſtratio* eſt, quæ fit authoritate, & mandatô Judicis, vel utraque, vel alterutra parte litigante invitâ.

5. Nota tertiò: Sequeſtratio habet locum tam in rebus corporalibus, quàm incorporalibus, ſeu Juribus; tam in mobilibus, quàm immobilibus; tam in profanis, quàm in ſpiritualibus; uti advertit Tuſchus, Pirhing. &c. Poteſt etiam fieri tam in judicio, quàm extra judicium. Sequeſtri autem officium erit, rem ſuæ cuſtodiæ commiſſam cuſtodire, fructus colligere, eoſdemque ſervare, ut terminato proceſſu litis eos reſtituat victori; vel eorum pretium, ſi ſervando ſervari nequibant, ſed divendi debebant.

CAP. II.

Quæ Sequeſtratio ſit permiſſa; & quæ prohibita.

1. DIco primò: Sequeſtratio voluntaria ſemper permittitur partibus convenientibus in tertiam perſonam fidam. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. ſi ſoluturus 39. ff. de ſolution.* Et eſt Ratio; quia eſt ſpecies depoſiti cujuſdam, adeoque legitimus contractus, *L. licet ff. depoſit.* Hujuſmodi Sequeſtratio etſi ſit ab initio prorſus arbitraria, & ad libitum facta; attamen poſtea ab ea non poſſunt partes reſilire, neque ipſe Sequeſter, niſi juſta de cauſa, eam à ſe abdicare, *L. ei apud quem 5. §. ſi velit. ff. depoſiti.*

2. Dico ſecundò: Sequeſtratio neceſſaria regulariter lite pendente eſt prohibita, ita ut Judex eam tunc impertiri nequeat. Ita Vallenſ. Panormit. Hoſtienſ. &c. Et ita conſtat ex L. *unic. C. de prohib. Sequeſtr.* Et Ratio eſt; quia non oportet Judicium ab executione incipere; nec poſſeſſorem durante lite privare comodo ſuæ poſſeſſionis *cap. 2.* junctâ Gloſſ. ver. *Sequeſtrari hoc tit.* Ne quidem ex reſcripto Imperiali *cit. cap. 2.* ſunt tamen plures caſus, in quibus Judex licitè & validè inſtituere poteſt ſequeſtrationem poſſeſſionum & fructuum; de his cap. ſeq.

CAP. III.

In quibus caſibus Sequeſtratio neceſſaria ſit permiſſa.

1. DIco primò: ſi ſubſit periculum, & timor interitûs, ac dilapidationis rei imobilis, vel mobilis à poſſeſſore attentandæ, Judex ad requiſitionē alterius partis poteſt facere Sequeſtrationem talis rei & fructuum. Ita Abbas, Pirh. Gail. &c. Et ita conſtat ex varijs legibus Civilibus, & Eccleſiaſticis mox citandis pro particularibus caſibus in quibus dilapidatio timetur. Et eſt Ratio; quia officio Judicis incumbit alteram partem litigantem ſervare indemnem. Et quia aliâs Judicium de facili redderetur eluſorium, cōtra *L. ſi Prætor 75. de Judic.* Et ne executio reddatur inanis *L. ab executione 5. C. quorum appell. non recip.*

2. Dico

2. Dico ſecundò: ſi rationabiliter timeatur dilapidatio fructuum ab eo, qui ex primo decreto miſſus eſt in poſſeſſionem cuſtodiæ cauſâ, iidem ſequeſtrari poſſunt etiam pendente lite, & ante ſententiam. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ita dicitur *cap. dilectus 2. hoc tit.*

3. Dico tertiò: ſi maritus ad inopiam vergat, & ſubſit periculum, ac timor dilapidationis dotis, poteſt & debet Judex eandem ſequeſtrare. Ita Abbas, Pirh. &c. Ita conſtat ex *L. cùm dotem 22. §. ſin autem ff. ſolut. matrim.* Similiter ſi ſævus evadat maritus, & uxori non poſſit aliter caveri; facienda eſt dicta ſequeſtratio dotis; utì dicitur *cap. literas, 13. de reſtit. ſpoliat.*

4. Dico quartò: ſimiliter ſi Reus perditâ cauſâ appellaverit â ſententia contra ſe lata, & ſubſit periculum, ac metus dilapidationis ab eodem interea attentandæ, rectè Judex inſtituit ſequeſtrationem rei, & fructuum, donec terminetur appellationis cauſa. Ita Vallenſ. Marant. Abbas, &c. Et habetur *cap. ab eo 3. & ult. hoc tit.* Et L. *Imperatores 12. de appellat.* Et quidem ſi adverſa pars petat hanc ſequeſtrationem priuſquam appellatio Judici *ad quem* præſentata ſit, & ab eo recepta; tunc ipſa fieri debet per Judicem *à quò*: ſin autem eam petat poſt præſentatam appellationem, & receptam; tunc fieri debet per Judicem *ad quem*; utì notant Hoſtienſ. Marant. &c.

4. Dico quintò: ſi durante altercatione partium ſubſit periculum, quòd ad arma devenient, & vi in poſſeſſionem involare intendant; tunc etiam Judex inſtituere debet ſequeſtrationem rei controverſæ, donec lis decidatur. Ita Abbas, Gloſſa, Pirhing. &c. Ratio eſt; quia ad nobile officium Judicis pertinet, beneficiô ſequeſtrationis impedire armorum violentias; quibus Judicij ordo turbatur, & injuſtitiæ variæ committuntur.

5. Dico ſextò: ſimiliter ſi ſuper beneficio Eccleſiaſtico litigioſo contra poſſeſſorem apud Sedem Apoſtolicam duntaxat, ſeu in Romana Curia in judicio petitorio, vel poſſeſſorio lata ſit, & promulgata ſententia definitiva; tunc ipſum beneficium, unà cum fructibus per Ordinarium loci apud tertiam idoneam perſonam ſequeſtrari debet. Ita Vallenſ. Gloſſa, Pirhing. &c. Et ita ordinatur in *Clement. ad compeſcendas, unic. hoc tit.* Sequeſter autem, ſeu illa perſona, apud quam fit talis beneficij ſequeſtratio, plenam ac debitam curam ejus gerere debet, & ex fructibus congruè ali; ita tamen ut debita onera etiam ſupportet: & quod de fructibus ſupererit, reſtituet illi, qui finalem in cauſa victoriam obtinebit; utì dicitur *cit. Clement.* ubi etiam graves pœnæ ſtatuuntur contra illos, qui impediunt dictam ſequeſtrationem, vel occupant fructus ſequeſtratos.

6. Dico Septimò: Judex quoque poteſt ſequeſtrare aliquam rem, & tollere à poſſeſſore; ſi is ad aliquid præſtandum ſit obligatus, & id non præſtet; v.g. Canonicus non reſideat in Eccleſia, ubi reſidere tenetur, Epiſcopus poteſt ſequeſtrare proventus ejus Canonicatûs. Ita Joan. Monach. Abbas, Pirhing. &c. Et colligitur *arg. cap. pervenit 28. de appellat.*

Nota primò: quòd ſi ob periculum dilapidationis, vel interitûs res mobilis ſequeſtranda eſſet, quæ ætatem, & moram litis non fert; ſed tempore fit deterior, & deficit ita, ut ſervando ſervari non poſſit, ſed interitum patiatur; tunc lite pendente Judicis imploratô auxiliô, res talis vendi, & pretium locô rei ſequeſtrari poteſt; utì ex Gailo notat Vallenſ. ubi addit ex eodem Doctore, illas res propriè dici *ſervando ſervari non poſſe*, quæ ultra triennium in ſua naturali bonitate nequeunt conſervari, per Gloſſ. *ſingularem in L. unic.* ver. *uſucapione C. ſi adverſùs capionem.*

CAP. IV.

Quomodo evitetur ſequeſtratio, & quæ ejus requiſita.

1. Nota primò: in caſibus hactenus allegatis poteſt evitari ſequeſtratio, ſi præſtetur idonea ſatisfactio de rebus litigioſis conſervandis, vel juratoria cautio offeratur *de ſiſti in judicio*: dummodo perſona illam offerens ſit integræ vitæ, & probatæ æſtimationis: nam ſi ſit ſuſpecta, & levitatis opinionem habeat apud omnes, talis cautio non attenditur. Suſpectum autem reddunt aliquem tria potiſſimè; puta paupertas, mali mores, & improbitas ante actæ vitæ; utì habet Vallenſ. Gail. Similiter ſi aliquando fiat ſequeſtratio locô miſſionis in poſſeſſionem bonorum ex primo decreto, ad evitandum ſcandalum, quod veriſimiliter poterat evenire, ſiquidem Actor in rei petitæ poſſeſſionem mitteretur; tunc ſi Reus poſteà comparens præſtet expenſas moderatas, quas fecit adverſarius à tempore contumacis abſentiæ, uſque ad oblatam cautionem, evitatur pariter ulterior ſequeſtratio, & præſens debet revocari; utì habetur *cap. ad hoc 1. hoc tit.*

2. Nota ſecundò: ut Judex valeat ritè

procedere ad inſtituendam ſequeſtrationem alicujus rei, vel Juris, debent quatuor concurrere. *Primò*, ut Judici conſtet, ſaltèm ſummariè, de jure illius, qui ſequeſtrationem fieri poſtulat. *Secundò*, ut ille contra quem petitur ſequeſtratio, citetur, & videre valeat, quô pactô fiat. *Tertiò*, ut petens ſequeſtrationem affirmet cum juramento, ſe non calumniæ, vel æmulationis causâ; ſed ad conſervationem ſui Juris eam poſtulare. *Quartò*, ut ex parte illius, contra quem petitur fieri ſequeſtratio, ſit, vel appareat aliqua ſuſpicio; ut notat Mynſing. Pirh. &c.

TITULUS XVIII.
DE CONFESSIS.

CAP. I.
De quidditate, & diviſione Confeſſionis.

1\. NOta primò: in *ſuperioribus Titulis* actum eſt de ijs, quæ in cauſam principalem ſolent incidere; cujuſmodi ſunt ſequeſtrationes, miſſiones in poſſeſſionem bonorum, reſtitutiones ſpoliatorum, &c: *in præſenti* autem, & *ſequentibus nonnullis titulis* agetur de ipſis meritis cauſæ Principalis, ſeu de probationibus tam in genere, quàm in ſpecie: nam Actor in judicio obligatur probare ſuam intentionem, in libello oblato contentam, juxta *L. qui accuſare 4. C. de edendo*: & deſuper Reus quoque ſuam exceptionem probare tenetur, ſi velit evitare condemnationem judicialem; uti habetur *L. exceptionem 19. C. de Probat.* Inter probationes autem Actoris omnium facillima, & expeditiſſima ad terminandas lites eſt Confeſſio Rei; imò eâ habitâ Actor in judicio relevatur ab onere ulteriori probandi; ut notat communis DD. *hoc tit.*

2\. Dico primò: bene deſcribitur Confeſſio (de qua hic:) quòd *ſit aſſeveratio illius, quod intenditur ab adverſario, facta in Judicio, vel extra illud.* Et confeſſus; quòd *ſit litigator, aſſeverans id in Judicio, vel extra Judicium, quod intendit adverſarius.* Ita colligitur ex varijs Legibus, & Canonibus infra citandis. Ly *aſſeveratio* eſt genus; reliqua habent rationem differentiæ. Ex hac deſcriptione

3\. Infertur: Confeſſionem in propoſito eſſe duplicem; ſcilicet Judicialem, & extrajudicialem. *Judicialis* eſt, quæ peragitur coram Judice in loco Judicij. *Extrajudicialis* eſt, quæ fit abſque Judice, & extra Judicium.

CAP. II.
De Confeſſione Judiciali; & cõfeſſis judicialiter.

1\. NOta primò juxta praxim modernam continuatam cauſarum, quæ & approbatur à Jure Canonico *cap. 1, & 2. hoc tit.* lite conteſtatâ, priuſquam fiat progreſſus ad aliquas probationes, ſolent tam Actor ex ſuo libello, quàm Reus ex ſua exceptione elicere quaſdam poſitiones, eaſque præſtitô priùs juramentô calumniæ adverſario proponere, ad eliciendam confeſſionem; vel inſtituendam negationem eorum, quæ ab Actore intentantur. Ut autem Confeſſio ſecuta valida ſit, effectumque habeat, & præjudicet cõfitenti, plures requirit conditiones. Unde

2\. Nota ſecundò: *Prima conditio* eſt; ut fiat Confeſſio coram Judice competenti: ſicut enim ſententia pronunciata à Judice non competenti invalida eſt; ita & Confeſſio judicialis coram Judice incompetenti edita; ita ut ex ea Reus nequeat condemnari, *cap. at ſi Clerici 4. in prin. de Judic.* *Secunda* eſt; ut edatur liberè: Unde metu extorta non facit fidem, *can. 1. cau. 15. q. 6.* Et Confeſſio tormentis extracta nullis præcedentibus indicijs, vel nimis duro carcere procurata non præjudicat confitenti; quia nec valet, nec fidem facit, *L. 1. §. D. ſeverus ff. de quaſt.* niſi confitens perſeveraverit in Confeſſione etiam poſt tormenta, & carcerem. *Tertia* eſt; ut Confeſſio judicialis fiat ex certa ſciẽntia: unde ſi quis confiteatur aliquid ignoranter, ſibi non nocet; & ſemper uſque ad ſententiam poterit confeſſum revocare; cùm in facto erret; dummodo ejuſmodi error ante finẽ litis probetur, *cap. ex parte 3. & ult. hoc tit.* *Quarta conditio* eſt; ut talis Confeſſio ſit de re certa; ut habetur *L. certum 6. in prin. ff. de confeſſ.* Et reus urgeri poteſt, ut certum, ſeu certam quantitatem fateatur, *cit. L. 6.* *Quinta* eſt; ut Confeſſio judicia-

dicialis fiat in præſentia adverſarij, vel ejus Procuratoris, *L. cit. 6.* *Sexta* eſt; ut fiat de tali re, quæ nec adverſatur rerum naturæ *L. confeſſionibus 14. ff. de interrog.* qualis eſſet ſi dicat ſe patrem talis filij, qui eſt Senior ipſo. Itē, quæ Juri non contrariatur; ut ſi fœmina confiteatur, ſe habere liberos in poteſtate, quod eſt contra *§. fœminæ, Inſtit. de adopt.* *Septima* eſt; ut ſit edita à majori annis 25. Confeſſio enim pupilli, ſeu impuberis abſque tutoris authoritate facta, eſt nulla *L. certum 6. §. in pupillo ff. hoc tit.*

3. Dico primò: ſi Reus ſuper poſitionibus, vel articulis ſibi factis reſpondere recuſet, cenſetur edere Confeſſionem judicialem tacitam, ſeu ex Juris interpretatione, & ipſe pro confeſſo habetur, ac poſitiones ipſi factæ, ſeu articuli pro confeſſatis acceptantur. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. ſi poſt præſtitum 2. hoc tit. in 6.* Unde patet Confeſſionem judicialem fieri vel *expreſſè*; ut dum quis diſtinctis apertis verbis, ac propria voce fatetur factum; vel *tacitè*, videlicet non reſpondendo, & purgando objectum factum; uti colligitur ex *cap. cùm ſuper 23.* junctâ Gloſſâ ver. *confeſſus, de offic. deleg.* Cæterùm quod dixi, tacentem ſeu recuſantem confiteri, haberi pro confeſſo, procedit tantùm in cauſis civilibus; non autem in criminalibus; ubi probationes luce meridianâ clariores requiruntur; *L. fin. C. de probat.*

4. Dico ſecundò: Confeſſio judicialis Procuratoris, vel Advocati non nocet Principali. Ita Engel &c. Et ſic habet Regula Juris vulgata, *alteri per alterum, iniqua conditio inferri non debet; & factum cuiq; ſuum, non alteri nocere.* Eſtque Ratio; quia plus creditur Principali factum proprium neganti; quàm Procuratori factum alienum (quod ignorari poteſt) confitenti *L. 6. ff. de confeſſis.*

5. Dico tertiò: quilibet Reus à Judice legitimo ſecundùm Juris ordinem interrogatus, & præceptô adſtrictûs tenetur in conſcientia edere Confeſſionem judicalem, & fateri veritatem, ſive in criminalibus, ſive in civilibus; ſecùs dicendum, ſi interrogetur à Judice illegitimo, vel contra Juris ordinem. Ita S. Thomas, Gabriel, Palud. Gomez, Laym. Covarr. & communis DD. contra Sylv. Petr. Nav. Amillam, Angel. Rodriq. &c. DD. quoad primam partem, ſat probabiliter arbitrantes, non adeſſe ullam obligationem in conſcientia ex parte Rei fateri veritatem; ſi ipſi ex Confeſſione immineat mors, mutilatio, condemnatio ad triremes, vel confiſcatio bonorum. Ratio primi eſt; quia docent S. Literæ & SS. PP. Superiori legitimè præcipienti eſſe obediendum; quô pactô etiam ſe habet Judex interrogans juridicè. Et quia alioquin pleraque indicia criminum à Reis eludi poſſent; & ſic crimina manerent impunita, cum notabili damno Reipublicæ; nam juxta *L. ult. C. de Probat.* nullus Reus condemnari poteſt, vel ſine prævia Confeſſione delictorum, vel convictione per efficaces probationes, quas probationes ſæpiſſimè Judices habere nequeunt. Et tandem, quia Judex non poſſet licitè interrogare Reum, & quandoque per Juramentum, vel torturam adigere ad Confeſſionem veritatis, ſi Reus obligationem non haberet veritatem confitendi: quando ergo Reus ſecundùm Juris ordinem à legitimo Judice interrogatur, tenetur in conſcientia fateri veritatem. Secundum colligitur ex *cap. qualiter, & quando, 17.* Et *cap. cùm oporteat 19.* Et *cap. Inquiſitionis 21. de Accuſat.* Et eſt Ratio; quia obligatio fatendi veritatem, non naſcitur niſi ex aliquo Jure: nullum autem Jus imponit interrogato contra Juris ordinem obligationem fatendi veritatem adeoque talis non tenetur eam tunc fateri. Ex hoc conſequenter concludunt DD. *cit.* neque tunc Reum teneri ad Juramentum calumniæ; aut ſi ad hoc adſtringatur, poſſe artificiô aliquô id evadere, vel æquivocare, & amphibologizare.

6. Nota autem tertiò: tunc cenſeri Judicem interrogare contra Juris ordinem, quando de crimine occulto Reum interrogat, nullâ præcedente infamiâ, vel ſemiplena probatione, vel indicijs ſufficientibus. Secundùm verò Juris ordinem cenſetur interrogare juxta S. Thomam, Scotum, Leſſ. Soto, &c. quando Reum interrogat de crimine poſt perlatam ad ſe infamiam, quâ adducitur notoreitas facti; vel poſt indicia competentia; vel ſemiplenam probationem.

7. Nota quartò: ex Concluſione ſequentia Corollaria. *Primum*; Judicem eſſe obligatum ad aperiendum Reo ſtatum Cauſæ, probationes, indicia, teſtes, probationes adversùs eum productas; ut cognoſcere valeat, num ſecundùm Juris ordinem Judex procedat; alioquin reſpondere non tenetur; ut dicit Leſſ. Laym. Cajet. Clarus, Navar. Salon. &c. contra Lopez, Guttierez. &c. *Secundum*; Reum non peccare diſſimulando veritatem in caſu, quô contra Juris ordinem examinatur, etſi ex ejuſmodi diſſimulatione prævideat Judici, vel Accuſatori calumniam reſperſum iri; ut notat Laym. cum alijs DD. Et ratio deducitur ex Reg. Juris 55. dicente: *Nullus videtur*

videtur dolô facere, qui Jure ſuo utitur; quô pactô utitur Reus diſſimulans veritatem ob non juridicam interrogationem Judicis.

8. Dico quartò: ſi contingat Reum dubitare fundatô dubiô, an Judex juridicè, & juxta diſpoſitionem Juris procedat interrogando; pariter non tenetur fateri veritatem, vel jurare. Ita Leſſ. Cajet. Laym. Soto. Adrian. &c. Ratio eſt; quia, ut communiter dicunt Canoniſtæ, & Juriſtæ, in dubijs cauſis, maximè criminalibus, potiùs favendum eſt Reô. Et quia nullo Jure conſtat, Reum in cauſa dubij eſſe obligatum ad obediendum Judici in confitenda veritate, unde poſtea grave malum ſibi orietur.

9. Dico quintò: effectus Confeſſionis judicialis eſt, quod non tantùm plenè probet; ſed faciat etiam ut confitens contra ſe habeatur pro judicato; ita ut talis Confeſſio habeat vim ſententiæ, & rei judicatæ in cauſis civilibus quoad ipſum confitentem. Ita communis DD. Et conſtat ex *L. unic. C. de confeſſis.* Et eſt Ratio; quia confeſſus in judicio habetur, quaſi propriâ ſententiâ condemnatus *L. 1. ff. eod.* juxta illud Salvatoris Luc. 19. *ex ore tuo te judico.*

10. Dico ſextò: editâ confeſſione judiciali adhuc opus eſt ſententiâ definitivâ Judicis, quæ ferenda eſt contra Reum confeſſum in Judicio; etiam in cauſis civilibus. Ita Gloſſa, & plures DD. Et colligitur ex *L. Julianus 3. ff. hoc tit.* ubi dicitur confeſſum condemnandum eſſe, quia pro judicato habetur. Et ex *L. de qua re 74. ff. de Judic.* ubi dicitur, Judicium ſemel cæptum ſententiâ dirimendum eſſe, & Judicem qui cognoſcit de cauſa, ſeu re, debere ſuper eadem pronunciare.

11. Nota quintò: Confeſſionem judicialem poſſe revocari, ſi fiat in continenti, & Confeſſio ab adverſario necdum ſit acceptata; non verò poſt, & ex intervallo; utì dicitur *cap. ult. hoc tit.* Et quia per acceptationem jus quæſitum adverſario eripi non debet.

12. Nota ſextò: Confeſſio judicialis à Judice elicita ſub ſpe, & promiſſione impunitatis, non ſufficit ad confeſſum condemnandum; niſi is intellectâ falſitate perſiſtat in confeſſione; utì notat Engel. Imò ſecundùm Clarum Judex inſtituens ſimiles promiſſiones tenetur ſervare fidem.

13. Nota ſeptimò: Confeſſio judicialis unius criminoſi non debet præjudicare alijs *L. non debet 74. de Reg. Jur.* Unde regulariter in judicio non debet confeſſus interrogari de ſocijs criminis, ſi hi ſint occulti, & nulla eorum infamia præcedat, aut indicia, vel probatio; utì conſtat ex *cap. 1. hoc tit.* Et *can. ult. cauſ. 15. q. 3.* ubi dicitur, nemini de ſe confeſſio credi ſuper crimen alienum. Et *L. fin. C. de accuſat.* dicitur, nemo de proprio crimine confitentem, ſuper conſcientia ſcrutetur aliena. Et quia confeſſus de ſe crimen, eô ipsô fit infamis, vilis, & dubiæ fidei; ideoque à teſtimonio repellendus contra ſocios criminis, *cap. teſtimonium 54. de teſt.* Limitatur tamen iſta doctrina, ut non procedat in criminibus exceptis à Jure, in quibus Jus ſtatuit poſſe de ſe confeſſos etiam interrogari de alijs ſocijs criminis; talia crimina ſunt, quæ vulgò perniciosa Reipublicæ ſunt; ut crimen læſæ Majeſtatis *cap. 1. hoc tit.* crimen hæreſis *cap. in fidei 5. de hæret. in 6.* crimen magiæ, latrocinij, ſeu graſſationis per vias publicas; ſacrilegij; ſimoniæ; falſæ monetæ; & aſſaſini, de quibus omnibus excipiunt expreſſè Jura varia, & ſtatuunt, in ſocios criminis etiam poſſe inquiri. Limitatur eadem doctrina de delictis occultis, & difficilis probationis, quorum veritas vix aliter venari poteſt, quàm per ſocios, & complices; tale eſt crimen conjurationis contra Prælatum, &c. Item in delictis, quæ ex natura ſua cum ſocio committi ſolent; cujusmodi ſunt ſodomia, adulterium, ſtuprum, inceſtus, &c. Item in delictis, in quibus adſunt indicia pro ſocijs; ut ſi homicidium ſit à pluribus perpetratum.

CAP. III.

De confeſſione extrajudiciali.

1. Dico primò: Confeſſio extrajudicialis in cauſis criminalibus facit tantùm indicium ſufficiens ad torturam contra confitentem, ſi producatur in Judicio. Ita Mar. Maſcar. &c. DD. Et ita conſtat ex *cap. olim 25. de reſcriptis.* Quare non facit haberi pro judicato, *L. 1. C. hoc tit.* Cùm non præſumatur facta deliberatè. Putat tamen Zoëſius cum alijs, eam ſervire pro ſemiplena probatione, ſi fiat coram parte, & ab ea acceptetur: abſente parte facta nullas planè habet vires in ordine ad condemnandum, juxta eundem Zoëſium, Hiltrop. &c.

2. Dico ſecundò: Confeſſio extrajudicialis in cauſis civilibus parte adverſa præſente, & adjunctâ cauſâ ſpecialiter expreſſâ, dicendo v. g. *fateor me debere Claudio mille aureos ex cauſa mutui accepti*, ſi per duos teſtes probata ſit, facit plenam probationem, & per eam præjudicatur tum confitenti, tum hæredibus

Digitized by Google

dibus ipſius; niſi confitens poſtea probet ſe cum errore edidiſſe talem confeſſionem debiti mille aureorum: quòd ſi verò non ſit adjuncta cauſa ſpecialiter expreſſa, ut ſi dicatur v. g. *fateor me debere Claudio mille aureos*, non exprimendo an ex cauſa debiti, vel emptionis, vel depoſiti, &c. tunc Confeſſio non facit plenam probationem contra confitentem, nec præjudicat ei. Ita Maſcard. Marant. Pirh. &c. Et conſtat ex *cap. ſi cautio 14. de fide inſtrum.* Et *L. cum de debito 25. ff. fin.* Et ibi Gloſſa ver. *indiſcretè*. Quòd ſi etiam Confeſſio præfata extrajudicialis fiat parte abſente, ſemiplenam tantùm facit probationem; uti habet Marant. Circa præfatam doctrinam de Confeſſione extrajudiciali præſente parte plenam, & abſente tantùm ſemiplenam probationem faciente variæ ſunt exceptiones, & limitationes; quas vide ventilatas apud Marant. Maſcar. Pirh. Gabriel. &c. DD.

3. Nota primò: ad Confeſſionem extrajudicialem poteſt referri Confeſſio Sacerdoti facta in foro pœnitentiæ, ad exonerandam conſcientiam, ſi revelatur malitiosè à Sacerdote, vel ab auſcultantibus. Hæc in Judicio nihil prorſus probat. Ratio eſt; quia non fit Sacerdoti ut homini; ſed ut Sacerdoti, & DEI Vicario; & conſequenter DEO, *cap. 2. de offic. Jud. deleg.* Pœna porro Sacerdoti revelanti Confeſſionem exprimitur in *cap. omnis utriuſque 12. de pœnit. & remiſſ.* Et *can. Sacerdos 2. diſt. 6. de pœnit.*, eſtque depoſitio à Sacerdotali officio, & deſuper detruſio in arctum Monaſterium, vel carcerem pro agenda pœnitentia.

CAP. IV.

De Confeſſis in Ordine S. Franciſci.

1. Nota primò: ut Confeſſio judicialis alicujus Rei in Ordine noſtro Franciſcano de Obſerv. & Ref. cenſeatur vera, & faciens plenam probationem, debet ea ſubſequi ad ſufficientia indicia; vel ad ſemiplenam probationem, id eſt ad dictum unius teſtis omni exceptione majoris; & tunc demum Confeſſio inducit pœnam ordinariam, & condemnationem licitam inſtituendam; uti docent Sanctor. S. Severino, & communis DD. Ordinis. Eſtque Ratio; quia aliter edita Confeſſio non cenſetur ſecundùm leges communes habere ullum effectum.

2. Nota ſecundò: unica Confeſſio judicialis Rei Minoritæ ſpontè, & non vi tormentorum extorta; imò etſi ſit extorta vi tormentorum, dummodo poſt tormenta ratificetur; ſi cæteræ conditiones adſint, ſufficit Judici ad condemnandum; ut notant cit. DD. Minor confeſſus in criminalibus, non habetur eô ipsô pro condemnato; ſed requiritur ad hoc ſententia Judicis Franciſcani; uti conſtat ex *L. confeſſus ff. de cuſtodia Reorum.*

3. Nota tertiò: ſi Frater Minor de Obſerv. & Ref. committens delictum, & ejuſdem factus pœnitens (dummodo ſine publico ſcandalo contigerit) coram ſuo Prælato, præſentibus teſtibus, antequam ab illis præveniatur per accuſationem, vel denunciationem, confeſſionem & deprecationem ediderit, poterit ei pro prima vice Prælatus cum conſilio eorundem teſtium condonare pœnas quoad forum externum, & liberare ipſum à judicio externo, imponendo eidem aliam ſalutarem, & minùs confuſibilem pœnam: ſed cum proteſtatione, quòd ſi is relapſus fuerit in ſimile delictum, eum puniendum fore de utroque; id eſt de novo, & de jam condonato delicto; uti habent Conſtitutiones Generales Ref. *cap. 7. n. 11.*

4. Nota quartò: quoniam Confeſſio tum Reorum, tum Teſtium etiam in Ordine Minoritico quandoque procurari ſolet mediante torturâ, tanquam mediô ſubſidiariô aptô ad eruendam ſubinde veritatem; idcirco breviter nonnulla hìc pro praxi Judicum Regularium noſtrorum de Tortura proponam; cùm in nullo alio titulo ſit aptior locus de ea differendi: Nomine ergo *Torturæ* intelligitur omne afflictivum corporis Rei, vel Teſtis; ejuſmodi magìs uſitata ſunt, carcer, funis, ignis, taxilli, ſibili, inedia, flagella diſciplinæ, & arctatio: in quibus autem delictis, & criminibus applicentur ſingulæ præfatæ Torturæ, exprimitur in *Practica Criminali Ordinis.*

5. Nota quintò: ſine legitima cauſâ, & legitimè in actis probata, nec Teſtis, nec Reus Minor debet torqueri; aliàs Judex incidit in pœnam excommunicationis latæ in canone. *ſi quis ſuadente Diabolo &c.* Inſuper officio deſtituendus eſt, & inhabilis ad id declarandus; uti notatur in *Practica Criminali.* Tempus tormenti, ſeu Torturæ funis (quod in graviſſimis duntaxat criminibus v. g. conſpirationis in Generalem, aggreſſionis ferrô peractæ, homicidij, revelatione Confeſſionis Sacramentalis & ſimilibus) non debet ultra horam ſeſe extendere: & pro ea inſtituenda adeſſe debet

vir

Digitized by Google

vir peritus, qui liget, & rurſus depoſito brachia laxata componat; uti habet *eadem Practica.* Nec applicari debet abſque Conſilio Patrum; & ultra tres vices, *ibidem.*

6. Nota ſextò: cauſæ ſufficientes ad torquendum Reum regularem cenſentur ſequentes. *Prima* eſt dictum unius ſaltèm Teſtis omni exceptione majoris, deponentis de facto principalis; ita Gloſſa in *L. 3. C. ad L. Juliam Majeſt.* *Secunda*, omnia indicia gravia plenè probata, & quodlibet perfectum in ſuo genere; ita conſtat ex *L. ex libertis ff. de queſtion.* *Tertia*, plura indicia levia ſimul copulata, & ſeſe invicem adjuvantia; ita *Practica Criminalis.* *Quarta*, ſi Reus in tormentis fuerit confeſſus; extra verò negaverit, iterùm Torturæ ſubjici poteſt, uſque ad tres vices; ut notat Clarus, Sanctorus &c. *Quinta*, dictum unius Teſtis non integri de viſu; adminiculatum tamen famâ, vel aliô indiciô levi; ita *Practica Criminalis.* *Sexta*, unum indicium probabile; ut ſi reperiretur ille occiſus, cum quo alter priùs rixatus eſſet. *Septima*, extrajudicialis confeſſio, negata poſtea in Judicio; ſi hæc ſit probata per duos Teſtes conteſtes.

7. Nota ſeptimò: convictus non debet ſubjici Torturis; cùm aliunde poſſit ritè in eum ferri condemnatio, ſcilicet per Teſtium depoſitiones; & generaliter nemo unquam eſt torquendus, quando aliunde veritas delicti haberi poteſt; aliàs mandantes, & torquentes incurrunt pœnam Canonis *cit. ſi quis ſuadente &c.* Tortura ſuper eodem articulo repeti non debet, niſi clariora indicia ſuperveniant: nec fieri debet ejus repetitio eodem die, ut notat Farin. & Sanct. Cautelas probatas, quibus uti debent Judices tempore Torturæ, refert *Practica Criminalis Ordinis.* Confeſſio in Tortura facta nulla eſt, niſi ſequenti die à Reo poſita extra vincula, & timores, ratificetur; *ibidem.* Debiles, infirmi, ſenes 60. annorum, & Patres graviſſimi non debent ſubjici Torturis; *ibidem.* Omnia quæ tortus in tormentis dicit, & facit, etiam ſuſpiria, in actis deſcribere debet Notarius regularis; ut notat Clarus, Sylvan. Sanctor. &c. Et ita moderatè torqueri, ut non expiret in eis; uti habet Decius, Sanct. aliàs Judex homicidij reus fieret.

8. Nota octavò: Teſtium Tortura debet eſſe mitior, quàm Rei ſecundùm *Practicam Criminalem.* Cauſæ ſufficientes ad torquendos Teſtes ſunt ſequentes. *Prima*, ſi Teſtes ſint inhabiles ad teſtandum, puta quia ſunt infames, ſocij criminis, ultronei &c. hi enim abluunt maculam inhabilitatis vi tormentorum; ut notat Rodriq. Clar. Sanct. &c. *Secunda*, quando ſunt varij in ſubſtantialibus, negantes in Judicio, quod extra dixerunt; qui veritatem ex malitia nolunt confiteri; qui delicto interfuere; qui de mendacio ſunt convicti; qui vacillant in ſuis dictis; qui juridicè interroganti reſpondere nolunt; aut Judicem irrident; ita *Practica Criminalis.*

TITULUS XIX.

DE PROBATIONIBUS.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit Probatio.

1. Nota primò: quando Reus non edit Confeſſionem, quam deſiderat Actor; nec admittit poſitiones Actoris, tanquam veras; ſed ad nonnullas reſpondet negativè, & per verbum *non credo*; tunc Actor eaſdem obligatur probare per legitima argumenta, juxta *L. Actor C. hoc tit.* Quia autem probationum variæ ſunt ſpecies, de quibus compluribus ſpeciales tituli ſunt conſtituti; idcirco meritò *hic Tit.* proponitur de Probationibus in genere; quamvis eidem nonnullas etiam probationes in ſpecie inſperſas cernamus in corpore Juris.

2. Nota ſecundò: rectè deſcribitur Probatio in genere, quòd *ſit oſtenſio rei dubiæ, & controverſæ per legitimos modos, facta Judici competenti.* Ita Vallenſ. Engel, Maſcard. &c. Ly *oſtenſio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia. Per ly *rei dubiæ, & controverſæ* datur intelligi, Probationes tantùm fieri debere in cauſis litigioſis, & non notorijs; quæ enim notoriæ ſunt, non egent Probatione, *cap. evidentia 9. de accuſat.* Ly *per legitimos modos* inſinuat Probationes debere inniti idoneis argumentis cauſæ, & veritatis oſtenſivis; cujuſmodi ſunt idonea inſtrumenta, teſtes, &c. Ly *demum facta Judici competenti* oſtendit

dit, Probationes non fieri ad inſtruendum adverſarium; ſed Judicem *cap. ex literis* ibi, *ad cognitionem Judicis inſtruendam; hoc tit.*

3. Nota tertiò: primâ ſui diviſione partitur ab Ariſtotele, & Cicerone Probatio in artificialem, & inartificialem. *Inartificialis* eſt; quæ extra cauſam aſſumitur ad fidem faciendam à teſtibus, inſtrumentis, confeſſione, juramento, &c. Unde etiam *aſſumpta*, & *extranea* appellatur. *Artificialis* eſt, quæ ex ipſa cauſa, & circumſtantijs facti, arte, & induſtriâ probantis deſumitur; unde & *inſita* dicitur.

4. Nota quartò: præterea à Juriſconſultis Probatio *primò* dividitur in plenam, & ſemiplenam; quæ ſpecies ſic vocantur propter effectum, & vim, quam Probatio habet. *Plena Probatio* cenſetur illa, quæ plenam fidem facit Judici de re controverſa, ita ut plenè inſtructus poſſit pronunciare ſententiam, *L. ſcriptum 11. C. hoc tit.* Et *cap. 2. hoc tit.* tales ſunt, quæ fiunt per duos teſtes omni exceptione majores; item per inſtrumenta authentica; item per confeſſionem propriam &c. Unde hæc ſpecies ſubalterna continet ſecundùm Maſcardum, Farinac. &c. ſub ſe octo alias ſpecies infimas, videlicet teſtes; inſtrumenta, ſeu ſcripturam authenticam; confeſſionem judicialem; evidentiam facti; inſpectionem ocularem; juramentum delatum alteri parti litiganti; legitima indicia, ſeu præſumptiones; & famam; ad quas plures aliæ minoris momenti commodè revocantur: imò ſecundùm *titulos ſubſequentes* Canonicos Juris quatuor tantùm tanquam principales ſpecies atomæ ponuntur, ſcilicet teſtes; inſtrumenta publica; præſumptiones graves; & juramenta; ad quas poſſunt reliquæ reduci; & harum etiam fit mentio in *L. fin. C. hoc tit.* *Semiplena Probatio* eſt, quæ aliquam quidem; non autem plenam fidem facit in judicio; hæc opinionem potiùs, quàm fidem gignit; eſt tamen adminiculum quoddam Probationis; talis eſt quæ fit per unum duntaxat teſtem; vel per confeſſionem extrajudicialem &c. Continet autem ſub ſe quatuor ſpecies infimas, ſcilicet depoſitionem unius teſtis, vel etiam plurium ſingularium; item ſcripturam, ſeu inſtrumentum privatum; item comparationem literarum, quando de ſcripto dubitatur; & leves, ſeu non urgentes præſumptiones.

5. Nota quintò: rurſus Probationes aliæ ſunt pleniſſimæ, aliæ plenæ tantùm. *Primæ* ſunt, quæ fidem pleniſſimam faciunt, eò quòd (uti dicere ſolemus) luce meridianâ clariores exiſtant; hæ in criminalibus cauſis deſiderantur per *L. fin. C. hoc tit.* *Secundæ* ſunt, quæ quidem fidem plenam faciunt; non tamen cum illa graduali perfectione claritatis, utì priores. Reperiuntur etiam Probationes quædam *mixtæ*, quæ videlicet coaleſcunt ex duabus ſemiplenis ad eundem finem tendentibus, & conſtituunt unam plenam; ſive ſint ejuſdem generis; ſive diverſi; ut unus teſtis cum juramento, vel fama publica; quia quæ non probant ſingula, collecta juvant, ſecundùm Gloſſam fin. in *cap. cum cauſam 13. hoc tit.*

CAP. II.

Cui incumbat onus producendi Probationes.

1. Dico primò: regulariter Actori incumbit onus probandi, ſeu adducendi Probationes ſuper ſuam intentionem in libello expreſſam, quam negat Reus. Ita Gloſſa, Vallenſ. Engel, Zoëſ. & communis DD. Et conſtat ex *L. 2. ff. hoc tit.* Et *L. 1. C. eod.* Et ſi Actor præfatam intentionem ſuam legitimè non probaverit, Reus abſolvi debet, quamvis Reus nihil in contrarium attulerit; utì conſtat ex *L. 4. C. hoc tit.* Et *cap. unic. ſſ. cùm enim, ut benef. Eccleſ. ſine diminut. confer.*

2. Dico ſecundò: ſimiliter Reo incumbit onus probandi ſuam exceptionem affirmativam, quâ aliquid aſſerit, quod Actor in replica negat. Ita Gloſſa, Pacian. Engel, Vallenſ. &c. Et ita dicitur *cap. 1. & 12. hoc tit.* Eſtque Ratio; quia Reus excipiendo fit Actor *L. 1. ff. de except.* Et L. *in exceptionibus 19. ff. hoc tit.*

3. Dico tertiò: eidem Reo incumbit producere Probationes, quoties, ob præſumptionem Juris pro Actore onus probandi rejicitur in Reum. Ita Dur. Engel, Pirhing. &c. Et colligitur ex L. *cùm in debito in princ. 25. ff. hoc tit.*

4. Dico quartò: Reo pariter incumbit proferre Probationes, quoties Judex transfert onus probandi in ipſum; ut ſi deferat ipſi Juramentum, debet is illud accipere; quod probationis locô habetur. Ita Gloſſa, Pacian. &c. Et ita dicitur L. *manifeſtæ 38. ff. de jurejurando.*

2. Dico quintò: in judicijs communibus, ſeu duplicibus (cujuſmodi ſunt hæc tria, *Familiæ herciſcundæ*; *Communi dividundo*; & *finium regundorum*) utrique parti litiganti in-

cumbit onus probandi. Ita Zoëſ. Engel, Maſcard. & communis DD. Et conſtat ex *L. inter 44. §. familiæ ff. familiæ hercisc.* Et eſt Ratio; quia ideo hæc tria judicia vocantur *duplicia*, ex eo, quòd quilibet ſimul ſit Actor, & Reus in illis Judicijs, *L. 2.* junctâ Gloſſâ ver. *duplicibus judiciis ff. comm. divid.* *Actio* autem *familiæ herciſcundæ* datur cohæredibus de dividenda hæreditate. *Actio* verò *communi dividundo* eſt inter illos, qui aliquid commune habent ex alia, quàm hæreditatis causâ, ut id dividatur. *Actio* demum *finium regundorum* datur inter illos, qui confines agros habent, ut agris termini ponantur. Qui autem in Judicio finium regundorum efficaciores probationes attulerit, is obtinebit cauſam: Si verò ambæ partes æquè bonas produxerint probationes; tunc abſolvendus eſt poſſeſſor; uti dicitur *cap. ex literis 3. hoc tit.*

6. Dico ſextò: quando in interdicto *retinendæ poſſeſſionis* utraque pars litigans diſceptat, & aſſerit, ſe poſſidere in ſolidum eandem rem; tunc utrique parti incumbit onus probandi; & Judex utrinque recipere debet probationes tum poſſeſſionis, tum tituli; ut ex his appareat, in cujus favorem ſit ſententia pronuncianda. Ita Gloſſa, Pirh. & communis DD. Et conſtat ex *cap. licet cauſam 9. hoc tit.*

7. Dico ſeptimò: regulariter neganti non incumbit onus probandi negatum. Ita Vallenſ. Zoëſ. & communis DD. Et ita dicitur *L. Actor. 23. hoc tit.* Et *L. ei incumbit 2. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia negationes probari nequeunt: cùm non entis nullæ ſint differentiæ, & nulla propria, ex quibus Probationes deſumi poſſent; ſicut nulla eſt natura ejus, quod non eſt.

8. Nota tamen primò: multiplices eſſe negationes, quarum aliquæ poſſunt probari; aliquæ autem non. Nam aliæ ſunt negationes Juris; hujus exemplum eſſet hæc; *tu non potes eſſe Procurator.* Aliæ ſunt negationes qualitatis; talis eſſet hæc; *tu non habes ætatem ſufficientem ad teſtandum.* Aliæ ſunt negationes facti, quando aliquod factum purè negatur. *Negationes Juris* poſſunt probari, adducendo illum locum Juris, in quo fundata eſt; ut ſi adducatur Jus Canonicum *cap. intelleximus de Judic.* quod ſtatuit, ut excommunicatus non poſſit eſſe Procurator. *Negationes qualitatis* pariter poſſunt probari; eò quòd contineant in ſe affirmativam; v. g. hæc negatio qualitatis, *tu non habes ætatem ſufficientem ad teſtandum*, continet in ſe hanc affirmativam, *tu es impubes.* *Negationes* verò *facti* ab ipſis negantibus directè probari nequeunt; nec probandi onere onerantur; & de his procedit data concluſio ſeptima. Indirectè tamen probationes negativæ facti etiam probari poſſunt, loco, & tempore limitatæ; utì patet ex L. *optimam verſ. niſi is, C. de contrah. & commit. ſtipul.* Unde ſi quis arguat me de homicidio in certo loco, ac die facto, non poſſum quidem directè probare, me homicidam non fuiſſe; poſſum tamen ad oſtendendam meam innocentiam probare, me tali die in tali loco non fuiſſe: vel poſſum oſtendere alium, qui illud homicidium commiſit; & hoc oſtensô, indirectè ſimul probo, me non commiſiſſe tale homicidium.

CAP. III.

Quô pactô inſtituendæ ſint Probationes.

1. DIco primò: Probationes Judiciales producendæ ſunt poſt litem conteſtatam, ſuper articulis in Judicium deductis, & negatis. Ita Vallenſ. Maſcard. Hoſtienſ. Pirhing. & communis DD. Ratio eſt; quia demum poſt litis conteſtationem dicitur cæptum Judicium; nec ante hanc ſcitur, an Reus ſit negaturus; vel confeſſurus id, quod intenditur; ſed poſt litis conteſtationem hoc in notitiam Actoris venit, *L. 1. C. de litis conteſt.* Et conſequenter etiam tunc demum ſcitur, quid probandum ſit; vel non. Et

2. Nota primò: quòd Probatio debeat eſſe ſecundùm formam libelli; cùm ſecundùm illam ſit pronuncianda ſententia; ut notat Hoſtienſ. Articuli autem impertinentes libelli ſunt à Judice rejiciendi, nè litigatores faciant ſumptus inanes; utì advertit ex Weſenbec. Pirhingus. Debet præterea Probatio eſſe clara, certa, & ita concludens, ut animum Judicis poſſit movere ad aſſenſum; unde Probatio obſcura non relevat probantem; utì conſtat ex *cap. præſentia 8.* junctâ Gloſſâ *in fin. hoc tit.* Rurſus ſi quæſtio mota ſit ſpecifica, debet & Probatio eſſe ſpecifica; nec ſufficit generica, *arg. cap. conſtitutus 6. de Relig. domin.* & propterea Probatio ſuper tributum aliquando ſolutum non probat ſufficienter talem ſolventem eſſe ſubditum; nam præſtatio tributi aliud poteſt indicare, quàm ſubjectionem, *cap. recipimus*

8. *de*

Digitized by Google

ſ. de Privilegiis. In cauſis criminalibus Probatio debet eſſe luce meridianâ clarior, *L. ult. C. hoc tit.*

3. Dico ſecundò: effectus Probationum eſt, quòd ſecundum eaſdem Judex debeat pronunciare ſententiam. Ita communis DD. Et ita habetur *L. argentarius 10. ff. de edendo.* Et *L. ſi ſcriptam 11. & ſeq. C. hoc tit.*

4. Nota ſecundò: ſententia autem ferri debet pro eo, qui intentionem ſuam magìs ſufficienter, & meliùs probavit, ut dicitur *cap. licet ſ. ex præmiſſis, hoc tit.* Quòd ſi Probationes Actoris, & Rei ſunt pares, pro Reo tanquam favorabiliori ſententia ferenda eſt, *cap. ex literis 3. hoc tit.*

5. Dico tertiò: ſimiliter pro effectu vero Probationum ſtatuitur, quòd contra illas non poſſit adhiberi purgatio Canonica. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. ad noſtram 12. hoc tit.*

6. Dico quartò: finis Probationum eſt, facere Judici fidem; & ut is intelligere valeat, qualem ſententiam debeat pronunciare. Ita communis DD. Primum conſtat ex *L. quingenta 12. in fin. hoc tit.* Secundum habetur *L. cum 79. ſ. 1. ff. hoc tit.* Unde Judici facienda eſt Probatio; non autem adverſario; hic enim ſemper negaret.

7. Dico quintò: Probationes, & omnia alia acta Judicij per Notarios, & Tabelliones idoneos debent annotari, & conſervari; ut ſi ſuper Proceſſu Judicis controverſia ſuboriatur, per acta legitimè conſignata terminari poſſit. Ita Zoëſ. Pirhing. & communis DD. Et ita ordinatur *cap. quoniam contra 11. hoc tit.*

8. Dico ſextò: poſt quartam productionem teſtium nulla ulterior Probatio admitti debet. Ita Vallenſ. & communis DD. Et ita habetur in *Authen. qui ſemel C. hoc tit.* Uti nec poſt concluſam jam cauſam; niſi in criminalibus, ubi etiam poſt rem jam judicatam, & latam ſententiam admittitur Probatio nova, ad innocentiam Rei oſtendendam; uti notat Vall. hìc.

CAP. IV.

Variæ aliæ reſolutiones circa Probationes.

1. Dico primò: Reus in Judicio conventus regulariter non obligatur extradere propria inſtrumenta, ſi actor hæc poſtulet, ad côficiendas Probationes contra eundem Reum. Ita communis DD. Et ita dicitur *cap. ex epiſtola 1. hoc tit.*

2. Nota tamen primò: præfatam doctrinam limitari in quibuſdam caſibus: & *primò*, Reus conventus tenetur extradere ſua propria inſtrumenta Fiſco agenti contra ipſum, ad firmandam ſuam intentionem in Judicio; ita dicitur *L. 2. ff. de except.* *Secundò*, Reus tenetur edere inſtrumenta Actore petente, ſi non ſint tantùm propria ſua; ſed communia utrique parti; ita conſtat ex *cap. G. perpetuus 12. de fide inſtrum.* *Tertiò*, Uſurarji conventi ad reſtituendas uſuras, tenentur libros ſuos, ſeu inſtrumenta rationum ſuarum edere, ad probandam intentionem Actoris, eò quòd tales ſint ſuſpecti de fraude, *Clem. unic. ſ. cæterum de uſuris.* Plures alias limitationes vide apud Abbat. Deci. Felin. Pacian. Pirhing. &c.

3. Dico ſecundò: aſſerens in Judicio plenam Probationem ſuper ſuam intentionem, non poteſt adſtringi ad Juramentum confirmatorium ejuſdem edendum, etiã non obſtante quacunque conſuetudine contraria. Ita Hoſtienſ. Fagn. Abbas &c. Et conſtat ex *cap. ſicut conſuetudo 2. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia talis Juramenti nulla eſt neceſſitas; Juramentum autem factum citra neceſſitatem illicitum eſt, & irrationabile, nec ſinè peccato fieri poteſt, *cap. etſi Chriſtus 26. de Jurejur.*

4. Dico tertiò: Probationes Judiciales verſari debent circa facta, & quidem dubia; nam notoria facta non opus habent Probatione; *cap. ſuper eo 3. de teſt.* Inſuper circa ſola facta in Judicium producta, & ad cauſam pertinentia, ac in quibus ſe fundat probans, verſari habent Probationes; uti notat Weſenbec. & Durand. Impertinentium autem Probationes tanquam inutiles ſunt illicò repudiandæ.

5. Dico quartò: pro Probatione legitima, & plena virginitatis aſſertæ à puella, & negatæ à marito, ſtante matrimonio ſufficit juramentum puellæ cum teſtimonio ſeptem mulierum, de incorruptione clauſtri fidem facientium. Ita Abbas, Pirh. &c. Et ita conſtat ex *cap. propoſuiſti 4. hoc tit.*

6. Dico quintò: in caſu dubij de ætate, Probationes de majori vel minori ætate inſtituere tenetur is, qui fundat intentionem ſuam ſuper ætate; ſive ſit Actor, ſive Reus. Ita Bartol. Pirh. Menoch. &c. Et ita conſtat ex *L. cùm te 9. C. hoc tit.* Et *L. ſi minorem 4. C. de in integr. reſtitut.* Et ex *cap in præſentia 8. hoc tit.*

7. Dico ſextò: legitima, & ſufficiens erit Probatio filiationis, ſeu talem prolem eſſe filium talis patris, ſi id ab initio conſtanter aſſerat mater, item ſi filius natus ſit ex uxore in domo mariti cum ea cohabitantis, & potentis generare. Ita Menoch. Pirhing. Abbas &c. Et ita conſtat ex *cap. per tuas 10. hoc tit.* Et *L. filium 6. ff. his, qui ſui, vel alieni Juris ſunt.* Et procedit præfata aſſertio, etſi mater eodem tempore conſuetudinem cum alio viro habuiſſe ſciatur, ita ut dubium ſit, cujus filius ſit: nam in tali caſu filius genitus adhuc præſumitur natus ex legitimo marito; & hoc favore matrimonij: & quia univerſim in dubio benignior, & favorabilior præſumptio, ſeu interpretatio eſt facienda, *cap. eſtote 2. de Regulis Juris.*

8. Dico ſeptimò: Probatio finium diœceſium fieri debet per libros antiquos, teſtes, famam, & alia adminicula. Ita communis Canoniſtarum. Et ita conſtat ex *cap. cùm cauſam 13. hoc tit.* Debent autem iſti libri antiqui & ſcripturæ vetuſtæ (ut faciant plenam fidem, & Probationem plenam) eſſe libri Archivales, ſeu ex profeſſo conſcripti pro Archivo publico, in quo communiter inſtrumenta, & ſcripturæ authenticæ aſſervantur; utì notat Gloſſa. Teſtes etiam pro præfata Præbatione debitè inſtituenda, & ut plena evadat, debent eſſe tales, qui habitent in vicinis locis. Similiter fama ad eundem finem adhibenda debet eſſe fama antiqua; utì notat Gloſſa &c.

9. Dico octavò; narratio facti alicujus contenta in literis Apoſtolicis eſt Probatio plena, ſi ſuper illa gratia, aut intentio Papæ fundetur. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et ita conſtat ex *Clement. literis, unic. hoc tit.*

10. Dico nonò: Probatio, quæ fit per ocularem inſpectionem, eſt efficax Probatio ad veritatem oſtendendam, & aliud ſciendum. Ita Roland, Gail. Engel &c. Ratio eſt; quia hæc immititur ſenſui, & attingit immediatè veritatem facti, vel rei controverſæ.

11. Nota autem ſecundò: Ocularem inſpectionem eſſe *luſtrationem, quam vel ipſemet Judex, vel ab eo deputati Commiſſarij faciunt ſuper re controverſa.* Huic inſpectioni locus eſt in omnibus cauſis, & negotijs, quæ aliter nequeunt, vel ſaltèm non ita facilè expediri. Exemplum eſt in quæſtione de novi operis nunciatione, ubi dum adverſarius negat, ſe priorem faciem operis immutaſſe, vel in præjudicium Actoris fabricam erexiſſe, efficax remedium ad aſſequendam veritatem eſt ocularis inſpectio. Requiritur autem ad hujusmodi inſpectionem utriusque partis citatio; niſi fortaſſis Judex clam ad ſe informandum inſpectione oculari uteretur. Ad eandem inſpectionem ducendi ſunt teſtes ab alterutro litigantium; hi enim in re præſenti ſe meliùs explicare, & Judicem informare poſſunt. Si demum inſpectio ocularis fieri debeat per artis peritos, v. g. chirurgos, agri menſores, architectos, obſtetrices &c. debet ipſis deferri juramentum; niſi jam ante ſtatim, ac Magiſtri facti ſunt (utì communiter loquimur) jurâſſent, quòd in ſimili occaſione in nullius partis gratiam quidquam edicere velint.

12. Dico decimò: Probatio à fama in cauſis civilibus regulariter tantùm ſemiplèna eſt. Ita Gothofred. Engel, & communis DD. Et ita conſtat *arg. L. 3. §. ejusdem quoque ff. de teſt.* Dixi *in civilibus cauſis;* quia in criminalibus, ubi agitur de pœna gravi infligenda, fama nec quidem ſemiplenam efficit Probationem; nec ad torturam faciendam ſufficit; ſed tantùm movere debet Judicem, ut ſuper crimine diligenter inquirat, per *text. in cap. qualiter, & quando; de accuſat.* Et ut ponat Reum in cuſtodiam; aut ad tribunal vocet. Ad diſſolvenda tamen ſponſalia de futuro, & impediendum matrimonium fama etiam ſola de affinitate, vel conſanguinitate deſponſandorum ſufficit; & hoc partim ob periculum, ne contrahatur matrimonium nullum, & fiat concubitus illicitus: partim eò quòd pariat ſcandalum, duas perſonas conjungi, quæ publica æſtimatione affines, vel conſanguinei reputantur, *per text. in cap. 2. de conſang. & affinit.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XX.
DE TESTIBUS; ET ATTESTATIONIBUS.

CAP. I.

Quid ſit Teſtis; & Atteſtatio;& quando probet ſufficienter.

1. NOta primò: inter omnes probationũ ſpecies, prima primitate usûs, & praxis eſt illa, quæ fit per Teſtes: nam ea reperitur non tantùm in contractibus,ultimis voluntatibus, & cauſis criminalibus civilibus Eccleſiaſticis, & profanis *cap. in omni 4.* Et *cap. cum nuncius 12. hoc tit.* Verùm etiam in inſtrumentis tum publicis, tum privatis; ut paſſim videre eſt *hoc tit.* & *ſeq.* ut proinde meritò *hic tit.* alijs Probationes alias continentibus præponatur.

2. Dico primò: rectè deſcribitur Teſtis, prout de eo hic, quòd *ſit idonea perſona, ad fidem in Judicio faciendam adhibita*: Atteſtatio verò, quòd *ſit depoſitio Teſtis ſuper aliquo facto, ſeu Teſtimonium ipſius Teſtis.* In prima deſcriptione ly *perſona* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia, Dicitur *idonea perſona*; quia non quivis poteſt edere teſtimonium in Judicio; ſed is duntaxat,quem Jura qualificant, & admittunt. Dicitur *ad fidem in Judicio faciendam*; quia agitur *hoc tit.* de Teſtibus, qui probationem in Jure, ſeu coram tribunali, & Judicio conſtituere debent, ut Judex inſtruatur, credat, & moveatur eorum dictis. In ſecunda deſcriptione ly *depoſitio* eſt genus; reliqua ponuntur pro differentia.

3. Dico ſecundò: ut Probatio per teſtes legitima ſit, debent ipſi teſtes omnino eſſe idonei, fideles, & fide digni; ſeu ut ſint omni exceptione majores. Ita communis DD. Et ita dicitur *cap. 1. hoc tit.* Et *can. placuit cauſ. 4. q. 2.* Et *L. optimam C. de contrah. & committ. ſtipulat.*

4. Nota ſecundò: diverſi autem ſunt Teſtes; quidam enim olim appellabantur *Locupletes*, & *Aſſidui*, ſeu *Claſſei*; & ſunt ijdem, qui hodie Teſtes *integri, Idonei, ac omni exceptione Majores* dicuntur, *L. cit. optimam.* Alij vocantur *ſuſpecti*, & ſunt illi, qui non ſunt omni exceptione majores; & Teſtes impropriè dicuntur, utì notat Gloſſa: horum variæ ſunt ſortes; ut redempti, corrupti, viles, mercenarij, falſi, injurati, ſingulares, domeſtici, varij, contrarij, vacillantes, & inteſtabiles. Item alij ſunt Teſtes de ſcientia; & alij de credulitate.

CAP. II.

Quæ perſonæ repellantur à munere Teſtium.

1. DIco primò: Teſtes idonei, ac omni exceptione Majores cenſentur eſſe omnes illæ perſonæ, quæ per Jura civilia, & ſacros Canones non repelluntur à ferendo teſtimonio. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *L. 1. ff. hoc tit.* Et *cap. 1. de conſang. & affinit.* Repelluntur autem complures perſonæ à munere Teſtis, ſeu à teſtificando, & ferendo teſtimonio, quas ſequentibus concluſionibus breviter complectar; & quidem aliqui rejiciuntur generaliter, & abſolutè: alij tantùm limitatè prohibentur eſſe Teſtes, id eſt pro certis perſonis; & contra certas perſonas,tantùm; vel in certis cauſis tantùm ut notat Vallenſ. Pirhingus, &c. Unde.

2. Dico ſecundò: generaliter, & abſolutè prohibentur eſſe teſtes tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus omnes, qui patiuntur defectum, vel infirmitatem Judicij; utì ſunt imprimis impuberes, ſeu pupilli. Ita communis DD. Et *de impuberibus, pupillis* conſtat ex *cap. 1. hoc tit.* Et *L. 3.* & *L. 9. hoc tit.* Pupillus tamen ſeu impubes poteſt teſtari in crimine læſæ Majeſtatis; imò & torqueri; nam in tali cauſa omnium eſt par conditio, *L. nullus 4. C. ad Leg. Jul. Majeſt.* ſimiliter pupillus factus major poteſt teſtari de illis, quæ in pupillari vidit ætate; dummodo fuerit pubertati proximus, quando res teſtimonio ſubſtrata, fuit geſta; ut notat Gloſſa. Farina. & Vallenſ. Nec huic doctrinæ adverſatur *L. ult. ff. de Jur. & fact. ignor.* ubi dicitur, pupillum nihil ſcire, aut videre, ſed omnia ignorare: Nam (ut rectè gloſſat hanc Legem Vallenſis) illud dictum intelligi debet quoad ſui præjudicium, ut videlicet pupillus nihil ſcire videatur; quãdo ex ſcientia ſua ſentiret damnum, & præjudicium.

3. Dico tertiò: generaliter, & abſolutè etiam Teſtes prohibentur eſſe furioſi; non habentes lucida intervalla; ſeu ſi ſint mente

Digitized by Google

capti. Ita Maſcard. Farin. & communis DD. Et conſtat ex *cap. 1. hoc tit.* nam & furioſus non eſt idoneus Teſtis de quo fit mentio in *cit. cap.* Et *§. furioſi: Inſtit. quibus non eſt permiſſum fac. Teſt.* Et eſt Ratio; quia furioſi, ac, mente capti repelluntur à Judicando, *can. 1. §. tria ſunt cau. 3. q. 7.* adeoque etiam à teſtificando.

4. Dico quartò: ſimiliter cæci, & ſurdi ac ſimul muti regulariter repelluntur à teſtimonio de viſu. Ita Farinac. Bartol. & communis DD. Ratio primi *de cæcis* eſt; quia ſolus auditus non ſufficit in Teſtibus de viſu; ſed præſentia, & viſus requiritur, *can. Teſtes 15. cau. 3. q. 9.* Et *cap. cauſam 37. ibi, viſu, auditu &c. hoc tit.* Sed qui non vident, non cenſentur eſſe præſentes, ſecundùm *L. coram Titio 209. ff. de V. S.* adeoque non videntes, ſeu cæci nequeunt eſſe Teſtes de viſu. Teſtificari tamen poſſunt de rebus, quæ non viſu, ſed auditu, vel alio ſenſu percipiuntur; uti & de ijs, quæ ante cæcitatem ſupervenientem geſta viderunt; uti notat Vallenſ. Maſcard. &c. Cùm & cæcus Judex eſſe poſſit; ſi Judicis officium ante cæcitatem ſuſceperat, *& cæcus 6. ff. de Judic.* Ratio ſecundi *de ſurdis ac ſimul mutis* eſt; quia talis nequit ſufficienter explicare animi ſui ſenſata; unde etiam à condendo teſtamento repelluntur *§. item ſurdus; Inſtit. quibus non eſt permiſſ. fac. teſt.* Et quia Teſtis vivâ voce debet deponere, & ejus dicta à Judice audiri *L. cùm ab initio 4. ff. teſtam. quemad. aper.* ſi autem quis ex accidenti duntaxat eſſet ſurdus, & mutus; ſciret tamen ſcribere, ſeu alijs certis ſignis ſuas cogitationes explicare, talis poſſet teſtificari, *L. ſermo 65. §. ſi pupillo ff. ad ſenatus conſult. Trebell.*

5. Dico quintò: ſervi, ſeu formalia mancipia, quoque generaliter repelluntur à ferendo teſtimonio. Ita Engel, Maſcard. Pirh. & communis DD. Et ita dicitur *L. quoniam liberi 11. C. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia ſervus in Jure reputatur pro nullo quoad actus legitimos *L. quod attinet 32. ff. de R. I.* Nec expedit controverſias inter homines liberos, & ingenuos exortas, Servorum teſtimonijs terminari. *L. 7. ff. hoc tit.* Servi tamen in ampliori acceptione, cujuſmodi ſunt coloni originarij, & adſcriptitij, teſtari permittuntur, ſecundùm Gloſſ. &c.

6. Dico ſextò: Religioſi pariter abſque licentia ſui Superioris Teſtes agere non debent; maximè in cauſis civilibus; bene tamen cùm ejuſdem licentia. Ita Engel, Sylv. Farinac. &c. Ratio primi eſt; quia voluntas Religioſi dependet ab arbitrio Superioris vi voti obedientiæ, & conſtitutionum Regularium; & ex *cap. ſi Religioſus.* Et *cap. ſi Abbatem, de elect. in 6.* Et quia non expedit Religioſas perſonas Divinis officijs mancipatas facilè diſtrahere ſæcularibus negotijs, cujuſmodi eſt teſtificatio civilis. Quòd ſi tamen Religioſus teſtimonium dediſſet abſque ſui Superioris licentia, illud valere cenſet Panormit. Maſcard. Engel, Abbas &c. cùm nullo Jure ejuſmodi teſtimonium invalidatum reperiatur. Imò in Jure Canonico reperimus Religioſos Juratos admitti pro Teſtibus, ùt *cap. nuper hoc tit.* Et *cap. veritatis, de dolo & contum.* Et in *cap. etſi Chriſtus, de Jurejur.* Ratio ſecundi eſt; quia ſicut Religioſus pro alijs quibusdam legitimis actibus, puta procurationis pro rebus Monaſterij &c. cum licentia ſui Prælati poteſt admitti; ita & ad actum teſtificationis, ubi civiliter agitur: & quia nullo Jure prohibentur Religioſi agere Teſtes cum licentia ſui Prælati; utì notat Engel, Abbas, Sylv. &c. Et patet per *arg. L. 1. §. ff. hoc tit.*

7. Dico ſeptimò: à teſtimonio dicendo generaliter arcentur etiam pretiô conducti. Ita Gloſſa, Caniſius, Maſcard. &c. Et conſtat ex *cap. ſicut nobis 9. hoc tit.* Et ex *L. 3. ff. hoc tit.* Et *L. 4. C. eod.* argumentô ductô à contrario ſenſu, quod ab utroque Jure receptum eſt *L. 1. in fin. ff. de offic. ejus, cui mand. eſt Juriſd.* Et *cap. cum Apoſtolica 7. de his, quæ fiunt à Præl. ſinè conſ. Capit.* ſi enim Teſtes pretiô conduci prohibeantur, ut hìc; ergo ſi pretiô conducti ſint, arcendi ſunt à dicendo teſtimonio; Et talibus pœna criminis falſi infligitur *L. 2. ff. ad Leg. Cornel.* Imò quandoque pœnâ Legis Corneliæ de ſiccarijs, quæ eſt pœna gladij, contra eos proceditur cùm nihil interſit quis hominem ipſe occiderit, an cauſam mortis præbuerit, *L. nihil intereſt, ff. ad Leg. Corn.*

8. Nota autem primò: non cenſeri Teſtes pretiô conductos illos, qui expenſas itineris ſui à producente Teſtes acceptant; nam tales expenſas Teſtes itinerantes rectè exigere poſſunt *cap. ſtatutum 11. §. præferendo autem teſtimonium; de Reſcriptis.* Similiter illi qui pro damno paſſo in re familiari ob abſentiam, & operibus quotidianis neglectis, aliquid acceptant; ut habet Bald. non enim debet Teſti eſſe damnoſum officium ſuum, *L. ſed ſi quis 7. ff. quemad. teſt. aper.*

8. Dico octavò: infames infamiâ Juris quoque generaliter repelluntur tanquam inhabiles Teſtes tam in civilibus, quam in criminalibus. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *can. nulli 51. cau. 3. q. 4.* Et ex *cap. teſtimonium 54. hoc tit.* Et *L. Teſtium 3. ff. eod.* Et eſt Ratio; quia actus legitimi (cujusmodi etiam eſt teſtimonium) ſunt interdicti infamibus, *cap. licet 47. hoc tit.* In caſu tamen criminis læ-

Digitized by Google

nis læſæ Majeſtatis admittuntur infames ad teſtimonium, *L. nullus 10. ff. hoc tit.* item in caſu criminis hæreſis *cap. tanta, de Simonia.* Infames autem infamiâ facti in civilibus admittuntur pro teſtimonio ferendo *L. 1. C. eod.* Etſi Jus Canonicum & hos non toleret pro Teſtibus, ſecundùm probabiliorem ſententiam, quæ colligitur ex *cap. teſtimonium*, ibi *aut gravata ſit ejus opinio.*

10. Dico nonò: ſimiliter criminoſi notabiles, poſtquam eis objectum fuerit crimen, etſi necdum ſuper eo ſint ſententiati, repelli debent à ferendo teſtimonio; maximè in criminalibus. Ita Abbas, Farinac. Felin. &c. Et ita habetur *cap. ſuper eo, 13. hoc tit.* Et *cap. non debet, 56. hoc tit.* Niſi tales criminoſi jam eſſent conſtanter emendati, & omnis infamia ab eis ablata; quo caſu poſſunt teſtificare, ſecundùm Clar. Laym. Et quia ceſſante cauſâ ceſſat effectus *cap. cum ceſſante 60. de appellat.* tandem tenentur teſtari etiam criminoſi in criminibus exceptis, ut læſæ Majeſtatis, &c.

11. Dico decimò: generaliter etiam tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus rejiciuntur à teſtificando perjuri, ſeu falſum juramentô confirmantes. Ita Gloſſa, Abbas, & communis DD. Et ita patet ex *can. quicunque 18. can. 6. q. 1.* Et *cap. ex parte 7.* junctâ Gloſſâ ver. *de perjurio, hoc tit.* Idque procedit, quamvis perjuri jam ſint emendati *cap. teſtimonium 54. hoc tit.*

12. Dico undecimò: Excommunicati ſimiliter prohibiti ſunt generaliter & abſolutè Teſtes agere. Ita communis DD. Et ita colligitur ex *cap. veniens hoc tit.* Et quia hi inter infames reputantur *can. illi qui 3.* Et *can. infames 17. cauſ. 6. q. 1.* Hactenus de ijs, qui generaliter, & abſolutè repelluntur à teſtificando, nunc de illis, qui limitatè prohibentur eſſe Teſtes, id eſt pro, vel contra certas duntaxat perſonas. Quare

13. Dico duodecimò: Non admittitur Teſtis in Judicio genitor pro prolibus; nec proles pro genitore. Ita Gloſſa, Pirhing. Maſcard. & communis DD. Et ita conſtat ex *L. Teſtis 9. ff. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia rationabiliter hoc ſtatuit Jus, propter naturalem amorem, & affectionem, quam memoratæ perſonæ inter ſe gerunt; & quia præfatæ perſonæ cenſentur una perſona, & vox unius, vox alterius; ùt notat Farinac. & Maſcard. Idem eſt de Matre; quia appellatione Genitoris etiam Mater venit *L. appellatione 51. ff. de V. S.* Similiter dicta doctrina extenditur ad omnes aſcendentes, & deſcendentes tam maſculos, quàm fœminas, in linea paterna, & materna, uti colligitur ex *cit. L. appellatione.* Extenditur etiam ad vitricum pro privigno *arg. L. Julia 4. ff. hoc tit.* Item ad filium etiam ſpurium & adoptivum, ſi hic ſit in poteſtate patris adoptantis; uti notat Maſcar. & Duran. Varias exceptiones contra concluſionem vide apud Maſcard. Farinac. Pirh. &c.

14. Dico decimotertiò: regulariter etiam prohibetur conjux pro conjuge teſtimonium dare. Ita Gloſſa, Pirh. Gabr. Maſcard. &c. Et ita habetur *can. ſi teſtes 3. ſ. idonei cau. 4. q. 2. & 3.* Et eſt Ratio; quia inter conjuges magna affectio præſumitur eſſe; cùm ſint duo in carne una. Et procedit etiam hæc concluſio de ſponſa, & concubina reſpectu ſponſi, & concubinarij; quæ non diſtat ab uxore & conjuge quo ad affectum animi; ſed ſolùm in honore, ſecundùm Gloſſam.

15. Dico decimoquartò: regulariter etiam rejiciuntur conſanguinei, & affines à ferendo teſtimonio contra extraneum in rebus arduis civilibus, & criminalibus. Ita Gloſſa, Farinac. Gabr. &c. Et ita conſtat ex *can. 1. cauſ. 3. q. 5.* Et *can. accuſatores 12. cau. 3. q. 5.* ubi datur ratio hujus concluſionis, quia videlicet propinquitatis & familiaritatis, ac dominationis affectio impedire ſolet veritatem. Limitationes, & exceptiones plures contra præmiſſam concluſionem, vide apud Maſcard. Farinac. Gabr. &c.

16. Dico decimoquintò: regulariter quoque repelluntur à munere teſtium domeſtici, & familiares pro Domino. Ita Gloſſa, Vallens. Abbas, &c. Et ita dicitur *cap. in literis 24. hoc tit.* Et *L. 2. C. eodem.* Intelliguntur autem per domeſticos illi, qui ex eadem domo ſunt, & nobis cohabitant, *L. perſpiciendum 11. ff. de pœnis.* Non ſufficit autem quæcunque cohabitatio; ſed debet eſſe talis cum aliqua dependentia, fundata vel in poteſtate, vel obedientia, vel obſequio, vel affectione nimia, vel ſimili; & ob ſimiles reſpectus & dependentias cenſentur veri domeſtici lege prohibiti ad teſtificandum eſſe famuli mercenarij, liberti, uxor, liberi, fratres, ſervi adſcriptitij, &c. uti notat ex varijs Legibus Vallenſis. Cæterum alij domeſtici, & familiares, qui ſcilicet in eadem domo cohabitant, abſque præfatis aut ſimilibus dependentijs, ordinariè poſſunt agere Teſtes; uti notat Abbas: etſi hi non cenſeantur Teſtes integræ fidei, ob affectionem aliqualem, natam ex cohabitatione: uti nec amici, qui etſi teſtari poſſint pro amico, integræ tamen fidei non præſumuntur eſſe; uti advertit Farinac. & Gabr.

17. Dico decimoſextò: ſimiliter complex delicti, ſeu ſocius criminis, non toleratur Teſtis pro ſocio ejuſdem criminis. Ita communis

Digitized by Google

munis DD. Et ita habetur ex *L. ult. in fin. Cod. de accuſat.* Et *L. quoniam* 11. *Cod. hoc tit.* Et ex *cap. veniens* 10. *extra. eodem.* Et ſpecialiter hoc procedit in ſocio criminis Simoniæ, ex *cap. mediatores* 1. *hoc tit. in* 6.

18. Dico decimoſeptimò: repelluntur pariter ab edendo teſtimonio inimici capitales contra adverſarium. Ita Gloſſa, Farinac. & communis DD. Et ita reſolvitur in Novella 90. *de teſtib. cap.* 7. Et *L.* 3. *ff. hoc tit.* Et Ratio eſt; quia inimici ob malevolentiam erga inimicos falſa dicere præſumuntur, *arg. L.* 1. *ff. de quæſt.* Unde nec quidem in criminibus exceptis, puta hæreſis, læſæ Majeſtatis, Simoniæ &c. inimici capitales teſtificari poſſunt, *cap. per tuas* 22. & ibi Gloſſa ver. *inimici capitales; de Simon.* Exceptiones ab hac concluſione generali, vide apud Farinac. Clarũ, Maſcard. &c.

19. Dico decimòoctavò: Hæretici, Judæi, & Pagani nequeunt eſſe Teſtes contra Chriſtianos, & Catholicos. Ita Vallens. Gloſſa, Farinac. &c. DD. Et ita habetur in *can. non poteſt* 24, Et *can. Pagani cau.* 11. *q.* 7. Et *L. quoniam* 21. *C. de heret.* Et Ratio eſt; quia Hæretici, Pagani, & Judæi nimiô odiô proſequntur Chriſtianos, & Catholicos *can. nonne cau.* 1. *q.* 1. Et procedit præfata concluſio etiam de Judæis, & alijs Infidelibus, recenter converſis ad fidem catholicam; utì colligitur ex *can. conſtituit* 31. junctâ Gloſſâ ver. *qui ex Judæis cau.* 17. *q.* 4. Econtra Chriſtiani contra Judæos, & alios infideles Teſtes legitimi ſunt in cauſis civilibus, & criminalibus; ita ut Judæis nec quidem faveant in hoc privilegia Principum eximentium eos à teſtimonio Chriſtianorum; quæ privilegia probroſa, & præjudicioſa ſunt Chriſtianæ Religioni, & Juri; utì dicitur in *Clement. cap. Judæi, hoc tit.*

20. Dico decimononò: Prohibentur etiam teſtari liberti contra Patronum. Ita Engel, Farinac. & communis DD. Et ita dicitur *L.* 3. *ff. hoc tit.* Quod extendunt DD. etiam à paritate rationis ad vaſallum contra Dominum feudi; & ad ſubditum contra ordinarium Dominum; niſi conſentiant ipſimet Domini præfati; aut Judex propter defectum aliarum probationum ſimiles perſonas cogat ad teſtificandum; ut notat Farinac.

21. Dico vigeſimò: etiam Parentibus contra liberos, & liberis contra Parentes interdicitur teſtimonium. Ita communis DD. Ratio eſt; quia inter parentes, & liberos cenſetur intercedere nimius affectus: & liberi debent reverentiam parentibus, ob quam periculoſum eſt eorum teſtimonium. Idem eſt de conjugibus. Hactenus de illis, qui prohibentur eſſe Teſtes pro, vel contra certas perſonas. Nunc de illis, qui in certis cauſis teſtari vetantur.

22. Dico vigeſimoprimò: Prohibentur pariter dicere teſtimonium Advocati, Patroni, & Procuratores contra ſuos Clientes, ſeu in cauſis, in quibus egerunt, vel defenderunt judicaliter. Ita Felin. Maſcar. Farinac. Pirh. &c. Et ita conſtat de *Advocato ſeu Patrono* ex *can. ſi teſtes* 3. *§. patron. cauſ.* 4. *q.* 3. Et L. *fin. ff. de Teſtib.* Et de *Procuratore* patet ex *cap. inſuper* 6. *in fin. hoc tit.* Quod procedit, etſi quis Advocatus vellet reſignare cauſam aſſumptam clientis; quia adhuc de tali præſumitur nimius affectus ad illam cauſam, quã ſemel tractavit. Idem eſt de Tutore, & Curatore reſpectu ſuorum pupillorum, & minorum. Idem quoque de Adminiſtratore, Syndico, & Actore, reſpectu negotiorum, quæ tractârunt. Et de Judice, ac Aſſeſſore reſpectu illius cauſæ, de qua cognoverunt, *L. ult. ff. hoc tit.*

23. Dico vigeſimo ſecundô: Non eſt etiam admittendus pro teſte Proxeneta, ſeu Mediator in illo negotio, in quo ſuam operam impendit. Ita Gloſſa, Farinac. Pirhing. &c. Et ita colligitur ex *Authent. de Teſtib. §. quoniam verò, coll.* 7. Et *cap.* 1. *hoc tit.* Et Ratio eſt; quia talis quoque perſona cenſetur laborare nimio affectu ad negotium, quod geſſit, confirmandum.

24. Dico vigeſimo tertiò: Vetatur ſimiliter hæres eſſe Teſtis Teſtamentarius in illo Teſtamento, in quo eſt hæres. Ita Maſcard. Farinac. &c. Et habetur ex *L. qui teſtamento* 2. *ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Legatarius tamen poteſt eſſe Teſtis in illo Teſtamento, in quo ipſi relictum eſt legatum; utì patet ex *L. cit. qui teſtamento.*

25. Dico vigeſimo quartò: Nemo poteſt eſſe Actor, vel Accuſator, & ſimul Teſtis contra Reum conventum, vel accuſatum in illa cauſa, quam ipſe agit. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *can.* 1. *&* 2. *cau.* 4. *q.* 4. Et *cap. forum* 10. *de V. S.* Et Ratio eſt; quia eſt regula generalis, quòd nemo in propria cauſa poſſit eſſe Teſtis idoneus *L. nullus* 10. *ff. hoc tit.* Et *L. omnibus* 10. *C. eod.* Nam cùm Teſtis debeat dicere veritatem, ideo carere debet omni ſuſpicione falſitatis, & ſincerè proponere nõ magis pro una, quàm pro altera parte, *can. ſi Teſtes* 3. *cau.* 4. *q.* 2. Quilibet autem præſumitur magis affectus eſſe erga ſuam cauſam, quàm alienam; ideoque meritò ſuſpectus habetur in ferendo teſtimonio.

26. Dico vigeſimo quintò: ſecundùm Jura Civilia, & Canonica admittitur mulier

Pro

Digitized by Google

pro Teſte in cauſis civilibus. Ita Gloſſa, Felin. Maſcard. &c. Et ita habetur *L. ex uno 18. ff. hoc tit.* Et *cap. 2. de Judic. in 6.* Et *can. ex eo,* junctâ Gloſſâ ver. *teſtimonium cauſ. 15. q. 3.* Excipiuntur tamen cauſæ feudales, *cap. unic. qui teſtes ſunt. lib. 2. feud. tit. 32.* Et cauſa contractuum factorum inſtrumentis publicis.

27. Dico vigeſimo ſextò: ſimiliter mulier ſecundùm Jura Civilia poteſt eſſe Teſtis in cauſa criminali; at ſecundùm Canonica repudiatur, quando agitur criminaliter. Ita Abbas, Maſcard. Farinac. &c. Primum conſtat ex *L. ex eo 18. hoc tit.* Secundum vetatur *can. mulierum 17.* junctâ Gloſſâ ver. *nec Teſtis can. 33. q. 5.* Et eſt Ratio; quia mulier ſuapte natura eſt mutabilis, fragilis, & inconſtans, adeoque à SS. Canonibus reputatur minùs idonea pro ferendo teſtimonio in cauſa criminali. Similiter mulier in Teſtamento nequit eſſe Teſtis ob eandem cauſam *§. Teſtes; Inſtit. de Teſtam. ordin.*

28. Dico vigeſimo ſeptimò: Laicus contra Clericum, & Religioſum in cauſa criminali criminaliter intentata, nequit eſſe Teſtis. Ita Gloſſa, Engel, Pirhing. & communis Canoniſt. Et ita deciditur *cap. de cætero 14. hoc tit.* In criminalibus tamen exceptis v. g. læſæ Majeſtatis &c. Laici poſſunt teſtari contra Clericos, & Religioſos; uti notat Gloſſa, Abbas &c. Item in criminibus notorijs, & ſcandaloſis, ſecundùm Felin. & Abbas. Item in ſubſidium; ut ſi Teſtes Clerici haberi nequeant, v. g. contra Clericum in villa degentem, & delinquentem, ſecundùm Maſcard. Abbas. Farinac. &c. Item ſi de crimine Clerici agatur tantùm civiliter, ſecundùm *cit.* DD.

29. Dico vigeſimo octavò: ſimiliter in cauſa criminali Clerici, & Religioſi non reputantur Teſtes idonei, ſi agatur de pœna ſanguinis. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *can. teſtimonium 9. can. 11. q. 1.* In cauſis tamen civilibus poſſunt Clerici ſæculares idonei aſſumi ad teſtandum in ſubſidium aliarum Probationum, ne veritas occultetur; uti conſtat ex *can. quanquam 2. can. 14. q. 2.* Et tunc debet Clericus ſuum teſtimonium edere coram ſuo Epiſcopo, qui illud tranſmittet ad Judicem Laicum illum, coram quo cauſa civilis agitatur; ut notat Abbas, Farinac. &c.

30. Quæres primò: An quando oritur lis inter aliquod Collegium, vel Univerſitatem, & inter extraneum, ſuper re ad Univerſitatem pertinente, poſſit Univerſitas Teſtes idoneos adducere ex ſuo corpore? Nonnulli DD. reſpondent negativè; eò quòd tales Teſtes videantur teſtari in cauſa propria. Verùm alij communius reſpondent affirmativè; Ita Gloſſa, Farinac. Pirhing. Engel, Abbas, &c. Et ita colligitur ex *cap. inſuper 6.* Et *cap. cùm nuncius 12. hoc tit.* Et *cap. Chriſtus 26. in fin. de Jurejur.* in quibus dicitur, quod Clerici, & Religioſi poſſint teſtimonium ferre in cauſis ſuæ Eccleſiæ, vel Monaſterij, exceptis tamen illis, qui in tali caſu tanquam Procuratores ad agendum, vel definiendum deſtinantur: Eccleſiæ autem & Monaſteria veniunt nomine Univerſitatis: Ergo &c. Teſtes tamen de corpore alicujus Univerſitatis aſſumpti cenſentur non eſſe integræ fidei, & omni exceptione majores; adeoque unus ſolus non ſufficit ad ſemiplenè probandum, neque duo ſufficiunt ad plenè probandùm; uti advertit Menoch. Farinac. Maſcard. &c. nam hic aliqua ſaltèm affectio ineſt pro Jure Univerſitatis teſtificandi.

31. Ex dictis infertur: etiam Prælatum poſſe eſſe Teſtem in cauſa ſuæ Eccleſiæ, vel Monaſterij; nam & hic ſub Univerſitate Eccleſiæ, vel Monaſterij continetur; & quia *cap. cit. inſuper* generaliter loquitur, & non tantùm de Clericis, & Religioſis ſubditis. Limitationes tamen complures circa hoc corollarium vide apud Abbatem, Maſcard. Pirhing. Felin. & Farinac.

CAP. III.

De forma Teſtes producendi; & eoſdem recipiendi.

1. Nota primò: forma, & modus producendi Teſtes incipit à citatione eorundem ad Judicium, uti & adverſarij, ut is videat productionem legitimam Teſtium, & eorundem Juramentum; uti ordinatur *cap. 2. hoc tit.* & faciat ſuas oppoſitiones, ſi quas habeat contra perſonas Teſtium: poſſunt autem iſtæ oppoſitiones, & exceptiones etiam differri, uſque poſt receptionem Teſtium, *cap. ex parte 7. hoc tit.* Productio, ac depoſitio Teſtium non citatô adverſariô eſt nulla, *cit. cap. 2.* Quòd ſi autem adverſarius non compareat ad productionem dictam Teſtium; tunc producens Judici porrigat Articulos, ſuper quos deſiderat fieri examen Teſtiū; uti & Teſtium nomina. Si autem adverſarius compareat; nullas tamen faciat oppoſitiones contra perſonas Teſtium, eorum depoſitionem, vel examen, nec à Judice differantur oppoſitiones uſque poſt examen; tunc regulariter deinceps poſt illorum publicationē nihil

opponere amplius quoad hoc poteſt; quia tacendo uſque ad publicationem cenſetur renunciâſſe exceptionibus contra Teſtes, & conſenſiſſe in illos, *cap. qui tacet, de R. I. in 6.* Præterquam ſi proteſtetur, quòd ſibi reſervet Jus opponendi contra perſonas talium Teſtium alio tempore id, quod videbitur; vel ſi doceat poſt publicationem eorum demum exceptiones de novo perveniſſe ad ſuam notitiam; utì habetur *cap. præſentium 31. hoc tit.* vel ſi probet legitimè, ſe à Judice fuiſſe impeditum ab opponendo ante publicationem dictam; quo caſu facta publicatione adhuc opponere poteſt, ſecundùm Gloſſam.

2. Nota ſecundò: Poſtquam Teſtes producti ſunt coram Judice, & ab adverſario non inhabilitantur, iidem admitti debent à Judice ad ferendum teſtimonium: & is contra quem producuntur, poteſt, ſi velit, eidē Judici porrigere Interrogatoria ſua ſuper Articulis ſibi exhibitis, ſecundùm quæ deſiderat Teſtes à Judice interrogari ac examinari, *cap. præſentiū §. Teſtes, hoc tit. in 6.* Quæ ideo fiunt, ut ſi fortè Teſtes à producente eſſent ſubornati, id Judex mediantibus Interrogatorijs præfatis valeat deprehendere: & propterea Judex ea celare debet coram producente, nè aliàs ex eorum notitia prævia habita Teſtes inſtruat ad falſitatem. His ita obſervatis venitur ad examen Teſtium; circa quod

3. Dico primò. Teſtibus ante actum teſtimonij deferri debet juramentum, quod & præſtare tenentur tâliter, quòd nihil odiô, aut amicitiâ, aut favore, aut aliquo aliô commodô habitô, vel habendô inducti ſint ad teſtificandum; ſed amore ſolius veritatis moti id facturi ſint; quodque ſuper omnibus, de quibus interrogabuntur, prout noverint ſecundùm conſcientiam, ſint dicturi veritatem. Ita Vallenſ. Engel, Maſcard. & communis DD. Et ita conſtat ex *cap. quoniam 5. §. 2. hoc tit.* Et ex *cap. tuis quæſtionibus 39.* Et ex *cap. nuper 51. hoc tit.* Unde Teſtis non jurati depoſitio eſt invalida, & nihil probans in Judicio; utì conſtat ex *can. hortamur 20. cau. 3. q.* Et *cap. nuper cit.* Et *L. Jurisjur. 9.* Et *L. teſtium 18. C. hoc tit.*

4. Nota tamen tertiò: præfatum Juramentum, cùm reſpiciat favorem partis, pro qua teſtis producitur, & non publicam utilitatem, poteſt Teſti remitti conſenſu partium: prout plerumque remittitur perſonis illuſtribus, & Religioſis, aut in officio publico conſtitutis, per *text. cap. tuis quæſt.* & ibi Gloſſ. ver. *remittatur*: unde in pluribus locis conſuetudine introductum eſt, ut ſimiles perſonæ ſolùm ſub fide nobilitatis, vel ſtatûs, & officij ſui deponant.

5. Dico ſecundò: Teſtes præſtitô Juramento, vel eô remiſſiô regulariter examinandi ſunt a Judice. Ita communis DD. Et ita ordinatur in *Authen. ut defunctis &c. §. illud autem; collat. 5. nov. 60.* Idque ut poſſint à Judice terreri ad ferendum teſtimonium. Attamen circa hoc

6. Nota quartò: ſi perſonæ qualitas, aut ſexûs verecundia, aut abſentia, aut aliud impedimentum legitimum adſit, ita ut Judex in perſona Teſtes examinare nequeat; tunc is perſonam diſcretam locô ſui deputare poteſt, quæ excipiat teſtimonia eorum; ita ut examen in ſcripto ſibi deferatur; utì conceditur *cap. 8. hoc tit.* Et *L. Judices 18. C. de fide inſtrum.* Et moris etiam eſt, ut Notario cauſæ talis examinatio committatur, quod permittitur *Clement. 1. de offic. deleg.* Examen Teſtium in cauſa criminali Judex quidem ſemper ipſe præſtare jubetur, *Authent. apud eloquentiſſ. C. de fide inſtrum.* Verùm huic Legi pluribus in locis derogatum eſt conſuetudine cōtraria; ita ut in concurſu negotiorum alteri quoque committatur.

7. Dico tertiò: Teſtes ſinguli à Judice, vel ejus deputato examinandi ſunt ſeparatim, ſecretò, ac remotis litigantibus. Ita Vallenſ. Panorm. Pirhing. &c. Et ita ordinatur *cap. venerabili 52. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia ſi plures Teſtes ſimul examinarentur, periculum eſſet, quòd unus alterum inſtrueret, & dictum alterius ſequeretur: ſi etiam coram litigantibus examinarentur, periculum pariter eſſet, ne ob eorum metum, vel reverentiam vacillarent, variarentque.

8. Dico quartò: in examine Teſtium ſuper negotio gravi adhiberi debet poſſibilis diligentia, & exactitudo. Ita communis DD. Et ita ſtatuitur in *cap. cùm cauſam 37. hoc tit.* Conſiſtit autem iſta diligentia poſſibilis examinis *primò* in perſcrutando ipſo negotio geſto, ſeu cauſa principali, an ſciant geſtum eſſe: & Teſtes ſuper hoc rationem ſeu cauſam ſuæ ſcientiæ reddere tenentur; alioquin depoſitiones, ac dicta eorum non valebunt, nec fidem facient; utì conſtat ex *Authent. de Teſtib. §. & licet, coll. 7.* Et *can. ſi Teſtes §. ſola cauſa, cau. 4. q. 3.* Unde ſi agatur de re ſenſu externo perceptibili, dicere debent, quòd rem vel oculis, vel auribus &c. deprehenderint. Si verò agatur de re ſenſu externo non perceptibili v. g. quòd Claudius ſit Dominus agri hujus; tunc Teſtes aliam rationem, vel cauſam

ſuæ ſci-

Digitized by Google

ſuæ ſcientiæ afferre debent, etiam non interrogati. *Secundò*, debent Teſtes examinari de circumſtantijs loci, temporis, & alijs, pertinentibus ad facti declarationem, ut de fama, & relatione aliorum, ipſorumque Teſtium credulitate, vel certitudine; num credant, vel certi ſint rem geſtam eſſe, juxta *cap. cùm cauſam 37. hoc tit.*

9. Dico quintò: qui retrahunt à productione, vel quoduis aliud impedimentum faciunt Teſtibus, quominùs ipſi teſtimonium perhibeant veritati cenſurâ excommunicationis innodandi ſunt. Ita communis DD. Et ita dicitur in *cap. conſtitutis 45. hoc tit.*

10. Dico ſextò: regulariter tres duntaxat productiones Teſtium conceduntur, ſuper ijſdem articulis: ob rationabilem tamen cauſam, & legalem ſolemnitatem etiam quarta eorum productio concedi poteſt. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. in cauſis 15. hoc tit.* Et *cap. ultra 55. hoc tit.* Et eſt Ratio; quia effrænata Teſtium multitudo refrænari debet, ne ſub probationis prætextu lites nimiùm protrahantur, *cap. ſignificaverunt 36. hoc tit.* Et *cap. cùm cauſam 37. hoc tit.*

11. Dico ſeptimò; ad plenam probationem rei controverſæ regulariter ſufficiunt duo Teſtes, omni exceptione majores; & hoc tam in profanis, quàm in Eccleſiaſticis cauſis; tam in civilibus, quàm in criminalibus. Ita communis DD. Et ita conſtat ex S. Scriptura Deut. 17. & 19. Et Matth. 18. ibi, *in ore duorum vel trium Teſtium ſtabit omne verbum.* Et ex Jure Canonico *can. ſi Teſtes 3. §. ubi numerus; cau. 4. q. 2. & 3.* Et *cap. in omni 4. hoc tit.* Unde Teſtis unicus cujuſcunque ſit dignitatis, non facit plenam probationem, ita ut eâ ſolâ finiri poſſit controverſia mota, *cap. licet.* Et *cap. veniens hoc tit.* Facit tamen ſemiplenam probationem (ſi ſit omni exceptione major) & præſumptionem ad inquirendum, citandum, & torquendum Reum, ut notat Farinac. Laym. Durand. &c.

12. Dico octavò: Teſtes regulariter debent ſuum teſtimonium in loco Judicij edere vivâ voce; non verò ſcriptò. Ita Gloſſa, Turrecrem. Maſcard. &c. Ratio eſt; quia dum vivâ voce profertur teſtimonium, Judex meliùs obſervat, quo vultu, quâ conſtantiâ, vel trepidatione edant teſtimonium; non verò dum ſcriptò profertur; intereſt autem Judicis, ut præfatas circumſtantias obſervet. Et quia certiores efficimur per voces; quàm per literas, *can. 1.* ibi *donec os ad os loquamur, cau. 35. q. 8.*

13. Dico nonò: Teſtes de ſcientia ſunt omnium maximè idonei ad probandum factum, & duo talium plenè probant; non item Teſtes etiamſi plures de credulitate. Ita Gloſſa, Maſcard: Farinac. Ratio primi eſt; quia Teſtes de ſcientia ſunt illi, qui deponunt, ſe ſcire rem geſtam eſſe, eò quòd proprio ſenſu aliquo externo, v. g. viſu, vel auditu deprehenderint ſe vidiſſe v. g. Platonem mactantem, vel blaſphemantem, quod ſcientiam, & certitudinem generat: Ergo &c. Ratio ſecundi eſt; quia Teſtes de credulitate tantùm ſunt illi, qui deponunt ſe credere, rem ita ſe habere, quia ſcilicet illud à fide dignis audierunt: huic autem actui poteſt ſubeſſe falſitas: Ergo &c.

14. Dico decimò: Teſtes debent eſſe conteſtes, ut plenè probent; unde Teſtes ſingulares non ſufficiunt ad condemnandum Reum non confeſſum. Ita Farinac. Pirh. & communis DD. Et ita conſtat ex *cap. bona, de elect.* Et *cap. cùm dilectus 32. eod. tit.* Et eſt Ratio; quia Teſtis ſingularis eſt unicus; unicus autem non ſufficit ad condemnandum. Dicuntur autem illi Teſtes *ſingulares*, qui vel contraria, vel ſaltèm diverſa teſtantur: *conteſtes* verò dicuntur illi, qui ſunt concordes in teſtimonio eodem; ſeu qui idem factum atteſtantur.

15. Dico undecimò: Duo teſtes contrarij ex una parte producti nihil probant. Ita Farinac. Abbas, Maſcard. &c. Et ita colligitur ex L. *qui falsò 10.* junctâ Gloſſâ ver. *puniuntur.* Et eſt Ratio; quia unus alterius dictum infringit. Quod ſi verò inter tres Teſtes productos ex una parte duo ſint concordes de ſubſtantia negotij; tertius verò ſit contrarius; tunc numerus major Teſtium probat; ut obſervat Gloſſa, & Abbas: debilitatur tamen fides ex ſimilium Teſtium depoſitione. Si demum ſinguli, vel plures Teſtes diſcrepent tantùm de circumſtantijs facti, v. g. diei, horæ &c. conſentiant autem in ſubſtantia ejus; tunc tales Teſtes contrarij probant; juxta eandem Gloſſam, & Farinac.

16. Dico duodecimò: ſi contingat Teſtes pro parte Actoris productos deponere contraria ijs, quæ dicunt Teſtes pro parte Rei producti; tunc plures, æquè tamen idonei pro una parte producti ſuperant pauciores alterius partis; ac proinde ſi cætera paria ſint, cauſa adjudicanda eſt parti, quæ plures Teſtes pro ſe produxit. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. in noſtra 32. hoc tit.*

17. Dico decimotertiò: Quando Teſtes pro Actore, & Reo producti ſunt contrarij,

Digitized by Google

Judicis munus eſt, eoſdē conciliare (ſi poſſibile ſit) & ita interpretari eorum teſtimonia, ut non videantur contradictione laborare; ſed ſuper diverſos actus cadere, nè perjuriô ſint obnoxia. Ita Gloſſa, Pirhing. Abbas &c. Et ita dicitur *cap. cùm tu 16. hoc tit.* Quòd ſi verò contradictio ſit minùs aperta, ita ut benigna interpretatio fieri nequeat; tunc illa pars Teſtium, quorum teſtimonia reprobata ſunt ex juſtis cauſis, perjurij crimine & pœnâ mulctabitur; ut notat Gloſſa.

18. Dico decimoquartò: Teſtimonium Teſtis varij, id eſt aliter in uno Judicio, vel inſtantia; & aliud in alio Judicio, vel inſtantia deponentis, non valet. Ita Gloſſa, Abbas &c. Et ita conſtat per *arg. cap. per tuas 10. de Probat.* ubi dicitur; cùm nimis indignum, juxta legitimas ſanctiones, ut quod quiſque ſuâ voce dilucidè proteſtatus eſt, propriô valeat teſtimoniô infirmare. Et quia teſtis diverſa vel contraria deponendo illi, quod priùs dixerat, meritò redditur ſuſpectus, & perjurus; cùm juraverit ſe dicturum veritatem: & contraria ſimul vera eſſe non poſſint. Circa tamen hanc Concluſionem generalem, vide complures exceptiones apud Farinac Pirhing. Abbat.

CAP. IV.

De Publicatione Atteſtationum.

1. NOta primò: terminato examine Teſtium, admittendus eſt adverſarius ad faciendas exceptiones contra perſonas Teſtium adverſùs ſe productorum (ſi ante receptionem Teſtium ad eas faciendas non fuiſſet admiſſus) & poterit tunc ſuas exceptiones pariter Per Teſtes inſtituere. Similiter alteri parti (cujus Teſtes labefactantur) conceditur ad fidem talium teſtium enervandam producere rurſus alios Teſtes: ulteriùs verò Teſtium productio, & reprobatio non eſt permiſſa, utì conſtat ex *cap. licèt dilectus 49. hoc tit.* Et hoc eſt quod dici ſolet, Teſtes probatorios ſuper cauſa principali licet reprobare; & horum reprobatorios iterum reprobare: ſed reprobatorios reprobatoriorū reprobare amplius non eſt conceſſum; quia aliàs litigatores in infinitum progredentur in viciſſitudine probationum, vel reprobationum Teſtium; ſicque lites nimiùm protraherentur. His ita peractis, & conceſſis productionibus ternis vel quaternis tantùm Teſtium ſuper iiſdem articulis (ſi deſideratæ fuerint à partibus.) Judex Teſtium atteſtationes, dicta, ſeu teſtimonia ſecretè recepta, præſente utraque parte, vel alterâ abſente citatâ tamen, ſed contumace, publicabit interloquendo hôc, vel ſimili modô; *dicta Teſtium in hac cauſa publicamus, taq; pro publicatis, & apertis habere volumus*: hæc tamen publicatio non pertinet ad ſubſtantiam proceſſûs, unde ejus omiſſio non invalidat ſententiam latam; utì notat Vallenſ. Gailus, &c.

2. Nota ſecundò: Facta publicatione atteſtationum Judex earum copiam dabit litigantibus, cum termino competenti, intra quem eas examinare valeant, num pro ſe, vel contra ſe faciant *cap. in cauſis 15. & cap. ſignificavit 41. hoc tit.* & ut poſſint ſcriptô deſuper formare ſuas exceptiones contra eaſdem, ſi opus fuerit. Exceptiones porro fieri poterunt contra editas atteſtationes hæ, vel ſimiles ſi reverà adſint; ſcilicet, quòd vel Teſtes producti à parte contraria depoſuerint confusè, & obſcurè; ita ut veritas ex eorum depoſitionibus elici non poſſit, quò juvat *cap. cùm clamor 53. hoc tit.* obſcurum autem dictum pro non dicto habetur *L. de ætate, ff. nihil intereſt ff. de interrogat. action.* Vel quòd Teſtes producti ſint contrarij, contraria deponentes: Teſtis autem contrarij ſeu deponentis contrarium ſuæ priori atteſtationi abſque allegatione erroris præteriti vel alterius rationabilis cauſæ, teſtimonium eſt nullum, *L. 2. ff. hoc tit.* Et *cap. cum Eccleſia, de cauſ. poſſ. & propr.* Vel quòd Teſtes producti ſint ſingulares; qui regulariter non probant *can. nihilominus cau. 3. q. 9.*

3. Nota tertiò: poſt datam litigantibus copiam Atteſtationum, & ſecutis etiam deſuper exceptionibus adverſæ partis contra eaſdem, nequeunt ſuper iiſdem, vel directè contrarijs Articulis in eadem inſtantia, iidem, vel alij Teſtes produci, juxta *cap. fraternitatis 17. hoc tit.* ſicut nec quando ulteriori Teſtium productioni eſt renunciatum, *cap. intimavit 18. hoc tit.* Idque ob metum ſubornationis novorum Teſtium. Excipe, niſi is, qui alios Teſtes producere cupit, non poterat inſtrui ſufficienter ante publicationem factam atteſtationum, *L. ex tenore 36. hoc tit.* Vel quia atteſtationes publicatæ fuerunt in Judicio Summario; nam non obſtante tali publicatione, ſuper iiſdem Articulis, vel contrarijs adhuc alij produci poterunt in Judicio ordinario, *cap. veniens 38. hoc tit.* Vel quia Teſtes ab initio non fuerunt legitimè recepti, puta à Judice incōpetenti, vel ante litis conteſtationē; vel

Digitized by Google

vel ſi ſuper interrogatorijs non ſint examinati, vel non ſufficienter: uti patet ex *cap. per tuas 48. hoc tit.* Vel niſi ſit cauſa matrimonialis, in qua ſi dubitetur de valore matrimonij jam contracti ob impedimentum aliquod dirimens, etiam poſt publicationem atteſtationum, partium conſenſu alij adhuc Teſtes ſuper eodem, vel directè contrario articulo produci poſſunt; idque propter periculum animæ, & ad evitandum peccatum, ſi legitimè copulati ſeparentur; ut conſtat ex *cap. ſerius 26. hoc tit.* Vel niſi ſit cauſa criminalis, in qua ad oſtendendam innocentiam Rei ſimiliter admittuntur novi Teſtes facta jam publicatione atteſtationum, *L. unius 18. ff. de quæſt.* Vel niſi atteſtationes jam publicatæ fuiſſent obſcuræ, *cap. clamor 53. hoc tit.*

4. Nota quartò: ſi exceptiones contra perſonas Teſtium faciendas differantur usque poſt examen (uti fieri poteſt ex *cap. ex parte 7. hoc tit.*) tunc eædem regulariter fieri debent ante publicationem atteſtationum, *cap. præſentium 31. hoc tit.* ubi ponuntur etiam aliquæ limitationes hujus doctrinæ generalis. Exceptiones autem à Reo oppoſitæ contra Teſtium inhabilitatem ab Actore productorum ordinariè non impediunt receptionem eorundem, & examinationem, ſed quæſtio illa de inhabilitate in finem litis reſervari debet; uti conſtat ex *Authent. ſi teſtis C. hoc tit.* Præterquam ſi opponatur Teſti defectus notorius, ſive crimen publicum, quod in continenti probari poſſit; tunc enim talis Exceptio non reſervatur usque ad finem litis; ſed impedit Teſtium receptionem, & examinationem, juxta *cap. ex parte 7. hoc tit.*

5. Nota quintò: In ordine ad ritè condendas exceptiones contra perſonas Teſtium probatoriornm reprobatoriorum debent crimina objicienda, ac alij defectus opponendi, ſpecificè exprimi, & probari; & producens Teſtes reprobatorios reprobatoriorum debet præſtare Juramentum, quòd ad id malitioſè non procedat, *cap. præſentium 2. hoc tit. in 6.*

CAP. V.

De Teſtibus in Judicio Ordinis S. Franciſci.

1. NOta primò: circa Teſtes in Judicio Minoritico Conſtitutiones Generales Ordinis D. Franciſci de Obſerv. & Reform. ſalutariter ordinant, ut Prælati Judices nullô modô accuſantium, & Teſtium nomina Reis manifeſtent, etiam dum ad punitionem procedunt; niſi in oppoſitione alicujus criminis gravis, & infamatorij juſtitia periclitaretur: in tali enim caſu, ſi Reus petat, & accuſantium, & Teſtium nomina ei manifeſtari debent, ut contra eosdem excipere valeat; ita dicitur *cap. 7. n. 41.*

2. Nota ſecundò: Teſtium, uti & Reorum depoſitiones, in Judicio noſtri Ordinis per Notarium, à ſuperiore creandum vigore Indulti Apoſtolici, & Privilegia Apoſtolica, coram Prælato ſeu Judice excipiendæ ſunt; juxta Conſtitutiones Generales Ordinis modernas *cap. 10. ſ. 1. n. 8.* etiam cum illis barbaris nominibus, quibus ab eis proferuntur, ut notat *Practica Criminalis Ordinis.* Nec dicta Teſtium per dictum Notarium, ſeu Tabellionem debent dividi; nec quidquam ipſis addi, vel abſtrahi; aliàs is pœnâ falſarij puniendus erit, juxta *cap. 1. extra, de crimine falſi.*

3. Nota tertiò: Teſtes regulares in noſtro Franciſcano Judicio debent pariter eſſe jurati, ut probent; & non jurati non faciunt fidem; uti conſtat ex *cap. quoniam 5. de teſtibus, & atteſt.* Et *can. hortamur 20. cau. 3. q. 4.* Perſonæ tamen eminenti Ordinis poſſunt remitti, *arg. cap. tuis quæſt. de teſt. & atteſt.* Teſtes debent citari, ſeu à ſuperiore vocari; quia ultroneus Teſtis non eſt admittendus *cap. tuis.* Et *cap. nuper, de teſtib.* Et *L. jurand. C. de teſtib.*

4. Nota quartò: attendat Prælatus, vel alius Judex Ordinis, vel cui examen Teſtium committitur, ne faciat interrogatoria ſuggeſtiva, id eſt talia, quibus in interrogatione Teſti reſponſiones ſuggeruntur; aliàs proceſſus erit nullus, juxta *Practica Criminalem Ordinis.* Similiter attendat idem examinator Teſtium, nè omittat voluntariè facere interrogationes opportunas; vel aliqua dicta in favorem Rei non annotare; uti notatur *ibidem*; aliàs Juſtitia de facili periclitaretur. Teſtis regularis protervus, nolens fateri veritatem; vel irreverens, poteſt etiam per cenſuras, ac carceres cogi à Judice Minorita, ut ad interrogata reſpondeat Juridicè; uti habetur *ibidem.*

5. Nota quintò: Examinator legalis Teſtium in Ordine noſtro non oſtendat in examinando animum captioſum, & fallacem; ſed ad veritatem funditùs eruendam accommodatum; ita *Practica Criminalis Ord.* Incipiat autem ab univerſalibus, & levioribus, & non ſtatim ad immediata deveniat: quare poterit uti ijsdem circumſtantijs, quibus utuntur Confeſſarij, videlicet *quis, quid, ubi quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Ante examen graviter moneat Teſtem de obligatione,

quam habet ad dicendam veritatem; ac qualis DEO, Juſtitiæ, Judici, & proximo irrogetur injuria, quando veritas tacetur, ac mendacium in Judicio profertur; ita *eadem Practica.*

6. Nota ſextò: ſicut in alijs tribunalibus; ita quoque in Judicio Ordinis noſtri contra Reum non debent admitti pro teſtibus familiares, fautores, Procuratores, Advocati, Accuſatores, furioſi, ſuſpecti, id eſt qui non ſunt omni exceptione majores; item falſi, conſpiratores, calumniatores, inimici etiam non capitales, criminoſi, infames, & excommunicati; niſi priùs abſolvantur; & plures ſimiles, Jure communi inhabiles: ad defenſionem tamen inhabiles Teſtes admittuntur, quorum probationes Judicis regularis arbitrio remittuntur; ita notat *Practica Criminalis ordinis.*

7. Nota ſeptimò: Teſtis regularis varius (id eſt qui in eodem judicio circa factum principale, & ſubſtantialia deponit contraria & non edicit cauſam variationis) cenſetur proferre teſtimonium nullum, & tanquam falſus, ac perjurus eſt puniendus; uti obſervat *Practica Criminalis Ordinis.* Teſtes in eſſentialibus diſcordantes, ſi pro Reo adducti fuerint numerô pares adductis contra Reum, illi prævalent: ſi verò alios numerô, vel dignitate exceſſerint, ijs credendum erit; niſi pij, prudentisque Judicis præſumptio aliud ſuadeat: demum excedentibus his numerô, illis dignitate dignioribus erit credendum: uti habent Conſtitutiones Salmant. *cap. 10.*

8. Nota octavò: Regulares Teſtes conteſtes (id eſt in omnibus concordes de loco, tempore, facto circumſtantijs; etſi non in omnibus accidentalibus) plenam efficiunt probationem, & condemnant; uti conſtat ex *can. quod verò cauſ. 2. q. 5.* Et *cap. in omni negotio; de teſt.* Teſtis Minorita omni exceptione major (id eſt, cui nihil poteſt opponi, quique talis in dubio præſumitur, niſi aliud opponatur) facit ſemiplenam probationem, & legitimum judicium ad torturam; uti habet *Practica Criminalis:* & conſtat ex *L. admon. ff. de jurejur.*

9. Nota nonò: Religioſus Teſtis vacillans (id eſt qui in dicto non perſeverat; ſed illud revocat; vel revocatum affirmat dicendo; *ita eſt; imò non ita: & ibi erant; ſed non ibi: & hinc eos vidi tranſeuntes; imò illinc*) edit teſtimonium nullum; niſi tortura firmitatem vacillationi contulerit; uti conſtat ex *cap. cum cauſa; de cauſæ poſſ.* Et notat *eadem Practica.* Teſtis regularis cum dubio teſtificans (id eſt per verba *forſitan; mihi videtur; non bene recordor*) nihil probat. Religioſus deponens de credulitate proxima ſenſui, & actui v. g. de oſculis, tactibus &c. reſpectu fornicationis, probat delictum: ſecùs ſi de remota duntaxat deponat, v. g. ſi diceret, *credendum eſt Plautum fornicationem peregiſſe, quia vidi eum loquentem cum Plautilla;* ut notat *Practica Criminalis.* Aliàs abſolutè loquendo, deponens de credulitate, non probat *can. relatum. cau. 5. q. 2.* Et *L. teſtium Cod. de teſt.*

10. Nota decimò: in Minoritico Judicio Teſtes ſingulares (id eſt ſuper diverſis delictis deponentes; v. g. ſi unus de uno loco percuſſionis Clerici, alter de altero deponat; vel unus de uno tempore, alter de altero, quo aſſerit eam contigiſſe) ſimiliter non probant; uti conſtat ex *cap. licet de probat.* Faciunt tamen ejusmodi Teſtes indicium ad torturam, ad ſemiplenam probationem; ſi ſuper facto deponant, non ſuper indicio; ut notat Abbas, Farin. & Sanctor.

TITULUS XXI.

DE TESTIBUS COGENDIS; VEL NON.

CAP. I.

Qui Teſtes poſſint cogi ad teſtificandum; & quando.

1. NOta primò: ſolet quandoque evenire, ut Teſtes etſi legitimè citati ad teſtimonium ferendum non compareant, aut ſe ſubtrahant odiô, gratiâ, timore vel alia ſimili cauſa; quare *hic tit.* proponitur tanquam acceſſorius ad priorem, in quo de talium Teſtium coactione, & non coactione agitur.

2. Dico primò: ſi Teſtes authoritate publica Judicis citati comparere renuant, aut tametſi compareant, attamen ferre teſtimonium re-

tum reluctantur; tunc per ordinarium Judicem ad id compelli poſſunt in cauſis pecuniarijs, & civilibus. Ita Vallenſ. Gail. & communis DD. Et ita habetur *cap. 1. & 6. hoc tit.* Et *L. ſi quando 19. cum Authent. ſeq. Cod. de Teſtib.* Et Ratio eſt: quia teſtimonium ferre expedit propter publicam neceſſitatem, & utilitatem, ne ſcilicet veritas occultetur in alicujus præjudicium, & malus ut bonus æſtimetur. *can. 2. cau. 14. q. 2.* Et quia teſtimonium ferre muneris eſt publici, ad quod etiam quis invitus poteſt compelli, *L. cùm ab initio*; & ibi Gloſſa verb. *cogat.* Et *L. ſed ſi quis ff. quemadmod. teſtam. aperian.*

2. Nota ſecundò: Teſtes renuentes comparere & teſtificari, compellendi ſunt, ſecundùm fori qualitatem: unde quandoque coguntur captis, & ablatis pignoribus; quandoque mulctæ indictione *arg. L. 1. ff. de inſpiciendo ventre.* Aliquando cenſurâ Eccleſiaſticâ Excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti; vel planè depoſitionis, creſcente contumacia, ſi teſtaturi ſint Clerici, *cap. 1. 2. & 5. hoc tit.*

CAP. II.

Qui Teſtes non poſſint cogi ad Teſtimonium.

1. Dico primò: Nequeunt Teſtes etiam Laici regulariter compelli ad ferendum teſtimonium in cauſis criminalibus, in quibus agitur de pœna mortis, vel mutilationis membrorum. Ita Abbas, Imola, Farinac. Pirh. & communior Canoniſtar. contra Vallenſ. Zoeſ. Hoſtienſ. &c. Et ita colligitur ex *cap. dilectorum 10. hoc tit.* ibi, *præterquam ſuper criminibus.* Et eſt Ratio; quia valde inhumanum eſt, ad pœnam mortis, vel mutilationis membrorum teſtando cooperari. Et quia denegando teſtimonium in cauſa criminali nemini procuratur nocumentum: aliunde verò laudabile eſt ſubvenire exiſtenti in periculo graviſſimo; quod fit celando veritatem per ſubtractionem teſtimonij petiti. Si tamen crimen foret perniciosum Reipublicæ, cenſeo cum Juris-Conſultis oppoſitis Laicos Teſtes poſſe compelli ad ferendum etiam in cauſa criminali teſtimonium: & ita videtur colligi ex *cap. pervenit.* Et *cap. ſuper his hoc tit.* Et quia expedit Reipublicæ, ne crimina pernicioſa maneant impunita, *cap. ut famæ 35. de ſent. excom.* Unde *cap. venerabilis 11. hoc tit.* jubentur compelli Teſtes ad teſtificandum in crimine pernicioſo conjurationis ſubditorum contra Prælatum.

2. Nota primò: quòd plures perſonæ etiam in civilibus cauſis excipiantur à compulſione ad ferendum teſtimonium: quæ paſſim enumerantur in *L. inviti 19. de Teſtib.* partim in alijs Legibus, & Canonibus. Et *imprimis* nequeunt compelli ad teſtificandum parentes contra Liberos; imò nec volentes admitti debent *L. parentes 6.* junctâ Gloſſâ, verb. *adversùs ſe C. de Teſtib.* Et ſub nomine Parentum, & Liberorum intelliguntur omnes aſcendentes, & deſcendentes in infinitum in paterna, & materna linea; ſecundùm Gloſſam. Statur tamen dicto parentum quoad profeſſionem ſtatûs, ingenuitatis, & ætatis *L. etiam ff. de Probat.* Et quia talis res ipſis maximè nota eſt. *Secundò*, cogendi non ſunt affines illi, qui ſibi inſtar parentum, vel liberorum ſunt; imò nec volentes ad teſtimonium dandum admittendi ſunt; tales ſunt ſocer, & ſocrus; gener & nurus; vitricus, & noverca; privingnus, & privingna; &c. uti conſtat ex *L. in Lege 4. ff. de Teſtib.* *Tertiò*, nec compellendi ſunt liberti contra Patronum; & vice verſa Patroni contra libertos, *cit. L. 4.* *Quartò* ſed nec cogi poteſt ſponſus filiæ contra patrem ſponſæ *L. in legibus 5. ff. eod.* *Quintò*, nec uxor contra maritum; aut vice verſâ, ſecundùm Farinac. Pirh. &c. *Sextò*, ſimiliter Clerici, & Religioſi non poſſunt adigi à Judice laico ad teſtificandum in quacunque cauſa, etiam civili tantùm, *can. ſtatutum 38. cau. 2. q. 6.* *Septimò*, ſed nec ſenes, qui ſcilicet ſunt majores 70. annis compelli poſſunt, ut fiant Teſtes, *L. inviti 8. de Teſtib.* Nec valde valetudinarij, & morbô detenti, *cit. L. 8.* Poſſent tamen tales in loco, ubi decumbunt, adigi ut coram juratis perſonis ſubmiſſis teſtimonium edant. Nec milites, & Reipublicæ cauſâ abſentes, *cit. L.* *Octavò* Sacerdos nec quidem à Sum. Pontifice adſtringi poteſt, ut ſecreta confeſſionum revelet, ex quibus teſtimonium capi poſſet: Ratio eſt, quia is peccata non ſcit ut homo; ſed ut Vicarius DEI. *Nonò*, Teſtes ſynodales, id eſt publicè coram Ordinario teſtantes, poſtquam teſtimonium dederunt ſuper cauſa matrimonij, vel alia; deinde autem talis cauſa delegetur alicui Judici, non poſſunt compelli, ut coram eo rurſus teſtentur in eadem cauſa; niſi Judex cauſam cognoſcere nequiret; vel novus articulus quæſtionis emergeret, *cap. præterea 7. hoc tit.* *Decimò*, nec Vaſallus contra ſuum Dominum feudi poteſt cogi, ut deponat, *cap. 1. §. item ſi delator 2. Feud. tit. 24.*

3. Nota

3. Nota ſecundò: ſi tamen deſint alij Teſtes, nec veritas occulta aliter poſſit indagari; tunc pleræque *in priori notab.* exemptæ, & privilegiatæ perſonæ (Clericis exceptis, ob forum non competens) à Judice ſæculari adigi poſſunt ad teſtimonium ferendum: Ratio eſt, quia id exigit publica utilitas, & veritatis eruendæ favor: unde in ſimili caſu ceſſat privilegium præfatis perſonis à Jure datum. Imò & Clerici tunc compelli poterunt in re gravi, ad teſtandum; ſed per ſuum Judicem Eccleſiaſticum.

TITULUS XXII.

DE FIDE INSTRUMENTORUM.

CAP. I.

De quidditate, & uſurpatione Inſtrumenti.

1. Nota primò: altera Probationum Judicialium ſpecies eſt Inſtrumentum, de quo *hoc tit.* Secundùm Etymologiam nominis Ly *Inſtrumentum* deſcendit ab *inſtruendo L. 1. ff. hoc tit.* eò quòd per illud res inſtruatur. Triplex autem eſt uſurpatio hujus vocis *Inſtrumentum*. *Primò* enim accipitur latiſſimè pro omni illo, quô res aliqua inſtruitur; hoc ſenſu in fundo inſtructo inſtrumenta vocantur aratra, ligones, ſcalæ, ſcopæ, & alia *L. inſtrumenta 8. ff. de fundo inſtructo.* *Secundò* uſurpatur generaliter pro omnibus, & ſolis illis rebus, quibus aliqua cauſa, vel lis & Judex in Judicio poteſt inſtrui; hoc ſenſu omnis ſcriptura, omnisque alia probatio, imò etiam Teſtes in Judicio deponentes, Inſtrumenti nomine veniunt *L. 1. ff. hoc tit.* *Tertiò* ſumitur rigoroſè, & ad propoſitum *hujus Tituli*, pro ſola ſcriptura, & quidem qualibet, quæ illius rei, quam continet, fidem facit Judici, & cauſam inſtruit; ut notant omnes Interpretes hìc. Unde

2. Dico primò: benè deſcribitur Inſtrumentum (de quo hìc) quòd *ſit ſcriptura quædam à partibus litigantibus allata ad cauſam inſtruendam, probandamque, ac fidem faciendam Judici.* Ita Hoſtienſis, Abbas &c. Ly *ſcriptura* eſt genus: reliqua collocantur pro differentia. Sunt autem Inſtrumenta alia publica; alia privata *L. 5. C. de Probat.* Circa Publica

3. Nota ſecundò: Inſtrumentum publicum rectè deſcribitur, quòd *ſit aliqua ſcriptura, quæ authoritate publica, ſeu à publica perſona, Notario ſcilicet, & cum debita forma, ac ſolemnitate eſt confecta.* Ita conſtat ex *Novell. 73. de fide Inſtrumenti. cautela, & fide.* Inſtrumentum autem privatum ſic rectè deſcribitur, quòd *ſit ſcriptura aliqua, quæ privata authoritate, ſeu à perſonis privatis, non autem à Notario, & abſque forma, & debita ſolemnitate eſt confecta.* Ita conſtat ex *L. Inſtrumenta C. de Probat.* ubi Inſtrumenta privata vocantur *domeſtica*. De utriſque pono ſequentia cap.

CAP. II.

De Inſtrumentis publicis.

1. Nota primò: Non eſſe ſynonima hæc duo Inſtrumentum publicum quoad formam, ſeu ſolemne; & Inſtrumentum authenticum; ſed habent ſe ſicut ſuperius, & inferius: nam etſi omne Inſtrumentum publicum ſit authenticum; non tamen vice versâ. Itaque *publicum Inſtrumentum* dicitur illa ſcriptura, quæ à publica perſona, ſcilicet Notario cum requiſitis ſolemnitatibus eſt confecta, & authoritatem probandi habet. *Authenticum* verò *Inſtrumentum* dicitur illa ſcriptura, quæ ex ſola appenſione ſigilli authentici alicujus perſonæ in dignitate, vel magiſtratu conſtitutæ authoritatem probandi habet; uti notat Gloſſa, in *cap. 2. hoc tit.*

2. Nota ſecundò: Inſtrumentum publicum in rigore tale partitur primò in Inſtrumentum publicum Judiciale, & extrajudiciale. *Primum* eſt, quod conficitur à Notario apud acta, & in Judicio, authore Judice, ut notat Vallenſ. *Secundum* eſt, quod ab eodem Notario ad hoc rogato conficitur extra judicium, & abſente Judice; uti contingit in contractibus quibuſdam.

3. Nota tertiò: Idem Inſtrumentum publicum dividitur ſecundò in Originale, ſeu authenticum; & in Exemplar. *Originale* ſeu *authenticum* dicitur illa principalis ſolemnis ſcriptura authentica, quæ primitùs eſt legaliter confecta circa aliquam rem. *Exemplar* ſeu *Vidimus* eſt illa ſcriptura, quæ ex Originali Inſtrumento deſcribitur, ſive id

fiat

Digitized by Google

ſiat manu publica, ſive privata: hæc etiam dicitur *Copia*.

4. Nota quartò: Rurſus tertiò Inſtrumentum publicum aliud eſt Protocollum; aliud tranſumptum; & aliud ſcripturæ archivales, ſeu monumenta Archivi. *Protocollum* dicitur ille liber, in quo ſummariè, ac ſuccinctè annotantur actiones, exceptiones, confeſſiones, probationes, appellationes partium litigantium, depoſitiones Teſtium, interlocutiones, & ſententiæ Judicis *L. fin. ff. de re judic.* hoc debet manu Notarij publici jurati, vel alterius Conſiliarij Judicialis in eodem tribunali aſſiſtentis, eſſe conſcriptum. *Tranſumptum* eſt Inſtrumentum authenticum, & Originale ex præfato Protocollo compoſitum, plenè, extensè, & cum ſolemnitatibus conſcriptum. *Archivales ſcripturæ* ſunt omnis generis ſcripturæ, quæ authoritate Judicis, vel Principis, vel alterius Jus Archivi habentis, fideliter conſcriptæ ſunt, & in Archivo reconditæ pro futura memoria rerum geſtarum. Jus Archivi competere ſolis Prælatis Eccleſiaſticis majoribus, puta Epiſcopis; & ſimilibus; uti & ſolis Dominis temporalibus, qui in ſuis Territorijs Jura Imperij, & Regalium exercent, docent communiter DD. Porrò ut Archivales ſcripturæ ſuam ſtabilem fidem mereantur, debet Archivum ſemper eſſe ſub cuſtodia alicujus fidelis Officialis, qui olim appellabatur *Commentarienſis*; hic ſimul in productione ſcripturæ alicujus atteſtari debet, quòd ſcriptura producta in Archivo, ſeu Cancellaria, inter alia inſtrumenta authentica fuerit aſſervata; uti advertit Tuſchus, &c.

5. Nota quintò: præter Inſtrumenta publica, ſolemnia, & quæ quoad formam dicuntur talia, extare adhuc alia complura, quæ quoad effectum probandi quoque dici poſſunt publica; ſeu potius *Authentica* (eò quòd authoritatem probandi obtineant) & ſunt illa, quæ licèt non conficiantur à Notario, & cum omni legali forma; probant tamen plenè, acſi confecta eſſent modô prædictô. Et hujus generis ſunt ſequentia: *Primò*, acta Judicialia, ſeu ſcripturæ, quæ apud acta publica Judicij ſunt confectæ, *L. 2. C. de edendo*. *Secundò*, ſcripturæ ex Archivo publico deſumptæ, *Authent. ad hæc C. hoc tit.* *Tertiò*, ſcripturæ munitæ ſigillô authenticô alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ, ut Epiſcopi vel Cardinalis, cui fides adhibenda, donec contrarium probetur, *cap. poſt ceſſionem 7. de probat.* vel ſigillô authenticô Principis ſæcularis, vel Capituli roboratæ *cap. Tertiò loco 5. de Probat.* vel ſigillô authenticô civitatis, univerſitatis, vel alterius communitatis Jus ſigilli habentis ſignatæ, *cap. 2. hoc tit.* Debet autem ſigillum, ut probet, eſſe integrum, & notum; non verò corruptum & incognitum, *cap. inter dilectos 6. hoc tit.* Inſuper debet ipſemet Epiſcopus, vel Princeps ſæcularis, vel Capitulum, vel Magiſtratus eſſe ſubſcriptus. *Quartò*, ſcripturæ etiam privatæ, quæ publicantur interveniente authoritate Magiſtratûs, ſeu Judicis; v. g. dum præſente Judice aperiuntur teſtamenta, codicilli, vel aliæ tabulæ, *L. publicati 6. de teſtam.* *Quintò*, ſcripturæ habentes ſubſcriptionem ſcribentis, & aliquot teſtium, *L. ſcripturas 11. C. qui potiores in pignor. habent.* Et *cap. 2. hoc tit.* Ex his

6. Nota ſextò: variæ requiruntur conditiones adintegrantes formam debitam, & ſolemnitatem alicujus Inſtrumenti, ut cenſeatur eſſe publicum ſolemne: *Prima* eſt, (uti patet ex jam data deſcriptione ſupra) ut confectum ſit à perſona publica, quæ ſcilicet eſt Notarius, ſeu Tabellio *L. orphanotropos 31.* junctâ Gloſſâ, verb. *Tabularis Cod. de Epiſcop. & Cleric.* Creandi autem poteſtatem hujusmodi perſonas publicas Notariorum, & Tabellionum habet Summus Pontifex, Imperator, Rex, vel alius Princeps ſupremus; & qui ab his ſpeciale privilegium creandi Notarios obtinent; cujusmodi ſunt, qui *Comites Palatini*, vulgò vocantur. Ex recepta etiam conſuetudine Principes inferiores, Epiſcopi, Domini territoriales, imò & Civitates Imperiales, reſpectivè ad ea, quæ pertinent ad ſuam juriſdictionem, Notarios creare, & conſtituere valent, arg. *cap. cùm dilectus 9. hoc tit.* Et tenet Abbas, Sylveſt. Pirhing. Joann. Andr. &c.

7. Nota ſeptimò: non quævis autem perſona; ſed certis conditionibus ornata duntaxat poteſt creari, & conſtitui Notarius legitimus. Et *primò* is debet eſſe non innodatus cenſurâ Excommunicationis; cùm omnis talis arceatur ipſô Jure ab actibus publicis, cujusmodi eſt munus Notarij. *Secundò*, debet eſſe Laicus; nam Clericis interdictum eſt munus Tabelliatûs, *cap. ſicut 8. ne Clerici, vel Monachi.* *Tertiò*, debet eſſe Juris Peritus, & ſcire ea, quæ ſuum officium concernunt; uti habet communis DD. *Quartò*, debet eſſe liber; non autem ſervus; uti habent DD. communiter. *Quintò*, debet eſſe legitimô matrimoniô natus; ut habet Sylveſt. &c. DD.

8. Nota octavò: Num Notarius Pontificius extra terras proprias, ac Eccleſiæ Romanæ ſubjectas; & Cæſareus extra provincias Imperij Romani, poſſit conficere legitima Inſtrumenta, diſceptant DD. Ego puto in hoc puncto conſuetudinem introductam provinciarum attendendam eſſe; num ea Notarios extranei Principis admittat ad legitimè conficienda Inſtrumenta; nec ne: cùm Jure circa hoc nihil expreſſum reperiatur.

9. Nota nonò: *Secunda conditio* ad publicum Inſtrumentum requiſita eſt; ut in eo præmittatur ſcripta Invocatio Divini Numinis, his vel ſimilibus verbis, *In nomine Domini amen.* Vel his; *In nomine Sanctiſſimæ Trinitatis amen*; utì notant DD. communiter. Si tamen hujuſmodi Invocatio omitteretur, non vitiaretur ſubſtantialiter Inſtrumentum; cùm nullo expreſſo Jure præſcribatur hujuſmodi Invocatio; utì advertit Abbas, &c. *Tertia* eſt, ut ponatur in Inſtrumento annus Domini, in cujus decurſu erigitur Inſtrumentum: utì habet Gloſſa, & communis DD. Item annus regnantis ſupremi Principis; ut habet communis pariter DD. *Quarta* eſt, ut Indictio apponatur, *can. in nomine Domini 1. diſt. 25.* Eſt autem *Indictio* ſic dicta ab *indicendo*; & ſignat trinam exactionem tributi, *tot. tit. Cod. de Indict.* quæ tribus continuis luſtris, ſeu quinquennijs fieri ſolebat à Cæſare Auguſto: exactis autem tribus luſtris, ſeu annis 15. à capite rurſum incæpit exactio, ſcil. Indictiò nova. *Quinta* eſt, ut apponatur menſis, & dies, in quo Inſtrumentum fit; ita Durand. & Pirh. item locus nominandus eſt, v. g. in tali caſtro, civitate, & domo; utì notant citati DD. *Sexta* eſt, ut etiam duo, vel tres teſtes interſint confectioni inſtrumenti, & in eo nominentur. *Septima* eſt, ut Tabellio manu propriâ ſuum nomen, & cognomen ſubſcribat in eo, & quod rogatus fuerit ab illo, vel illis, à quorum conſenſu actus dependet; utì notat Durand. Abbas, &c. *Octava* eſt, ut ſigillum ſolemnis Notarij tunc apprimatur; ut habet Covarr. Abbas &c. Et ſi contractus ſit, prælegatur partibus. Præfatæ conditiones etiam habentur partim in *Novella 73.* partim verò ex communi Curiarum uſu ſunt deſumptæ; & eædem ex Conſtitutione Maximiliani I. Imperatoris edita in Comitijs Colonienſ. *anno 1512.* promulgata, videntur in neceſſitatem legis traductæ; ut notat Engel.

10. Dico primò: Inſtrumentum publicum ſolemne, & ſecundùm præfatam formam confectum, ſi originaliter ſeu authenticè producatur, facit plenam fidem. Ita Abbas, Durand. Zoëſ. Et colligitur ex *cap. 1. hoc tit.* Et *cap. ſcripta 2. hoc tit.* Et quia publica authoritas facit præſumi de ejus veritate, & ſolemnitate, *L. optimam 24. C. de contrah. & committ. ſtipulat.*

11. Dico ſecundò: Inſtrumentum publicum, vulgò *Protocollum* dictum, facit plenam fidem de actis, quando partibus rogantibus authenticè producitur. Ita Abbas, Imola &c. Ratio eſt; quia cùm Inſtrumentum publicum, ſeu Tranſumptum ex Protocollo, ceu fonte tractum, & confectum plenam fidem faciat; pari ratione & ipſum Protocollum ſimilem fidem gignet; juxta illud commune dictum Philoſophi; *propter quod unum quodque tale; & ipſum magis tale.*

12. Dico tertiò: ſimiliter Inſtrumentum illud publicum, quod dicitur *Exemplum*, ſeu *Copia*, & *Vidimus* ex vero Originali deductum authoritate Judicis, eandem fidem facit, quam ipſum Originale, & eandem vim probandi habet. Ita communis DD. Et conſtat ex *cap. ſi inſtrumenta 16. hoc tit.* Si autem *Copia* ſeu *Exemplum* non ſit conſcriptum Judicis authoritate, regulariter non probat abſque exhibitione Originalis; utì conſtat ex *cap. 1. hoc tit.* Niſi ſit ab ipſomet Notario deſcriptum; ut notat Bartol. & Felin.

13. Dico quartò: Inſtrumentum authenticum, non quidem ſolemniter à Notario confectum; ſed tamen ſigillô publicô Epiſcopi, vel Principis ſæcularis, vel Capituli, vel Univerſitatis, vel Magiſtratûs roboratum, facit fidem, & plenè probat in rebus ad eorum Juriſdictionem, vel officium pertinentibus. Ita habet Gloſſa, Pirhing. Felin. &c. Et dicitur *cap. 2. hoc tit.* ibi, *aut authenticum ſigillum habuerint.*

14. Dico quintò: ſimiliter ſcripturæ Archivales ex Archivo publico legitimè deſumptæ cum atteſtatione Commentarienſis faciunt fidem. Ita Engel &c. DD. Et conſtat ex Authentica *ad hæc C. hoc tit.*

CAP. III.

De Inſtrumentis privatis.

1. Nota primò: Variæ ſunt ſpecies Inſtrumentorum privatorum, ſeu chirographorum; principales ſecundùm Bart. numerantur ſequentes; Apocha, Syngrapha, An-

Digitized by Google

pha, Antapocha, liber rationum, & Epiſtola. *Apocha* (idem eſt quod *receptio*) deſcribitur, quòd *ſit ſcriptura à Creditore debitori ſolita dari, quâ debitor fatetur ſe recepiſſe pecuniam, ſibi ab eo debitam*: de hac agitur in *L. acceptilatum ff. de acceptilat.* *Syngraphia* deſcribitur quòd *ſit ſchedula, manu propriâ eorum facta, qui paciſcuntur in alicujus rei fidem.* *Antapocha* deſcribitur, quòd *ſit privata ſcriptura, quam debitor creditori de ſolutis facit, & tradit*; cujus uſus eſt in penſionibus, & præſtationibus annuis, ad impediendam præſcriptionem exemptionis à ſolutione; ſolet autem his, vel ſimilibus verbis confici, *fateor me tantùm penſionis, aut uſurarum nomine ſolviſſe*; uti notat Vallenſ. hìc. *Libellus rationum* deſcribitur, quòd *ſit illud regiſtrum, in quo quis ſponte annotat debita, & eorum ſolutiones*; de hoc agitur *L. rationes C. de Probat.* *Epiſtola* deſcribitur, quòd *ſit privata ſcriptura, ſocio, vel alteri miſſa*; ſeu quòd *ſit quædam litera miſſiva.*

2. Dico primò: generaliter loquendo Inſtrumentum privatum, ſeu chirographum, etſi manu propria ſcribentis exaratum ſit, ſi careat trium Teſtium ſubſcriptione, ſigillô, vel adminiculô, nihil probat pro ſcribente. Ita Maſcardus, Pirhing. & communis DD. Et habetur *L. Inſtrumenta 5. ff. de Probation.* Et *L. ſcripturas C. quis potiores in pignor.* Et *cap. cùm à nobis. de Teſt. in fin.* Et quia ſimile Inſtrumentum non eſt ſcriptura authentica, vel publica; adeoque omni vi probationis deſtituta. Et quia aliàs utique periculum foret, ne aliquis plurima in ſui favorem, & aliorum præjudicium ſcriberet, & annotaret *L. exemplo 7. C. de Prob.*

3. Nota tamen ſecundò: Inſtrumentum privatum probare pro ſcribente in ſequentibus caſibus. *Primò*, ſi ſit ſubſcriptum à tribus Teſtibus, *cap. 2. hoc tit.* Nam tunc quaſi publicè confectum cenſetur, *L. ſcripturas Cod. qui potior. in pignor.* *Secundò*, ſi ejuſmodi Inſtrumentum in Judicio longo tempore obſervatum fuerit, & pro vero ſæpiùs agnitum, & exhibitum; ut notat Vallenſ. *Tertiò*, ſi habeat aliqua fomenta, vel adminicula, à quibus authenticum evadit; puta quia illud ſcribens eſt vir bonæ opinionis, ac famæ, & ſolitus ſemper ſcribere veritatem: vel quòd ſit legalis; vel ſummâ præditus integritate, & ſcriptura contineat ſimilia; ut notat idem Vallenſ. *Quartò*, ſi ſit Juramentô confirmatum: idem Vallenſ. *Quintò*, ſi approbetur ab ipſomet adverſario, non obſtante carentiâ teſtium ſubſcriptorum, *L. publica 26. in fin. ff. depoſiti.*

4. Dico ſecundò: Inſtrumentum privatum probat plenè contra ipſum ſcribentem, ſi de ſcriptura conſtet ex confeſſione ſcribentis, vel aliunde; & cauſa debiti in eodem ſit expreſſa, ex qua petitur, v.g. ex empto, locato, &c. Ita Zoëſ. Vallenſ. &c. Et conſtat ex *L. publica 26. ff. depoſiti.* Et *cap. ſi cautio 14. hoc tit.* Quòd ſi verò cauſa debiti in eo non ſit expreſſa; tametſi per confeſſionem ſcribentis conſtet de ſcriptura; attamen nonniſi ſemiplenè probat, *cit. cap. ſi cautio.*

5. Nota tertiò: Regiſtra Tutorum, negotiorum Geſtorum, Procuratorum, & ſimilium faciunt fidem accedente Juramento: utì notat Engel. Similiter Mercatorum Libelli rationum, ſeu Regiſtra de conſuetudine inter ipſos Mercatores plenè probant, ſi Juramentô ſcribentis confirmentur; utì notat Zoëſ. Dummodò adſint ſequentes circumſtantiæ; *Prima*, ut producens librum ſit vir bonæ fidei; *Secunda*, ut rationes propria manu ſcripſerit; utì conſtat ex *L. generaliter Cod. de non numer. pec.* *Tertia*, ut cauſam debiti appoſuerit; *Quarta*, ut Regiſtrum contineat data, & accepta *L. publica ff. depoſiti.* Quas circumſtantias, & alias probitatis, & integritatis Mercatoris producentis regiſtrum atteſtatorias, attendet prudens Judex, & exinde advertet, quantum fidei mereatur ejuſmodi regiſtrum; Ita Gail. Menoch. Zoëſ. &c.

6. Nota quartò: Epiſtola probat contra ſcribentem; non pro ſcribente, juxta Menoch. & Pirhing. Modò conſtet ab illo eſſe ſcriptam: quod ſi hoc negetur, probari poteſt per collationem cum ſcriptura alia ejuſdem ſcribentis, & per teſtes, qui præſentes fuerunt ſcriptioni tali. Apocha non ſubſcripta à partibus & teſtibus facit plenam fidem contra ſcribentem confeſſum; pro ſcribente nihil probat: ſubſcripta verò à partibus & teſtibus probat etiam pro ſcribente *cap. 2. hoc tit.* Vel ſi producatur ex Archivo publico, ubi ſcripturæ authenticæ obſervari ſolent.

CAP. IV.

De editione Inſtrumentorum; & exceptione contra ea; ac alijs.

1. DIco primò: Inſtrumenta regulariter edi debent in Judicio poſt litem conteſtatam, ſemper quouſque cauſa eſt concluſa. Ita Gloſſa, Felin. Vallenſ. &c. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *cap. cùm dilectus 9. hoc tit.*

2. Dico ſecundò: Poſt concluſionem autem cauſæ, ſeu latâ ſententiâ definitivâ, nulla ampliùs Inſtrumenta produci poſſunt. Ita Vallenſ. Gloſſa, Pirhing. &c. Et ita patet *arg. cap. Paſtoralis 5. in fin. de cauſ. poſſ. & propr.* Et *cap. cit. dilectus.* Et eſt Ratio; quia per concluſionem regulariter cenſetur in cauſa renunciatum omnibus alijs Probationibus. Et quia facta concluſione cauſæ cenſetur de cauſa liquere, nec poteſt aliquid in cauſa mutari, *cap. auditis 8. de Procurat.*

3. Nota tamen primò: aliquos caſus exceptos à priori regula generali: *Primò,* ſi producens nova Inſtrumenta fidem faciat juramentô, ſe primò poſt cauſæ concluſionem obtinuiſſe nova Inſtrumenta, factâ etiam priùs diligenti inquiſitione *cap. Paſtoralis, de except.* *Secundò,* quando Judex rationabili de cauſa reſcindit concluſionem cauſæ, & ulteriores probationes injungit partibus, *cap. cùm Joannes 10. hoc tit.* *Tertiò,* in cauſa matrimoniali, in qua ſententia lata contra Matrimonium nunquam tranſit in rem judicatam, *cap. lator 7. de re judicata.* *Quartò,* in cauſa etiam appellationis poſſunt produci illa Inſtrumenta, quibus obſtabat concluſio in priori inſtantia, *L. per hanc Cod. de tempor. appellat.* Vide plures caſus exceptos apud Felin. Pirhing. &c. De editione Inſtrumentorum ad petitionem alterius partis litigantis, vide quæ dixi ſupra *tit. 19. cap. 4.* Circa Exceptiones circa Inſtrumenta.

4. Nota ſecundò: Inſtrumenta ex multiplici capite poſſe impugnari, ſeu contra eorum valorem excipi: *Primò,* quòd tale Inſtrumentum productum non habeat ſolemnitates requiſitas, puta indictionem, annum, menſem, diem, teſtes, locum, nomen, & ſubſcriptionem Notarij; vel quòd non ſit ritè publicatum: ut notat Weſenbec. Pirhing. Dur. &c. *Secundò,* quòd factum ſit ſuper re illicita; vel à perſona inhabili, quæ non fuit Notarius; ut notat Bald. Pirhing. Hiltr. *Tertiò,* quòd falſum contineat *L. 2. & 3. Cod. hoc tit.* *Quartò,* quòd talis ſcriptura, vel privilegium ſit vetuſtate conſumptum, cancellatum, vel deletum, ita ut amplius legi nequeat: vel quòd non ſit debitô modô ſigillatum; vel ejus ſigillum adulteratum; vel Inſtrumentum liturâ, raſurâ, vel interlineaturâ in parte ſubſtantiali, vel aliter vitiatum; ſimiles enim defectus in Inſtrumentis, maximè privilegij, & contractûs, ſuſpicionem falſitatis inducunt, *cap. ex literis 5. de crim. falſi.* Et *cap. inter dilectos 6. hoc tit.* *Quintò,* quòd teſtes inſcripti, vel ſubſcripti Inſtrumento omnes eidem contradicant dicendo, non eſſe ita actum, ſicut in Inſtrumento continetur; vel negando, ſe interfuiſſe dum Inſtrumentum conficeretur, *cap. tertio 5. de probat.* *Sextò,* excipitur contra Inſtrumentum per aliud Inſtrumentum contrarium, quo caſu utrumque rejicitur, ſi utrumque æquè probabile ſit, & nullam prioritatem doceat; & imputare ſibi debet, qui contrarias inter ſe ſcripturas protulerit, fidem ſibi invicem derogantes, *cap. imputare 13. hoc tit.* Si verò unum alterô probabilius ſit, & prius; probabiliori, & priori ſtandum erit; ut notat Vall. niſi poſterius revocet priùs. *Septimò,* quòd Originalia non exhibeantur, ubi exhiberi debent, *cap. 1. hoc tit.*

5. Nota tertiò: ſi Inſtrumenta vetuſtate laborent, & periculum ſit corruptionis, poſſunt revocari, *cap. cum dilecta 4. de confirm. util.* Interpretari etiam poſſunt; ita tamen ut non extendantur ultra contenta in eis, cùm ſint ſtricti Juris: neque additamenta ipſis fieri poſſunt: nec interpretari in præjudicium tertij; uti notat Pirhing. Amiſſio Inſtrumenti non obeſt Creditori, quò minùs alijs legitimis probationibus oſtendi poſſit debitum *L. 1. C. hoc tit.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXIII.
DE PRÆSUMPTIONIBUS.

CAP. I.
Quid; & quotuplex ſit Præſumptio.

NOta primò: in ſerie probationum re-
1. giſtratur quoque Præſumptio, quæ ex facto, de quo controverſia eſt, vel ex circumſtantijs antecedentibus, vel conſequentibus colligi debet, ut ritè pertineat ad ſpeciem Probationis artificialis; eſt autem cõjectura ex indicio veriſimili, ſeu probabili ſigno, vel argumento ad probandum aſſumpto; ut notat Zoëſius hic. Unde

2. Dico primò: bene deſcribitur Præſumptio, quòd *ſit rei dubiæ, ſeu controverſæ ex indicijs, & conjecturis per rerum circumſtantias plerumque evenientibus deſumpta probatio.* Ita colligitur ex capitulis *hujus tit.* in corpore Juris. Ly *probatio* eſt genus; reliqua ponuntur loco differentiæ. Dicitur *rei dubiæ* ad diſtinctionem fictionis, quæ verſatur circa rem falſam, & indubiam pro veritate aſſumptam. Dicitur *ex indicijs, & conjecturis*, ut oſtendatur ex quibus cauſis oriatur Præſumptio. *Indicium* autem eſt; notabile aliquod ſignum alicujus delicti, vel alterius rei, de qua dubitatur, deſerviens ad veritatem cognoſcendam. *Conjectura* verò eſt opinio orta ex indicicijs prævijs probabilibus de re aliqua dubia; ùt notat Menoch. Dicitur *per rerum circumſtantias &c.* ut inſinuetur qualitas indiciorum, ex quibus naſcitur Præſumptio; ad diſtinctionem rurſus fictionis.

3. Nota ſecundò: Præſumptio partitur primò in vehementem, probabilem, & levem. *Vehemens* (quæ & *violenta* dicitur) eſt illa, quæ innititur urgenti, & valde probabili conjecturæ; ſeu quæ vehementer trahit ad credulitatem; talis eſſet hæc ſecundùm Pirhing. & Vallenſ. Magdalena gerit lac in uberibus: ergo eſt corrupta & concepit: natura enim ſubminiſtrat lac pro propagatione conceptæ Prolis: quamvis lac non ſit certum indicium conceptionis; cùm teſte Galeno, & Hippocrate apud Menoch. lac ob aliam etiam cauſam in uberibus gigni poſſit, ſcilicet ob menſtruorum retentionem, &c. *Probabilis* præſumptio (quæ & *diſcreta* dicitur) eſt, quæ innititur minùs urgenti, & probabili conjecturæ, & rationi; talis eſſet hæc ſecundùm eundem Pirhing. Magdalena non eſt ampliùs Virgo; quia ſæpiùs in obſcuris locis ſolebat cum Juvenibus laſcivis converſari. *Levis præſumptio* (quæ & *temeraria* vocatur) eſt, quæ innititur conjecturæ improbabili; & hæc eſt ſuſpicio: talis eſſet hæc; Plato ſalutavit Cleliam ſibi obviantem in loco publico: ergo eandem proſtituit. Vel Plato liberiùs parum converſatur cum uxore Titij: ergo eſt adulter.

4. Nota tertiò: præterea ſecundò famoſè dividitur Præſumptio in præſumptionem Juris, & præſumptionem hominis; Præſumptio Juris bene deſcribitur, quòd *ſit illa, quæ ex ipſa Juris diſpoſitione oritur, ita ut Jus ipſum ex aliquo indicio rem dubiam colligat.* Seu eſt illa, quæ in ipſo Jure regiſtrata reperitur: talis eſſet; hic homo eſt natus â Chriſtianis parentibus, & ab ipſis educatus: ergo pro baptizato haberi debet; niſi evidenter oppoſitum oſtendatur, *cap. ult. de Presby. non baptiz.* Præſumptio verò hominis rectè deſcribitur, quòd *ſit illa, quæ ex indicijs veriſimilibus, & varijs conjecturis, à viro prudente, v.g. Judice, formatur, etſi Juri inſerta non ſit*; talis eſſet hæc; Plautilla ſæpe in locis obſcuris ſequeſtratur cum Plauto laſcivo, literas amoroſas ipſi ſcribit; donaria eidem mittit, & alia amoris indicia exhibet: ergo ſuſpecta eſt cum ipſo de inhoneſto amore.

5. Nota quartò: Præſumptio Juris alia eſt præſumptio Juris tantùm; & alia præſumptio Juris, & de Jure. *Prima* habetur, quando Jus præſumit aliquid in dubio, nihil deſuper conſtituendo, quod pro Jure habeatur; & ideo admittit probationem in contrarium: talis eſt præſumptio ſolutionis, quæ oritur ex cancellato chirographo *L. ſi chirographum 42. ff. de probat.* *Secunda* habetur, quando Jus aliquod præſumit in dubio, & ſuper tali præſumptione aliquid conſtituit, quod pro Jure, ſeu Lege habeatur, ac pro veritate teneatur, ita ut probatio in contrarium non admittatur: talis eſt præſumptio, quâ cognoſcens ſponſam de futuro præſumitur in matrimonium conſenſiſſe; ita ut non admittatur probatio in contrarium cap. *is qui*; 30 de ſponſalib.

CAP

CAP. II.

Quid probent Præſumptiones.

1. DIco primò: Præſumptiones vehementes, ſeu violentæ hominis faciunt interdùm plenam fidem, & plenè probant in civilibus; ita ut abſque alia probatione Judex ad ſententiam definitivam procedere valeat. Ita Gloſſa, Abbas, Vallenſ. &c. Ratio eſt; quia ita conſtat ex *3. Reg. 3. cap.* ubi legitur Salomon inter duas mulieres de eadem prole contendentes ex ſola præſumptione judicâſſe definitivè. Et ex *cap. afferte 2. hoc tit.* Et ex *cap. literis 12. hoc tit.* Et *L. indicia 19. C. de rei vindicat.* Et ex *cap. 13. hoc tit.* Ex his

2. Infertur primò: Judicem poſſe ad ſententiam divortij procedere ex præſumptionibus habitis contra Uxorem ut adulteram, eò quòd ipſa ſola cum ſolo, nuda cum nudo viro alieno in eodem lecto jacens deprehenſa fuerit, ac converſans ſæpiùs cum eodem in ſecretis locis, & latebris; quæ indicia vehemẽtia probant plenè carnalem copulam cum eodem *cap. 12. cit.*

3. Infertur ſecundò: Judicem poſſe ſeparare ſponſos poſt celebrata ſponſalia, nè matrimonialiter conjungantur, ſi contra unum eorum v. g. ſponſum accedant præſumptiones violentæ de copula carnali priùs habita cum nepte ſponſæ, ex qua impedimentum dirimens affinitatis oritur; quæ copula probatur his, & ſimilibus præſumptionibus, quòd ſponſus cum nepte illa viſus ſit ire per prata, nemora; per vias & invia vagari; atteſtante inſuper viciniâ; & quia neptis illa confeſſa fuit ſe carnaliter cognitam fuiſſe à ſponſo; quæ omnia indicia ſimul ſumpta probant plenè illam copulam carnalem reverà interceſſiſſe; ſicque ſponſos ob impedimentum affinitatis eſſe ſeparandos, & matrimonium eorum impediendum, *cap. 13. cit.*

4. Dico ſecundò: Præſumptiones probabiles hominis, ſe ſolis probant tantùm ſemiplenè; ſi tamen fama publica accedat, vel alia adminicula eas adjuvent, plenè probant. Ita Vallenſ. Abbas &c. Primum conſtat ex *cap. in inquiſitioni de ſent. excom.* Et quia indicia, quibus innituntur Præſumptiones probabiles, ſe ſolis ſumpta ſunt debilia, & non ita urgentia ad credendum, & concludendam veritatem facti. Secundũ conſtat ex *cap. Tertio loco 13. hoc tit.* ubi præſumptio aliàs probabilis tantùm de commiſſa copula carnali ſponſi cum nepte ſponſæ, plenè probavit eandem, accedente famâ publicâ viciniæ, & alijs adminiculis, puta teſtium, confeſſionis, &c.

5. Dico tertiò: Præſumptiones leves hominis, ſeu temerariæ, ſeu ſuſpiciones nihil probant. Ita Vallenſ. & communis DD. Ita conſtat ex *cap. 2. de ſent. excom.* Et *can. oves paſtorem*, ibi, *omnis ſuſpicio eſt potius repellenda, quàm approbanda, vel recipienda; cau. 6. q. 1.* Et propterea Pontifex dicit, nullum eſſe judicandum ſuſpicionis arbitriô, *can. primò ſemper; cau. 2. q. 1.*

6. Dico quartò: Præſumptiones vehementes hominis in cauſis criminalibus gravioribus, puta hæreſis, læſæ Majeſtatis, & ſimilium non probant plenè. Ita Vallenſ. &c. DD. Ita conſtat ex *cap. literas 14. hoc tit.* Et quia in ſimilibus cauſis requiruntur probationes luce clariores, *L. fin. C. de probat.*

7. Dico quintò: Præſumptiones tantùm Juris faciunt liquidiſſimam probationem, & plenè probant. Ita Abbas, Vallenſ. Gloſſa, &c. Et ita conſtat ex *L. licèt Imperator 74. ff. de deleg.* Et *cap. cum dilecti, de donat.* Et quia ſimilis pro veritate habetur, eique ſtatur, donec probetur contrarium, *L. fin. in prin. ff. quod metus cauſâ.*

8. Dico ſextò: Præſumptiones Juris & de Jure pleniſſimè quoque probant. Ita Abbas, Felin. Maſcard. &c. Ratio eſt; quia hujusmodi præſumptiones ex certis indicijs & indubitatis ſignis procedunt. Et quia contra tales Præſumptiones regulariter non admittitur probatio in contrarium, *cap. is qui fidem, 30. de ſponſal.* Unde ſponſus cognoſcens ſibi deſponſatam ſponſam, præſumitur conditionem remiſiſſe, & abſolutè in matrimonium conſenſiſſe, nec admittitur ipſi probatio in contrarium, *cap. per tuas 6. de condit. appoſit.*

9. Nota primò: tametſi hæc præſumptio Juris & de Jure ſit efficaciſſima, & probativa pleniſſimè, ita ut regulariter probatio in contrarium non dicatur admitti: id tamen fallit in nonnullis caſibus exceptis, quos vide apud Vallenſ. Felin. Menoch. Pirh. &c.

10. Nota ſecundò: Præſumptionem Juris & de Jure præter vim probativam pleniſſimam, quam habet, etiam habere hunc effectum, quòd impediat appellationem. Ratio eſt; quia is, contra quẽ habetur talis Præſumptio, habetur pro convicto, & confeſſo: convictus autem, & confeſſus appellare non poteſt, *L. 2. C. quorum appellat. non recip.* Item quòd nec quidem Juramentum ejus, contra quem ſtat talis Præſumptio Juris & de Jure, admit-

Digitized by Google

admittatur ad eam refellendam; ut notat Menoch. Juramentum enim admittitur tantùm, ubi eſt cauſa dubia; cauſa verò, pro qua ſtat præfata Præſumptio, pro certa habetur. Similiter Præſumptio tantum Juris, quam lex pro veritate habet, præter vim probativam plenam, quam habet, effectum alium importat, quòd videlicet onus probandi rejiciat in adverſarium, *cap. ex inſinuatione 3. de Procurat.* Et quòd gravet eundem durioribus probationibus: nam qui habet Præſumptionem præfatam contra ſe, debet eam fortioribus, & apertiſſimis probationibus diluere; utì cõſtat ex *L. ult. quòd metus causâ.* Et *cap. quia veriſimile hoc tit.*

11. Dico ſeptimò: ſi contingat plures diverſæ ſpeciei Præſumptiones ſimul concurrere; tunc potentior perimit debiliorem, & probat ſuô modô. Ita Gloſſa, Vallens. &c. Et ita conſtat ex *L. Divus ff. de in integr. reſtitut.* Et ibi Gloſſa, verb. *exiſtimari*; ſicut etiam ſolet potentior conjectura exinanire debiliorem. Judicis autem arbitriô determinandum erit, quæ Præſumptio ex pluribus concurrentibus ſit potentior. Notant autem DD. hìc communiter ſequentes regulas: quòd ſcilicet illa cenſeatur eſſe potentior Præſumptio, quæ facit ſubſiſtere, & valere actum: item illa, quæ eſt benignior: vel quæ magìs veroſimilis: vel quæ pro Reo eſt: vel quâ abſurdum, & iniquum evitatur. Cenſetur præterea illa eſſe potentior, quæ à ſubſtantia provenit; quàm ea, quæ à ſolemnitate oritur: item illa, quæ Juri communi inhæret potentior habetur aliâ, quæ Jure ſpeciali nititur. Item ſpecialis putatur eſſe firmior generali: naturalis accidentali; utì & deſcendens à quaſi poſſeſſione fortior eſt illâ, quâ quæque res præſumitur libera. Item fundata in ratione naturali ſuperat aliam in ratione civili fundatam. Et demum illa potentior eſt, quæ favet animæ, quàm ea, quâ dicimus delictum non præſumi; utì eruditè advertit Vallens.

CAP. III.

Variæ reſolutiones circa Præſumptiones.

1. Dico primò: ſtante dubio, in delictis Præſumptio eſt pro dolo commiſſo; ita ut delictum cenſeatur animô malô perpetratum; niſi probetur contrarium. Ita Abbas, Gloſſa, Pirhing. &c. Et ita conſtat ex *cap. ſicut 1. hoc tit.* Et ex *L. 1. Cod. ad leg. Cornel. de ſiccarijs.* Unde qui dicit verba convitij in alterum, præſumitur animô injuriandi hoc feciſſe; niſi probet contrarium *L. ſi convitij C. de injur.*

2. Dico ſecundò: ſimiliter Præſumptio eſt in adoleſcente probæ converſationis, exercitæ in adoleſcentia, de ejuſdem futura proba vita in virili ætate, & ſenectute; donec appareat contrarium. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et Ita habetur in *cap. ex ſtudijs 3. & cap. mandata 6. hoc tit.* Et quia dicitur *Proverb. 20. ex ſtudijs intelligitur* (id eſt præſumitur) *puer, ſi munda, & recta ſint opera ejus*; ſubaudi futura; ut interpretatur S. Hieronymus. Et 22. *adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Unde etiam continens in Juventute, præſumitur in ſenectute quoque continens, *cap. cùm in juventute 15. hoc tit.*

3. Dico tertiò: Præſumptio etiam eſt pro ſufficienti qualitate, & virtute illius, cui dignitas aliqua Eccleſiaſtica, vel privilegium conceſſum eſt; quòd videlicet ejuſmodi dignitatem, vel privilegium ob qualitatem, & virtutem meritorum ſuorum obtinuerit. Ita Gloſſa, Pirh. Abbas &c. Ratio eſt; quia dignitates Eccleſiaſticæ, & Privilegia non temerè, & abſque cauſa ſufficienti, concedi ſolent.

4. Dico quartò: Præſumptio quoque eſt pro negligentia futura illius hominis circa legum obſervantiam, vel alias actiones, qui tempore præterito extitit diu negligens. Ita communis Interpret. hìc. Et ita conſtat ex *cap. ſcribam 9. hoc tit.* ſic etiam ex ſævitia mariti tempore præterito exercita ſit Præſumptio, ipſum etiam ſævum permanſurum futuro tempore; ideoque uxorem ſequeſtratam ob præteritam ſævitiam, non eſſe eidem reſtituendam, *cap. literas 3. de reſtit. ſpoliat.*

5. Dico quintò: rectè præſumitur factum aliquod notorium in loco remoto eſſe quoque notorium in loco vicino. Ita Gloſſa, Pirhing. Abbas, Menoch. &c. Et ita conſtat ex *cap. quoſdam 7. hoc tit.* Et *cap. quanto 1. hoc tit.*

6. Dico ſextò: ſi factis alicui duabus propoſitionibus unam duntaxat neget, cùm tamen poſſit utramque negare; præſumitur eundem alteram tacitè confiteri, aut è contra. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. nonne 5. hoc tit.* Sed circa hoc bene attendendæ ſunt circumſtantiæ, quæ tales occurrere poſſunt, ut hæc præſumptio locum non habeat; utì rectè advertit Layman.

7. Dico ſeptimò: rectè inſtituitur præſumptio contra illum, qui injuſtè fugit, & declinat Judicium; utì & pro illo, qui ſe offert Judicio. Ita Abbas, Gloſſa &c. Et ita con-

Digitized by Google

conſtat *ex cap. nullus 4. hoc. tit.* Unde Reus juſtè detentus in publico carcere, ſi fugiat inde, illô effractô, habetur pro confeſſo & convicto, ſecundùm Gloſſ. Clarum, &c.

8. Dico octavò: in ordine ad obtinendum aliquod beneficium, vel officium, & ad alium actum exercendum præſumitur quivis eſſe idoneus, donec probetur contrarium, ſeu ipſum eſſe indignum v. g. irregularem, illegitimè natum, incontinentem, turbidum, moribus corruptum, &c. Ita communis DD. Ita dicitur *cap. Dudum 16. & ult. hoc tit.* Plures* tamen exceptiones ab hac regula generali, vide apud Felin. Pirhing. &c.

9. Dico nonò: Matrimonium Jure antiquo per præſumptiones ſufficienter probatur, ita ut vir judiciô petitoriô agens vendicet ſibi mulierem, ſeu petat eam reſtitui, adjectâ causâ, quòd uxor ſua ſit; ſi concurrant unitim plures probationes, ad fundandas ejusmodi præſumptiones, ſcilicet inſtrumentum confectum ſuper dote, vel donatione propter nuptias, & in quo vir & mulier ſe ſe appellant conjuges, quòd diu cohabitaverint; annulos ſponſalitios geſtaverint; & cõmunis opinio viciniæ ſit, eos eſſe conjuges. Ita Gloſſa, & communis DD. Ita deciditur *cap. illud 11. hoc tit.* Et quia etſi diverſæ ſpecies probationum (cujusmodi ſunt iſtæ in concluſione allatæ) ſeparatim ſufficienter non probent; unitæ tamen probant ſufficienter, & faciunt plenam probationem, juxta *cap. cùm causam 13.* & ibi Gloſſa *fin. de probat.*

10. Dixi in concluſione *Jure antiquo*: quia Jure novo Tridentini, nec cohabitatio, nec inſtrumentum ſuper dote, nec annuli geſtationes, nec alia adminicula ſufficiunt ad præſumendum legitimum matrimonium; niſi coram Parocho ordinario, aut ejus delegato, & aliquot teſtibus ſit celebratum; uti dicitur in dicto Trident. *Seſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*

CAP. IV.

De Præſumptionibus pro Foro Franciſcano.

1. NOta primò: etiam in tribunali regulari Ordinis S. Franciſci de Obſerv. & Reform. reperitur uſus Probationum, ex Præſumptionibus formatarum; quæ Præſumptiones, cùm innitantur indicijs, quæ tanquam ſigna maleficij, ſeu delicti, à Minorita Reo commiſſi, ad veritatem indagandam deſerviunt, *cap. ex ſtudijs ; de præſumpt.* Et cũ ex eorum qualitate Præſumptionum effectus, ac vis cognoſcatur; idcirco de indicijs appono ſequentia Notabilia. Unde

2. Nota ſecundò: indicia cauſantia Præſumptiones in foro noſtro Minoritico alia eſſe levia, alia gravia, alia graviſſima. *Levia* ſunt, quæ ſolùm ſufficiunt ad aperiendum viã Judici, ut ſpecialiter inquirere poſſit; non tamen conſtituere Reum, vel torquere; niſi alijs indicijs adjuventur: talia cenſentur hæc: *Primò* dictum Teſtis inhabilis; niſi is abſtergat inhabilitatis maculam per torturam; quo caſu tamen non indicium; ſed teſtimonium reputabitur ejus dictum; uti notatur in *Practica criminali Ordinis.* *Secundò*, dictum ſocij ejuſdem criminis; talis enim tunc non eſt Teſtis; ſed denunciator; niſi torturâ confirmetur; quo caſu ejus dictum efficit indicium grave, & vehemens; ut dicitur *ibidem.* *Tertiò* phiſionomia exorbitans à ſolita ſimetria faciei, & repentinè ſuborta; ut rubor, pallor, timor, inconſtantia; quæ tamen ſolent eſſe indicia fallacia; *ibidem.* *Quartò* inimicitia non capitalis; *ibidem.* *Quintò* fama orta à viris probis, ac honeſtis; *ibidem.* *Sextò* conſuetudo delinquendi in eodem crimine; niſi triennalis emendatio vitæ circa illud crimen oppoſitum ſuadeat; *ibidem.* Ex indicijs ergo hujusmodi levibus, leves & debiles deſumuntur Præſumptiones pro foro Franciſcano.

3. Nota tertiò: *Indicia gravia* dicuntur, quæ ſufficiunt ad inquirendum, & conſtituendũ Reum, & ad illum torquendũ, ſi negaverit; talia cenſentur ſequentia. *Primò*, fuga Rei poſt patratum delictum; vel antè informationem inchoatam; vel etiam poſt eam, junctâ famâ; vel cum fractione carcerum; niſi indebitè detineretur in eo: ita habetur in *Practica criminali Ord.* *Secundò*, inventio rei furtivæ apud aliquem; niſi is probet ſe eandem aliunde accepiſſe; vel ſit vir bonæ famæ; vel eam teneat publicè; *ibidem.* *Tertiò* inventio aliquarum rerum, quæ loco delicti reperiuntur; ut gladius, liber, pallium, corona &c. niſi oſtendatur, eas provenire aliunde; *ibidem.* *Quartò* Confeſſio extrajudicialis; vel facta abſque omni vi, ac metu coram Judice incompetente; *ibidem.* *Quintò*, ſcriptura manu Rei efformata, v. g. literæ amatoriæ; *ibidem.* *Sextò*, minæ delictum præcedentes, ac à viro improbo prodeuntes; ſecùs ſi eæ prodeant à probo, ſed excandeſcente; *ibidem.* *Septimò*, ſequeſtratio ſolius cum ſola in loco ſecreto, ſuſpecto, obſcuro, vel obſeratis foribus, vel nocturno tempore; *ibidem.* *Octavò* exclamatio puellæ v. g. vel pueri, vel offenſi

cum

cum fuga, vel tremore, vel palpitatione delinquentis; *ibidem.* *Nonò* vacillatio, variatio, & mendacium Rei aliàs non ſtupidi, nec oblivioſi, circa delicti ſubſtantiam; non tamen circumſtantias; *ibidem.* Ex hujuſmodi indicijs gravibus graves conſurgunt Præſumptiones pro tribunali noſtro Minoritico.

4. Nota quartò: *Indicia graviſſima*, ſeu *violenta* dicuntur illa, quæ oriuntur ex maximis, & evidentiſſimis conjecturis, ſufficiuntque nedum ad inquirendum & conſtituendum; ſed etiam ad condemnandum; eò quòd ingerant Judici certitudinem quandam moralem, quòd Reus tale delictum commiſerit: talia ſunt *primò*, ſi quis nudus cum nuda in eodem lecto deprehenſus fuerit; tunc enim fornicatio præſumitur; uti habetur in *Practica criminali Ordinis.* *Secundò:* ſi quis ſtricto enſe, & ſanguine conſperſo egrediatur domum unicam januam habentem, in qua fuit Plautus occiſus; tunc enim egrediens præſumitur homicidium commiſiſſe; *ibidem.* Ex his ergo graviſſimis indicijs formantur graviſſimæ Præſumptiones.

5. Nota quintò: ut autem præfata omnia indicia fundent ſuam legitimam, & proportionatam Præſumptionem, quodlibet eorum per duos ſaltèm teſtes conteſtes debet eſſe probatum; ut notat Marſil. Sanct. Clarus &c. DD. Eadem poterunt à Judice inter ſe copulari, & ad invicem ſe adjuvare, ut notat Bertus, Sanctor. &c. quare ſi unum indicium leve non ſufficiat ad torturam, junctum cum alio ſufficere poterit; v. g. dictum vulnerati, & conſuetudo delinquendi in eodem genere facient ſufficiens indicium ad torturam. Indicia autem in ſua claſſe debent eſſe luce meridiana clariora, certa, non dubia, non æquivoca; debent eſſe concludentia, & delictum inferentia, ita ut ſola Rei confeſſio deeſſe videatur; ut notat *Practica criminalis Ordinis.*

TITULUS XXIV.
DE JUREJURANDO.

CAP. I.

De quidditate, & varietate Jurisjurandi, ſeu Juramenti.

1. Nota primò: deficientibus alijs probationibus legitimis, per Jusjurandum, ſeu Juramentum (quod idem eſt) rei dubiæ fides adſtruitur *cap. fin. hoc tit.* & meritò adhibetur in Judicio; cùm ſit maximum remedium expediendarum litium Jurisjurandi Religio, *L. 1. ff. de Jurejurando*; & omnis controverſiæ finis, *cap. etſi Chriſtus 26. hoc tit.* Unde inter reliquos Juris Titulos, Probationes Judiciales continentes, iſte quoque de Probatione per Jusjurandum rectè proponitur.

2. Nota ſecundò: Ly *Jusjurandum*, ſeu *Juramentum* dicitur à *Jure*; eò quòd illud, quod juratur, inſtar Juris habendum ſit; & veluti Jus ſanctè obſervandum, *arg. L. 5. ff. dato ff. hoc tit.* eò quòd firmetur Divinò teſtimoniò. Unde & Cicero *2. de offic.* Juramentum vocat ſanctam, & Religioſam affirmationem. Et *ibidem* ait, nullum vinculum ad adſtringendum eſſe majus Juramentò.

3. Dico primò: rectè deſcribitur Jusjurandum, ſeu Juramentum, quòd *ſit invocatio Divini Numinis tanquam teſtis aſſertæ veritatis, vel firmatæ promiſſionis,* Coincidit in re cum definitione D. Auguſtini, S. Thomæ &c. Ly *Invocatio* eſt genus: reliqua ſtabiliunt differentiam.

4. Nota tertiò: variæ ſunt diviſiones Juramenti, ſed omiſſis compluribus, quæ videri poſſunt in *ſchola mea Theologica, tom. 4. tract. de Religione diſt. 6.* eas duntaxat proſequar, quæ ad præſens inſtitutum faciunt. *Primò* itaque partitur ſolemniter in aſſertorium, promiſſorium, & comminatorium. Aſſertorium bene deſcribitur, quòd *ſit illud, quod interponitur aliquid affirmando, vel negando, abſque ulla promiſſione*; tale eſſet hoc, juro Platonem non occidiſſe Plautum; vel juro me credere in DEUM; tale quoque eſt, quod præſtare ſolent Teſtes in dicendo teſtimonio, *cap. nuper 51. de Teſtib.* Promiſſorium bene deſcribitur, quòd *ſit illud, quod interponitur ad roborandam ſuam promiſſionem, vel pollicitationem*: ſeu quò quis ſe obligat ei ad faciendum id, quod promiſit ipſi; tale eſt, ſi dicam juro me peregrinaturum Romam: tale eſt etiam quò Epiſcopi in ſui ordinatione præſtare debent fidelitatem,

Digitized by Google

& obedientiam Papæ *cap. ego 4. hoc tit.* Comminatorium bene deſcribitur, quòd *ſit illud, quod ſit per pœnæ imprecationem, qua jurans vel ſe, vel aliam perſonam devovet pœnæ & vindictæ Divinæ, ſi fallat*: tale eſt, ſi dicam; DEUS me puniat, ſi falſum dico.

5. Nota quartò: rurſus *ſecundò* Juramentum dividitur in Judiciale, & extrajudiciale. *Primum* eſt, quod præſtatur in Judicio. *Secundum* eſt, quod extra Judicium deponitur. *Tertiò* Juramentum aſſertorium, cujus frequens eſt uſus in Judicio, & aliàs etiam *litis deciſorium* dicitur, partitur in voluntarium, judiciale, & neceſſarium. *Voluntarium* eſt, quod ab eo, cui defertur ſimpliciter poteſt recuſari, eò quòd ab ejus voluntate dependeat *L. 1. 2. & 3. ff. hoc tit.* Et *cap. ult. hoc tit.* Dicitur *voluntarium* eò quòd pendeat à voluntate jurantis. *Judiciale* eſt, quod pars parti defert in Judicio Judice approbante, *L. delata 9. C. de reb. credend.* Non eſt autem neceſſarium, eò quòd liberè ſuſcipiatur, & ab eo, cui delatum eſt, poſſit referri *cap. fin.* verſu, *quamvis hoc tit.* Dicitur *Judiciale* à loco Judicij. *Neceſſarium eſt*, quod ob defectum plenæ probationis per Judicem defertur parti alterutri litigantium: hoc vocatur etiam ſuppletorium. Dicitur *neceſſarium*, eò quòd Judex illud neceſſariò deferre debeat, ſi pars petat; & quia neceſſariò eſt ſubeundum ab eo, cui defertur à Judice.

CAP. II.

De permiſſione; conditionibus; forma; & ritu Jurisjurandi.

1. Dico primò: licitum eſt Juramentum facere. Ita communis DD. Catholicorum; contra Meſſalanos, Waldenſes, Wiclephum, Anabaptiſtas, & alios hæreticos. Ratio eſt primò; quia ita patet ex S. Literis, quæ narrant varia Juramenta, à ſanctis Viris facta; de quibus tamen non ſunt reprehenſi, tanquam de re illicita: ſic legitur Moyſen juràſſe per cœlum, & terram, Deut. 4. Sic Abraham fœdus inijt cum Abimelech, & id Juramentô firmavit, Gen. 21. & S. Paulus ad Rom. 1. item 2. ad Corinth. item ad Philipp. 1. item 1. ad Timoth. 5. ſæpiùs juravit: adeoque licitum eſt Juramentum facere. Ratio eſt ſecundò; quia ita obtinet laudabilis omnium populorum bene inſtitutorum praxis, & conſuetudo; ut controverſias dubias in Tribunalibus terminent interventu Juramentorum. Tandem ſumma eſt eorum utilitas pro humanis commercijs, ac negotijs; nam timore Divini Numinis, cujus teſtimonium à jurante advocatur veritas panditur; pacta, & contractus ritè initi cuſtodiuntur; fides ſervatur; fœdera inita ſanctiùs manutenentur; plures controverſiæ difficilimæ ſecuriùs terminantur; & plurimæ injuriarum machinæ omittuntur.

2. Objectiones Hæreticorum ex S. Scriptura, & SS. PP. coacervatæ, nil aliud probant; quàm non eſſe licitum jurare ex quavis occaſione, abſque neceſſitate, & abſque ratione. Quas verò adducunt ex Jure Canonico, prohibente fieri Juramenta à Chriſtianis ſolùm convincunt, eos non debere jurare per Jovem, & Martem, more Ethnicorum.

3. Dico ſecundò: Primaria Juramenti conditio eſt; ut illud fiat per DEUM, vel expreſsè, vel implicitè; & aliter factum eſt nullum. Ita Herincx, Leſſ. Layman. Et ita dicitur Deut. 6. *Dominum DEUM tuum timebis, & illi ſoli ſervies, & per nomen illius jurabis.* Et quia ſolus DEUS præſtare poteſt firmiſſimum, & infallibile teſtimonium; cùm ſolus ipſe ſit æterna, infinita, & immutabilis veritas.

4. Nota autem primò: tunc fieri Juramentum *expreſſè* per DEUM, quando quis hac formulâ jurat, *Teſtem DEUM invoco*; vel iſtâ, *juro per DEUM*; vel *teſtificor coram DEO*; vel aliâ ſimili, Divini teſtimonij invocati, vel petiti manifeſtè expreſſiva. Tunc verò fit *implicitè*, quando quis jurat per creaturas, cœlum, terram, Evangelia, Sanctos, & alias res, non quomodocunque conſideratas, ſed quatenus in DEUM relatas, & repræſentantes ſpeciali aliquô modô Numen, ſeu continentes Divinam potentiam; vel cui DEUS ſpeciali modô aſſiſtit: tale eſt Juramentum Moyſis Deut. 3. dicentis: *Teſtes invoco cœlum, & terram*: & ſimilium etiam Juramentorum facit mentionem Chriſtus apud Matth. 5. *Per cœlum, quia thronus DEI eſt: & per terram quia Scabellum eſt pedum ejus; & per Hieroſolymam, quia Civitas eſt magni Regis*; quem locum expendens S. Auguſtinus *lib. 1. de ſerm. Domini in monte cap. 17.* dicit; *Cùm juras per cœlum, aut terram, non te arbitreris non debere Domino juſjurandum tuum; quia per eum jurare convinceris, cujus cœlum thronus eſt.*

5. Dico tertiò: ſimiliter hæ tres conditiones (quæ & comites Juramenti dicuntur) in Juramento requiruntur, ut videlicet contineat veritatem, judicium, & juſtitiam. Ita Herincx, Vallens. & communis DD. Et ita dicitur *cap. etſi Chriſtus hoc tit.* Et quia Hierem. 4. dicitur: *Jurabis vivit Dominus in veritate, & in judicio, & in juſtitia.*

Conſiſtit

Digitized by Google

Conſiſtit autem *Veritas* Juramenti in hoc; ut jurans dictamen firmum ſibi formet, rem de qua jurat, ita ſe habere certò, ſicut Juramentô eam conteſtatur. *Judicium* ad Juramentum requiſitum poſtulat, ut ad formandum Juramentum licitum adſit vera juſta cauſa. Et *Juſtitia* tandem petit, ut Juramenta verſentur circa res honeſtas, legibus non prohibitas.

6. Ex his cape ſequentia Corollaria. *Primò*, defectû primæ conditionis is committit perjurium mortale, qui jurat rem aliquam falſam, tametſi hoc faciat ex ſolo joco, conſuetudine, bono, & neceſſario fine, timore, aut alio motivo; ut habet Herincx. Ratio eſt; quia DEI teſtimonium in conteſtationem falſitatis, abſque ulla cauſa, & neceſſitate voluntariè adducere, eſt DEO gravem injuriam facere; cùm per hoc Summa DEI veracitas proſtituatur, quaſi ſit atteſtativa falſi pro vero. *Secundò*, defectu ſecundæ conditionis pariter peccare eos, qui obviè, dum os aperiunt, jurare conſueverunt; quod ſeriò prohibetur Eccleſiaſtici 23. *Jurationi non aſſueſcat os tuum; multi enim caſus in illa.* Et paucis interjectis; *Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga.* Juramenta itaque, cùm non ſint de genere eorum, quæ per ſe bona ſunt, & frequentanda, uti ſunt jejunia, oratio, eleemoſyna, &c. ſed quæ ſolùm bona cenſentur poſitâ juſtâ causâ, vel neceſſitate, ùt antidota, & medicamenta; idcirco non ſunt facienda; niſi ob juſtam cauſam. *Tertiò*, defectu tertiæ conditionis peccant, qui Juramenta formant de faciendis operibus malis v. g. homicidio, fornicatione, uſura &c. Ratio eſt; quia DEO procuratur notabilis injuria per adductionem ejus teſtimonij, in confirmationem operis illius patrandi quod ipſe prohibuit.

7. Dico quartò: ad Juramentum pariter requiritur deliberata intentio jurandi. Ita Zoëſ. Vallens. Herincx &c. Ratio eſt; quia Juramentum eſt quidam actus humanus, & moralis; qui neceſſariò poſtulat ad ſui valorem intentionem, & voluntatem; uti patet in votis, quæ abſque intentione facta nullum habent valorem.

8. Dico quintò: ad formam Juramenti eſſentialiter non requiruntur verba exteriùs prolata; ad certiorem tamen probationem eadem regulariter adhibenda ſunt. Ita Vallens. Zoës. Covarr. &c. Ratio primi eſt; quia Juramentum ſoli DEO præſtatur, qui ſolus eſt mentis inſpector, *can. ſi quid invenisti caus. 14. q. 5.* adeoque etiam mentaliter, & abſque ullis verbis realibus prolatis factum valet. Ratio ſecundi eſt; quia forum exterius exigit, ut Juramenta determinatis realibus verbis perficiantur, ut majus robur, & firmitatem probationis ſortiatur: & quia id præſcribunt Jura varijs in locis.

9. Nota ſecundò: omnium optima, & magìs uſitata apud Chriſtianos forma jurandi eſt illa, quæ continet expreſſam invocationem Divini Numinis; ut ſi dicatur, *per DEUM juro*; vel *Teſtem DEUM invoco*; vel *DEUS mihi ſit Teſtis*; vel *per DEUM ita eſt*; ita Zoës. Pirhing. &c. Hæ autem formulæ, *teſtor hoc per meam conſcientiam*, & iſta, *in conſcientia mea dico*, non ſunt juratoriæ; cùm eas proferens nil aliud dicere cenſeatur, quàm ſe non proferre hæc verba fictè; ſed loqui juxta mentem ſuam, prout in conſcientia ſua ſentit, ſive ex notitia veritatis. Si tamen iſta verba proferens habeat intentionem jurandi per conſcientiam, quatenus ipſa eſt participatio quædam Divinæ Mentis, & Veritatis (quod tamen non præſumitur, niſi conſuetudine patriæ, vel ex circumſtantijs probabilis conjectura Juramenti fieri poſſet) tunc Juratoria cenſentur.

10. Nota tertiò: Hæ formulæ; *dico hoc in fide mea Sacerdotalis dignitatis*; vel *in fide conſecrationis*, propriè Juramentum non ſunt; cùm nullam contineant invocationē Divini Numinis: attamen in foro Eccleſiaſtico acceptantur tanquam jurata promiſſio, quæ obſervari debet non minùs, quàm Juramentum, *cap. ad omnes 3. de his, quæ vi &c.* Similiter dictum tale Regis vel Principis, *ſub fide, & dignitate mea Regia*, vel *Principali hoc dico*; vel hoc alicujus viri Illuſtris, *per fidem nobilis aſſero hoc*, æquipollet Juramento, & ejus loco eſſe cenſetur; Juramentnm tamen non eſt, juxta Gail. Mynſing. &c. Intelligitur verò in hujuſmodi formulis fides duntaxat humana, quæ non ponit propriè Juramentum. Si autem talis quis diceret ſic, *in fide mea Chriſtiana hoc affirmo*, vel *ſpondeo*, Juramentum faceret, teſte Zoëſio.

11. Nota quartò: iſta verba, *certè*, *certiſſimè*; *verè*, *& in veritate*, & ſimiles, Juramentum non important teſte Zoës. cùm nihil indicent, quàm abſolutè rem ita ſe habere. Si tamen proferens intenderet Summam Veritatem, id eſt DEUM, adducere in teſtem, Juratoriæ eſſent. Homagium etiam quod Vaſallus facit Domino ſuo, dum accipit inveſtituram, de ſervanda ipſi fidelitate, Juramentum cenſetur; cujus mentio fit *cap. gravem 15. de exceſſ. Prælat.* Unde Gloſſa in *cap. fin. de R. J.* illud appellat *Sacramentum fidelitatis.* Circa ritum Juramenti.

12. Nota quintò: juxta hodiernum uſum ritus perficiendi Juramentum eſt, ut jurans tangat *Sacra*; id eſt, vel crucem, vel reliquias, vel ſacra Evangelia, addendo hanc formam, *ſic me DEUS adjuvet, & ſancta DEI Evangelia; can. tibi Domino diſt. 63.* Sacerdotes autem regulariter non tenentur *Sacra* tangere; ſed ſatisfaciunt, ſi per ſuam conſecrationem, & tangendo proprium pectus jurent, *can. ſi quis Presbyter 4. cau. 11. q. 3.* Exceptis gravioribus cauſis; & in quibus Jure ſtatutum eſt expreſsè, ut *Sacra* tangant; ut notat Covarr. Zoës. &c.

CAP. III.

De diverſis Juramentis illicitis, & non obligatorijs.

1. DIco primò: per Jovem, Herculem, aliaque idola illicitum eſt Juramentum; uti & Juramentum per creaturas tanquam teſtes infallibiles. Ita Zoëſius, Vallens. &c. Ratio primi eſt; quia ita cōſtat ex *can. Clericum; cau. 22. q. 1.* Et quia idololatriā committit Jurans per idola, eò quòd divinitatem eis attribuat. Ratio ſecundi eſt; quia & Jurans per creaturas tanquam teſtes infallibiles, abſque ulla relatione ad DEUM, ſpeciem idololatriæ comittit, aliquid divinitatis, id eſt infallibilitatis in teſtificando ipſis attribuendo. Cæterùm licet jurare per creaturas cum relatione ad Creatorem, & quatenus repræſentantes ſpeciali aliquomodo Numen; ſeu continentes Divinam Potentiam, vel quatenus eis DEUS ſpeciali modo aſſiſtit; ſic licitè juravit Moyſes Deut. 3. *Teſtes invoco cœlum, terram.*

2. Dico ſecundò: Juramentum quodcunque quod adverſatur bonis moribus naturalibus; vel quod repugnat rectæ rationi; aut quod ſine peccato, etiam veniali tantùm, ſervari nequit, illicitum eſt, & non obligatorium. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. quanto 18. hoc tit.* Et ex Regula 58. *de Reg. Jur. in 6.*

3. Dico tertiò: Juramentum fidelitatis præſtitum illi, cui præſtari non debuit, nec licitum, nec obligatorium eſt; ſi adverſetur alteri Juramento, ad quod præſtandum jurans aliàs obligabatur. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. ex a te 22. hoc tit.* Unde ſubditus jurans alicui obedientiam, & fidelitatem, cui non debebat, in præjudicium ſui Domini ponit Juramentum, quod & eſt illicitum, & non obligatorium; uti etiam dicitur *cap. venientes 19. hoc tit.*

4. Dico quartò: Juramentum alicujus Religioſi jurantis ſe non ampliùs commoraturum in cœtu aliorum Religioſorum talis Monaſterij, in quo aliàs profeſſus eſt cum obligatione perpetua manendi ibidem, eſt illicitum, & non obligatorium. Ita communis DD. Et ita habetur *cap. ſicut 13. hoc tit.*

5. Dico quintò: ſi contingat quempiam Prælatum Juramentum præſtare de non repetendis bonis Eccleſiaſticis, injuſtâ violentiâ ablatis; ejuſmodi Juramentum non eſt obligatorium. Ita communis DD. Et ita deciditur in *cap. pervenit 2. hoc tit.* Et quia licèt aliàs obliget Juramentum circa rem licitam, & obſervabilem ſinè periculo animæ injuſto metu extortum; cùm metus non tollat conſenſum: ut notat Gloſſa: attamen Juramentum tale Prælati non obligat, eò quòd ſit de re illicita: cùm enim Prælatus vi ſuæ Prælaturæ & officij obligatus ſit repetere bona Eccleſiaſtica, quæ injuſtè ablata ſunt, *cap. ſi quis 6. de rebus Eccleſ. non alien.* ideo Juramentum factum de illis non repetendis, cenſetur eſſe de re illicita.

6. Dico ſextò: ſimiliter ſi contingat Prælatum v. g. Epiſcopum præſtare Juramentum, ſe aliquid ſervaturum, quod affert præjudicium Prælaturæ, & dignitati Epiſcopali: ejuſmodi Juramentum quoque non eſt obligatorium. Ita Gloſſa, & communis DD. Ita dicitur *cap. ſicut noſtris 27. hoc tit.*

7. Dico ſeptimò: etiam non eſt obligatorium Juramentum illud, quod præſtaretur Patrono præſentanti ad beneficium Eccleſiaſticum, vigore cujus antiquus cenſus, vel penſio annua ex eo aliàs ſolvenda, eſſet augenda, & major eidem Patrono danda. Ita Gloſſa, & communis DD. Ita dicitur *cap. tua nos 11. hoc tit.* Et *cap. prohibemus 7. de cenſib.*

8. Dico octavò: Non tenet quoque illud Juramentum, nec obligat, quod faceret Rex in alienatione bonorum pertinentium ad Coronam, ſive Regiam dignitatem, ſe videlicet alienationes ejuſmodi bonorum non revocaturum; imò Rex tenetur tales alienationes revocare, non obſtante dictô Juramentô. Ita communis DD. Et ita reſolvitur *cap. intellecto 33. hoc tit.* Et quia tale Juramentum Regis eſt de re illicita.

9. Dico nonò: Illicitum, & non obligatorium eſt Juramentum, quod præſtaret maritus uxori, ſe illam de nullo crimine comittendo accuſaturum. Ita communis DD.

Et ita

Digitized by Google

Et ita habetur *cap. quemadmodum 25. hoc tit.* Et quia tale Juramentum eſt de re illicita, continensque promiſſionem, quæ innuitat ad liberius peccandum, promiſſâ ei impunitate.

10. Dico decimò: ſimiliter illicitum, & non obligatorium eſt Juramentum, quod ſibi præſtarent mutuo conſenſu conjuges, quòd alter ab altero nunquam velit debitum matrimoniale exigere, & propterea inſtituunt ſeparationem quoad thorum, & cohabitationem. Ita communis DD. Et ita dicitur *cap. tua nos 24. hoc tit.* Et quia ejusmodi Juramentum repugnat fini matrimonij, quod eſt inſtitutum ad conjugij uſum propter generationem prolis, & fornicationem vitandam; uti patet ex *1. Cor. 7. ver. 2.* Et quia idem Juramentum præbet occaſionem adulterij committendi. Prædicta autem concluſio intelligitur de conjugibus temerè, & ſinè cauſa honeſta emittentibus dictum Juramentum: nam ſi ex cauſa pietatis, vel continentiæ colendæ id faciant, obligatorium erit; uti patet ex *can. quod DEO 4. cau. 33. q. 5.*

11. Dico undecimò: Non eſt etiam obligatorium illud Juramentum, quod vergit in diſpendium ſalutis corporalis, niſi jurans aliunde ex juſtitia ſit obligatus. Ita Gloſſa, Abbas &c. Ratio eſt; quia ſicut Juramentum non obligat tendens in mortem alterius; ita nec tendens in mortem propriam, *arg. can. non licet, cauſ. 23. q. 5.*

12. Dico duodecimò: Juramenta extorta dolô, vel errore verſante circa ſubſtantiam actûs promiſſi, nullam afferunt obligationem: Secùs dicendum, ſi error verſetur tantùm circa qualitatem accidentalem actûs. Ita Herincx, Leſſ. Laym. & communis DD. Ratio primi eſt; quia in emiſſione talis Juramenti, cenſetur abfuiſſe mens, & intentio ſe obligandi: Juramentum autem non obligat extra mentem, & intentionem jurantis *cap. Quintavallis:* Et *cap. veniens; de Jurejurando.* Ratio ſecundi ſumitur ex *cap. 9.* Joſue, de Juramento Gabaonitis præſtito.

CAP. IV.

De varijs Juramentis licitis, & obligatorijs.

1. Dico primò: Juramentum illud licitum, & obligatorium eſt, quod quis emiſit, ſe jura alicujus Eccleſiæ pro viribus ſuis defenſurum, niſi graviſſimum occurreret obſtaculum, ob quod promiſſam defenſionem præſtare nequiret. Ita Gloſſa, Abbas &c. Et ita conſtat ex *cap. brevi 17. hoc tit.* Et quia ejuſmodi Juramentum honeſtum eſt, & bonis moribus non adverſatur. Non obligaretur tamen jurans dictô Juramentô ad præſtandam defenſionem in caſu, quô Eccleſia foveret cauſam aliquam injuſtam.

2. Dico ſecundò: licitum, & obligatorium eſt Juramentum, quô Abbas, & Monachi jurarunt ſe pro debito monaſterij ſtare in obſtagio, quousque illud ſolvatur: & quô fidei juſſores jurârunt ſe ſervaturos Creditorem indemnem. Ita communis DD. Et ita deciditur in *cap. ex reſcripto 9. hoc tit.*

3. Dico tertiò: licitum quoque & obligatorium eſt Juramentum factum à debitore Creditori, ſe ſuper re oppignorata, ob fructus ex ea perceptos, & conſumptos nullum gravamen illaturum, ſeu pignus non petiturum, donec pecunia mutuò accepta ipſi perſoluta ſit. Ita communis DD. Et ita concluditur in *cap. ad noſtram 7. hoc tit.*

4. Dico quartò: Juramentum quod extorquetur gravi metu, absque tamen peccato aliàs obſervabile, obligatorium eſt; quousque remittatur ab eo, cui præſtitum eſt; vel diſpenſetur à legitimo ſuperiore. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. ſi verò 8. hoc tit.* Et quia metus ad ejusmodi Juramentum impellens non tollit abſolutè voluntarium, ſeu liberum conſenſum; coacta enim voluntas eſt voluntas, uti patet ex *L. ſi mulier 21. ſſ. metu ff. quod metus cauſ.* Ejusmodi autem Juramentum poteſt à Papa relaxari *cap. verum 15. hoc tit.*

5. Dico quintò: Juramentum editum à debitore de non repetendis uſuris jam ſolutis eſt obligatorium; nec poteſt jurans uſuras repetere; niſi priùs obtentâ hujus Juramenti relaxatione. Ita Covarr. Gloſſa, Sanch. &c. Et ita colligitur à contrario ſenſu ex *cap. ad audientiam 4. de his, quæ vi met. cauſ.* illis verbis, *quo Juramento non ad repetendum; ſed ſolummodo ad reſignandum tenebatur*: ergo ſecùs ſi juráſſet non repetere: tunc enim non poſſet repetere obſtante Juramento. Et quia tale Juramentum poteſt licitè, & absque peccato obſervari; uti advertit Covarr. &c. Si tamen nova cauſa repetendi uſuras ſuperveniret, v.g. ex eo quòd Uſurarius in Teſtamento ordináſſet, ut hæredes reſtituant omnibus uſuras, qui probarent ſe uſuras ſolviſſe; tunc eas jurans non obſtante Juramento facto poteſt repetere; uti conſtat ex *cap. ad noſtram 20. hoc tit.*

6. Dico ſextò: Juramentum à debitoribus

Digitized by Google

bus factum de ſolvendis uſuris ratione mutui obligatorium eſt; ita ut jurantes cogendi ſint Domino reddere Juramentum, id eſt ſecundùm Juramentum ſolvere uſuras: ſolutas tamen uſuras Uſurarij eiſdem reſtituere tenentur, & ad hoc per cenſuras Eccleſiaſticas compelli poſſunt. Ita communis DD. Et ita dicitur *cap. debitores 6. hoc tit.* Et quia Religio & reverentia Divini Numinis in Juramento invocata, & conteſtata exigit, ut ſtetur tali Juramento; licèt uſurario nihil Juris acceſſerit per illud.

7. Dico ſeptimò: tandem regula generalis eſt, omne Juramentum eſſe obligatorium, quod non vergit in interitum, ſeu diſpendium ſalutis æternæ; nec obſervandum redundat in alterius præjudicium, vel proprium corporis detrimentum; & quod ſervari poteſt honeſtè ex parte jurantis ſaltèm. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. ſi verò 8.* Et *cap. cùm contingat 28. hoc tit.* Et *cap. quamvis 2. de pact. in 6.*

CAP. V.

A quibus perſonis; & in quibus cauſis poſſit fieri, & deferri Juramentum.

1. Dico primò: quælibet creatura rationalis rationis compos poteſt ex cauſa legitima jurare, etiam impuberes; in Jure tamen aliquæ perſonæ excipiuntur, quæ in Judicio jurare non permittuntur. Ita Azorius, Sylveſt. Laym. &c. Ratio primi eſt; quia Juramentum ex cauſa legitima factum eſt actus Religionis; talem autem poteſt quævis creatura facere in honorem DEI. Ratio ſecundi eſt; quia ita conſtat ex *cap. 1. de delictis puer.* ubi dicitur pueros ante 14. annum ætatis poſſe pejerare; conſequenter etiam jurare. Ratio tertij eſt; quia in Jure excipiuntur *imprimis* impuberes, ne in Judicio ad Juramentum admittantur, *can. parvuli.* Et *can. pueri cauſ. 22. q. 5.* *Secundò* excipiuntur perjuri, infames, ſeu notorij, *cit. can. parvuli.* Et *can. ſi quis cit. cauſ. & q.* *Tertiò* Sacerdotes in levi cauſa non poſſunt compelli ad jurandum in Judicio, *can. ſi quis Presbyter 4. cau. 2. q. 5.* Si tamen gravis neceſſitas, vel magna utilitas adſit, etiam Sacerdotes poſſunt jurare; talis eſſet pro ſui purgatione; pro fide, pace, obedientia, & Eccleſiæ immunitate; vel ſi agatur de gravi præjudicio alterius, & ejus innocentia aliter probari non poſſit; ut notat Sylv. Zoëſ. Azor. &c. Non tamen tunc jurare debent in manu Laici, tanquam ſui ſuperioris; ſed coram Epiſcopis ſuis, vel cum eorum licentia, *can. nullus cau. 22. q. 5.* Epiſcopis verò non niſi in arduis cauſis Juramenta ſunt offerenda; ſcilicet pro Fide in abjuratione erroris; & in cauſa purgationis, *can. 1. & 3.* Et *can. habet cauſ. 2. q. 5.* Item ad præſtandum Juramentum Papæ, *cap. ego 4. hoc tit.* Et de calumnia *ſupra de Juram. propter calum. edendo.*

2. Dico ſecundò: quando Judex partibus litigantibus ſive Reo, ſive Actori defert Juramentum litis deciſorium, non poteſt ab eis recuſari; ſed illa pars, cui delatum eſt Jurare tenetur; niſi alleget cauſam juſtam recuſandi Juramentum; vel niſi Juramentum à Judice delatum alteri parti referre velit. Ita Gloſſa, Vallenſ. Pirhing. &c. Et ita deſumitur ex *L. generaliter 12.* junctâ Gloſſâ, ver. *ſed referatur. C. de reb. credit.* Et ex *cap. ult. hoc tit.* Et quia Juramentum eſt maximum remedium litium expediendarum, *L. 1. ff. de Jurejur.* ideoque ob inopiam probationum à Judice deferri debet parti litiganti *L. in bona, 3. de reb. cred. & jurand.* Juſtæ autem cauſæ recuſandi Juramentum ſunt ſequentes: *Prima*, ſi illa pars, cui defertur Juramentum, ſit ignara veritatis, ac rei geſtæ. *Secunda*, ſi alleget probabilem opinionem. *Tertia*, ſi materia, vel actio ſit talis, quâ pars juratura nequit convenire. *Quarta*, ſi Actor probet plenè intentionem, *cap. 2. de probat.*

3. Dico tertiò: quando in Judicio una pars litigans alteri parti defert Juramentum litis deciſorium, id ab altera parte ſimpliciter recuſari poteſt, vel referri. Ita Gloſſa, Pirh. &c. DD. Et ita conſtat ex *cap. ult. hoc tit.* Et quia cùm una pars litigans in alteram nullam habeat poteſtatem, meritò delatum ab ea Juramentum repudiare poteſt: Vel certè referre eidem Juramentum: nam æquum eſt, ut altera pars deferens patiatur legem, quam ipſa tulit, *cap. cùm omnes 6. de Conſtit.*

4. Nota tamen primò aliquas exceptiones à præfata concluſione: *Primò*, ſi Judex juſſerit ab altera parte, cui defertur præſtare Juramentum, illud recuſare nequit; ſed vel præſtare debet; vel referre: nam manifeſtæ turpitudinis, & confeſſionis eſt, nolle nec jurare, nec Jusjurandum delatum referre *L. manifeſtæ 38. ff. eod.* niſi juſta cauſa afferatur, quo caſu neutrum præſtare tenetur; veluti ſi exigatur Juramentum de facto alieno, quod ignoratur, *L. fin. Marcellus 11. §. 1. ff. rerum amotarum.* *Secundò*, quando Actor plenè probat ſuam intentionem; tunc nec tenetur præſtare Juramentum; nec illud referre

Reo,

Digitized by Google

Reo, *cap. 2. de probat.* Nam cùm ſufficienter docuerit de ſuo Iure , non indiget Iuramentô. Plures exceptiones vide apud Abbat. Pirh. &c.

5. Nota ſecundò: quando pars parti refert Iuramentum delatum; tunc illud neceſſariò priùs præſtari debet à parte deferente; aliàs vel ſuper principali cauſa ampliùs non audietur, *L. Jusjur. 34. §. datur , ff. eod.* Vel auxiliô provocationis ſeclusô ſuper ea convictus cenſebitur *L. generaliter 12. §. 1. C. de reb. cred.* Nec immeritò; cùm non debeat diſplicere conditio Iurisjurandi, quam detulit prius, *L. Jurisjurandum §. ait Prætor.*

6. Dico quartò: prudenti Iudicis arbitrio ex circumſtantijs formando commiſſum eſt, an Iudex Actori ſemiplenam duntaxat probationem afferenti Iuramentum litis deciſorium deferre debeat in ſupplementum probationum; an verò Reo, in ordine ad ſe purgandum. Ita Gloſſa, & communis DD. Et ita conſtat ex *cap. ſane ult. hoc tit.*

7. Dico quintò: Iuramentum calumniæ præſtari poteſt per Procuratorem; imò & alia Iuramenta; niſi lex expreſſè requirat, ut fiant in propria perſona. Ita Zoëſ. Felin. Abbas &c. Primum conſtat ex *cap. fin. de Juram. cal. in 6.* Secundum patet ex *cap. licet 47. de Teſt.* Ratio tertij eſt; quia quando agitur de veritate facti, ea per alium rectè non exhibetur circa factum alienum; etiamſi juretur in animam domini; unde in perſona propria præſtari debet Iuramentum. Circa alterum articulum hujus capituli

8. Dico ſextò: in quavis actione ad forum contentioſum, ſeu in Iudicium deducta à parte parti deferri poteſt Iuramentum voluntarium. Ita Abbas, & communis DD. Et ita conſtat ex L. *ait Prætor 3. §. 1.* Et *L. 2. ff. hoc tit.*

9. Dico ſeptimò; ſimiliter in quavis actione, & cauſa contentioſa à Iudice deferri poteſt Reo Iuramentum ad petitionem Actoris, ſi deſint plenæ probationes. Ita Gloſſa, Maſcard. Pirh. &c. Et ita conſtat ex *L. 3. ff. de reb. cred.*

10. Nota tamen tertiò: à priori regula excipi aliquas cauſas: *Primò*, in criminalibus cauſis non defertur Iuramentum ſuppletorium probationis: ſed uſus obtinuit, ut locô Iuramenti Reus ſubjiciatur torturæ ad eruendam veritatem, *L. 1. §. 1. ff. de quæſt.* Quòd ſi tamen torturæ locus non ſit ob defectum legitimorum indiciorum, Reus nonnunquam admittitur ad Iuramentum purgationis; ut notat Clarus, Fach. Gail. &c. *Secundò*, in cauſis arduis ſimiliter non defert Iudex Iuramentum ſuppletivum probationum; ut habet Gail. Vallenſ. Maſcard. &c. *Tertiò* nec in cauſis matrimonialibus, dum agitur ad diſſolutionem Matrimonij; ut habet Gloſſa, Maſcard. &c. *Quartò*, nec in cauſis feudalibus, beneficialibus, & univerſaliter in omnibus gravioribus, in quibus Iura plenas probationes indubitatas, ac evidentiſſimas poſtulant, deferre debet Iuramentum, tanquam ſuppletivum probationum ſemiplenarum; ut notat Maſcard. Pirh. &c.

11. Dico octavò: Etiam Actori à Iudice deferri poteſt Iuramentum, dum is ſemiplenè tantùm, aut plus, quàm ſemiplenè probat. Ita Vallenſ. & communis DD. Ratio eſt; quia Iudex cuncta rimare, & pro veritate eruenda omnibus modis laborare debet, *can. judicantem 11. cauſ. 30. q. 5.* Quare etiam veritatem plenam per delationem Iuramenti Actori indagare poterit.

CAP. VI.

Varia circa Juramentum reſolvuntur.

1. Nota primò: Effectus Iuramenti Aſſertorij, tum Iudicialis, tum voluntarij eſt, quòd cauſa Iurejurando deciſa non retractetur per inſtrumenta poſtea de novo reperta; niſi ſpecialiter hoc lege excipiatur, *L. 1. C. hoc tit.* Vel niſi conſenſu ipſorum litigantium occaſione inſtrumentorum de novo repertorum efficiatur, ut alia ſententia feratur, per quam prior, quæ in rem judicatam tranſijt, reſcindatur, *arg. L. 1. Cod. quando provocare non eſt neceſſe:* Iuramenti autem aſſertorij Neceſſarij effectus eſt, quòd ejus prætextu Iudex ſtatim poſſit cauſam decidere, & ſententiare Reum, vel abſolvendo, vel condemnando, *L. admonendi ff. eod.*

2. Nota ſecundò: Effectus Iuramenti promiſſorij eſt, inducere obligationem ad ſui obſervantiam; dummodò verâ & ſeriâ intentione ſit emiſſum, & reliqua adſint ad valorem ejus requiſita; uti notat Vallenſ. Item alius ejus effectus eſt, quòd confirmet ipſam promiſſionem, & aliquando etiam contractum, ita ut alteri (in cujus favorem præſtatur) tribuat Ius, & contractum in ſua ſpecie faciat validum.

3. Nota tertiò: Iuramentum quoad ſuam obligationem ſtrictè eſt interpretandum, quantum materia, & verba promiſſionis, cui adjungitur, permiſerint, ut notat Abbas, & Sylv.

Digitized by Google

Sylv. Nam ubi agitur de obligatione, facienda eſt ſtricta interpretatio, juxta *L. quidquid. 99. ff. de V. O.* Et ſecundum Reg. Iuris 15. *in 6. odia ſunt reſtringenda.* Unde Juramentum editum à Canonicis, vel etiam Laicis Rectoribus & Officialibus locorum, ſervandi ſtatuta talis Eccleſiæ, vel loci, interpretari debet de ſtatutis tantùm licitis, & libertati Eccleſiæ non repugnantibus, nec bonis moribus adverſantibus; uti conſtat ex *cap. contingit 1. hoc tit. in 6.* non autem extendit ſe ad ſtatuta illicita, & infringentia libertatem Eccleſiaſticam, vel corruptos mores inducentia, *cit. cap. 1.*

4. Nota quartò: quando Juramentum reſpicit materiam Juris, interpretandum & intelligendum eſt ſecundùm Juris communis diſpoſitionem, & ad illam reſtringendum, nec ultra extendendum; uti patet ex *cap. ad noſtram 21. hoc tit.* Debet eitam Juramentum ita interpretari, ut in ſui obſervatione non lædat jus tertij; quia tale Juramentum alteri præjudicans illicitum eſt, & invalidum; uti conſtat ex *cap. ſicut 27. hoc tit.*

5. Nota quintò: Juramentum quoque interpretandum, ac intelligendum eſt ſecundùm naturam, & conditiones promiſſionis, aut contractûs, ſeu actûs, cui adjungitur, *L. fin. C. de non num. pecc.* Juramentum enim ex ſe non mutat, vel auget naturalem obligationem actûs; ſed tantùm illi addit Religionis vinculum, quatenus actûs natura non eſt excluſa; ut notat Zoëſ. Juramentum pariter bona fide, & abſque dolo præſtitum interpretari debet ſecundùm intentionem jurantis; nec extendi debet ad incognita, de quibus jurans non cogitavit, & quæ ſi in mentem veniſſent, veriſimiliter non promiſiſſet, uti conſtat ex *cap. veniens 16. hoc tit.* Et ex *cap. Quinta vallis 23. hoc tit.* Et *cap. petitio 31. hoc tit.*

6. Nota ſextò: Quodvis Juramentum promiſſorium involuit tacitè generales quaſdam conditiones, ſecundùm quas facienda eſt interpretatio, & attendenda ejus obligatio, ita ut abſque his ſubintellectis non obliget, nec valeat, *cap. quemadmodum in princ. hoc tit.* Et notat Gloſſa, Sylveſt. &c. Prima conditio eſt hæc; *ſi potero*; ita deducitur ex *cap. Quinta vallis.* Et *cap. querelam hoc tit.* Et quia ad impoſſibile nemo tenetur, juxta *reg. 185. in ff.* Secunda eſt, *ſalvo jure, & authoritate ſuperioris*; hæc habetur in *cap. veniens 19.* Et *cap. ad noſtram hoc tit.* Tertia eſt, *niſi is, in cujus gratiam Juramentum factum eſt, obligationem remittat*; ut notat Felin. Svar. Pirhing. nam cùm nemini invito detur beneficium, vel præſtetur ſervitium; hinc eſt, quòd Juramentum editum cenſeatur intrinſecè includere hanc conditionem, ſi is cui fit promiſſio, acceptaverit eandem: unde ſi eam remiſerit, eo ipſo etiam non obligat ampliùs Juramentum promiſſioni acceſſorium. Quarta eſt, *ſi res in eodem ſtatu permanſerint*; ita habetur *cap. veniens 16.* & *cap. brevi 17. hoc tit.* Et quia accedente notabili mutatione rerum, objectum jurantis variatur, & circa novum non cenſetur jurans habuiſſe intentionem ſe obligandi. Quinta conditio ſubintellecta eſt in pacto, transactione, vel contractu reciproco, *ſi alter contrahens promiſſis quoque ſteterit, & conditiones contractûs obſervârit*; ita colligitur ex *cap. pervenit 3. hoc tit.* Et *cap. ſicut 29. ff. Juramentum hoc tit.*

7. Nota ſeptimò: Juramentum non habet vim confirmandi actus, & contractus, qui ipſo jure naturali ſunt irriti; cujuſmodi ſunt contractus vi, vel dolo extorti, &c. ut notat Vallenſ. Pirhing. & communis DD. Ratio eſt; quia ejuſmodi actus, & contractus verſantur circa objectum illicitum, & peccatum; unde etiam per appoſitionem Juramenti non evadunt validi, & obligatorij; cùm Juramentum non ſit vinculum iniquitatis, *cap. quanto 18. hoc tit.* Juramentum tamen habet vim confirmandi contractus illos, qui Jure civili tantùm ſunt irriti, vel irritari poſſunt; modò aliàs tales obſervari poſſint abſque peccato; quare jurans contrahit obligationem hujuſmodi contractus ſervandi; uti docet Covarr. Abbas, Leſſ. &c. Et ita conſtat ex *cap. cùm contingat 28. hoc tit.* Et ex *cap. licet 2. hoc tit. in 6.* Et ex *cap. quamvis 2. de pactis in 6.* Sed

8. Nota octavò: Juramentum non habet vim confirmandi contractus, & pacta, quæ prohibentur à Iure poſitivo, ſeu civili, & irritantur principaliter, & immediatè ob favorem publicum, ſeu ob utilitatem publicam Reipublicæ; uti notat Azor. Abbas, Vall. &c. Et ita conſtat ex *cap. diligenti 12. de foro compet.* Et quia pactis etiam juratis privatorum non poteſt derogari Iuri communi, ſeu publico *L. Juris gentium 7. ſ. & generaliter ff. de pactis.* Et quia talis contractus, vel pactum eſt contra bonos mores naturales hoc ipſo, quòd ſit contra bonum commune; unde Iuramentum illi adjectum non obligat, *cap. non eſt obligatorium, de Reg. Jur. in 6.*

9. Nota nonò: Iuramentum tamen habet vim cnfirmandi contractus, & pacta, quæ prohibentur, & irritantur principaliter, & immediatè ob privatam utilitatem contrahen-

Digitized by Google

trahentis ; ſecundariò verò etiam ob bonum publicum ; ut notat Azor. Pirhing. Vallenſ. Et quia ita conſtat ex *cap. 2. de pactis in 6.* Et *Authen. ſacramenta puberum.* Et ex *cap. cùm contingat 28. hoc tit.*

10. Nota decimò : Juramentum vergens principaliter, & directè in præjudicium tertij non habet vim confirmandi contractum, vel pactum, cui adjicitur ; uti conſtat ex *cap. cùm contingat 28. hoc tit.* Similiter ſi contractus, vel pactum contineat turpitudinem ex parte creditoris , in cujus favorem juratur, Juramentum quidem obligat ob reverentiam Divini Numinis invocati ; ſed non habet vim confirmandi ejusmodi contractum, vel pactum, ne ſit vinculum iniquitatis, contra *cap. quanto 18. hoc tit.* quale eſt Juramentum ſolvendi uſuras , *cap. debitores 6. hoc tit.* Debet autem turpitudo illa eſſe de naturali, vel Divino Jure ; nam ſi ſit de humano tantùm Jure, Juramentum confirmat contractum ; quia ſupplet vitium, *cap. quamvis, de pactis in 6.* purgat vitium nullitatis Jure civili inductæ ; ſecundùm Vallenſem, & cæteros DD.

11. Nota undecimò : Juramentum doloſum, vel ſimulatum editum ab eo, qui per fraudem, & dolum accepit verba Juramenti in alio ſenſu , quàm præſeferunt, non eſt validum, nec obligat ; ita conſtat ex *can. auris can. 22. q. 4.* ubi non verba, ſed voluntas, & intentio conſideranda dicitur, cui verba deſerviunt.

12. Nota duodecimò : Juramentum promiſſorium factum homini ſemper cenſetur eſſe perſonale ex parte jurantis ; unde hæredem ejus non afficit, aut ſucceſſorem ; uti notat Abbas, Covarr. &c. Ex parte tamen illius, cui fit, eſt reale ; adeoque tranſit ad hæredem, & ſucceſſorem illius ; teſte eodem Covarr. Svar. Laym. &c. uti colligitur ex *L. ſi pactum 9. ff. de Probat.*

13. Nota decimo tertiò : Juramenta ſubditorum aliquomodo irritari poſſunt, ſicut Vota ; & quidem ab eis, qui pollent poteſtate dominativâ in Jurantem ; qualem habent Prælatus reſpectu Religioſi ; Parens, & Tutor reſpectu impuberis ; Summus Pontifex reſpectu omnium Fidelium ; ut ſentit Sylveſt. Laym. Sotus, Tolet. &c. Et quia eadem eſt ratio de Juramentis ; ac de Votis ſubditorum : ſed Vota ſubditorum irritari poſſunt ab habentibus dominativam poteſtatem ; ut docui in *Schola mea Theologica, Tom. 4. Tract. de Religione diſt. 4. q. 3.*

14. Nota decimoquartò : Qui gaudent facultate ordinariâ, vel delegatâ diſpenſandi in Votis, poſſunt etiam diſpenſare in omnibus Juramentis, quæ non continent promiſſionem, vel reſervationem Papalem ; ut habet Henriq. Azorius, Laym. Sà, Rodriq. & alij DD. Ratio eſt ; quia quando aliqua duo habent in Jure aliquam æquiparationem ; tunc diſpoſitum de uno , cenſetur etiam diſpoſitum de altero, juxta Reg. Gloſſ. *cap. ſi poſtquam*, verb. *proviſione, de Electionibus in 6.* Sed Juramentum, & Votum habent in Jure aliquam æquiparationem : conſequenter Jure diſpenſantia, & concedentia facultatem diſpenſandi in Votis, diſpenſant & concedunt etiam facultatem diſpenſandi in Juramentis.

15. Nota decimoquintò : Etiam commutari poſſunt Juramenta , vel ab habente Poteſtatem ordinariam ; vel delegatam diſpenſandi, & commutandi ; ſi Juramenta ſint edita in honorem DEI ; vel ab eo, cui Juramentum eſt factum ; & ſit acceptatum, quando editum eſt in favorem hominis ; uti habet Leſſ. Herincx, & alij. Tum quia ita patet ex praxi Eccleſiæ , & communi DD. ſenſu. Tum quia non eſt potior ratio de Juramentis ; quàm de Votis : ſed Vota poſſunt commutari ; ut dico *in Schola mea Theologica, Tom. 4. Tract. de Religione diſt. 4. q. 4.*

16. Nota decimoſextò : violare Juramenta promiſſoria legitima, & valida eſt peccatum mortale ; uti notat Tabiena, Gabriel, Leſſius &c. Ratio eſt ; quia DEO in teſtem promiſſionis ſervandæ aſſumpto injuriam, & irreverentiam magnam irrogat ; quod ſub mortali peccato prohibitum eſt. Similiter jurare ſinè interna intentione adimplendi Juramentum eſt mortale ; ut habet Herincx &c. Ratio eſt ; quia & taliter jurans DEO graviter irreverens eſt , dum eum adducit ad teſtandum falſum.

TITULUS XXV.

DE EXCEPTIONIBUS.

CAP. I.

De quidditate; & multiplicitate Exceptionum.

1. Nota primò: *in præſenti Titulo* afferuntur arma reciproca, quibus Reus contra Actorem ſe ſe defendere ſolet, & intentionem ejusdem elidere, opponendo videlicet eidem Exceptiones; quæ ſunt quædam defenſiones Rei factæ in ordine ad enervandas probationes, & actiones Actoris partim ante, partim poſt litem conteſtatam. Unde

2. Dico primò: rectè deſcribitur Exceptio, quòd *ſit excluſio actionis, ſeu intentionis agentis.* Ita dicitur *L. 2. in princ. ff. hoc tit.* Ly *excluſio* eſt genus: reliqua habent rationem differentiæ. Exceptio ſic deſcripta cenſetur eſſe Juris gentium, ſecundùm Zoeſ. cùm pertineat ad defenſionem ſui, & ſit excluſiva actionis, quæ ſecundùm ſuam originem eſt Juris gentium, teſte Abbate: cujus autem Juris eſt actus, ejusdem eſt & diſtractus. Unde ab Exceptione nemo arcendus eſt: & ideo etiam excommunicato licet excipere, *cap. 5. hoc tit.*

3. Nota ſecundò: Exceptionis ut ſic variæ ſunt diviſiones, & ſpecies. *Primò* enim partitur in dilatorias, & peremptorias, *L. 2. cit. §. ult. Dilatoriæ* (quæ & *temporales* dicuntur) ſunt, quæ non perimunt actionem, ſeu cauſam; ſed eam ſuſpendunt, ſeu differunt ad tempus, *L. 2. §. ult. ff. hoc tit.* talis eſt Exceptio pacti de non petendo ante tempus, *Inſtitut. hoc tit. §. temporales. Peremptoriæ* (quæ & *perpetuæ* vocantur) ſunt, quæ perimunt jus Actoris, ſemperque agentibus obſtant *cap. 1. de litis conteſtat. in 6.* unde & *perpetuæ* dicuntur; talis eſt Exceptio doli mali; Exceptio metûs; Exceptio pacti conventi de non petendo; Jurisjurandi; ſolutionis, præſcriptionis; rei judicatæ; & ſimiles *§. appellantur Inſtit hoc tit.* Et *L. 3. ff. eod.*

4. Nota tertiò: Dilatoriæ Exceptiones *ſecundò* ſubdividuntur in varias alias ſpecies; unde *quædam Dilatoriæ* ſunt, quæ reſpiciunt perſonam Judicis, & vocantur *Fori declinatoriæ*; hæ opponuntur Judici ex eo, quòd ſit incompetens, ſeu carens Jurisdictione; vel alio impedimento laboret ad cognoſcendam cauſam. *Aliæ* ſunt quæ reſpiciunt perſonam vel Actoris, vel Procuratoris; hæ opponuntur alteri parti litiganti ex eo, quòd non ſit capax ad agendum: puta quia eſt filiusfamilias; excommunicatus; aut aliquo impedimentô laborans. *Aliæ* ſunt, quæ reſpiciunt perſonam Rei conventi; hæ opponuntur Actori, quærendo coram Judice, ſe ab Actore ſpoliatum, & ideo reſtitutionis beneficium implorat, antequam reſpondere cogatur. *Aliæ* demum reſpiciunt cauſam, & deſumuntur ex actionis qualitate, ex loco, tempore, vel alijs circumſtantijs; ut quòd libellus ſit obſcurus, vel ineptus; quòd facta ſit citatio tempore feriarum; aut ad locum non tutum *cap. paſtoralis 4. hoc tit.*

5. Nota quartò: *tertiò* partitur rurſus Exceptio in perſonalem, & realem, *L. exceptiones 7. ff. hoc tit. Perſonalis* eſt, quæ datur intuitu perſonæ, eamque non egreditur; unde non conceditur hæredibus ejus, multò minùs extraneis perſonis v. g. fideijuſſoribus ejusdem. *Realis* eſt; quæ rei cohæret, eamque ſequitur; unde etiam tranſit in hæredem, & fideijuſſores; talis eſt Exceptio rei judicatæ; doli mali; quòd metûs cauſa factum eſt; & pacti in rem, ſive ut nullo modo debitum petatur, *cit. L. 7.*

6. Nota quintò: *quartò* Exceptio diſtinguitur in Civilem, & Prætorianam. *Civilis* eſt, quæ à Jure Civili eſt introducta; talis eſt Exceptio fori declinatoria *L. ult. C. hoc tit. Prætoriana* eſt, quæ à Prætore ob naturalem æquitatem eſt inducta; talis eſt Exceptio doli mali, & metus cauſâ, *L. qui æquitate 12. ff. de doli, & metus except.*

7. Nota ſextò: *quintò* reperiuntur etiam quædam Exceptiones, quæ quidem apparent eſſe perſonales, eò quòd concedantur tertiis perſonis; attamen ob materiam, quam concernunt, potius *Mixtæ* appellandæ ſunt: & ſunt quatuor ſortes earum. *Prima* eſt Exceptio reſtitutionis in integrum, competens minori 25. annis; hæc *mixta* dicitur, quia datur etiam ejus fideijuſſoribus, ſi is dolo adverſarii deceptus ſit; ſecùs ſi ſui facilitate, *cit. L. 7.* junctâ

Gloſſa

Digitized by Google

Gloſſâ verb. *idem dicitur, 16. ff. de minor.* *Secunda* eſt, Exceptio competens filiofamilias ſinè conſenſu Patris mutuum accipientis ex Senatûs conſulto Macedoniano: hæc *mixta* dicitur, quia ſi filiusfamilias eo conveniatur; tunc & ipſi, & ejus fidejuſſori competit, *L. cit. 7.* *Tertia* eſt, Exceptio Senatûs conſulti Vellejani, per quam ſuccurritur mulieri, ſi per ſuam interceſſionem, vel fideijuſſionem lædatur, *toto tit. ff. de C. de Senatus conſulto Vellejano*: dicitur *mixta*, quia pariter ei, & fideijuſſoribus competit. *Quarta* eſt, Exceptio operarum, quas Patronus ſuo liberto in ejus manumiſſione imponit; dicitur *mixta*, quia & liberto, & ejus fideijuſſoribus competit, ut non teneantur eas operas præſtare; quippe quæ onerandæ libertatis causâ ſunt impoſitæ, *cit. L. 7.* Demum dantur in Iure quoq; Exceptiones contra teſtes productos à partibus litigantibus; de quibus vide *tit. 22.* ſupra per totum.

CAP. II.

De tempore Exceptionū proponendarum; & unde formandæ.

1. Dico primò: Dilatoriæ Exceptiones pleræque proponendæ ſunt ante litis conteſtationem, cujus & ingreſſum impediunt, vel intra terminum à Iudice poſitum. Ita Zoëſ. Vall. Engel &c. Et ita conſtat ex *L. penult. C. hoc tit,* Et *L. fin. ff. eod.* Et *cap. inter Monaſterium de re judic.* Et *cap. cùm cauſam 62. de appellat.* Et quia hujusmodi Exceptiones reſpiciunt ea, quæ potiſſimè Iudicium conſtituunt, videlicet perſonas, tempus, & locum: quô jam conſtitutô, præpoſterè proponuntur; cùm pars ijs renunciâſſe videatur, ante litem aut intra terminum à Iudice aſſignatum eas non proponendo, *cap. 4. hoc tit.* Niſi poſtea ex nova cauſa emerſerint; aut juſta ignorantia ſubfuerit, quæ tamen Iuramentô debet probari: aut de ijs poſtea proponendis proteſtatus fuerit, *cap. paſtoralis 4. hoc tit.* Aut proceſſus retroactus reddatur nullus ob falſi Procuratoris Exceptionem, *cap. cum venerabilis de Procurat.* Vel niſi excommunicationis majoris Exceptio opponenda ſit, quæ etiam poſt litem conteſtatam objici poteſt; *cap. 12. hoc tit.* & hoc ideo nè quis in periculum animæ ſuæ cogatur communicare cum excommunicato, *Clement. 1. hoc tit.* Vel niſi cauſa ſuſpicionis de novo ſuborta fuerit, quæ novô eget remediô, *L. de ætat. 11. ff. de interr. action.*

2. Dixi in concluſione *pleraque*: quia Exceptiones dilatoriæ reſpicientes ipſam cauſam poterunt etiam poſt litem conteſtatam proponi; Reus enim non videtur ſibi in ullo præjudicare ante litem non proponendo; cùm ea, quæ cauſam concernunt, nonniſi Iudiciô jam conſtitutô ſint proponenda, ac tractanda; utì notat Zoëſius hìc.

3. Nota primò: Exceptiones autem Dilatoriæ illæ, quæ *Fori declinatoriæ* appellantur, & ante litem conteſtatam producendæ ſunt, formari poterunt ex vario capite; puta vel quia Iudex ſit incompetens: vel ſuſpectus propter cognationem, & affinitatem, quâ attingit Actorem, *L. qui Jurisdictioni 10. ff. de Jurisdict. omn. Judic.* Vel quod idem Iudex inimicitias cum Reo habeat, *L. ſi pariter 9. ff. de liber. cauſa*; vel quòd ſit imperitus Iuris, aut impar magnitudini cauſæ; vel quòd in eadem cauſa egerit advocatum; vel ejusdem ferme generis litem habeat; vel ob aliam cauſam juſtam, quæ meritò ſuſpicionem moveat Reo, *cap. poſtremo 36. de appell.*

4. Nota ſecundò. Exceptiones ex aliquo præfatorum capitum deſumptæ in ordine ad recuſandum Iudicium, debent in ſcriptis fieri, & quidem coram eodem Iudice; debetque cauſa ſuſpicionis clarè inſeri, & coram arbitris utrinque electis probari; quâ ritè probatâ obligatur Iudex cognitionem cauſæ remittere ad alium de conſenſu recuſantis; vel ad ſuperiorem; ut notat Vallenſ. Non probatâ autem tali causâ ſuſpicionis, idem Iudex ejusdem perſeverabit, *cap. ſecundo 14. ſ. tertio.* Et *cap. cum ſpeciali 61. de appellat.*

5. Nota tertiò: Exceptiones dilatoriæ, quæ reſpiciunt perſonam Actoris formari poſſunt pariter ex multiplici capite; v. g. quòd Actor ſit vel filiusfamilias; vel minor 25. annis; vel Religioſus; vel excommunicatus; vel proſcriptus; vel crimînoſus; vel mente captus, &c. Quæ verò reſpiciunt perſonam Procuratoris ſic præparari poſſunt, quòd ſi ſit vel miles; vel fœmina; vel mutus & ſurdus; vel accuſatus de crimine; vel minor 25. annis: vel carens totaliter mandatô; vel non habens ſufficiens mandatum; vel non ſit legitimè conſtitutus, videlicet à minori, & ſinè authoritate tutoris, vel curatoris, vel à Procuratore ſubſtituente, qui jus ſubſtituendi non habet &c. Quæ pariter opponi poſſunt contra Procuratorem Rei

Digitized by Google

conventi; niſi quòd hìc abſque mandato defenſionem Rei legitimè in ſe ſuſcipiat.

6. Nota quartò: Exceptiones dilatoriæ quæ perſonam Rei reſpiciunt poſſunt formari exinde, quod is v. g. ſpoliatus ab Actore ſit ante omnia reſtituendus, &c. Exceptiones quæ reſpiciunt cauſam formari poſſunt ex qualitate actionis, & circumſtantijs loci, temporis, &c. v. g. quòd libellus ſit ineptus, vel obſcurus; vel quòd citatio facta ſit die feriato, vel ad locum non ſecurum, &c. *cap. paſtoralis 4. hoc tit.*

7. Dico ſecundò: Exceptiones peremptoriæ regulariter producendæ ſunt poſt litem conteſtatam, & proponi poſſunt usque ad ſententiam definitivam. Ita Gloſſa, Zoëſius, Vallenſ. &c. Et ita conſtat ex *L. 2. peremptorias C. ſententiam reſcindi non poſſe.* Et *L. præſcriptionem C. hoc tit.* Et quia ejusmodi Exceptiones Judicium conſtitutum concernunt; ut notat Zoëſ.

8. Nota tamen quintò: quòd quædam harum Exceptionum ante litem cæptam proponi poſſint; cujus etiam conteſtationem impediunt; eò quòd ex ipſis appareat, aut actionem non competere Actori; aut ſolutum eſſe: hujusmodi Exceptiones ſunt rei judicatæ; tranſactionis; & Jurisjurandi *cap. 1. de litis conteſt. in 6.* quæ ideo & *litis finitæ* dicuntur.

9. Dico tertiò: poſt ſententiam definitivam latam nullæ Exceptiones etiam peremptoriæ regulariter opponi poſſunt. Ita Zoëſ. Engel &c. Et ita conſtituitur *L. peremptorias 2. C. ſententiam reſcindi non poſſe.* Et quia latâ ſententiâ ad appellationis beneficium convolandum eſt, *L. ſi Reus minorennis ſit*; vel ad beneficium reſtitutionis, *cit. L. 2.*

10. Nota autem ſextò: circa hanc regulam generalem adeſſe ſequentes limitationes: *Primò*, Exceptio Senatûs conſulti Macedoniani; & Exceptio Vellejani etiam poſt latam ſententiam opponi poſſunt; illa in favorem mulierum; hæc in odium fœneratorum, *L. tamen, 11. ff. ad S.C. Macedonianum.* *Secundò*, permittitur Exceptio Militi poſt latam ſententiam, per *L. 1. C. de Juris & facti ignor.* *Tertiò*, ſimiliter Exceptio competentiæ, quæ datur donatori contra donatarium, poſt ſententiam afferri poteſt *L. Neſennius 41. §. fin. ff. de re judic.* *Quartò*, idem eſt de Exceptione Socij contra Socium; Clerici obærati; & aliorum, nè in plus executio fiat, quam ſervatâ congruâ ſuſtentatione facere poſſunt; uti ex Zoëſio obſervat Engel.

11. Nota ſeptimò: Exceptiones contra teſtium perſonas opponendæ ſunt ante eorum receptionem; vel ſaltèm antè publicationem atteſtationum, & ſententiam definitivam; uti habetur *cap. denique 1. hoc tit.* Contra dicta autem teſtium, ſeu atteſtationes, ſi teſtis arguatur de falſo; vel quòd Actor falſos teſtes produxerit; aut falſis inſtrumentis ſit uſus; etiam poſt ſententiam latam objici poteſt, *cap. cùm venerabilis 6. hoc tit.* Imò ſemper talem Exceptionem opponere poteſt ſententiatus ad impediendam executionem *L. purè 5. §. fin. ff. de doli & met. except.* Ex quibus autem capitibus peti poſſint Exceptiones contra teſtes, vide quæ dixi ſupra *tit. 20. cap. 4. not. 2.*

CAP. III.

Variæ aliæ reſolutiones circa Exceptiones.

1. Dico primò: Is, qui plura habet beneficia, ſi contra alium excipiat de pluralitate beneficiorum, non eſt admittendus. Ita Gloſſa, Pirhing. & Zoëſ. Et ita conſtat ex *cap. cum Eccleſiaſticæ 3. hoc tit.* Et quia non debet quis in alijs reprobare, quod in ſeipſo approbat, & tolerat; uti & è contra conſonum Juri, & viri boni officio eſt, quod in alio reprobat, in ſe non probare, ſecundùm *tit. ff. quod quisque Juris in alium ſtatuit.*

2. Dico ſecundò: unusquisque poteſt pro defendenda ſua Eccleſia objicere Exceptionem vel excommunicationis, vel perjurij, vel aliam legitimam Exceptionem; nec taliter excipiens viciſſim per replicationem excommunicationis, vel perjurij repelli poteſt. Ita Gloſſa, Abbas &c. Et ita conſtat ex *cap. dilecti 8. hoc tit.*

3. Dico tertiò: ſi contingat per Exceptionem ſuſpenſionis ab Officio; & beneficio, contra quam replicatur (talem ſcilicet ſuſpenſionem fuiſſe invalidam) retardari ordinationem, ſeu proviſionem Eccleſiæ; tunc abſolutio impertienda eſt à ſuperiore ad cautelam. Ita communis DD. Et ita habetur *cap. Apoſtolicæ 9. hoc tit.*

4. Dico quartò: quando facienda eſt Exceptio rei judicatæ, ſeu ſententiæ latæ per Judicem ſæcularem in cauſa fori mixti, poteſt eadem opponi coram Judice Eccleſiaſtico, & ab

& ab eodem debet admitti: ſimiliter quando facienda eſt Exceptio ſententiæ latæ per Judicem Eccleſiaſticum, poteſt eadem objici coram Judice ſæculari, qui pariter illam admittere debet. Ita Gloſſa, & communis DD. Et ita deciditur in *cap. cum quidã ult. hoc tit. in 6.*

5. Dico quintò: dum opponitur Exceptio declinatoria Juriſdictionis, vel alia ſimilis dilatoria, & ipſa à Judice non admittatur, adeoque opponens appellat contra Judicem; tunc coram Iudice appellationis tenetur probare Exceptionis factæ legitimationem, & veritatem; quô ſufficienter oſtensô Judex declarabit quidem appellationem eſſe legitimam; ſed non debet cognoſcere ſuper cauſa principali. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. olim 7. hoc tit.*

6. Dico ſextò: Reus per ſententiam Iudicis abſolutus ex eo opponere quia rem non poſſidet nequit Exceptionem rei judicatæ; ſi poſtea rem iterum poſſideat. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. adverſario 13. hoc tit.*

7. Dico ſeptimò: opponens Exceptionem contra intentionem adverſæ partis, non propterea eam fateri cenſetur. Ita communis DD. Et ita conſtat *cap. cùm venerabilis 6. hoc tit.* Et quia Regula *63. Juris in 6.* ait; *Exceptionem objiciens non videtur de intentione adverſarij confiteri.*

8. Dico octavò: conceſſum eſt, non unâ duntaxat; ſed pluribus uti Exceptionibus; etſi eæ ſint diverſæ ſpeciei. Ita Zoëſ. Pirh. &c. Ratio primi eſt; quia plures defenſiones non ſunt prohibitæ, *L. 5. C. hoc. tit.* Ratio ſecundi eſt; quia ita conſtat ex *L. nemo ff. eod.* Unde qui primò propoſuit Exceptionem Jurisjurandi; poteſt etiam poſtea proponere Exceptionem Rei judicatæ; vel aliàs, *L. cit. 5.* Imò etiam plures Exceptiones contrarias poteſt quis ſucceſſivè, & disjunctivè, ſeu alternativè, & conditionaliter proponere; ut ſi Actor neget unam eſſe veram; ad alteram ei oppoſitam probandam tranſire poſſit; ut notat Zoëſ. Pirh. &c.

9. Nota primò: Exceptioni adverſatur *Replicatio*; hâc enim Actor elidit Exceptionem Rei, ſi minùs juſta appareat, quàm ut actionem excludat. Contra Replicationem autem rurſus conceditur Reo reſponſio, quæ vocatur *Duplicatio*, per quam evacuantur objectiones in Replica allegatæ. Contra duplicationem iterum admittitur Actori reſponſio, quæ *Triplicatio* vocatur: hujus objecta diluit Reus per ſuam *Quadruplicationem.* Ultra autem iſtam Quadruplicationem, ſaltem in tribunalibus Eccleſiaſticis, partes litigantes non ampliùs audiendæ ſunt, maximè quoad teſtes, *cap. licet, de Teſtib.* ſed cauſa concluditur à Judice. Quod ſi autem partes ultra præfatas impugnationes admittantur ad ulteriores, uti fit in quibuſdam tribunalibus ſæcularibus, tunc multiplicantur tantùm prædicta nomina tam diu, donec finis imponatur concluſioni *L. 2. ff. hoc tit.*

CAP. IV.

De Exceptionibus in tribunali Ordinis S. Franciſci.

1. Nota primò: Reis Minoritis de Obſerv. & Reform. concedendæ ſunt juſtæ Exceptiones, quando criminaliter proceſſantur; uti habent Conſtitutiones generales Valliſol. *cap. 7.* Eſtque Ratio; quia hæ pertinent ad defenſiones, quæ ſunt Juris naturæ.

2. Nota ſecundò: Exceptiones porro formari poterunt, quandoque contra Judicem ipſum regularem; ut quòd is ſit inimicus, vel aliunde impeditus à munere judicandi. Quãdoque contra teſtes; ut quòd ſint inimici, corrupti, falſi, varij, vacillantes, nimis animosè deponentes, doloſi &c. Quandoque contra indicia, & præſumptiones inde ſumptas; ut quòd ſint inſufficientia. Quandoque contra confeſſionem; ut quòd ſit invalida, extorta, vel extrajudicialis. Quandoque contra corpus delicti; ut quòd non ſit probatum. Elici etiam poterunt quandoque Exceptiones à mentis obfuſcatione, calore iracundiæ, provocatione, ab ebrietate, à confeſſione ſpontanea, à dignitate perſonæ, à non ſervato juris ordine, à multitudine committentium delictum; ac ab alijs ſimilibus locis topicis, quæ pro Rei defenſione proficuæ eſſe ſolent: quæ, & ſimiles Exceptiones ab Excipiente Minorita adduci debent cum omni decenti modeſtia Religioſa; ita habet *Practica criminalis Ordinis.*

3. Nota tertiò: Minor, qui excipiendo opponit, & publicat crimen occultum, non eſt à Judice regulari audiendus: & crimen opponens, quod probare nequit, pœnâ talionis mulctandus eſt: allegans verò ſinè cauſa legitima Judicem talem eſſe ſuſpectum, injuriarum actione tenetur ipſe Patronus; juxta *Practicam criminalem Ordinis.* Judex debet Exceptiones, & defenſiones purgare ab articulis impertinentibus, qui videlicet nec directè cauſæ adminiculantur; item reſecare, abjicere, & corrigere infamatorios illos, qui omnino

Digitized by Google

mnino non ſunt neceſſarij ad Exceptiones, & defenſiones; *ibidem.* Ut Reus regularis debitè excipere valeat, eidem copia proceſſûs ex integro aſſignanda eſt à Judice; *ibidem.*

TITULUS XXVI.

DE PRÆSCRIPTIONIBUS.

CAP. I.

De quidditate; differentia; fine; & effectu Præſcriptionis.

1. NOta primò: Præſcriptio eſt ſpecies inſignis Exceptionis peremptoriæ, de qua *priori Tit.* uti notant hic communiter Interpretes: Unde meritò *hoc tit.* proponitur examinanda. Nomine autem *Præſcriptionis* veteris Juris conſulti intellexerunt generaliter omnem Exceptionem, quæ opponitur generatim ad excludendam actionem ab Actore intentatam; uti patet ex Rubr. *L. 10. 11. & 23. ff. de except. & præſcript.* Unde in hac acceptione generali præſcribere idem eſt, quod excipere, *L. ult. ff. de ſuſpect. tutor.* Verùm poſteriores Juriſperiti, & Canoniſtæ Præſcriptionis uſurpationem conſtrinxerunt; ut videlicet ſignificet tantùm illam Exceptionem, quæ opponitur domino, rem ſuam ab alio per tempus à lege definitum, & conditionibus ad id requiſitis poſſeſſam, vindicanti. Et de Præſcriptione in iſta ſpecifica acceptione procedit præſens Titulus Juris Canonici; & *L. 3. ff. de uſu cap.* ubi etiam definitur, quòd *ſit adjectio dominij per continuationem poſſeſſionis temporis à lege definiti.* Ego

2. Dico primò: rectè deſcribitur Præſcriptio, de qua hìc, quòd *ſit acquiſitio dominij, per continuationem temporis lege definiti, adminiculantibus bonâ fide, juſtô titulô, poſſeſſione, & aptitudine rei præſcriptibilis; pariens Exceptionem contra priſtinum poſſeſſorem.* Ly *acquiſitio* eſt genus: reliqua habent rationem differentiæ. Ly *dominij* accipitur hìc latè, ut complectatur etiam alia Jura, quæ præſcribi poſſunt; cujuſmodi eſt uſusfructus, ſervitutes, &c. Ly *per continuationem temporis lege definiti*, indicat unam conditionem principalem, & neceſſariam requiſitam ad omnem Præſcriptionem. Ly *adminiculantibus bonâ fide, juſtô titulô &c.* oſtendit effectum, & vim, quam habet Præſcriptio.

3. Nota ſecundò: priſcos Juriſconſultos varias poſuiſſe differentias inter Præſcriptionem, & Uſucapionem; verùm apud poſteriores Legiſtas, & maximè Canoniſtas non niſi nominalis eſt diſtinctio inter ipſas; ſicque pro Synonimis capiuntur *Præſcriptio*, & *Uſucapio*; etſi velit Engel, & quidam alij DD. quòd Uſucapio propriè convenit ſolis rebus corporalibus; Præſcriptio verò competat rebus tum corporalibus, tum ſpiritualibus. Non eſt autem attendenda doctrina Mynſing. Accurſij, & Schneid. qui differentiant Præſcriptionem ab Uſucapione, ex eo, quòd Uſucapio ſit rerum mobilium; Præſcriptio verò rerum immobilium; cùm etiam res immobiles uſucapiantur, *L. ſequit. 4. ſ. ſita.* Et *L. à quo 21. ff. de uſucap.*

4. Dico ſecundò: Præſcriptio, ſeu Uſucapio introducta eſt primitùs à Jure Civili ob utilitatem publicam; & deinde approbata à Jure Canonico. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *Inſtit. de Uſucap.* Et *L. 1. ff. de uſucap.* Et quia hoc exigebat publicum bonum, nè incerta ſemper eſſent rerum dominia, & infinitæ lites circa rerum proprietates, *cit. L. 1.* Et *L. ult. ff. pro ſuo*; quæ ſanè evaderent immortales, ſi conceſſum foret, à bonæ fidei poſſeſſoribus repetere res poſt diutinas poſſeſſiones earundem. Hac ratione etiam ſuccurritur timori immortali poſſeſſorum, quô terrerentur, ne res ab eis poſſeſſæ evincantur. Ratio ſecundi eſt; quia ita patet ex *toto iſto Tit.* ubi variæ Præſcriptiones approbantur.

5. Nota tertiò: Præſcriptionem locum, effectum, ac vim habere non ſolùm in foro externo; ſed etiam in foro interno, ſeu conſcientiæ; ita ut ſalvâ conſcientiâ res illa, quam poſt completam Præſcriptionem præſcribens agnoſcit eſſe alienam, retineri poſſit tanquam propria, dummodo requiſita à Jure Canonico adſint. Nam qui præſcribens eſt, jam dominium acquirit rei alienæ, *L. 3. ff. uſucap.* Unde *can. Clerici 11. can. 16. q. 4.* dominium per Præſcriptionem acquiſitum, vocatur proprietas.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

De aptitudine rei præſcriptibilis; & poſſeſſione ejuſdem, ac requiſitis ad Præſcriptionem legitimam.

1. Nota primò: ut legima evadat Præſcriptio, & transferat verè dominium, poſſitque ritè opponi adverſario per modum Exceptionis, debet continere ſequẽtes conditiones; ſcilicet aptitudinem rei præſcribilis, poſſeſſionem, bonam fidem; juſtum titulum; & certum tempus à lege definitum; utì notant communiter DD. Sylv. Vallens. Zoëſ. Engel, Rath, &c. & continentur his verſibus

Sit res apta; fides bona; ſit titulus quoque juſtus; Poſſideas juſtè; completo tempore Legis. Circa primam Conditionẽ aptitudinis.

2. Dico primò: res quæ præſcriptioni legitimæ ſubſterni petit, debet eſſe talis, in qua Jura non prohibent fieri Præſcriptionem; ſeu debent eſſe aptæ ad præſcribi. Ita communis DD. Ratio eſt; quia Jura inhabilitant nonnullas res ad Præſcriptionem; cujuſmodi ſunt res ſacræ, & religioſæ *Inſtit. de uſucap.* item res publicæ, ut fora, theatra &c. *L. uſucapionem 9. ff. de uſucap.* & aliæ plures; de quibus infra ſpeciali *cap. 6.* Res non aptæ ad præſcribi vocantur, *res vitioſæ.* Circa ſecundam Conditionem

3. Dico ſecundò: neceſſaria omnino eſt ad Præſcriptionem legitimam Poſſeſſio. Ita communis DD. Et ita conſtat ex illa reg. 3. *Juris in 6. ſinè Poſſeſſione Uſucapio contingere non poteſt.* Porrò ad Præſcriptionem rerum incorporalium, ſeu Jurium, ſufficit quaſi Poſſeſſio: nam Poſſeſſio propriè dicta eſt tantùm rerum corporalium, *L. 1. in prin. de acquir. poſſ.*

4. Nota ſecundò: Requiritur autem ad Præſcriptionem Poſſeſſio civilis; & ea ſola ſufficit, ſinè naturali: Ratio primi eſt; quia ad Præſcriptionem requiritur talis Poſſeſſio, ex qua poſſit ſequi translatio, & acquiſitio dominij, *L. ſinè 25. ff. de uſucap.* junctâ *L. acquiritur 10. ff. ult. ff. de acquir. rerum domin.* Sed ex ſola naturali Poſſeſſione, niſi accedat etiam civilis, nequit ſequi translatio, & acquiſitio dominij; cùm deſit animus poſſidendi rem ut ſuam: ergo &c. Ratio ſecundi eſt; quia abſens, quem conſtat habere Poſſeſſionem ſolam civilem animô retentam, verè poſſidet, quantùm ad hoc, ut Uſucapio continuetur, *L. ſervi 17. ff. ult. de ff. de furtis* adeoque ſola talis ſufficit ad Præſcriptionem. Non ſufficit autem ſola naturalis: nam colonus v. g. & depoſitarius poſſident rem naturali poſſeſſione; & tamen non præſcribunt.

5. Nota tertiò: Poſſeſſio ut ſubſerviat Præſcriptioni, debet eſſe continua, *L. 3.* Et *L. 31. ff. hoc tit.* Id eſt Poſſeſſio debet eſſe talis, ut ante tempus ad rei, de qua agitur, Præſcriptionem à lege definitum nullo momento ſit interrupta, *cap. illud 8.* Et *cap. auditis 15. hoc tit.* Quarè ſi interrumpatur, ſive per ablationem ipſiuſmet Poſſeſſionis (quæ dicitur naturalis interruptio, *L. naturaliter ff. hoc tit.*) ſive per litis motionem, ac conteſtationem (quæ dicitur civilis interruptio, *L. nemo C. de acquir. poſſ.*) ſive per citationem; Uſucapio nequit produci ad effectum, *cit. L. nemo.*

6. Nota quartò: non eſt neceſſe ut res à præſcribente ſemper perſonaliter poſſideatur; quia Poſſeſſio etiam per alium retinetur, qui nomine principalis rem habet, puta per Procuratorem, filium, ſervum, conductorem, uſufructuarium, &c. *L. 1. ff. 2. cum ſeq. ff. de acq. poſſ.*

CAP. III.

De bona fide, ad Præſcriptionem requiſita.

1. Dico primò: tertia conditio neceſſaria ad legitimam Præſcriptionem eſt bona fides. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. malæ fidei poſſeſſor, de Reg. Jur. in 6.* ubi dicitur, quòd malæ fidei poſſeſſor non præſcribat. Et ex *cap. fin. hoc tit.* Eſt autem *bona fides* credulitas, quâ quis prudenter credit, ac ſibi perſuadet, rem eſſe ſuam; aut ſaltèm ignorat eſſe alienam; ut ſi poſſeſſor judicet illum à quo obtinuit rem, extitiſſe dominum verum ejus (etſi revera non eſſet talis) aut ipſum ſaltèm habuiſſe jus transferendi dominium illius rei, *L. bonæ fidei ff. de verbor. ſignif.*

2. Dico ſecundò: etſi Jure civili in Præſcriptione longi temporis dicatur ſufficere ad præſcribendum bona fides, quæ adeſt ſolùm tempore inchoandæ Præſcriptionis; attamen Jure Canonico requiritur bona fidds non tantùm ad inchoandum; verùm etiam continuandam Præſcriptionem ſemper, donec tempus à lege definitum effluat. Ita Gloſſa, Covarr. Pirhing, &c. Primum conſtat ex *L. unic.* junct. Gloſſ. verb. *ab initio ff. de uſucap. transf.* Secundum ſtatuitur in

cap.

Digitized by Google

cap. quoniam 20. & ult. hoc tit. Et quia ſupervenientemala fide in defluxu temporis, peccaret remillam retinendo; adeoque ne peccet, requiritur ſemper bona fides, uſque dum tempus à lege definitum effluat.

3. Nota primò: ſi quis exordiatur Poſſeſſionem rei cum dubio, num ſua ſit, an aliena; is cenſetur habere malam fidem; adeoque manente ejuſmodi dubio, nequit inchoare Præſcriptionem; uti notat Covarr. Molin. Vallens. &c. Ratio eſt; quia inchoando Poſſeſſionem rei cum tali dubio peccat: cùm non ſit melior ipſius conditio, quàm alterius; nec majore Jure poſſit exiſtimari rem talem eſſe ſuam, quàm alterius. cum peccato autem non ſtat bona fides, neque Præſcriptio. Quod ſi verò poſt inchoatam jam Poſſeſſionem & Præſcriptionem ſuperveniat primò dubium, an res ſit poſſidentis, vel aliena; poteſt poſſidens non obſtante ejuſmodi dubio continuare Poſſeſſionem, & Præſcriptionem; dummodo adhibeat debitam diligentiam ad inveſtigandum, an res talis ſit ſua, vel aliena; uti obſervant *cit.* DD. & conſtat ex *cap. ult. hoc tit.*

4. Nota ſecundò: qui ex ignorantia affectata, vel craſſa arbitratur rem, quam poſſidet, eſſe ſuam; cùm reverà ſit aliena; non poſſidet ipſam bonâ fide; & conſequenter nec præſcribit ullo unquam tempore; tametſi practicè judicaret, ſe eam poſſidere licitè; uti advertit Mollin. Pirh. Ratio eſt; quia Præſcriptio ſtante ejuſmodi ignorantia nequit fieri abſque peccato mortali; cùm credulitas improbabilis æquivaleat ſcientiæ rei alienæ; adeoque Præſcriptio ex illa conſurgens non minùs rejecta cenſetur, per *cap. cit. ult.* quàm ea, quæ oritur ex conſcientia rei alienæ.

5. Nota tertiò: bona fides ad Præſcriptionem neceſſaria non eliditur per ignorantiam invincibilem facti; vel etiam Juris non liquidi, ſed controverſi; bene tamen per ignorantiam Juris clari; uti notat Covarr. Leſſius, Pirhing. Abbas &c. Ratio primi eſt; quia ſicut ignorantia invincibilis facti excuſat à peccato; ita neque impedit bonam fidem, & Præſcriptionem; cùm à Jure non ſit reprobata: Ratio ſecundi eſt; quia Jus controverſum, & circa quod verſantur diverſæ ſentētiæ probabiles DD. relinquit utramque partem probabilem, ita ut in praxi utraque amplexari poſſit; & conſequenter non conſtituit poſſeſſorem in mala fide. Tertium conſtat ex *L. 4. ff. de Jur. & facti ignor.* ubi dicitur, ignorantiam Juris (ſubaudi clari, & indubitati) nunquam prodeſſe, vel ſufficere ad Præſcriptionem.

6. Dico tertiò: mala fides Theologica cum conſcientia rei alienæ anteceſſoris nocet ſucceſſori univerſali; hoc eſt hæredi; ita ut talis ſucceſſor nunquam poſſit præſcribere, etiamſi bonam fidem habeat, neque velit computare tempus, quô anteceſſor rem malâ fide poſſedit. Ita Baldus, Gloſſa, Abbas &c. Et ita habetur *L. cùm heres 11. ff. de diverſ. & temp. præſcript.* Et quia ſucceſſor univerſalis, ſeu hæres ita repræſentat perſonam defuncti, ut ſuccedat in omnia ejus jura, obligationes, & onera, & formet unam perſonam cum eo: unde ſicut anteceſſor non potuit præſcribere ob malam fidem Theologicam: ita nec ſucceſſor ejus univerſalis. Limitationes tamen varias hirca hanc concluſionem vide apud Covarr. Molin. &c. Mala autem fides Anteceſſoris non nocet ſucceſſori ſingulari, quocunque titulô is ſuccedat, ſive onerosô, ſive gratuitô; ſive ex teſtamento, vel legato; ſive inter vivos; dummodo non ſit hæres; tametſi computari non poſſit ad præſcribendum tempus, quô Anteceſſor malâ fide rem poſſedit: ſed ſolùm incipere poteſt Præſcriptionem, ſi bonam fidem habeat, à ſua poſſeſſione, uti notat Molin. Laym. Et conſtat ex *L. an vitium 5. ff. de diverſ. & tempor. præſcript.*

7. Nota quartò: in re aliqua ſuccedens bonæ fidei Poſſeſſori, poteſt etiam computare tempus Anteceſſoris ſui; ac conſequenter acceſſione temporis illius, quô Anteceſſor rem illam poſſedit bona fide, ut ipſe bona etiam fide poſſidens compleat Præſcriptionem: v. g. ſi Petrus fundum alienum bona fide vendit Paulo, quem quinque annis poſſedit; poterit Paulus emens complere Præſcriptionem, ſi rurſus alijs 5. annis inter præſentes eundem fundum poſſideat, *§. inter venditorem; Inſtit. de uſucap.*

CAP. IV.

De Titulo, ad Præſcriptionem requiſito.

1. Dico primò: quarta conditio ad Præſcriptionem neceſſaria eſt titulus juſtus. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ita conſtat ex regula illa generali, quæ habetur *L. nullo juſto 24. C. de rei vindic.* quòd abſque juſto titulo non poſſit dominium per uſucapionem, ſeu Præſcriptionem acquiri: unde defectu ejus colonus, conductor, inquilinus, & ſimiles rem conductam non præſcribunt. Eſt autem *Titulus* aliqua cauſa habilis ad transferendum dominium, vel uſucapiendi conditionem; ut notat Vallens. Engel,

Digitized by Google

gel &c. tales cauſæ ſunt donatio, emptio, permutatio, legatum, teſtamentum, & ſimiles, *L. diutina C. de præſcript. long. temp.* his enim dominus tradens transfert dominium; ſi verò dominus non ſit, ſaltèm uſucapiendi conditionem præſtat. Unde alij Tituli, qui ex natura ſua non tendunt ad translationem dominij (uti ſunt depoſitum, commodatum, &c.) etiam ſunt inhabiles ad uſucapionem.

2. Nota autem primò: quadruplex communiter aſſignatur Titulus, ſcilicet verus, putativus, coloratus, & præſumptus. *Verus* eſt, cui non ſubeſt ullus error; talis eſt vera donatio, emptio &c. *Putativus* (qui & *exiſtimatus* dicitur) eſt, qui merito, & juſto errore putatur eſſe verùs; talis eſt legatum, quod hæres alicui tradit quaſi legatum ex teſtamento; cùm reverà legatum non ſit. *Coloratus* (qui & *apparens* vocatur) eſt, qui apparet eſſe verus; reverà tamen verus non eſt; talis eſt donatio, vel emptio ob latentem defectum invalida, quippe facta à non domino; qui tamen creditur eſſe dominus; vel ſaltèm poteſtatem donandi, vel vendendi habens. *Titulus præſumptus* eſt; quando ob temporis diuturnitatem Jus præſumit interveniſſe Titulum; cùm fortè non intervenerit, nèc à poſſeſſore in ſpecie allegari poſſit, qualis fuerit: talis eſt, ſi judicetur hunc fundum eſſe Pauli, utpote quem is longo tempore poſſedit; etſi reverà Pauli non ſit.

3. Dico ſecundò: tam Titulus verus, quàm putativus, & coloratus ſufficiunt ad Præſcriptionem; imò & quandoque præſumptus. Ita communis DD. Ratio primi de *Titulo verò* eſt; quia ita conſtat ex *L. nulla 24. C. de rei vindic.* Ratio ſecundi & tertij de *Titulo putativo*, & *colorato* eſt; quia ita ſupponitur in *L. Celſus 22. ff. hoc tit.* Et *L. cit. nullo.* Ratio quarti eſt; quia circa res pacificè poſſeſſas longiſſimo tempore præſumitur de Titulo aliquo, quô rem illam poſſidet; ac proinde cum tali cohæret Præſcriptio.

4. Dico tertiò: Titulus verus, vel putativus, vel coloratus debet adeſſe, & probari in ordinaria Præſcriptione longi temporis, & triennali uſucapione; & non ſufficit præſumptus, aut bona fides. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *L. Celſus 22. ff. hoc tit.* Et *can. placuit 15. can. 16. q. 3.* In Præſcriptionibus tamen longiſſimi temporis, non requiritur neceſſariò ut adſit, & probetur Titulus verus, putativus, vel coloratus; ſed ſufficit præſumptus, ſeu bona fides, quâ poſſeſſor credit ſe Titulum habere; uti patet ex *L. ſicut 3.* & *L. omnes 4. C. de Præſcript.* Et *cap. cit. placuit.* Niſi reſiſtat Jus commune præſcribenti; vel alia præſumptio ſit contra eum; quo caſu non ſufficit bona fides, & Titulus præſumptus, ſed allegari, & probari debet etiam Titulus legitimus vel verus, vel putativus, vel coloratus; uti conſtat ex *cap. ſi diligenti 17. hoc tit.* Et *cap. Epiſcopum 1. hoc tit. in 6.* Vel certè allegari debet tanti temporis Poſſeſſio, cujus initij memoria non exiſtit *cit. cap. Epiſcopum.*

CAP. V.

De tempore, ad Præſcriptionem requiſito.

1. DIco primò: quinta conditio ad Præſcriptionem neceſſaria eſt illud certum tempus completum, quod à Jure taxatum eſt. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ita patet ex determinatione variarum Legum, mox adducendarum, quæ præfinierunt certam temporis menſuram adimplendam priùs, ut Præſcriptio rei poſſeſſæ conſurgat, & valida evadat. Unde

Nota primò: ad præſcribendum res mobiles cujuſcunque hominis, Loci etiam ſacri; imò Romanæ Eccleſiæ; cujuſmodi ſunt pecuniæ, animalia, &c. Sufficiunt tres anni, cum bona fide, & titulo. Ita habetur *Inſtit. de uſucap.* Et *L. unicâ C. de uſucap. transformanda.* Item *Authent. Quas actiones C. de Sacroſanctis, Eccleſijs &c.* Si verò abſit Titulus, ſpectatô Jure Civili requiruntur triginta anni; uti dicitur *L. 3. C. de Præſcript. 30. vel 40. annorum.*

2. Nota ſecundò: ad legitimandam Præſcriptionem rerum immobilium privatorum hominum, cùm titulo, inter præſentes ordinantur anni decem; inter abſentes anni viginti; ſi titulô careant, tringinta. Ita habetur *Inſtit. de uſucap.* Et *L. cùm in longi C. de præſcript. longi temporis.* Si mala fides circa hujuſmodi res præſumatur contra poſſeſſorem, purganda eſt ſpatiô quadraginta annorum cum titulo: vel immemorabili tempore, id eſt cujus initium memoriam non habet, ſi titulô careat: tunc enim poſſeſſio tanti temporis ſubſtituitur locô tituli: ita colligitur ex *cap. 1. de Reſcriptis in 6.*

3. Nota tertiò: Ut Præſcriptio ſubſiſtat contra res immobiles Romanæ Eccleſiæ, Jus Canonicum *cap. cùm vobis; de Præſcript.* petit centum annos: Contra autem aliarum Eccleſiarum, Hoſpitalium, Monaſterium, & ſimilium piarum cauſarum res immobiles (quo nomine etiam veniunt Jura, & actiones ad illas: ſimiliter fructus ex rebus ad uſumfructum,

ctum, & uſum datis, quæ adhærent immobilibus, & earum naturam induunt) poſtulat quadraginta annos, *cap. illud autem*; Et *cap. ad aures*; *eodem titulo*: & accedit *Authen. C. de Sacroſanctis Eccleſijs.* Contra Regulares tamen per communicationem Privilegij Eugenij IV. Benedictinis conceſſi, modò extra urbem ſint, non præſcribitur, niſi ſpatiô ſexaginta annorum; imò centum annorum; ut Portel, & Rodriquez oſtendunt.

4. Nota quartò; contra bona Principum, non ſupremorum, & patrimonialia Clericorum, præſcribitur lapſu eorundem annorum, quô contra bona privatarum perſonarum, ſupra notab. 1. & 2. ſpecificatorũ. Ita Herincx, Covarr. Baldus &c. Contra verò bona ſpectantia ad Reges, Imperatores, ſeu Coronam (quò etiam pertinent vectigalia) præſcribitur ſpatiô centum annorum. Ita deducunt Juriſtæ ex *L. finali C. de Sacroſanctis Eccleſijs.* Contra ea verò, quæ Principi competunt in recognitionem Supremi Principatûs, & debitæ ſubjectionis, nunquam præſcribitur à ſubdito, *L. competit C. de Præſcript. 30. annorum.*

5. Nota quintò: Actiones Civiles, & debita per eas exigibilia, contra privatos Creditores præſcribuntur fluxu triginta annorum: Ita habetur *L. ſicut in rem C. de Præſcript. 30. vel 40. annorum.* Actio particularis accuſandi adulterum, ut ei pœna infligatur, præſcribitur lapſu quinquennij, per L. *5. C. ad Legem Juliam.* Actio injuriarum lapſu unius anni, per L. *ſi non convitij C. de injurijs.* Actio de alijs criminibus accuſandis lapſu viginti annorum. Ita L. *querela C. de falſis.* Actio ad reclamandum contra Profeſſionem lapſu quinque annorum, ex Trident. *Seſſ. 25. de Regul.* Actio Fiſci contra bona alicujus ob delictum ad Fiſcum eô ipſô devoluta, præſcribitur aliquando contra Fiſcum à Reo, & ejus hæredibus lapſu quinque annorum; v. g. ſi ob non ſolutum vectigal, aut ſimilia, Fiſco debeatur. Ita habetur *L. 2. C. de Vectigalibus, & Commiſſis.*

6. Nota ſextò: nulla currit Præſcriptio in rebus, quæ proficiſcuntur ex mera gratia; cujuſmodi ſunt facultates à Principe ſupremo aliquibus conceſſæ; ut habet Covarr. Herincx &c.

7. Nota ſeptimò: contra Jus Patronatûs Eccleſiæ liberæ ab initio fundationis, poteſt Dominus loci abſque titulo præſcribere primò poſt tempus immemorabile; ſi tamen priùs per ſex annos continuos authenticam fecerit præſentationem. Ita ex Trid. deducit Molina, & Lugo.

8. Nota octavò: olim requirebatur inter præſentes decennium, inter abſentes vicennium ad præſcribendum Beneficium Eccleſiaſticum, quod ab aliquo poſſidetur cum titulo colorato collationis, vel alio, & bonâ fide. Nunc verò vigore Regulæ 33. Cancellariæ, ſufficit ad Præſcriptionem triennium, ſi Beneficium acquiſivit abſque Simonia; quarè contra ejus poſſeſſorem denegat citata Regula omnem actionem in foro externo. Et Sa, Leſſ. Sanch. Navarr. tenent, talem poſſeſſorem in conſcientia eſſe tutum, & acquirere titulum ſufficientem beneficij; cognitâ etiam nullitate prioris tituli colorati.

9. Nota nonò: contra hominem liberum nullâ temporis continuatione præſcribi poteſt, ut efficiatur ſervus. Ita L. *fin. C. de longi temporis præſcript.* Servus tamen Præſcriptione conſequi poteſt libertatem, ſi viceniô bonam fidẽ habuit de ſua libertate; licèt caruerit titulô libertatis. Ita ordinatur *L. 2. C. cit.*

10. Nota decimò: ad formandam Præſcriptionem ſervitutis merè realis, cujuſmodi ſunt tolerantia aquæ ductuum, ſtillicidiorum, &c. contra præſentes, ſi adſit bona fides, & titulus, requiruntur decem anni; contrà abſentes viginti anni. Ita L. *fin. C. cit.* quod pariter currit, etiamſi abſit titulus; modò alter hoc ſciens toleret, & permittat tanto tempore; ut habet L. *1. & 2. C. de ſervitutibus.*

11. Nota undecimò: ut legitimetur Præſcriptio legatorum, & fidei commiſſorum contra legatarium, vel fidei commiſſarium, effluere debent triginta anni, qui vocantur à Jure longiſſimum tempus: ita deducitur ex L. *ult. C. communia, de Legatis* in hunc modum ſtatuente; *Nec uſucapionem, nec longi temporis* (id eſt 10. vel 20. annorum) *præſcriptionem contrà legatarium, & fidei commiſſarium procedere*: ergo ut procedat, requiritur tempus longiſſimum; quod eſt 30. vel 40. annorum; tale enim tempus ſupplet defectum tituli in poſſeſſione bonæ fidei.

12. Nota duodecimò: ſi res aliqua à malæ fidei poſſeſſore tranſierit viâ hæreditatis ad alium poſſeſſorem imediatum, nullo unquam tempore præſcribitur; tametſi bonâ fide eam acceperit, & poſſederit. Ita deducitur ex *L. cùm hæres ff. de diverſis temp. præſcript.* quia ejuſmodi hæres cum priori mortuo malæ fidei poſſeſſore cenſetur una moraliter perſona Juris fictione; & conſequenter etiam utriuſque poſſeſſio una: quapropter cùm poſſeſſio prioris poſſeſſoris fuerit nulla, res apud poſteriorem poſſeſſorem exiſtens nullo unquam tempore poterit præſcribi.

13. Notanter autem dictum eſt: *ad poſſeſſorem immediatum*; nam ſi res jam ulterius tranſierit bonâ fide ad mediatum poſſeſſorem, id eſt ad hæredem hujus hæredis; ille

præfixo

Digitized by Google

præfixo à Legibus ordinario tempore eam præſcribere valet. Dixi etiam *viâ hæreditatis*; quia ſi aliâ viâ donationis, emptionis &c. bonâ fide adjunctâ ad aliquem tranſierit, poteſt præſcribi, ex *L. An vitium ff. de diverſ. temp. præſcript.* Ratio eſt; quia fictio illa Juris de mala fide ſecundum hæredem non afficit: nô enim in more habent Jura duas fictiones facere ex eadem cauſa. Vide plura de tempore Præſcriptionum apud Juriſtas, & Canoniſtas Covarr. Lug. Caſtro Palao, Molinam, Leſſ. Navarr. Sylveſtrum, &c.

CAP. VI.

Quæ res ſint aptæ ad præſcribi; & quæ non.

1\. Dico primò: regulariter omnes res tam mobiles, quàm immobiles poſſunt præſcribi & uſucapi, quæ ſpeciali Jure non prohibentur. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *Inſtit. de uſucap. in prin.* Intelliguntur autem per res *mobiles*, illa entia, quæ locô moveri poſſunt; cujuſmodi ſunt pecunia, veſtis, navis, animalia &c. Per *immobiles* verò quæ non poſſunt locô moveri; tales ſunt prædia, domus, agri, ſylvæ, & ſimilia entia corporalia fixa. Ad has revocantur etiam res incorporales, ut Jura, ſervitutes, debita, actiones &c. prout colligitur ex *Clement. 1. ff. cumq; annui, de V. S.* quòd annui redditus à Jure reputentur inter immobilia. Quæ autem res mobiles, & immobiles præſcribi prohibeantur à Jure, in ſequentibus notabilibus afferuntur. Unde

2\. Nota primò: *imprimis* exemptio ab obedientia ſuperioris legitimi nequit præſcribi; cùm non liceat à capite recedere membra, *cap. cùm non liceat 12. hoc tit.* *Secundò*, res illæ, quæ non ſunt ſubſtratæ commercio hominum; & conſequenter ſub nullius dominio exiſtunt nunquam poſſunt uſucapi, & præſcribi; cujuſmodi ſunt res ſacræ, & religioſæ *L. alienationem 9. ff. hoc tit.* Et *Inſtit. de uſucap. ff. ſed aliquando.* *Tertiò*, Jus pariter viſitandi erga Epiſcopum, vel alium Superiorem præſcribi nequit, *cap. cùm ex officij 16. hoc tit.* Sed neque contra procurationes, quæ Legatis Apoſtolicis debentur, præſcribitur; quando videlicet talis procuratio ex Jure alicui competit; non autem ſi ex privilegio, vel conſuetudine; quia tunc præſcribi poteſt, *cap. cùm ex officij 16. hoc tit.* *Quartò* pariter præſcribi nequeunt illa, quæ ſunt meræ facultatis, ſeu liberæ & gratuitæ voluntatis; uti conſtat ex *L. 2. ff. de via publ.* ubi dicitur; viam publicam populus amittere non poteſt; etiamſi centum annis non ivit; ut addit Gloſſa.

3\. Nota ſecundò: præterea aliæ quoque res juxta Jura Præſcriptioni ſubſterni nequeunt: Et *primò* præſcribi non poſſunt, (intellige ordinario tempore) res furtivæ, & vi poſſeſſæ. Ita *Inſtit. de uſucap. ff. Furtiva quoque res.* Poſſunt tamen hujuſmodi res tempore extraordinario trigeſimô, vel quadrageſimô annô præſcribi, ùt tradunt DD. communiter ex *L. omnes.* Et *L. ſicut in rem Cod. de Præſcript. 30. ann.* *Secundò*, Præſcribi nequeunt ab uno res in communi maſſa exiſtentes, & ad plures pertinentes, *L. ſi communem ff. quemadmodum ſervitus amittitur.* *Tertiò*, Præſcribi nequeunt limites, & fines provinciarum, Epiſcopatuum, & Parochiarum habentium limites, *cap. ſuper eo.* Et *cap. quicumque*, junctâ Gloſſâ. Et *cap. licet in regulis.* Et *can. inter memoratos, cau. 16. q. 3.* *Quartò*, Præſcribi nequeunt res ad publicum uſum deſtinatæ; cujuſmodi ſunt forum, pons, viæ regulares, &c. *L. uſucapionum, ff. de uſucapionibus.* Et *L. Præſcript. C. de operibus publicis.* *Quintò*, Jus decimarum à Laico ſolvendarum, *cap. quamvis 17.* Et *cap. Prohibemus; de decimis.* *Sextò*, Res quæ poſſidentur alieno nomine, v. g. precarium, commodatum, res emphyteuticæ, & feudales, pignus, conductum, præſcribi nequeunt ab eo, qui eas ſimili titulô poſſidet, uti deducitur ex *cap. ſi diligenti 17. de Præſcript.* Et *L. cùm notiſſimi 7. ff. in his. C. de Præſcript. 30. vel 40. ann.* Et *L. nec creditores C. de pignoratitia actione.* Nihilominus ſuper iſta omnia Præſcriptionem exigere poſſunt particulares poſſeſſores, ad quos titulô legati, donati, empti dictæ res devolutæ ſunt; utì deducitur ex *L. an vitium 5. ff. de diverſ. tem. præſcript.*

CAP. VII.

Variæ reſolutiones circa Præſcriptionem afferuntur.

1\. Dico primò: Quivis dominij, & poſſeſſionis ſuo nomine obtinendæ capax poteſt præſcribere, & uſucapere; niſi ſpeciali Jure prohibeatur. Ita Gloſ. Vallenſ. Pirhing. Ratio eſt; quia Præſcriptio eſt modus acquirendi dominium. Unde non ſolùm Paterfamilias; ſed etiam filiusfamilias quoad bona caſtrenſia, & quaſi caſtrenſia, quorum proprietas ſpectat ad filium uſucapere poteſt, *L. ſequitur 4. ff. 1.* junctâ Gloſſâ, verb. *& maximè.* Sic etiam pupillus tam cum authoritate Tutoris, quàm ſinè ea (dummodo habeat animum poſſidendì) præ-

Digitized by Google

ſcribere valet *cit. L. 4.* Item infans, ſed authore Tutore *L. 32. §. de acquir. poſſ.* Item furioſus, id, quod ante furorem poſſidere cæpit, præſcribit, *cit. L. 4.* Idem eſt de amente, ſecundùm Palao, &c. Aliquibus tamen hominibus præſcribere lege vetitum eſt. Unde

2. Nota primò: Clericus nequit præſcribere bona ſuorum beneficiorum, *can. Clerici 11. cauſ. 16. q. 3.* cùm beneficium obtineri non poſſit abſque canonica inſtitutione, *cap. 1. de Reg. Jur. in 6.* Item ſervus prohibetur præſcribere; eò quòd ſuo nomine poſſidere nequeat, *L. qui ſervitute 118. de Reg. Jur.* Item à præſcribendo repelluntur poſſidens rem aliquã precariò, uſufructuarius, & creditor rem ſibi pro pignore datam; in ſumma omnes, qui non ſuo, ſed alieno nomine poſſident; & qui dominij acquirendi non ſunt capaces; cùm Præſcriptio ſit ſpecies alienationis, *28. ff. de V. S.* in omni autem juſta alienatione requiritur tam ex parte alienantis, quàm ex parte acquirentis capacitas acquirendi; ut rectè notat Tholoſ. &c.

3. Dico ſecundò: contra omnes illas perſonas, quæ nequeunt ſtare in Judicio, vel agere, vel Jura ſua tueri, vel bona adminiſtrare, nequit præſcribi. Ita Pirhing. &c. Ratio eſt; quia contra hos in attentante Præſcriptionem vel non eſt bona fides, vel Titulus ſufficiens, vel aliæ cauſæ impedientes: Unde contra pupillum nequit præſcribi ratione minoris ætatis; contra filiumfamilias ratione ſubjectionis; contra captivum ratione captivitatis, &c.

4. Dico tertiò: Prælatus inferior Epiſcopo, qualis eſſet v. g. Archidiaconus, vel Abbas poteſt per poſſeſſionem quadraginta annorum abſque interruptione habitam præſcribere Jura Epiſcopalia in certis Eccleſijs Diœceſis, vel capellis; ita tamen ut de Præſcriptione deducatur tempus, quô vacavit Eccleſia Cathedralis. Ita Abbas, Pirh. &c. Et ita conſtat ex *cap. auditis 15. hoc tit.* Et *cap. cùm olim 18. eod. tit.*

5. Dico quartò: illæ res, quarum alienatio vetita eſt, nequeunt præſcribi. Ita Gloſſa &c. Ratio eſt; quia res eô ipsô, quòd alienari prohibeantur, prohibentur etiam uſucapi; utì ait Gloſſa in *L. ubi Lex 24. ff. de uſucap.* Excipe, niſi res illæ ante prohibitionem alienationis jam incæpiſſent præſcripi; nam tunc præſcribi poſſunt, *L. utì liquet de fundo dotali in L. ſi feudum 16. ff. de fundo dotali.* Vel niſi per tempus immemorabile poſſideantur bonâ fide.

6. Dico quintò: ſi contingat Prælatum habere malam fidem alicujus rei pertinentis ad Eccleſiam, vel Monaſterium, eò quòd ſciat illam eſſe alienam; Capitulum verò, & Conventus habeat fidem bonam, eò quòd ignoret illam eſſe alienam; tunc probabiliter non currit Præſcriptio talis rei, ſi res communiter poſſideatur à Prælato, & Capitulo, vel Conventu. Ita Pirh. Laym. &c. Ratio eſt; quia illi ambo ad Præſcriptionem concurrunt; adeoque uterque bonam fidem habere debet.

7. Dico ſextò: contra vaſallum poteſt extraneus jus feudi, ſeu dominium utile præſcribere ſpatiô triginta annorum, ſive Dominus feudi ſciat, ſive non; ſive conſenſerit, ſive non. Ita Abbas, Gloſſa, Clarus &c. Et ita conſtat ex *lib. 2. feud. tit. 26. ſi de feudo defuncti §. ſi quis.* Contra ipſum autem dominum, ſi is ignoret translationem feudi in extraneum, non præſcribit extraneus jus feudi; niſi tempore immemorabili, vel ſpaciô centum annorum; utì conſtat ex *cap. Imperialem.* ibi, *nullius tempus &c. de prohib. feud. alien. per Frid. lib. 2. Feud. tit. 55.* Si verò Dominus eandem translationem ſciat, extraneus contra eum Jus feudi præſcribere poteſt ſpaciô quadraginta annorum.

8. Nota ſecundò: quòd Præſcriptio dicatur quandoque non procedere, ſeu non currere; eò quòd ob aliquam cauſam non inciþiat, vel non incipere poſſit; ut notat Covar. Molin. &c. Contingit autem potiſſimè ex his cauſis puta, vel quia deeſt poſſeſſio Civilis, vel bona fides, vel titulus, vel quia res non eſt capax ad præſcribi, obſtante ſcilicet Lege. Similiter Præſcriptio dicitur quandoque dormire; ex eò quòd ceſſet currere tempus propter incidens impedimentum; quô tamen ſublatô rurſus currat: hujusmodi dormitio oritur *primò* ex hoſtilitate, ſeu ob bellum *cap. ex transmiſſa 10. hoc tit.* *Secundò* adverſus Eccleſiam quamlibet oritur ex vacantia Eccleſiæ, cujus Prælatus mortuus, vel translatus eſt, *cap. 1. & ult. ne Sede vacante &c.* Unde *cap. auditis 15. hoc tit.* dicitur, quòd tempus, quô Eccleſia vacavit, ſubtrahendum ſit in Præſcriptione. *Tertiò* adversùs Romanam Eccleſiam oritur etiam ex Schiſmate; unde durante Schiſmate non currit Præſcriptio; quia tunc Jura Eccleſiæ malè defenduntur, *cap. cùm vobis 14. hoc tit.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXVII.

DE SENTENTIA; ET RE JUDICATA.

CAP. I.

Quid, & quotuplex ſit ſententia.

1. NOta primò: poſt probationes, & exceptiones utrinque productas, & ſufficienter allegatas juxta partium arbitrium, demum devenitur ad ſententiam, & terminationem litis, quam pronunciat Judex in cauſa controverſa condemnando, vel abſolvendo; à qua ſententia, ſi non appelletur, tranſit ipſa in rem judicatam; & propterea *hoc tit.* utrumque examinatur. Dicitur autem *ſententia* ſic, quòd Judex quid ſentiat ſuper re propoſita, declaret.

2. Dico primò: ritè deſcribitur ſententia in genere, quòd ſit *definitio Judicialis rei controverſæ, facta à Judice, imponens finem controverſiæ.* Ita deducitur ex Gloſſa, Hoſtienſ. & Abbate. Ly *definitio* eſt genus; reliqua collocantur pro differentia. Per ly *definitio rei controverſæ* intelligitur deciſio litis, vertentis inter partes litigantes.

3. Nota ſecundò: ſententia duplex communiter hìc aſſignatur; definitiva ſcilicet, & interlocutoria. *Definitiva* dicitur illa, quæ definit, ac terminat principalem cauſam ſeu controverſiam, abſolvendo, vel condemnando; uti notant *cit.* DD. *Interlocutoria* eſt illa, quæ inter principium, & finem litis ſuper aliquo duntaxat emergente, & incidente articulo profertur; uti habet Gloſſa, Marant. Hoſtienſ. &c. talis eſt, quæ profertur ſuper dilationibus dandis; vel teſtibus producendis; vel repellendis, &c. ex eadem Gloſſa. *Definitiva* dicitur talis à *definiendo*, ſeu terminando cauſam controverſam: *Interlocutoria* autem ſic dicitur à modo proferendi; quia ſcilicet ſummariè inter partes interim, & dum expectatur judicium definitivum, Judex interloquitur de aliquo incidente: vel (uti ex Hoſtienſi obſervat Vallenſ.) quia Judex inter partes loquendo ſinè ſolemnitate ſcripturæ pronunciat.

4. Nota tertiò: DD. plures afferunt differentias inter ſententiam definitivam, & interlocutoriam; principales ſunt iſtæ. *Prima*, quòd definitiva (uti jam dictum eſt) definiat, & terminet totam cauſam principalem, imponendo finem toti controverſiæ: interlocutoria verò hoc non præſtat; ſed tantùm articulum principalis cauſæ finit. *Secunda* eſt, quòd interlocutoriam Judex poſſit revocare; non autem definitivam; nam poſtquam hanc dixit, Judex eſſe deſinit, *L. Judex 55. ff. de re judic.* *Tertia* eſt, quòd ab interlocutoria non poſſit appellari, juxta Jus Civile *L. pen. C. quor. appell. non recip.* à definitiva verò poteſt fieri appellatio. *Quarta* eſt; quòd definitiva debeat ferri in ſcriptis; non autem interlocutoria. *Quinta*, definitiva non valet, ſi non feratur ſervato ordine Juris; interlocutoria verò valet, *can. ſi Epiſcopus cauſ. 11. q. 3.*

5. Nota quartò: ſententia definitiva alia eſt condemnatoria; alia abſolutoria. *Condemnatoria* eſt, quâ Reus juxta allegata, & probata condemnatur ad id, quod æquitati, & legibus conſentaneum eſt; talis eſt, dum Judex pronunciat ſatisdandum eſſe juxta petitionem Actoris. *Abſolutoria* eſt, quâ Reus impugnatus abſolvitur à petitione Actoris; talis eſt, ſi Judex pronunciet non eſſe ſatisdandum juxta petitionem Actoris.

6. Nota quintò; ſimiliter Interlocutoria; alia eſt merè interlocutoria; & alia interlocutoria vim definitivæ habens. *Prima* eſt, quæ quò ad id incidens, ſuper quo fertur, non parit præjudicium irreparabile; talis eſt illa ſententia, poſt quam ſperatur alia ſententia ferenda: talis etiam eſt, quâ Judex defert appellationi. *Secunda* eſt, quæ quoad id incidens, ſuper quo fertur, parit præjudicium; talis eſt ſententia, poſt quam non ſperatur alia ſententia ferenda; eò quòd illa finem imponat tali inſtantiæ; ùt ſententia abſolutoria ab obſervatione Judicij; talis etiam eſt ſententia, per quam appellatio declaratur deſerta: item quâ præcipitur ſolvendum eſſe.

7. Nota ſextò: eſſe diſcrimen inter ſententiam definitivam (quæ propriè ſententia dicitur) & inter rem judicatam. Nam *ſententia* eſt ipſa definitio, ſeu pronunciatio Judicis; adeoque ipſa condemnatio, vel abſolutio Rei conventi per quam imponitur finis

Digitized by Google

cauſæ controverſæ. *Res* verò *judicata* eſt ipſa cauſa controverſa, de qua lata eſt ſententia, & quæ accepit finem per ſententiæ pronunciationem; quod contingit vel abſolutione, vel condemnatione, ut dicitur L. *1. ff. de re judic.* Interdum tamen etiam in Jure uſurpatur ſententia definitiva pro re judicata; quò pactô dici ſolet, *ſententiam tranſijſſe in rem judicatam*, tum reſpectu Judicis, qui poſt pronunciatam ſententiam dicitur functus officiô ſuô, *cap. in literis 9. in fin. de offic. Jud. deleg.* tum reſpectu cauſæ deciſæ per ſententiam definitivam; ſaltem à qua poſt elapſum decennium appellari non poteſt: nam ſententia definitiva, à qua adhuc appellari poteſt, non cenſetur tranſijſſe in rem judicatam.

CAP. II.

De ſolemnitatibus, ſeu forma ſententiæ definitivæ.

1. DIco primò: Sententia definitiva debet in ſcriptis concipi, & poſtea ex ſcripto per ipſum Judicem pronunciari, alioquin eſt nulla. Ita communis DD. Ratio eſt; quia ita ſtatuitur in utroque Jure; in Canonico quidem *cap. etſi 5. & ult. hoc tit. in 6.* In Civili L. *1. C. de ſententiis ex breviculo recitandis.* Excipiuntur tamen Epiſcopi, & viri Illuſtres, ac in dignitate excellenti conſtituti, quibus conceditur, quòd per alium recitare poſſint ſententiam, *cap. fin. hoc tit. in 6.* Et L. *2. C. cit.* Et à fortiori id conceditur Papæ, Regibus, & ſupremis Principibus, quippe qui ſoluti ſunt legibus, L. *digna 4. C. de leg.* & conſequenter ad ejusmodi ſolemnitates, & formâ dicendæ ſententiæ non obligantur.

2. Dico ſecundò: ſimiliter Judex debet pro tribunali ſedens proferre ſententiam definitivam; & quidem in loco publico, & ordinario Judicij; ac partibus citatis; aliàs ſententia eſt nulla. Ita communis DD. Ratio primi *de Seſſione pro tribunali* eſt; quia ita ordinatur *cap. fin. cit.* & ut ſit major attentio. Ratio ſecundi *de loco publico* eſt; quia ita conſtituitur L. *5. C. quomodo, & quando Judex.* Et L. *6. C. de ſent. & interlocut. omn. Judic.* Si tamen Judex ſit tantùm delegatus, poteſt ſibi eligere locum congruum tutum, ac honeſtum, in quo Jus dicat; cùm certam ſedem non habeat; ſicut & arbiter, L. *ſi cum dies 5. §. ſi arbiter ff. de recept. arbitr.* Ratio Tertij; *de partium citatione eſt*, quia ita conſtat ex *Clem. paſtoralis 2. hoc tit.* Et habetur L. *7. C. quomodo, & quando.* Debent autem fieri citationes tres, vel una peremptoriè, L. *contumacia 53. ff. de re judic.* Si autem partes contumaciter ſe abſentent; poteſt à Judice ſententia ferri.

3. Dico tertiò: tandem etiam ſententia definitiva debet à Judice pronunciari tempore congruo; id eſt, non die feriato; de die, & non de nocte; & quidem eodem die, pro quo citatæ ſunt partes; aliàs ſententia rurſus erit nulla. Ita communis DD. Ratio primi *de non die feriato* eſt; quia ita ordinatur *cap. 1. de feriis.* Et L. *fin. C. eod.* Ratio ſecundi, *ut de die feratur ſententia*, eſt; quia ſententiam pronunciare de nocte vetat *cap. conſuluit 24. de Offic. deleg.* ubi dicitur; Judicium non debere exerceri in tenebris; quia illæ aptæ ſunt ad fabricandum falſum; ut monet Gloſſa *ibid.* Ratio tertij, ſcilicet *ut eodem die citationis feratur ſententia*, eſt; quia ſi ſententia feratur ante, vel poſt terminum citationis non valet, tanquam lata parte non citatâ, *arg. L. aut qui aliter 5. in princ. ff. quod vi, aut clam.* Quibusdam autem harum ſolemnitatum hodie longa conſuetudine contraria derogatum eſt in pluribus tribunalibus; quorum proinde ſtylus, & rationabilis conſuetudo erit attendenda; uti rectè admonet Engel.

CAP. III.

De qualitatibus, ſeu conditionibus requiſitis ad valorem ſententiæ definitivæ.

1. DIco primò: ſententia definitiva debet eſſe lata cum cauſæ cognitione; & ſervato Juris ordine; aliàs eſt nulla. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *L. probatum 4. C. de ſent. & interl. omn. Judic.* Et *cap. ad probandum 24. hoc tit.* Conſiſtit autem Juris ordo in hoc, ut offeratur libellus, conteſtetur lis, juretur de calumnia, depoſitiones teſtium recipiantur, & publicentur, &c. ut notat Gloſſa. Et procedit præfata concluſio etiam in ſententijs ferendis in Judicio Summi Pontificis, *cap. in cauſis 19. hoc tit.*

2. Dico ſecundò: ſententia definitiva regulariter debet eſſe conformis libello. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. licet de Simonia.* Et *Clement. ſæpe 2. de V. S.* ubi dicitur, quòd juxta petitionis formam pronunciatio ſequi debeat. Et *L. ut fundus 18. ff. commun. divid.* Unde Imperator in *L. fin. C. de fideicomm. libert.* Judicem appellat ſtultum, qui cùm res in libello petitur, & præſtari poteſt, Reum in æſtimatione condemnat.

3. Nota

3. Nota tamen primò: quòd in quibuſdam cauſis poſſit ſententia definitiva ferri difformis libello. Et *primò*, in cauſis criminalibus, in quibus tametſi Actor petat Reum condemnari ad talem pœnam; nihilominùs Judex aliam ſibi bene viſam infligere poteſt; ut notat Vallenſis: *Secundò*, etiam in cauſis civilibus poteſt Judex quoad modos, qualitates, & tempora declinare à petitione libelli; & ſufficit quòd ſententia ſit conformis libello in re petita, in cauſa petendi, & actione: *In re petita*, ſic, ut Judex non pronunciet de alia, niſi fortè ſimul in libello petatur, & pendente judicio incipiat conſtare de alia. *In cauſa petendi*, ut Judex aliam non proferat; uti dicitur *L. habebat ff. de inſt. actione*. Demum *actione*, ut Judex ſequatur actionem, quam Actor inſtituit *L. edita C. de edendo*.

4. Dico tertiò: ſententia definitiva debet eſſe depurata à conditionibus futuris, vel extrinſecis. Ita Zoëſ. Engel, Pirhing. &c. Et ita conſtat ex *L. 1. §. biduum ff. quando appelland.* Unde vitioſa eſt hujuſmodi ſententia conditionata ſub futura conditione; *condemno te, ſi Actor probaverit*; & ſimiliter iſta ſub conditione extrinſeca, *abſolvam te, ſi navis ex India advenerit*. Debet itaque ſententia definitiva eſſe vel abſolutè condemnatoria; vel abſolutè abſolutoria. Si tamen ſententia feratur ſub conditione intrinſeca, & neceſſaria; hoc eſt ſub ea, quæ pendet ex ijs, quæ in Judicio fiunt; valida eſt: unde tenet hæc ſententia conditionalis, *defero tibi Juramentum, & ſi juraveris, abſolvo te*; ut notat Gloſſa &c.

5. Dico quartò: Sententia definitiva debet ferri à Judice ſecundùm præſcripta Legum, & Canonum; aut laudabiles Conſtitutiones particulares; vel conſuetudines rationabiles loci; aliàs erit nulla. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. ſententia 1. hoc tit.* Et *cap. cum cauſa 8. tit. eod.*

6. Dico quintò: ſententia ad ſui valorem debet neceſſariò continere condemnationem, vel abſolutionem; non tamen cauſam expreſſam, quæ Judicem movit ad abſolvendum, vel condemnandum. Ita communis DD. Primum conſtat L. *Præſes 3. C. de ſent. & interloc. omn. Jud.* Secundum conſtat ex *cap. ſicut 16. hoc tit.* in ſententia tamen excommunicationis neceſſariò exprimendam eſſe cauſam, conſtat ex *cap. 1. de ſent. excomm. in 6.*

7. Dico ſextò: Sententia lata à Judice ſimiliter debet eſſe certa. Ita Zoëſ. Gloſſa &c. Et ita patet ex *L. poſt ſententiam 9. Cod. de ſent. & interloc. omn. Jud.* Et *§. curare; Inſtit. de actio.* Et quia aliàs litem non dirimeret; imò non teneret, *L. penult. & ult. C. de ſent. quæ ſinè cert. quant. prof.* Hoc tamen intelligendum eſt, quando natura actus fert; nam aliquando actus poſtulat, ut ſententia incerta feratur, v. g. ſi petantur fructus; ſi ex obligatione alternativa agatur, *L. ubi autem 75. §. qui illud ff. de V. O.* Et *cit. §. curare*.

8. Dico ſeptimò: In ferenda ſententia debet Judex quoque attendere rationem fructuum, & expenſarum; etſi hi in libello petiti non fuerint. Ita communis DD. Patet ex toto *tit. C. de fructibus, & litium expenſis*. Quod procedit de fructibus, qui poſt litem conteſtatam percepti ſunt; qui cùm à re poſt litem conteſtatam ampliùs ſeparari nequeant, ſimul cum ea in judicium deducti videntur, *L. ædiles 25. §. item ſciendum ff. de ædilitio edicto*. Cæterum fructus, qui percepti ſunt ante litem conteſtatam, Judex quidem attendere poteſt in ſententia, juxta Mynſing. & Engel; ad hoc tamen non tenetur; niſi in libello per ſalutarem clauſulam officium Judicis imploratum ſit circa hoc; ſed Actor ſibi imputare debet, quòd in libello fructus hos non petierit, *cit. §. item ſciendum*.

9. Dico octavò: Sententia debet proferri à Judice competente, ſeu habente juriſdictionem; & non excommunicato. Ita Zoëſ. & alij DD. Primum conſtat ex *L. 1. §. hæc autem verba ff. quod quiſque Juris in alterum*. Ratio ſecundi eſt; quia in Judice excommunicato nulla reſidet Juriſdictio, adeò ut ſi etiam inter delegatos tantùm aliquis ſit excommunicatus, ſententia concidat, *cap. ad probandum 24. hoc tit.*

CAP. IV.

De effectu; & executione ſententiæ.

1. NOta primò: varij recenſentur effectus ſententiæ definitivæ. *Primus* eſt; quòd ipſa finiat controverſiam motam, ſeu litem, *cap. 2. hoc tit.* *Secundus* eſt, quòd finiat Officium, & poteſtatem Judicis; nam poſtquam is pronunciat ſententiam in controverſia mota, quoad eandem controverſiam ſeu cauſam deciſam deſinit eſſe Judex, *L. Judex 55. ff. de re judicat.* Et propterea ſententiam jam latam nequit ampliùs emendare, corrigere, & revocare, *L. quod juſſit 14. ff. eod.* Quòd ſi tamen lata eſſet ipſo Jure nulla, Judex ordinarius cauſam ex integro reaſſumere poteſt, & cognoſcere, ac novam cudere ſententiam, *L. ſicut proponis 4.* & ibi Gloſſa

Digitized by Google

Gloſſa verb. *commiſit C. quomodo, & quando Judex.* Poteſt etiam idem Judex latâ jam ſententiâ ſupplere omiſſa illa, quæ ad cauſam ut conſequentia ſpectant; v. g. ſi omiſit condemnare in expenſas litis, vel ad fructus reſtituendos, *L. Paulus 24.* & ibi Gloſſ. verb. *condemnandum ff. de re judic.*

2. Nota ſecundò: *Tertius* effectus ſententiæ definitivæ eſt; quòd inter partes litigantes, inter quas lata eſt, faciat Jus; ſi ab ea inter decem dies non fuerit appellatum; uti conſtat ex *cap. inter monaſterium 20. hoc tit.* aut ſi appellatio ſit deſerta; quia tunc pro veritate habetur, *L. res judicata ff. de Reg. Jur.* Idque præſumptione Juris, & de Jure; licèt contra Jus litigatoris lata fuerit, *cap. cùm inter vos 13. hoc tit.* Quamvis autem ſententia lata inter partes, inter quas lata eſt, faciat Jus; non tamen præjudicat, aut nocet alijs, inter quos lata non eſt; uti conſtat ex *cap. quamvis 25. & pen. hoc tit.* Et *L. 2. C. quibus re judicata.* Circa quam tamen regulam adſunt variæ exceptiones, quas vide apud Abbat. Alexandrum de Nevo, Gloſſam, Pirh. &c.

3. Nota tertiò: *Quartus* effectus ſententiæ definitivæ eſt, quòd Papale reſcriptum contra ſententiam priùs à Summ. Pontifice latam obtentum, in quo illius non fit mentio; adeoque etiam collatio beneficij vi talis reſcripti obtenta; non valeat; uti conſtat ex *cap. cùm olim 12. hoc tit.*

4. Nota quartò: *Quintus* effectus ſententiæ definitivæ eſt, quòd producat Actori, pro quo lata eſt, actionem judicati, ſeu rei judicatæ, ut præſtet Reus illud, in quo condemnatus eſt, ac ſatisfaciat ſententiæ; uti habetur ex *L. Actori 8. C. de rebus creditis.* Et ejuſmodi actio eſt civilis; & quidem perſonalis *L. 3. §. 11. ff. de peculio*: inſuper perpetua; & rei perſecutoria; hæredi & in hæredem competens, *L. miles §. ult. de re judic.* Eadem ſententia Reo quoque per eam abſoluto producit exceptionem rei judicatæ contra Actorem; ejuſque hæredem; vel alium ejus nomine agentem, *L. rei judicatæ ff. de except. rei judic.*

5. Nota quintò: *Sextus* effectus ſententiæ definitivæ quoque eſt, quòd ſemel lata non reſcindatur, prætextu inſtrumentorum de novo repertorum, vel aliarum probationum, *L. Imperator 35. ff. de re judic.* Et *cap. inter 20. hoc tit.* *Septimus* eſt, quòd ſolutum authoritate rei judicatæ non poſſit repeti tanquam indebitum, *L. 1. C. de condict. indeb.* Circa Executionem ſententiæ.

6. Nota ſextò: Poſtquam ſententia à Judice pronunciata tranſijt in rem judicatam, elapsô ſcilicet ſpaciô decem dierum; tunc eadem in executionem ducenda eſt, juxta *can. ſicut. 3. can. 2. q. 1.* Et *cap. quod ad conſultationem 15. hoc tit.* Non obſtante quacunque exceptione, *cit. can. 3.* Niſi hæc fuerit oppoſita in continenti, *cap. veniens 38.* junctâ Gloſsâ, verb. *in continenti, de teſtib.* Debet autem Executio iſta fieri à Judice, qui eandem ſententiam pronunciavit; ſi Judex Ordinarius ſit, *L. à D. Pio 15. in princ.* junct. Gloſſ. verb. *à ſe ff. de re judic.* Poteſt tamen etiam Judex delegatus Pontificius exequi ſuam ſententiam *cap. in literis 9.* & ibi Gloſſa. Idem dicendum de delegato Principis ſupremi, ſecundùm *L. ult. in fin. C. de judic.*

7. Nota ſeptimò: Executio ſententiæ definitivæ nequit à Judice fieri illicò poſt ejus prolationem; ſed interponendum eſt decennium, ſeu expectandum decem diebus, ut locus ſit appellationi. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. quod ad conſultationem 15. hoc tit.* Quod intelligendum eſt de actionibus realibus tantùm: nam in perſonalibus conceditur Reo quadrimeſtre, *cit. cap. 15.* Quod tempus etiam prorogari poteſt ex cauſa, *L. 4. §. ſi quis ff. de re judic.* Debet autem Executio ſententiæ fieri primò in bonis mobilibus, his deficientibus veniendum eſt ad immobilia; ac tandem ad Iura; uti conſtat ex *L. à D. Pio 15. ff. de re judic.* Tertius interveniens pro ſuo legitimo intereſſe poteſt impedire executionem ſententiæ inter alios latæ; uti conſtat ex *cap. cum ſuper 17. hoc tit.*

CAP. V.

De re judicata.

1. DIco primò: ſententia tam definitiva; quàm interlocutoria lata tranſit in rem judicatam, ſi pars adverſa intra decem dies non appellet, cùm appellare poſſit: unde elapsô tali decendiô ampliùs contradicere nequit; nec auditur. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *Authent. hodie C. de appellat.* Et *cap. quod ad conſultationem 15. hoc tit.* Quod verum eſt, etſi ſententia lata ſit contra Ius litigatoris; non tamen contra Ius commune; uti patet ex *cap. cùm inter 13. hoc tit.* Item tametſi ſententia lata eſſet contra privilegium exhibitum in Iudicio; uti conſtat ex *cap. ſuborta 21. hoc tit.*

2. Nota tamen primò: extare nonnullas cauſas exceptas, contra priorem concluſionem; in quibus etſi poſt decennium non fuiſſet appellatum, adhuc ſententia lata non tranſit in rem judicatam. Et *primò*, ſenten-

tia la-

Digitized by Google

tia lata in cauſa matrimoniali contra matrimonium, ad illud quoad vinculum diſſolvendum, nunquam tranſit in rem judicatam; ſed ſemper rurſus poterit agi petitô, & inſtitutô novô proceſſu, ad reintegrandum Matrimonium, & retractandam ſententiam, quoties compertum fuerit, eam aliquo errore latam fuiſſe; ita conſtat ex *cap. lator 7. hoc tit.* Et *cap. tenor 10. hoc tit.* Et *cap. conſanguinei 11. hoc tit.* Sententia tamen divortij ad diſſolvendum Matrimonium quoad cohabitationem, & thori obligationem lata, tranſit in rem judicatam; ut notat Pirhingus, Abbas &c. *Secundò*, ſententia in cauſa cenſuræ, v. g. excommunicationis lata, pariter non tranſit in rem judicatam elapsô decendiô, intra quod appellatum non fuit; unde cenſuratus ſemper poteſt petere abſolutionem, & per ſimplicem querelam conqueri de injuſta excommunicatione ſibi inflicta; uti notat Gloſſa, & Abbas; & conſtat ex *cap. cùm contingat 36. de offic. Judic. deleg.* Et *cap. ſacro 48. de ſent. excom.* *Tertiò*, ſententia in cauſa beneficiali lata ſimiliter poſt decem dies evolutos non tranſit in rem judicatam, ſi præjudicium Eccleſiæ, vel præjudicium animæ, vel periculum peccati immineat, *arg. cap. lator 7. hoc tit.* Unde ſi quis eſſet intruſus in beneficium, poteſt contra eum etiam elapsô decendiô deponi querela; uti colligitur ex *cap. conſtitutis 46. in fin. de appellat.*

3. Nota ſecundò: præterea *quartò* ſententia lata ex juramento ſuppletorio probationum, quod per inſtrumenta poſtea reperta deprehenditur fuiſſe falſum, non tranſit in rem judicatam, poſt decurſum decem dierum; ſed eſt retractanda; uti conſtat ex *L. admonendi 31. ff. de jurejur.* & ibi Gloſſa *in caſu.* *Quintò*, ſimiliter ſententia pronunciata ex falſis inſtrumentis, vel teſtimonijs, non tranſit poſt decendium in rem judicatam; uti habetur *L. falſum 3.* junctâ Gloſſâ verb. teſtationem *Cod. ſi ex falſis inſtrum.* Et *cap. ſicut 9. de Teſtib.*

CAP. VI.

Reſolutiones nonnullæ circa ſententiam afferuntur.

1. NOta primò: ſi contingat duas ſententias diverſas à duobus Judicibus ferri in eadem cauſa; tunc ſi ſint Judices Ordinarij, valet illa ſententia, quæ lata eſt pro Reo: hujus enim cauſa eſt favorabilior; ex *reg. 125. in ff.* Niſi ſententia pro Reo ſit evidenter iniqua: aut agatur cauſa favorabilis, v. g. matrimonij, dotis, &c. *cap. fin. hoc tit.* Si autem illi Judices ſint tantùm delegati; tunc utraque ſententia dependet ab arbitrio delegantis *L. duo 28. ff. de re judic.* Si tandem illi duo Judices ſint tantùm arbitri, nulla latarum ſententiarum valet, *L. diem 27. §. ſi plures ff. de recept.*

2. Nota ſecundò: Si contingat pro eadem ſententia ferenda adeſſe plures Judices, vel Arbitros, ſi unus eorum alijs præſentibus ſententiam ſcriptam recitet, perinde cenſeri debet, ac ſi omnes ſimul eandem pronunciaſſent; oportet autem ut ſententia ſtylizata ſit in numero plurali, videlicet, nos *Judices pronunciamus* &c. ita conſtat ex *cap. cùm ab uno 4. hoc tit. in 6.* Quod ſi unus talium plurium Judicum eſſet privatus juriſdictione; vel aliunde impeditus ad eam exercendam; tunc ſententia lata eſt irrita quoad omnes; uti habetur ex *cap. ad probandum 24. hoc tit.* Si plures Judices pro eadem ſententia ferenda conſtituti diſcordent, tenet ſententia plurium, ſeu majoris partis eorum, qui conſentiunt; uti patet ex *can. 1. & 2. diſt. 65.*

3. Nota tertiò: ſi quis in Judicio non agat per ſemetipſum; ſed per Procuratorem; tunc ſpectato Jure Civili ſententia condemnatoria debet ferri contra Procuratorem; & lata contra ipſum dominum, ſeu principalem cenſetur irrita *L. 1. C. de ſent. & interloc. &c.* Et quia Procurator poſt litis conteſtationem effectus eſt dominus litis; adeoque cum illo quaſi contractum cenſetur. Spectatô verò Jure Canonicô tenet ſententia ſive contra Procuratorem; ſive contra Dominum principalem abſentem concipiatur; ut notat Gloſſa: quia reverà Dominus per Procuratorem ſuum principaliter contrahit, & in Judicio litem cum adverſario conteſtatur: qui autem facit per alium, per ſe feciſſe videtur, juxta *Reg. Jur. 72. in 6.*

CAP. VII.

De ſententia ferenda in Judicio Franciſcano.

1. NOta primò: Judex Franciſcanus debet in Judicio Minoritico ferre ſententiam, meritis cauſæ priùs probè cognitis, indicijsque diſcuſſis; & cum conſilio, ac voto Diffinitorum Provinciæ; vel in eorum abſentia, peritorum & gravium Patrum; uti habet *Practica Criminalis Ordinis.* Ejusmodi ſententia quæcunque fuerit, omni-

no dependere debet ex proceſſu; & ſecundùm allegata & probata edi; *ibidem.* Pronunciari poteſt omiſſis ſolemnitatibus Juris, puta ſeſſionis, diei non feriatæ, &c. *ibidem.* In ſcriptis tamen eam formari convenit, & manu Judicis, & Diffinitorum ſubſcribi; ac in Diffinitorio, vel alio Judicij loco promulgari per Notarium, qui de publicatione in proceſſu teſtimonium faciat; *ibidem.*

2. Nota ſecundò: non eſt neceſſarium, quòd Reus acceptet ſententiam contra ſe latam; quinimò ſi intra canonicum tempus ab ea non appellaverit, eam acceptâſſe pro certò haberi debet; uti conſtat ex *cit. Practica.* Reus, qui debitè evacuavit indicia, ſuamque innocentiam oſtendit, per definitivam ſententiam eſt abſolvendus, ita ut per ſupervenientia poſtmodum indicia, ampliùs à Judice moleſtari non poſſit; *ibidem.* Judex Minoritic⁹ tenetur delictum in ſententia recenſere per extenſum, ut ex ea delinquens cognoſci poſſit, ejusque conſervari memoria; *ibidem.* Sententia regulariter debet eſſe conformis ſacris Canonibus, & Conſtitutionibus Ordinis; *ibidem.* Quòd ſi Reus non eſſet capax pœnæ ſtatutariæ Ordinis, poterit eundem ſententiare ad aliam ſimilem, ex praxi Ordinis, vel ſacris canonibus elicitam; *ibid.*

TITULUS XXVIII.

DE APPELLATIONIBUS; RECUSATIONIBUS; ET RELATIONIBUS.

CAP. I.

De quidditate; & fine inſtitutæ Appellationis.

1. Nota primò: ne ſententia in rem judicatam tranſeat interponenda eſt Appellatio, per quam ejus vis ſuſpenditur; unde poſt expeditum *tit. de ſententia,* rectè iſte *de Appellationibus* ſubjungitur. Et quia cum Appellatione conveniunt Recuſatio, & Relatio, quòd per ipſas pariter ſententia Judicis ſuſpendatur; idcirco etiam de ipſis ſub eodem *tit.* Juris tractatur. Et primò de Appellatione, quæ tunc adhibenda eſt, quando ſententia lata eſt contra jus alterius partis litigantis, vel ob Judicis imperitiam; vel quia pars adverſa, non deduxit ſatis Jus ſuum, *L. 1. ff. hoc tit.*

2. Dico primò: rectè deſcribitur Appellatio, quòd *ſit provocatio ab inferiore Judice ad ſuperiorem gradatim, facta ratione gravaminis illati, vel inferendi.* Ita communis DD. Ly *provocatio* eſt genus: reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota ſecundò: Appellatio eſt duplex, ſcilicet Judicialis; & Extrajudicialis. *Judicialis* (quæ ſtrictè Appellatio dicitur) eſt, quæ fit à ſententia ſive definitiva, ſive interlocutoria, ut corrigatur. *Extrajudicialis* (quæ latè Appellatio dicitur) eſt, quæ fit ab actibus, & decretis extrajudicialibus, *cap. 8. concertationi hoc tit. in 6.* talis eſt dum appellatur ab electione, ſpoliatione, & ſimilibus, *Clement. 3. hoc tit.* Hæc dici ſolet *provocatio ad cauſam*; quia tunc, quando interponitur, incipit cauſa.

4. Nota tertiò: præterea aliæ ſunt Appellationes frivolæ, fruſtratoriæ, & inanes; & aliæ rationabiles, juſtæ, & legitimæ. *Primæ* ſūt, quæ tantùm interponuntur morandæ ſolutionis, vel ſuſpendendi judicij causâ *L. tutor ff. de uſuris.* propterea repellendæ ſunt, *L. ſi rem alienam ff. ſolutam autem ſi. de pign. act.* Et *cap. cum appellationibus; hoc tit. in 6.* *Secundæ* ſunt, quæ ad excutiendum gravamen adhibentur; & his deferendum eſt *cap. de appell. 11. hoc tit.* Et quia Appellatio eſt ſpecies defenſionis, ab ipſo Jure naturæ conceſſæ.

5. Nota quartò: tres ſunt potiſſimæ cauſæ finales, ob quas introductum eſt remedium Appellationis. *Prima* eſt, ut gravamen iniquè illatum, vel inferendum removeatur ab innocentibus, *cap. ſuggeſtum 15. hoc tit.* *Secunda* eſt ut iniquitas judicantiū, vel imperitia corrigatur, *L. 1. in prin. ff. hoc tit.* *Tertia*, ut læſus per propriam ignorantiam, vel negligentiā poſſit Jus ſuum conſequi: nam ea, quæ apud inferiorem Judicem non rectè, aut ſufficienter allegata fuerunt, apud ſuperiorem rectiùs, & efficaciùs allegari, probarique poterunt; dummodo pertineant ad cauſæ deciſionem, *L. prolatum 4. C. de temp. appell.* Et *cap. cùm Joannes 10. de fide Inſtrument.*

CAP. II.

De perſonis habilibus ad appellandum.

1. Dico primò: regulariter quivis per ſententiam realiter, & cujus intereſt, gravatus appellare poteſt; tametſi ſententia contra alium fuiſſet lata. Ita Gloſſa, & communis DD. Ratio primi eſt; quia appellatio eſt quædam defenſio naturalis, quæ Jure naturæ cuilibet præjudicium paſſo conceditur. Et quia ita conſtat ex

ſtat ex *can. non ſolent cau. 2. q. 6.* Secundum conſtat ex *cap. cum contingat 17. hoc tit.* Et *L. 1. ff. de Appellat.* Unde fidejuſſores appellare poſſunt à ſententia contra principalem lata, quando eorum intereſt; juxta Gloſſam.

2. Dico ſecundò: non tantùm appellare poteſt is, cujus intereſt proprio nomine; ſed etiam cujus intereſt nomine alieno, puta procuratorio; ſeu quia Procurator alicujus exiſtit; vel alienum negotium gerit, quod Dominus mox ratum habet. Ita Gloſſa, & communis DD. Et ita conſtat ex *can. non ſolent.* Unde etiam tutores, & curatores appellare licitè valent nomine pupillorum, vel minorum, L. *tutor 27. ff. hoc tit.* Et pater, vel mater pro filio ad appellandum admittitur, quando cauſa filij deſerta eſt, *cit. can. non ſolent.* Et viciſſim etiam filiusfamilias, ſi pater ejus succubuerit, agens de peculio profectitio, & advetitio, ejus nomine poteſt interponere appellationem; abſque omni etiam mandato patris, *L. ex conſenſu 23. §. filiusfam.* junctâ Gloſsâ, verb. *non niſi patris ff. hoc tit.* Similiter quivis dominus nomine ſui ſervi (utpote qui perſonam ſtandi in Judicio non habet) appellare poteſt; uti notat Engel, Pirh. &c. & patet *arg. cap. dilectis 55. hoc tit.* Et demum etiam Epiſcopus pro ſuo Clerico, vel Eccleſia; & Abbas pro ſuo Monaſterio appellare poteſt, ſi gravamen eis imponatur; uti notant *cit.* DD.

3. Dico tertiò: humanitatis ratione etiam receptum eſt, ut pro damnato ad ſupplicium quivis provocare poſſit. Ita Vallenſ. Engel, &c. Et ita conſtat ex *L. 6. ff. hoc tit.* Et quia omnium quaſi intereſt, innocentem defendi; & hominem hominis beneficiô affici, *L. ſervus ff. de ſervis exportand.*

4. Dico quartò: ſi in cauſa pluribus communi omnes unâ eademque ſententiâ condemnati ſint, & unus eorum ſolus appellationem interponat, ejus appellatio omnibus proderit in caſu victoriæ. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. una 72. hoc tit.* Et ex *L. 1. & 2. C. ſi unus ex pluribus appell.* Debent autem ejuſmodi plures eſſe correi criminales, & communi jure juvari; inſuper debet eſſe unum eorum negotium, & eadem defenſionis cauſa; ut notat Abbas &c.

5. Dico quintò: jurans ſe mandatis Eccleſiæ pariturum; ſed poſtea injuſtè gravatus, poteſt nihilominùs appellare. Ita Gloſſa, & communis DD. Et ita cônſtat ex *cap. ad hæc 20. hoc tit.* Et quia Juramentum generaliter præſtitum interpretari oportet ſecundùm limites Juris, aut Juſtitiæ; neque ultra eſt extendendum; ut in propoſito, quòd jurans intenderit ſe obligare ad parendum mandatis Eccleſiæ, ſi ea juſta fuerint, vel quatenus Jura exigunt.

6. Dico ſextò: ſi quis à tutela pupillorum jam abſolutus, nihilominùs in Judicio conveniatur, is licitè poteſt appellare. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. ex parte 67. hoc tit.* Similiter excommunicatus appellare poteſt judicialiter; cùm Appellatio ſit ſpecies defenſionis, quam etiam nec diabolo denegandam ſcribit ſpeculator.

CAP. III.
De perſonis inhabilibus ad appellandum.

1. Dico primò: non poteſt appellare neque in civilibus, neque in criminalibus cauſis is, qui confeſſus eſt in Judicio, & convictus clarâ, ac indubitatâ probatione. Ita communis. Et ita colligitur L. *2. C. quor. Appell. non recip.* Et ex *can. ei qui 41. §. nullus etiam cau. 2. q. 6.* Et quia talis Appellatio præſumitur interpoſita ſubterfugij, & calumniæ causâ. Si tamen quis metu tormentorum ſit confeſſus, vel dubiâ duntaxat probatione convictus; is appellare poteſt; ut notat Vall.

2. Dico ſecundò: nec condemnatus de crimine falſæ monetæ, vel læſæ Majeſtatis; vel hæreſis; vel raptu virginis; nec condemnatus pro debito publico, ſeu fiſcali, Appellatione ſe tueri poteſt poſt ſententiam definitivam. Ita communis DD. Primum *de crimine falſæ monetæ* conſtat ex *L. 1. C. de falſa moneta.* Secundum *de crimine læſæ Majeſtatis* ſtatuitur *L. conſtitutiones ff. hoc tit.* Tertij *de hæreſi* habetur in *cap. ut inquiſitionis; de hæret. in 6.* Quartum *de raptu Virginis* conſtat ex L. *uni. §. ſi autem C. de rap. virg.* Quintum *de debito publico* conſtat ex *L. abſtinendum 4. C. quor. appell. non recip.* Et *can. ei, qui appellat. §. quoties cau. 2. q. 6.*

3. Dico tertiò: is, qui legitimæ Appellationi ſui adverſarij non detulit, pariter poſtea non eſt admittendus, ut in eadem cauſa appellet. Ita Gloſſa & communis. Et ita conſtat ex *cap. conſtitutis 23. hoc tit.* Et ex *cap. an ſit 42. hoc tit.* Et quia hic procedit illa regula Juris, quæ habetur *L. 1. ff. quod quiſque*

Digitized by Google

Juris &c. quod quiſque Juris in alium ſtatuit, convenit ut & ipſe eodem Jure utatur. Et illa *cap. quia 14. de uſur.* fruſtra legis implorat auxilium, qui committit in legem.

4. Dico quartò: pariter is Appellationem poſtea interponere nequit, qui priùs ſententiam adverſùs ſe latam approbat. Ita Gloſſa, & communis DD. Et ita conſtat ex *cap. gratum 20.* & ibi Gloſſa *fin. de offic. & poteſt. deleg.*

5. Dico quintò: nec ille appellare poteſt, qui tribus edictis, vel uno peremptorio dixit citat⁹, ſe nolle venire, & cõtumax evaſit. Ita Gloſſa, Marant. &c. Et ita ſtatuitur in *L. ex conſenſu 23. §. fin.* & ibi Gloſſ. verb. *non rectè provocâſſe*; *ff. hoc tit.*

6. Dico ſextò; Officialis curiæ conventus, & condemnatus pro geſtis in officio, non permittitur appellare à ſuo Judice. Ita Vall. & communis DD. Et ita patet ex L. *nulli C. quorum appell. non recip.*

CAP. IV.

A quibus ſententijs, & actibus; ac in quibus cauſis ſit conceſſa, vel non conceſſa Appellatio.

1. Dico primò: permittitur Appellatio à quacunque ſententia, etiam interlocutoria; & à quocunque actu; & in quacunque cauſa, ubi pars litigans gravatur; niſi id ſpeciali lege prohibeatur. Ita Rebuffus, Vallenſ. Marant. &c. Et ita conſtat ex *cap. ſuper eo 12. hoc tit.* Et quia Appellatio eſt ſpecies defenſionis, quæ proinde Jure naturali conceditur in omni cauſa, & actu, & contra quamcunque ſententiam gravantem. Ex his

2. Infertur primò: Jure communi antiquo Canonico permitti Appellationem ab omni ſententia, etiam interlocutoria, & quovis gravamine; tam ante, quàm poſt ſententiam: uti præterea etiam conſtat ex *cap. ſuper eo 12. hoc tit.* Et quia Appellatio etiam reſpectu ſententiæ interlocutoriæ, & cujusvis alterius gravaminis eſt in ſubſidium innocentiæ comparata, *cap. paſtoralis 53. hoc tit.* Etſi Jus Civile permittat Appellationem à ſola ſententia definitiva; non autem ab interlocutoria, *L. pen. Cod. quor. appell. non recip.* in cujus conformitate quoque Tridentinum *Seſſ. 13. cap. 1. de Reformat.* ſtatuit, ut ab Ordinarijs locorum non liceat appellare ante ſententiam definitivam, vel alio quocunque gravamine; niſi vim definitivam habeat; vel hujusmodi gravamen per ſententiam definitivam reparari; vel ab ipſa definitiva appellari non poſſit; cujusmodi gravamen eſt indebita carceratio, tortura, &c. quia trahunt ſecum executionem.

3. Infertur ſecundò: Appellationem locum habere tam in cauſis civilibus; quàm criminalibus; & hoc utroque Jure; uti patet de Jure Canonico ex *can. liceat 20. cau. 2. q. 6.* Et *cap. cùm ſit 5. hoc tit.* De Civili ex L. *& in majoribus 20.* junct. Gloſſ. verb. *negotiis C. hoc tit.* Advertit tamen Mynſing. Gail. & alij Legiſtæ Germani, in Germaniæ Tribunalib⁹ inveteratam conſuetudinem invaluiſſe, ut Appellationes in cauſis criminalibus, præcipuè capitalibus non concedantur; & hoc ideo ne impediantur executiones, & crimina maneant impunita; aut ſaltèm ne pœnæ promeritæ differantur.

4. Infertur tertiò: Appellationem interponi poſſe, non tantùm in majoribus; verùm etiam in minoribus cauſis; & eas debere admitti; uti conſtat etiam ex *cap. de appellat. 11. hoc tit.* Et ex L. *& in major. 20. C. eod.* Et quia Appellatio eſt remedium contra injuſtitiam, vel imperitiam Judicis, ex quibus quis gravatur, quæ pariter in minoribus cauſis contingere poſſunt.

5. Infertur quartò: Appellationem poſſe inſtitui ab omnibus gravaminibus non ſolùm judicialibus; ſed etiam extrajudicialibus; uti conſtat ex *cap. ſuper eo 12. hoc tit.*

6. Dico ſecundò: non conceditur autem Appellatio in cauſis, & delictis notorijs; unde non obſtante ejus interpoſitione ſententia executioni mandari debet. Ita Vallenſis, & communis DD. Et ita dicitur *cap. cùm ſit 5. in fin.* Et *cap. pervenit 13.* Et *cap. conſuluit 14. hoc tit.* In dubijs autem factis conceditur Appellatio hoc pacto, ut cauſa probabilis coram Judice *à quo* exprimatur; quæ ſi vera ſit, Appellatio legitima reputari debet; quam ſi appellans non proſequitur, vel non probat; Judex *à quo* in cauſa procedet; uti patet ex *cap. cum ſpeciali 61. hoc tit.*

7. Dico tertiò: non toleratur Appellatio à ſententia facta in cauſa decimarum; nec ea, quæ frivola eſt, ſeu ſinè legitima cauſa interponitur. Ita communis DD. Primum habetur in *cap. tua nobis*; & ibi Gloſſa; *de decimis.* Secundum habetur *cap. cum appellationibus 5. in princ. hoc tit. in 6.* Et quia Appellatio non eſt inventa, ut ſit iniquitatis defenſio; ſed innocentiæ præſidium; ut ait Gloſſa *ibidem*; & habetur in *cap. cum ſpeciali 61. hoc tit.*

8. Di-

Digitized by Google

8. Dico quartò; non admittitur quoque Appellatio ſubditi Religioſi à correctione legitimi ſui prælati, ſeu ſuperioris, in cauſa regularis diſciplinæ; nec Clerici ſæcularis contra Eccleſiaſticam diſciplinam. Ita Gloſſa, & communis DD. Ratio primi eſt; quia ita ordinatur *cap. ad noſtram 3. hoc tit.* Et quia Appellatio non eſt fomentum, & defenſio iniquitatis, *cit. cap. ſpeciali.* Secundum habetur *cap. reprehenſibilis 26. hoc tit.* Et *cap. licet 12. de offic. Judic. ordinar.* Et in Tridentino *Seſſ. 13. cap. 1. de Reform.*

9. Nota tamen primò: ſi Prælatus regularis, vel ſæcularis, vel Viſitator in cauſa gravi modum in corrigendo notabiliter excederet; tunc ſubdito locus eſt Appellationi contra eundem; uti conſtat ex *cap. irrefragabili 13. de offic. Jud. ord.* Et *cap. de priore 31. hoc tit.* Circa quod tamen obſervandum eſt, quòd Viſitator poſſit dupliciter procedere in cauſa correctionis; ſcilicet vel cum proceſſu formali judiciario, & ſervato ordine judiciario; vel ſinè tali proceſſu, & ordine. Si procedat ſinè tali proceſſu; non conceditur ſubdito regulari, vel ſæculari Clerico Appellatio; nec quidem ad Sedem Apoſtolicam; niſi modus correctionis valde excedatur: quamvis etiam tunc non pariat effectum ſuſpenſivum; ſed tantùm devolutivum: Uude Viſitator adhuc procedere poteſt, & exequi ſua decreta, juxta Tridentinum *Seſſ. 24. cap. 10. de Reform.* Si autem Viſitator procedat cum proceſſu judiciario, ſimiliter ante ſententiam definitivam Appellatio ab interlocutoria, vel quocunque gravamine non attenditur; niſi gravamen eſſet tale, quod per ſententiam reparari non poſſet; uti conſtat ex eodem Trident. *Seſſ. 13. cap. 1. de Ref.* Poſt tamen ſententiam definitivam Viſitatoris ſubditus regularis, vel ſæcularis Appellationem interponere poteſt, vigore *cap. cit. irrefragabili.* Et *cap. de priore.* hujuſmodi tamen Appellatio interpoſita non ſuſpendit executionem; uti patet ex *cit. Trident. Seſſ. 24.*

10. Dico quintò: in cauſa latæ cenſuræ excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis non operatur Appellatio interpoſita quoad effectum retardandæ executionis. Ita Gloſſa, Abbas, &c. Et ita conſtat ex *cap. ad hæc 37.* & ibi Gloſſa ver. *interdictum hoc tit.* Et *cap. is cui 20. in fin. de Sent. excomm. in 6.* Imò Appellatio talis nec operatur hoc, quod impediat cenſuræ jam latæ excommunicationis, interdicti, & ſuſpenſionis denunciationem, ſeu declarationem; uti habetur *cap. paſtoralis 53. hoc tit.*

11. Dico ſextò: non conceditur Appellatio in cauſis illis, quæ poſtulant celeritatem, ſaltèm quoad impediendam executionem; neque in cauſa illa, in qua priùs Appellationi eſt renunciatum expreſſè vel tacitè. Ita Valenſis, Engel, & communis DD. Ratio primi eſt; quia in cauſis celeritatem requirentibus Appellatio eſſet impeditiva operationum, quæ moram abſque damno non patiuntur; ut ſi agatur de futuris alimentis; de apertura teſtamenti; de miſſione hæredis in poſſeſſionem; de frumento in uſum militum contrahendo *L. ſi res 7. de Appellat. recip.* Se. habetur *L. fin. C. de tempor. appellat.*

12. Dico ſeptimò: non eſt concedenda Appellatio illi, qui abſque rationabili cauſa allegata appellat contra Prælatum noviter electum, & à legitimo ſuperiore jam confirmatum; ne executio, & effectus electionis, ac confirmationis ſequatur, ſcilicet miſſio electi, & confirmati in poſſeſſionem; locô tamen Appellationis conceſſa eſt ipſi accuſatio vel denunciatio contra electum; cui tamen interea pacifica poſſeſſio Prælaturæ eſt danda. Ita communis DD. Et ita ordinatur in *cap. conſtitutis 46. hoc tit.*

13. Dico octavò: non eſt deferendum Appellationi à Religioſis interpoſitæ contra Conſtitutiones regulares juſtas, receptas, & approbatas. Ita Gloſſ. Pirh. &c. Et ita conſtat ex *cap. quia nos 32. hoc tit.*

14. Dico nonò: à ſententia quæ fertur in poſſeſſorio, ſecundùm Jura Civilia non admittitur Appellatio quoad effectum ſuſpenſivum; bene tamen ad effectum devolutivum: ſecundùm autem Jura Canonica conceditur quoad utrumque effectum. Ita Abbas, Bart. Pirh. &c. Ratio primi eſt; quia ita ſtatuitur in *L. uſu C. ſi de moment. poſſeſſ. fuer. appell.* Et quia talis ſententia lata in poſſeſſorio, cùm non præjudicet cauſæ proprietatis, & gravamen quod affert, poſſit citra appellationem facilè reparari in Judicio petitorio; ideo ſentententia non ſuſpenditur; ſed mandatur executioni. Secundum conſtat ex *Clement. unic. de Sequeſtr. poſſ. in fine.* Et ex *cap. ad Sedem 15. de reſtit. ſpoliat.*

15. Dico decimò: non conceditur Appellatio ab executione ſententiæ, quando ſententia jam tranſijt in rem judicatam, ſeu à mero executore; niſi is excedat modum, & limites ſibi præſcriptos in commiſſione ſuper executionem facta. Ita communis DD. Et ita diſponunt variæ leges, & Canones; ut *can. ei, qui 41. cau. 2. q. 6.* Et *cap. quod ad conſultationem 15. de Sent. & re judic.* Et *cap. novit 43. hoc tit.* Et *L. quoniam 21. C. hoc tit.* Et *L. ab executore*

cutorè 4. in prin. ff. eod. Dicitur autem *merus executor* ille, cui nulla cognitio cauſæ; ſed ſola executio cauſæ jam plenè cognitæ, & deciſæ committitur. *Mixtus executor* eſt; cui præter executionem, etiam aliqua cauſæ cognitio facienda de executione committitur; videlicet ut aliquas exceptiones oppoſitas recognoſcere, & de illis pronunciare poſſit; non ad oppugnandam ſententiam, & eandem arguendam de injuſtitia; ſed ſolùm ad retardandam executionem; ut notat Bartol. ut ſi coram deputato Executore ad exequendam ſolutionem per ſententiam imperatam, Reus exceptionem opponat, quod per compenſationem, vel alio modo jam ſit ſatisfactum debito, de hac autem Executor poſſit cognoſcere, cenſetur eſſe Executor mixtus.

16. Dico undecimò: non admittitur Appellatio in cauſis, quæ Judici delegato committuntur cum expreſſa clauſula *appellatione remotâ.* Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. paſtoralis 53. in prin. hoc tit.* Hâc autem clauſulâ ſupremi Principes, ut Papa, Imperator, Rex &c. uti poſſunt in ſui reſcriptis quoad ſententiam definitivam: cùm hi ſoli contra Leges Appellationem admittentes reſcribere poſſint: quoad interlocutoriam autem etiam inferior delegans dictâ clauſulâ uti poterit.

17. Nota ſecundò: extant tamen nonnulli caſus in Jure Canonico expreſſi, in quibus Appellatio interponi poteſt; non obſtante, quòd cauſa ſit commiſſa cum clauſula *Appellatione remotâ.* Et *primò*, quando Judex delegatus (imò & Ordinarius) citat partem ad locum, ad quem tutè pervenire nequit, poteſt pars citata exceptionem opponere de non ſecuro acceſſu; hanc ſi rejiciat Judex, poteſt opponens appellare, tametſi cauſa fuiſſet delegata cum clauſula *Appellatione remotâ;* ita conſtat per *cap. ex parte 47. hoc tit.* *Secundò*, ſimiliter quando Judex non vult ſuſcipere exceptionem de conſanguinitate, vel alterius juſtæ cauſæ, ob quam Judex tanquam ſuſpectus recuſatur; tunc permiſſa eſt Appellatio, etſi cauſa Judici commiſſa fuiſſet cum clauſula *Appellatione remotâ;* ita patet ex *cap. poſtremò 36. hoc tit.* Plures hujuſmodi caſus exceptos vide apud Gloſſam in *cap. Paſtoralis.* Quod ſi committatur pluribus aliqua cauſa principalis, complectens plures articulos connexos; uni autem eorum duntaxat ſit adjecta dicta clauſula, *Appellatione remotâ;* tunc eadem etiam reliquis adjecta cenſetur; uti conſtat ex *cap. ſecundo requiris 41. hoc tit.*

18. Nota tertiò: tandem non appellatur à nominatione ad officia, quæ ſunt authoritate publica; ſed utilitate privata; v. g. ad tutelam *L. 1. ſi quis ff. quando appellan. ſit.* Alioquin à nominatione ad munera, quæ tum authoritate, tum utilitate ſunt publica, conceditur Appellatio, *L. 2. C. de Decurion.* Item non rectè quis appellat ab eo actu, quem probavit *L. ab eo C. quomodo, & quando Judex.* Nec ab actu, qui fit ſecundùm Juris diſpoſitionem; niſi expreſſâ & inſertâ causâ rationabili, ob quam debeat admitti Appellatio: quia regula generalis eſt, quòd à Lege generali, lata ab eo, qui habet poteſtatem ferendæ Legis, non poſſit appellari; ita textus, & DD. in *cap. quia nos 32. hoc tit.*

19. Nota quartò: demum etiam Fatalia, id eſt tempora Appellationi præfixa dum elapſa fuerint, tollunt beneficium Appellationis: de quibus infra. Similiter non recipitur Appellatio in eo, quod Judex ſecundùm clarum textum Juris definivit, ac decrevit, *L. ſi res 7. ff. de Appell. recip.* Et *cap. conſuluit 29. hoc tit.* v. g. ſi Epiſcopus decreverit Clericum in ſuo beneficio reſidere, quod mandat, *cap. relatum 4. de Cleric. non reſiden.*

CAP. V.

De Judicibus, à quibus; & ad quos inſtituenda ſit Appellatio.

1. Dico primò: regulariter ab omni Judice tam delegato, quàm ordinario, qui pronuntiavit in cauſa controverſa, & gravavit, Appellatio inſtituitur. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. omnis 3.* Et *can. ad Romanam 8. cau. 2. q. 6.* Et quia Appellatio introducta eſt in beneficium injuſtè gravatorum, & oppreſſorum, tanquam remedium, & defenſio contra injuriam Judicis, *L. 1. in princ. ff. hoc tit.* Neque affertur ulla injuria Judici ex Appellatione inſtituta ab ejus ſententia, *L. & in majoribus 20. ff. hoc tit.* Excipiuntur tamen in Jure aliqui Judices, à quibus vetitum eſt appellare. Unde

2. Dico ſecundò: non eſt permiſſum appellare à Sum. Pontifice; nec ab Imperatore; vel alio Supremo Principe Superiorem non recognoſcente; imò & ab Electoribus S. R. I. Ita Engel, Vallenſ. Marant. &c. Primum, & Secundum conſtat ex *can. ipſi ſunt 16.* Et *can. cuncta 17. cau. 9. q. 3.* Et *L. 1. §. 1. ff. à quibus appellare non licet.* Tertium de Electoribus patet ex Bulla aurea Caroli IV. Imò qui à Papa ad futurum Concilium appellat, incidit

Digitized by Google

incidit in excommunicationem; quia Concilium non eſt ſupra Papam.

3. Dico tertiò: pariter à Concilio generali non approbatur Appellatio. Ita Tholoſan. Pirh. Marant. &c. Ratio eſt; quia Concilium generale repræſentat univerſam Eccleſiam, à qua non licèt appellare; quia & injuriam facit judicio Reverendiſſimæ Synodi, ſi quis ſemel judicata, ac ritè diſpoſita revolvere, ac publicè diſputare attentet. Similiter non eſt conſuetù appellare à Sententia totius Congregationis Cardinalium; uti notat Diana, & alij DD.

4. Dico quartò: non appellatur quoque à Præfecto Prætorio. Ita Zoëſius, & communis DD. Et ita ſtatuitur *L. 1. C. de Sent. Præf. Præt.* Et quia non expedit admittere ejuſmodi Appellationem, nè fides Præfecti Prætorio aliàs explorata, in dubium vocetur. Hodie locô Judicij Præfecti Prætorio ſubſtituta ſunt ſuprema Conſilia, Imperatoris, & Regum; à quibus proinde etiam non conceditur appellare; & vel maximè; cùm ipſa nomine ſui ſupremi Principis ſententient; ut notat Maranta. Supplicare tamen ſupremo Principi permittitur contra eandem ſententiam; & hoc intra biennium; utì conſtat ex *L. 1. de Sent. cit.* Interea autem ſententia executioni poterit mandari, *Auth. quæ ſupplicatio C. de precibus Imper. offerend.* *Reviſio* etiam uſu Summorum tribunalium, & fortè in locum ſupplicationis, introducta eſt: quæ Appellationis ſpecies eſt.

5. Dico quintò: à Laico Judice ad Eccleſiaſticum, etiam Papam non inſtituitur regulariter Appellatio; niſi fortè ex defectu juſtitiæ; aut niſi Judex ſæcularis ſit ſubjectus Eccleſiaſtico Judici. Ita Zoëſius, & communis DD. Et ita dicitur *cap. ſi duobus §. denique 7. hoc tit.* Vacante tamen Imperio, & dum non datur recurſus ad Judicem ſæcularem, poteſt ad Papam appellari, juxta *cap. licet 10. de foro compet.* Item dum Judex Eccleſiaſticus ſimul juriſdictionem temporalem exercet, & cauſa controverſa pertinet ad ejus forum, rectè ad eundem provocatur, *cap. 3. §. debet hoc tit. in 6.* Facit & conſuetudo radicata à Laico ad Eccleſiaſticum Judicem appellari, *cap. ſi duobus 7. §. fin. hoc tit.*

6. Dico ſextò: à collatione beneficij vacantis facta ſimul per Epiſcopum, & Capitulum Cathedrale, non poteſt appellari ad eundem Epiſcopum, ſi ipſe interfuerit ut Prælatus, ſeu Epiſcopus collationi. Ita communis DD. Et ita dicitur in *cap. à collatione 11. hoc tit. in 6.*

7. Dico ſeptimò: non admittitur Appellatio ab Arbitris compromiſſarijs, ſive cõmuni conſenſu partium electis; nec ab Auditore, cui nudum miniſterium ſinè cauſæ cognitione demandatum eſt. Ita Durand. Pirhing. &c. Primum ſtatuitur *L. 1. Cod. de recept. arbitr.* Et *can. à Judicibus 33. cau. 2. q. 6.* Ratio ſecundi eſt; quia Auditor talis cùm non ſit Judex, ſed merus executor, non congruit ab eo appellari: niſi is in ſuo miniſterio gravamen afferat, & limites ſuæ commiſſionis excedat; tunc enim locus eſt Appellationi extraordinariæ, *cap. ſuper 27. §. verum, & ult. de offic. Jud. deleg.*

8. Dico octavò: ſi contingat ſuper eadem cauſa utrumque Litigatorem à ſententia Judicis appellare ad diverſos Judices, inferiorem & ſuperiorem, quatenus uterque prætendit ſe gravatum; tunc tenetur appellans ad ſuperiorem Judicem, citatus à Judice inferiore comparere, ad allegandam ſuam Appellationem; aliquin inferior Judex poterit contra eum Jure procedere; niſi ſciat Appellationem eſſe interpoſitam ad Judicem ſuperiorem. Ita communis DD. Et habetur ex deciſione *cap. ſi duobus 7. hoc tit.*

9. Dico nonò: Interponi debet regulariter Appellatio tam judicialis, quàm extrajudicialis coram illo Judice, qui ſententiam tulit, & à quo appellatur; aliàs nullum habet valorem, nec effectum ſivè ſuſpenſivum, ſive devolutivum. Ita Gloſſa, Gutier &c. Ratio eſt; quia per Appellationem reſcinditur principaliter factum Judicis *à quo*, & de ejus iniquitate agitur; adeoque in ejus præſentia appellandum eſt. Quòd ſi autem copia Judicis *à quo* haberi nequeat; tunc appellandum eſt coram Judice *ad quem*, ſi ejus copia haberi poſſit, *can. biduum, 29. §. ſi quis, can. 2. q. 6.* Debet autem tunc Judici *à quo* intimari præfata Appellatio apud Judicem *ad quem* facta, ut ulteriùs non procedat in cauſa.

10. Dico decimò: quando plures Judices ſimul ſententiam tulerunt; tunc etiam coram omnibus ſimul exiſtentibus Appellatio inſtitui debet: quòd ſi autem hoc fieri nequeat; ſaltèm coram majori parte eorum, vel coram quovis ſeparatim appellandum erit. Ita Gloſſa, Pirh. &c. Et ita conſtat ex *Clement. ſi à Judicibus 1. hoc tit.*

11. Dico undecimò: qui ob rationabilem metum cadentem in virum conſtantem impeditur ab interponenda Appellatione, is coram Judice *à quo*; vel in ejus abſentia; ob ejuſdem timorem, coram viris honeſtis proteſtari poterit, ſe ob talem cauſam, & gravamen appellare velle, niſi prohiberetur; & tunc

Digitized by Google

tunc perinde haberi debet, ac ſi appellâſſet; dummodò intra dies decem prædicta proteſtatio edita ſit. Ita Gloſſa, &c. Et ita conſtat ex *cap. juſtus 73. hoc tit.*

12. Dico duodecimò: à Judice delegato ad aliquas duntaxat cauſas ſpeciales, Appellatio fit immediatè ad ipſum delegantem, v. g. Epiſcopum, vel ejus ſucceſſorem in Officio; & non ad alium Superiorem. Ita Marant. Zoëſ. &c. Et ita habetur *L. 1. in prin. ff. ſi quis, & à quo appell.*

13. Dico decimotertiò: Appellatio regulariter fieri debet gradatim ad proximum, & immediatum Superiorem ejus, à quo appellatur; non autem omiſſô mediô. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. dilecti 66.* Et *L. Imperatores 21. in prin. ff. hoc tit.*

14. Nota tamen nonnullas exceptiones ab iſta concluſione. Nam *primò*, quivis Jure Canonico, omiſſis medijs Judicibus, immediatè ad Papam poteſt appellare in cauſa Eccleſiaſtica; vel etiam ſæculari reſpectivè ad eos, qui ſubſunt juriſdictioni temporali Papæ. Ita Abbas, Durand. Gloſſa, &c. Et ita conſtat ex *can. ſi quis veſtrum 4.* Et *can. quoties 16. & alijs cau 2. q. 6.* *Secundò*, ſimiliter ad Legatum à latere in Provincia exiſtentem immediatè poteſt appellari, omiſſis Epiſcopo, & Archi-Epiſcopo, &c. *cap. 1. de officio Legati*, *Tertiò*, in quibuſdam locis vigore radicatæ, & receptæ conſuetudinis etiam permittitur omiſſô Epiſcopô immediatè ad Metropolitam appellari, *cap. Romana 3. in prin. hoc tit. in 6.* Cæterùm ubi non viget ſimilis conſuetudo regulariter ab Archidiaconis, ac alijs Officialibus Epiſcopo inferioribus, appellari debet ad Epiſcopum diœceſanum; & ab hoc demum ad Metropolitam. Ratio eſt; quia Epiſcopus eſt ordinarius Judex ſuorum ſubditorum, *cap. 1. de offic. Ordin.* non autem Metropolita. Plures exceptiones contra concluſionem affert Abbas, Mar. Gail, &c.

15. Dico decimoquartò: ab Officiali ad Epiſcopum non appellatur. Ita Zoëſ. Pirhin. &c. Et ita conſtat ex *cap. 3. hoc tit. in 6.* Et quia Officialis idem habet tribunal cum Epiſcopo. Supplicari tamen poteſt Epiſcopo contra gravamen ab Officiali illatum, ut gravatus reſtituatur in integrum; uti notant cit. DD.

16. Dico decimoquintò: Appellatio ſic debet interponi, ut à Judice inferiori ad Superiorem inſtituatur; adeò ut nec quidem conſuetudine poſſit induci, ut à majori ad minorem, vel ad parem appelletur. Ita Vallenſ. &c. Ratio eſt; quia ſuperioris eſt corrigere factum, & errorem inferioris; non è contra, *cap. cùm inferior; de major. & obed.*

CAP. VI.

De temporibus appellandi; ſeu fatalibus.

1. NOta primò: pro Appellatione conſtituta ſunt certa tempora, quibus elapſis, Appellatio redditur deſerta, & quaſi moritur, aut factô quôdam extinguitur, *L. cum lite mortua ff. judicatum ſolvi*; unde etiam ejuſmodi tempora *Fatalia Appellationum* vocantur. Sunt autem ejuſmodi tempora, ſeu Fatalia quadruplicia; primum eſt *interponendæ Appellationis*; ſecundum *petendi, & concedendi Apoſtolos*; tertium *præſentandi Apoſtolos*: quartum *proſequendi, ac finiendi Appellationem*; ut notant paſſim DD. hîc.

2. Nota ſecundò: Fatalia *interponendæ Appellationis* alia ſunt antiquo; & alia novo Jure côceſſa: antiquo Jure Codicis *de appellat. L. eos 6. §. ſin autem.* Fatalia iſta conſiſtebant in biduô ſolo, quô Appellatio fieri poterat: novo verò Jure Juſtinianæo, ſeu vi conſtitutionis Juſtiniani Fatalia prima comprehendunt decendium, ſeu dies 10. infra quos appellare permittitur; & quidem tam à definitiva; quâ interlocutoria ſententia; *Authen. hodie C. de Appellat.* Idem conceditur Jure Canonico *cap. quod ad conſultationem 15. de Sent. & re jud.* Hoc tempus decendij etiam habet locum in ſupplicationibus, juxta *Authen. quæ ſupplicatio C. de precib. Imper. offer.* Idem tempus nec Judicis arbitriô, nec partium conſenſu poteſt prorogari; uti notat Gloſſa, Gail, Vallenſ. &c. Circa hæc prima Fatalia.

3. Nota tertiò: Præfata Fatalia, ſeu primum tempus interponendæ Appellationis computatur ab hora latæ ſententiæ; vel ſi côdemnatus ignoret latam ſententiam, à tempore ſcientiæ ejus; uti conſtat ex *cit. Authent. hodie*; Et *cit. cap. 15.* ita tamen ut ab initio ſit utile; quia tempus illud non currit impedito, vel ignoranti; ſed ex poſt factô efficitur continuum, *L. 1. ff. quando appell.* Et *cap. concertationi*, & ibi Gloſſa ver. *poſtquam ſciverit*, *hoc tit. in 6.* Curritque de momento latæ ſententiæ ad momentum; ut notat Marant. & Vallenſ. ita ut etiam ſolemnes feriæ in eo includantur, nec ſubtrahi poſſint, *L. 1. C. de ferijs.* Et ſi intra hoc tempus non appelletur, ſententia tranſit in rem judicatam; & Appellatio fit deſerta, *cit. Authent. hodie.*

4. Nota

Digitized by Google

4. Nota quartò : hoc decendium *interponendæ Appellationis* ratione gravaminis à Judice illati obſervandum quidem eſt, quando gravamen eſt momentaneum : cæterùm ſi gravamen ſit tale , quod habet cauſam continuam , & tractum temporis ſucceſſivum ; tunc dictum decendium non eſt neceſſariò obſervandum ; ſed ſemper appellari poteſt , etiam poſt decem dies. Gravamina autem ejuſmodi eſſent v. g. incarceratio , cenſura Eccleſiaſtica , interdictum , citatio ad locum non tutum, & ſimilia. Hoc tamen non procederet , ſi Judex eſſet interlocutus , illum juſtè fuiſſe incarceratum , aut juſtè cenſuratum , aut locum eſſe tutum ; quia tunc adhuc intra decem dies à die interlocutionis eſſet appellandum ; aliàs ſententia tranſiret in rem judicatam ; uti ex Gailo notat Vallenſ. Circa ſecunda Fatalia *Apoſtolorum petendorum, & concedendorum.*

5. Nota quintò : *Apoſtoli* hìc vocantur illi libelli , ſeu literæ dimiſſoriæ datæ ab inferiore Judice *à quo* , ad Superiorem Judicem *ad quem* appellatum eſt , quibus inferior Judex teſtatur , Petrum v. g. litigatorem appellâſſe à ſua ſententia *L. 1. ff. libellis dimiſſoriis.* Dicuntur *Apoſtoli* , id eſt *miſſi* , eò quòd mittantur ad Judicem *ad quem*, ut is inſtruatur de cauſa Appellationis. Aſſignantur autem Apoſtolorum variæ ſpecies. Quidam enim vocantur *dimiſſorij* , & hi ſunt quædam literæ ad Judicem ſuperiorem directæ , teſtificantes de Appellatione interpoſita , & admiſſa ; de his loquitur *L. 1. ff. de libellis dimiſſ.* Et *cap. ab eo 6. hoc tit. in 6.* Quidam dicuntur *Apoſtoli reverentiales*, & ſunt , quando Judex defert Appellationi , non ob Juſtitiam cauſæ ; ſed ob reverentiam Judicis Superioris ; de his procedit *cap. 1. hoc tit. in 6.* Et *L. eos , C. de Appellat.* Alij vocitantur *refutatorij*, quibus Judex *à quo* ſignificat Judici *ad quem* , ſe non admiſiſſe Appellationem, exprimendo cauſam rejectionis ; de quibus procedit *L. fin. C. eod.* Et *cit. cap. 1.* Alij dicuntur *conventionales* , quos dat pars altera litigans appellata , admittens Appellationem , ſive in Judicio Judice refutante , vel tacente ; ſive extra Judicium ; & de his agit *cap. ſæpe 44. hoc tit.* Alij demum vocantur *teſtimoniales*, ut quando abſente Judice appellatur coram Notarijs , vel alijs honeſtis viris, qui teſtantur in ſuis literis , coram ſe fuiſſe interpoſitam Appellationem.

6. Nota ſextò : Judex *à quo* requiſitus tenetur petenti dare Apoſtolos ; aliàs ſi procedat in cauſa , proceſſus erit nullus, & retractandus per Judicem *ad quem* ; uti dicitur *cap. 4. hoc tit. in 6.* Quod tempus petendi , & dandi Apoſtolos attinet ; illud olim erat ſpatium quinque dierum , intra quos peti , & dari debebant , *can. ab eo 24. can. 2. q. 6.* Hodie verò peti poſſunt & debent inſtanter intra triginta dies , *L. cap. ab eo. 6. hoc tit. in 6.* Et ſi intra memoratos triginta dies , vel non petantur ; vel ſponte ; vel per negligentiam non recipiantur; cenſetur appellans Appellationi renunciâſſe ; ac proinde ipſa efficitur deſerta ; *cit. can. 24.* Unde Judex *à quo* elapſis triginta diebus poterit executioni mandare ſententiam , perinde , ac ſi ab ea non fuiſſet appellatum , *cap. conſtitutus 45. hoc tit.* Quòd ſi verò Judex infra triginta dies Apoſtolos dare recuſet , debet appellans de eo proteſtari , *Clement. quamvis ; hoc tit.* Et Judex eos dare recuſans puniendus eſt , *L. Judicibus 24. C. hoc tit.* Imò eundem appellans elapſis triginta diebus convenire poteſt coram Judice *ad quem* , *L. ſi Appellationem 31. C eod.*

7. Nota ſeptimò : tempus præfatum *petendorum , & dandorum Apoſtolorum* probabilius incipit currere primò à die ſcientiæ, quô in appellantis notitiam devenit ſententia lata ; & ex quo habuit facultatem appellandi ; uti conſtat ex *L. 1. C. de Appell.* Unde quando dicitur in alia *L. Judicibus 24. C. eod.* quòd tempus currat à die latæ ſententiæ ; hoc gloſſandum eſt, quando appellans habuit notitiam ſententiæ latæ ; uti notat Vallenſ. hìc.

8. Nota octavò : quando dicitur , Jure hodierno tempus petendi , & dandi Apoſtolos eſſe dies triginta ; hoc ſic intelligendum eſt ; niſi Judex breviorem terminum petendi Apoſtolos conſtituerit appellanti , ſicut ſtatuere poteſt rationabili de cauſa ; & elapſo tali breviori terminô , ſi Apoſtoli non fuerint petiti , redditur deſerta Appellatio non minùs , quàm elapſis triginta diebus : nam ejuſmodi terminus brevior à Judice præſcriptus , ſuccedit in vicem termini Juris triginta dies concedentis , & eundem parit effectum , *cap. ex inſinuatione 50. hoc tit.* Circa tertia Fatalia *præſentandi Apoſtolos.*

9. Nota nonò : Judex *à quo* poteſt appellanti præfigere terminum , ſeu certum

tempus ad introducendam ſuam Appellationem; ſeu ad præſentandos Apoſtolos Judici *ad quem*; ut ſi intra tale tempus eoſdem non præſentaverit, Appellatio censeatur deſerta; uti patet ex *L. Præſes 5.* junctâ Gloſſâ verb. *præſcriptum eſt*, & Gloſſ. marg. litt. A. *Cod. hoc tit.* Cæterùm Jura præſcribunt tempus ſex menſium, intra quos appellans debet Apoſtolos acceptos præſentare Judici *ad quem*, *L. 2. C. de temp. appell.* quod incipit currere non à die latæ ſententiæ; ſed à tempore interpoſitæ Appellationis; ut notat Gail. &c. Apoſtoli dandi ſunt expenſis appellantis; juxta Marant. Vallenſ. &c. Circa quarta Fatalia *proſequendi* ſcilicet *& finiendi Appellationem*.

10. Nota decimò: Fatalia *proſequendi, & finiendi Appellationem* conſiſtunt in anno; & ex juſta cauſa in biennio; infra quod tempus Appellans debet proſequi, & finire Appellationem; quod tamen Judex etiam poteſt abbreviare, quo ad proſequendum. Primum conſtat ex *cap. cùm ſit 5. in prin. hoc tit.* Et *Clement. 3. hoc tit.* Secundum habetur ex *cap. cùm ſit Romana hoc tit.* Si autem infra præfatum tempus à Jure præfixum appellans non proſequatur; vel finiat Appellationem, cenſetur eandem deſeruiſſe, perinde, ac ſi non appellâſſet, *L. fin. C. de temp. appell.* Similiter quando Judex breviorem terminum præfixit, & appellans infra illum non eſt proſecutus Appellationem, Sententia Judicis *à quo* rata manet; & ei parere cogitur appellans, *cap. ad aures 33. hoc tit.* Idem eſt; quamvis ipſemet appellans ſibi poſuerit breviorem terminum, *cap. ſæpe 44. hoc tit.* ſicut revera ſibi terminum talem ſtatuere poteſt, *cap. perſonas 4. hoc tit.*

11. Nota undecimò: etſi autem Judex *à quo* poſſit appellanti præfigere breviorem terminum, quàm annualem, vel biennalem ad proſequendum, ad finiendum tamen Appellationem nequit ei breviorem ponere; uti conſtat ex *cap. ex inſinuatione 50. hoc tit.* Et quia Judex *à quo* nequit Judici *ad quem*, utpote Superiori, legem præſcribere aut terminum, intra quem cauſam Appellationis recipere, & expedire debeat; cùm nemo alienæ juriſdictioni ſeſe immiſcere poſſit; ut dicitur *cit. cap.*

12. Nota duodecimò: ob certas cauſas, & impedimenta Appellantem poſſe admitti ad proſequendam Appellationem, non obſtantibus Fatalibus decurſis, ſeu annô, vel bienniô jam elapſis. Nam *primò*, ſi adſit impotentia, ita ut appellans non poſſit proſequi Appellationem interpoſitam v. g. ob infirmitatem, paupertatem, vel inopiam, *cap. ex ratione 8. hoc tit.* Et quia impoſſibilium nulla eſt obligatio, *L. impoſſibilium ff. de reg. Juris.* Quin imò etiam tempus decendij pro interponenda Appellatione non currit pauperi; ex eodem principio allegato *L. impoſſibilium.* *Secundò* ſi adſit malitia appellati; puta ſi is impediat per ſe vel per alium, appellantem à proſecutione Appellationis, petendo fruſtratorias dilationes; vel per ſuas cavillationes prorogando Judicium, ne Appellatio debito tempore finiatur; vel ſi impediat appellantem extra Judicium, quo minùs Appellationem proſequi poſſit: quo caſu ipſo Jure conceditur etiam ſecundus annus; in quo ſi interveniat impedimentum non currit ipſi tempus proſequendi Appellationem; uti decidit Rota Romana *dec. 102. in novis:* quia tempus Fatalium hoc caſu labitur culpâ; & factô adverſarij; & deſertio fieri debet contra culpabilem, & negligentem; non contra impeditum; uti notat Vallenſ. Abbas, &c.

13. Nota decimotertiò: *Tertiò*, non obſtantibus Fatalibus decurſis appellans admittitur ad Appellationem, ſi adſit caſus fortuitus; ut ſi viæ ſint hoſtibus infeſtæ, ita ut appellans nequeat accedere Judicem Appellationis; vel ſi ejus Procurator ſit captus in via; & ſi hujuſmodi caſus contingant in in primo anno, tunc datur ipſo Jure annus ſecundus, *L. fin. C. de tempor. appell.* quod ſi & hoc anno proſequi non valeat Appellationem; addi poterit & tertius, *cap. ex ratione 8. hoc tit.* non quidem per viam Juris; ſed per modum reſtitutionis in integrum; quod & in alijs jam præmiſſis duabus cauſis, ac etiam in ſubſequentibus alijs tribus, practicari poterit. *Quartò*, quando evenit impedimentum ex parte tertij, putà ex negligentia Procuratoris, qui neglexit, nè intra debitum tempus, ſeu annum finiatur Appellatio: quo caſu currit quidem tempus Appellationis, nec datur reſtitutio in integrum adverſùs lapſum Fatalium; attamen appellans habet actionem ad intereſſe, & damna contra Procuratorem talem, ſi ſit ſolvendo, *L. ſi remunerandi C. de Procurat.* ſi verò non ſit ſolvendo, ſuccurritur ei per reſtitutionem in integrum; ut habet Gloſſa in *cap. ex ratione 8. hoc tit.*

14. Nota

14. Nota decimoquartò: *Quintò*, quando intervenit impedimentum ex parte tam appellantis, quàm appellati; ut ſi ambo pendente Appellatione ſuſcipiant peregrinationem; vel compromittant in arbitros; quibus caſibus durante peregrinatione, vel compromiſſô, ſuſpenditur curſus temporis ipſo Jure; niſi Judex ob periculum imminens ex dilatione, ac mora præcipiat, ut in cauſa Appellationis procedatur; utì conſtat ex *Clement. quam diu 4. hoc tit.* *Sextò*, quando Judex ponit impedimentum proſequendi Appellationem; puta quia non vult, vel non poteſt ob infirmitatem, vel aliam cauſam, audire cauſam & cognoſcere: hoc caſu, ſi Judex ſit Princeps Supremus; ipſo Jure non currunt appellanti Fatalia, *Authen. Sed & hi; cum ſeqq. C. de tempor. appellat.* Si verò Judex ſit inferior; ipſo Jure indulgetur ſecundus annus, *L. ult. C. de tempor. appellat.*

CAP. VII.

De forma; ſeu modo appellandi.

1. NOta primò: Appellatio à ſententia definitiva poteſt inſtitui vel vivâ voce ſtatim, ac pronunciata eſt ſententia, & dum Judex adhuc ſedet pro tribunali, necdumque divertit ad actus extraneos, utì dicitur *L. litigatoribus 14.* junct. Gloſſ. ver. *illico C. hoc tit.* quo caſu Notarius in acta referre debet dictam Appellationem, ùt notat Marant. Vel fieri poteſt ex intervallo & hoc Libellô Appellatoriô utì patet ex L. 2. junct. Gloſſ. *hoc tit.* In hujuſmodi autem libello exprimendæ ſunt certæ perſonæ; id eſt illa, contra quam inſtituitur Appellatio; & Judicis *ad quem* ſit Appellatio; & Judicis à cujus ſententia appellatur, *L. 1. §. fin. ff. hoc tit.* hæc tamen expreſſio non eſt ſimpliciter neceſſaria; unde ſi quæ dictarum perſonarum non exprimeretur; non propterea redderetur Appellatio invalida; utì notat Vallenſ. Marant. &c. DD.

2. Nota ſecundò: quando Appellatio fit libellô appellatoriô, poteſt is præſentari Judici ubique locorum; nec eſt neceſſe, ut ipſe tunc ſedeat pro tribunali; ut notat Vallenſ. imò ſufficit, ſi præſentetur Notario actorum; ùt habet Maranta. Si autem ipſimet Judici præſentetur, opus non eſt, ut tunc coram eo legatur, *cap. Appellatio 9. hoc tit. in 6.* Appellatio poteſt fieri ſufficienter non tantùm per verba aperta *appello*, vel *provoco*; ſed etiam per æquipollentia; v.g. ſi Clericus gravatus ab ordinario loci dicat, *committo*, vel *ſubjicio me protectioni Summi Pontificis*, vel *alterius Superioris*; Et ſententia lata poſt Appellationem factam per ſimilia æquipollentia verba, & ſinè cauſæ cognitione, invalida eſt, *cap. ad audientiam 34. hoc tit.* Imò Appellatio etiam ſufficienter cenſetur facta, ſi Clericus v. g. abſque verbis ullis ipsô factô iter arripiat ad Romanã Curiam, vel Papam; vel ad alium Superiorem; unde ſi ei interea cenſura excommunicationis infligatur, ea erit nulla, *cap. dilecti 52. hoc tit.*

3. Nota tertiò: non ſubſiſtit Appellatio, quâ quis generaliter appellat ab omni gravamine, quod ſibi poſſet inferri: ſubſiſtit tamen illa, quâ quis generaliter appellat ſuper omni gravamine, quod in determinata cauſa ſibi inferendum timet; utì habetur *cap. conſuluit 18. hoc tit.* Illa Appellatio generalis, quâ quis appellat generaliter ſuper omni cauſa, quæ contra ſe poſſet moveri aliquando, non tenet juxta *cap. inter cætera 2. hoc tit.*

4. Nota quartò: in Appellatione à ſententia definitiva opus non eſt allegare cauſam in ſpecie appellandi; ſed ſufficit ſi appellans dicat in genere, *ſum gravatus*; vel *ſententia lata eſt difformis juſtitiæ*; vel *appello ab hac ſententia*; utì conſtat ex *L. 2. ff. hoc tit.* Et *cap. 1. hoc tit. in 6. §. poſt hoc*; junctâ Gloſſ. *ibidem*, ver. *ſtatuit.* Si autem appellans ab ejuſmodi ſententia alleget aliquam cauſam, adhuc etiam alias cauſas non allegatas coram Judice Appellationis proſequi poterit; imò & producere coram eodem nova inſtrumenta; novoſque teſtes, & priùs non allegata allegare, ac non probata probare; utì conſtat ex *L. per hanc 4.* Et *L. eos 6. C. hoc tit.* Et *cap. cum Joannes 10. de fide inſtrum.*

5. Nota quintò: Appellatio à Sententia interlocutoria lata in judicio; vel à gravamine extrajudiciali, ſemper debet fieri in ſcriptis, & porrectô libellô appellatoriô; ſive fiat in continenti, id eſt ſtatim, ac Judice adhuc pro tribunali ſedente; ſive ex intervallo, utì fieri poteſt, juxta *cap. cordi 1. hoc tit. in 6.* In dicto libello exprimi debet neceſſariò cauſa Appellationis, *cit. cap. 1.* Debet item neceſſariò exprimi perſona appellantis, *L. 1. D. hoc tit.* non tamen neceſſariò perſona contra quam appellatur, L. *3. ff. de appell.* Si tamen Sententia interlocutoria habeat vim definitivæ, poteſt in continenti etiam viva voce ab ea appellari; utì notat Vallenſ. cùm in

ea debeant obſervari omnes ſolemnitates, quæ obſervantur in Appellatione à definitiva, cui æquiparatur; ac proinde eodem etiam modo, viva voce inſtitui poteſt Appellatio. Appellans autem ab interlocutoria vel gravamine, non poteſt alias cauſas, quam nominatim expreſſas, proſequi in ipſa Appellatione; uti habetur ex *Clement. appellanti, in prin. hoc tit.* Et conſtat ex *cap. cum cauſam 62. hoc tit.* Similiter proceſſus primi Judicis, à cujus interlocutoria, vel gravamine fuit appellatum, non poteſt juſtificari, nec impugnari ex actis novis, vel de novo producendis; ſed tantùm ex illis, quæ coram illo acta, vel exhibita fuerunt; uti conſtat ex *Clement. cit. 5. hoc tit.* Obligatur prætereà appellans ab interlocutoria, vel gravamine ante definitivam ſententiam, ad probandum, & docendum, non ſolùm quòd oppoſuerit exceptionem legitimam, & appellaverit; ſed etiam quòd legitima exceptio oppoſita non fuerit admiſſa; ideoque appellaverit; uti patet ex *cap. dilecto 63. hoc tit.*

CAP. VIII.

De effectu Appellationis; & revocatione attentatorum ea pendente.

1. DIco primò: Appellatio interpoſita habet effectum ſuſpenſivum; ſeu ſuſpendit juriſdictionem Judicis *à quo*; ita ut ea pendente nec ſententiam executioni mandare valeat; nec aliquid attentare, aut innovare poſſit in cauſa; ſed omnia in eodem ſtatu, in quo erant tempore interpoſitæ Appellationis, manere debent, quamdiu de ea cognoſcitur. Ita Vallenſ. Gloſſ. Abbas &c. Et ita conſtat ex *cap. venientes 19. ibi, nos ſententias &c.* Et *ex cap. dilectis 55. hoc tit.* Et ex *cap. ſi à Judice 10. hoc tit. in 6.* Et ex *L. 1. §. fin. ff. ad ſenatus conſultum Turpill.* Et *L. uni. ff. nihil innovari interp.* Unde pendente Appellatione Juriſdictio Judicis quaſi dormire videtur, *cap. paſtoralis 53. §. 1. hoc tit.*

2. Nota tamen primò: reperiri nonnullos caſus, in quibus præfatus effectus ſuſpenſivus Appellationis non habet locum, nec Juriſdictio Judicis *à quo* ſuſpenditur penitùs: Et *primò*, etſi excommunicatus, vel perſonaliter interdictus appellâſſet ad Papam, vel alium Judicem; poterit nihilominùs Judex *à quo* eum poſtea abſolvere ab excommunicatione, vel interdicto; ſi taliter cenſuratus abſolvi petierit, & ſufficientem cautelam præſtiterit; tametſi adverſarius contradiceret, & appellet; nè is abſolvatur; uti habetur *cap. qua fronte 25. hoc tit.* Et nè ſi taliter cenſuratus decederet in cenſura Excommunicationis, privetur Eccleſiaſticâ ſepulturâ, *cap. quod te 11. de pœnit. & remiſſ.* Vel nè ſi celebret Divina, incurrat irregularitatem, *cap. ad præſent. 16. hoc tit.* *Secundo*, ſi Judex *à quo* citet appellantem à gravamine, ut audiat revocationem gravaminis illati, quam intendit facere; tunc appellans citatus tenetur comparere; in caſu autem renitentiæ comparendi, ſi Judex *à quo* nihilominùs revocet gravamen, poterit is exinde liberè in cauſa procedere tanquam contra contumacem, ac ſi Appellatio non fuiſſet interpoſita; uti conſtat ex *cap. ſi à Judice 10. hoc tit. in 6.* *Tertiò*, ſi appellans poſt Appellationem committat aliquod crimen, poteſt non obſtante Appellatione, eâque pendente ab eodem Judice *à quo* puniri ob illud aliud crimen; uti habetur *cap. præterea 22. hoc tit.* *Quartò*, Appellatio interpoſita non ita ſuſpendit Juriſdictionem Judicis *à quo*, quò minùs eâ pendente, ea omnia poſſit facere, quæ conducunt ad faciliorem exitum cauſæ Appellationis; dummodo non immiſceat ſe ipſi Appellationi, & de illa cognoſcat; uti notat Abbas, Marant. Pirhing. &c. Unde ſi appellatum ſit in Judicio poſſeſſorio, poteſt Judex *à quo* pendente Appellatione cognoſcere, ſi querela turbatæ poſſeſſionis ad ipſum deferatur; uti conſtat ex *cap. cùm teneamur 17. hoc tit.*

3. Dico ſecundò: Appellatio legitimè interpoſita habet etiam effectum devolutivum, ſeu devolvit cauſam ad Judicem, *ad quem* appellatur, ita ut is de juſtitia Appellationis cognoſcere debeat; & ſi juſtam deprehenderit, ut eam definiat. Ita Abbas, Gloſſa &c. Et ita conſtat ex *cap. ut debitus 59. in fin. hoc tit.* Et non ſolùm cauſa principalis ſic devolvitur; ſed & ejus acceſſoria, ſeu quæ eam conſequuntur; uti patet ex *cap. dilectis 55. hoc tit.* Circa alterum articulum hujus capituli.

4. Dico tertiò: Appellatio à ſententia definitiva quoque habet effectum revocatorium, ita ut ea pendente nihil innovetur, & ſi quid innovatum, vel attentatum fuerit à Judice *à quo*, id ante omnia per *remedium attentatorum* revocandum, & irritandum ſit per Judicem *ad quem*. Ita communis DD. Et ita conſtat ex *cap. dilectis filiis 55. hoc tit.* Et L.

uni. ff.

Digitized by Google

uni. ff. nihil innovari Appellatione interpoſitâ. Et quia Appellatio talis eximit appellantem à juriſdictione Judicis *à quo* quoad illam cauſam. Si autem Appellatio ſit tantùm à ſententia interlocutoria, vel gravamine antè ſententiam definitivam; tunc Judex Appellationis non poteſt præſtare illico præfatum effectum; unde non debet revocare innovata poſt dictam Appellationem, priùs quàm conſtiterit cauſam appellandi legitimam eſſe, *cap. non ſolùm 7. hoc tit. in 6.* Niſi talis Judex devolutô ad ſe negotiô, Judici *à quo* inhibuiſſet, ne ulteriùs procedat, *cit. cap. non ſolùm.*

5. Nota ſecundò: hoc *remedium attentatorum* (ſubaudi *revocandorum*) locum habet non tantùm in Appellatione judiciali; ſed etiam extrajudiciali; ſi cauſa juſta fuerit: quia lex non tantùm prohibet aliquid innovare pendente Appellatione *L. unic. cit.* Sed etiam generaliter, lite pendente, *cap. 1. & 2. ut lite penden. nihil innov.* Ideoque cùm Appellatio extrajudicialis ſit ſaltèm provocatio ad cauſam, *cap. cùm ſit 5. §. ſi verò, hoc tit.* etiam litis pendentiam inducit; ac proinde quod poſt eam innovatur, rectè lite pendente innovari dicitur; & per conſequens etiam revocari debet; utì rectè notat ex Vallenſi Pirhingus. Attamen hoc eſt diſcrimen inter Appellationem judicialem, & extrajudicialem; quòd in judiciali omnia attentata, & acta Judicis *à quo* (ſi juſta ſit Appellatio) reſcindi, ac revocari debeant; etiamſi aliqua non eſſent directè contra Appellationem ipſam, *cap. non ſolum 7. in princ. hoc tit. in 6.* In extrajudiciali autem ea duntaxat acta, & attentata reſcinduntur, quæ directè contra Appellationem ſunt; utì ex Maranta, Abbate, & Innoc. notat Vallenſ. & Pirhingus. Ratio differentiæ eſt; quia Appellatio judicialis ſuſpendit totam juriſdictionem Judicis inferioris quoad omnia illam cauſam Appellationi ſubſtratam concernentia; ideò omnia revocantur: Appellatio autem extrajudicialis non ſuſpendit totam juriſdictionem Judicis interioris; ideoque revocatur duntaxat id, quod eſt in gravamen Appellationis, ſeu contra Appellationem. Ut autem attentata in judiciali Appellatione cenſeantur revocata, opus eſt, ut talis Appellatio ſit intimata Judici, & parti; nam aliàs Judex, & partes ignorantes Appellationem, poſſunt de jure procedere in cauſa; nec revocantur tunc attentata per eos; utì advertit Maranta & Vallenſ.

6. Nota tertiò: attentata fiunt, vel à Judice; vel à parte altera litigante: & utraque revocanda ſunt ante omnia; utì notat Vall. Monach. Pirh. &c. Poteſt autem ejuſmodi revocatio attentatorum antè concluſionem peti in quacunque parte judicij uſq; ad concluſionem in cauſa; non verò ultra; ita Gail. Rota Maran. &c. Peti etiam poteſt aut imploratô principaliter officiô Judicis; aut acceſſoriè, proſequendo ſcilicet Appellationem; uti notat Vallenſis.

7. Nota quartò: Remedio attentatorum plurima competunt privilegia; eſtque longè pinguius, & promptius remedium ſpoliato, ſeu turbato in ſua poſſeſſione; quàm Interdictum *unde vi*: quod alias etiam reſtitutionem ſpoliati ante omnia reſpicit; ſicut remedium attentatorum reſpicit revocationem eorum ante omnia. Nam *primò* in Interdicto *unde vi* debet probari poſſeſſio, & ſpoliatio: at quando agitur per remedium attentatorum, non eſt neceſſaria probatio ſpoliationis: ſed ſufficit, ſi appellans ſpoliatus poſt interpoſitam Appellationem probet, quòd tempore talis Appellationis fuerit in poſſeſſione; & quòd adverſarius nunc poſſideat; hôc enim oſtenſô, contra quemcunque ſive bonæ, ſive malæ fidei poſſeſſorem, reducendus eſt in priſtinum ſtatum, revocatis omnibus attentatis poſt Appellationem, *cap. bonæ 51. hoc tit. Secundò*, agenti interdictô *unde vi* notorius defectus proprietatis opponi poteſt, & ſæpè reſtitutionem remoratur, *cap. ad decimas, de reſtit. ſpoliat. hoc tit. in 6.* At verò agenti *remediò attentatorum revocandorum* non poteſt opponi ulla exceptio proprietatis, aut potioris juris; utì notat Vall. Sed ſufficit conſtare quoquo modo, adverſùs eum attentatum, & innovatum fuiſſe. Plura alia præcellentiora privilegia hujus remedij præ Interdicto *unde vi*, vide apud Abbat. Alex. de Nevo, Pirhing. Vallenſ. Gail. &c.

CAP. IX.

Variæ reſolutiones circa Appellationem.

1. NOta primò: interdum utraque pars litigans poteſt appellare à ſententia lata; ſi utraque ſe per eam advertat læſam; utì notat Gloſſa Abbas &c. nam Appellatio poteſt continere plures articulos, in quorum uno una pars v.g. Reus condemnetur; in altera verò abſolvatur; & ſic cum altera parte pariter poteſt contingere. Non eſt tamen neceſſe, ut utraque pars appellet; nam unius Appellatio trahit ſufficienter cauſam ad ſuperiorem Judicem; ut advertit Zoëſ. hìc.

2. Nota ſecundò: bis quidem appellare licet à ſententia definitiva in eadem cauſa, & ſuper

ſuper eodem articulo, vel gravamine; tertia autem Appellatio non admittitur; ita conſtat ex *cap. ſua nobis 65. hoc tit.* Imò & ab eadem ſententia interlocutoria bis appellari conceditur, quando prima vice deſerta fuit Appellatio; modò pars litigans non ſit contumax; ſed ſiſtat ſe Judici *à quo*; ita patet ex *cap. directa 39. hoc tit.*

3. Nota tertiò: Judex *à quo* regulariter tenetur deferre Appellationi cuilibet, ex juſta cauſa interpoſitæ; ſeu debet eam admittere, & acta coram ſe intra triginta dies, unà cum relatione ſeu apoſtolis transmittere ad Judicem *ad quem*; qui Judex Appellationis vocatur; ita ſancitur *L. judicibus 24. C. hoc tit.* Alioquin ſi non deferat Appellationi interpoſitæ ex juſta cauſa, puniendus eſt, de Jure Civili pœnâ triginta librarum auri, quando cauſa eſt civilis *L. quoniam 21. C. eod.* Si verò ſit criminalis, pœnâ arbitrariâ caſtigandus eſt, juxta Marant. &c. De Jure Canonico Judex *à quo* non deferens Appellationi mittitur ad ſuperiorem, puniendus arbitriò ejusdem, *cap. de priore 31. hoc tit.* qui talem olim ſolebat deponere ab officio, quando cauſa erat criminalis, *can. decreto 11. §. ſi autem*; junctâ Gloſſâ, verb. *ſubmotus, cau. 2. q. 6.* Prædicta autem intelligenda non ſunt in illis caſibus exceptis (de quibus ſupra *cap. 4.*) in quibus Jura dicunt non eſſe deferendum Appellationi. Uti & ſi Appellatio per fraudem, vel malitiam interpoſita ſit; quo caſu non tenetur Judex eam admittere; ſed eâ excuſſâ, poteſt in cauſa procedere, eamque finire; uti conſtat ex *cap. ſuggeſtum 15. hoc tit.*

4. Nota quartò: ſi contingat Papam, vel alium ſupremum Principem aliquam cauſam ad ſe avocare; tunc inferior Judex non poteſt ampliùs in ea procedere; ſed omne actum in tali cauſa invalidum erit ipſo Iure, ac ſi ab eo fuiſſet legitimè appellatum, *cap. ut noſtrum 56. hoc tit.*

5. Nota quintò: Iudex, *ad quem* interpoſita eſt Appellatio, obligatur Appellationem eandem admittere, & de ejus juſtitia cognoſcere; & ſi deprehenderit ipſam fuiſſe legitimè interpoſitam; debet pronunciare, Appellationem talem eſſe juſtam; ſive malè fuiſſe judicatum, benèq; appellatum: ſi autem deprehenderit illam eſſe injuſtam; debet pronunciare de ejus injuſtitia; ſeu benè fuiſſe judicatum, maleque appellatum; uti patet ex *L. eos qui 6. Cod. hoc tit.* Et quia judicare ſeu pronunciare eſt munus publicum, cui non poteſt renunciari. *L. ult. §. judicandi ff. de muner.* Unde idem Iudex *ad quem* non poteſt cauſam Appellationis examinandam remittere ad Iudicem *à quo*, priusquàm de ejus juſtitia cognoverit per ſe, vel per alium non ſuſpectum; niſi pars, quæ appellavit, conſentiat; uti conſtat ex *cap. accepta 35. hoc tit.*

6. Nota ſextò: quando Iudex *ad quem* deprehendit, & deſuper pronuntiat, fuiſſe à Iudice *à quo* malè judicatum; & bene appellatum à gravato; tunc non debet remittere cauſam ad dictum Iudicem *à quo*; ſed ipſemet debet eandem cognoſcere, & definire, ut dicitur *cap. ut debitus 59. in fine hoc tit.*

7. Nota ſeptimò: quando factâ Appellatione à gravamine aliquo pars adverſa contumaciter ſeſe abſentat, & non comparet; pars autem appellans parata eſt probare gravamen apud Judicem *ad quem*; tunc Judex ejusmodi poteſt procedere, & cognoſcere; tametſi lis necdum ſit conteſtata in articulo Appellationis; vel etiam in cauſa principali; uti conſtat ex *cap. interpoſita 70. §. ſanè, hoc tit.* Similiter ſi lis in prima inſtantia ſit jam conteſtata, & poſt illam fuerit appellatum; altera verò pars conventa in ſecunda inſtantia, ſeu cauſa Appellationis ſit contumaciter abſens; tunc Judex *ad quem* etiam in cauſa principali poteſt ad ſententiam definitivam procedere; modò ei conſtet de meritis cauſæ; uti conſtat ex *cap. per tuas 58. hoc tit.*

8. Nota octavò: Appellans tenetur ad tria probanda coram Judice Appellationis; ſcilicet ſe appellâſſe; & quidem tempore legitimo, puta intra dies decem; & ex cauſa rationabili, tali videlicet, quæ ſi fuerit probata, declarabitur juſta; juxta *cap. ut debitus 59. hoc tit.*

9. Nota nonò: quando in cauſis electionum, alijsque beneficialibus Appellatio fieret deſerta, ex eo, quòd appellans ex negligentia eam non proſequatur intra terminum præfixum; tunc Judex Appellationis nihilominùs procedere poteſt proprio motu, & ex ſuo officio, ob bonum publicum; ſicque poteſt de meritis cauſæ cognoſcere, v. g. de impedimentis Electi, propter quæ fuit appellatum; uti conſtat ex *cap. conſtitutus 45. hoc tit.*

10. Nota decimò: ſi contingat Judicem *à quo* revocare gravamen, à quo appellatum fuit à parte gravata; tunc idem Judex liberè poteſt in cauſæ cognitione procedere perinde, acſi à tali gravamine non fuiſſet appellatum: dummodo Judex non ſit ex alia cauſa ſuſpectus; nè proceſſus frivolis occaſionibus retardetur; uti conſtat ex *cap. cum ceſſante 60. hoc tit.* Ratio eſt; quia ceſſante cauſa ceſſat effectus: ſed gravamen eſt cauſa Appellationis: ergo ceſſante gravamine per revocationem Judicis

Digitized by Google

Judicis *à quo*, ceſſat etiam effectus ipſius, ſcilicet Appellatio.

11. Nota undecimò: poteſt gravatus renunciare Appellationi interpoſitæ; vel *expreſſè*, deſiſtendo ſcilicet ab Appellatione; quod fieri poteſt, ſi adverſarij non interſit, & res adhuc ſit integra; utì dicitur *can. ei qui, 41. §. ſi verò is, qui appellavit &c. cauſ. 2. q. 6.* vel *tacitè*, puta ſi ponat actionem contrariam Appellationi, v. g. petendo inducias ad reſpondendum objectis; vel ad producendos teſtes; vel teſtium publicationem fieri, *cap. gratum 20. de offic. Jud. deleg.* item ſi intra tringinta dies non petat apoſtolos, *cap. ab eo 6. hoc tit. in 6.*

CAP. X.

De Recuſationibus.

1. Nota primò: altera pars Rubricæ, ſeu *hujus Tituli* inſcribitur *de Recuſationibus*, quæ conveniunt in multis cū Appellationibus: nam ſicut per Appellationem; ita etiam per Recuſationem ſuſpenditur juriſdictio Judicis: nec Judex procedere valet ad aliquem actum in cauſa, in qua recuſatur; & ſi proceſſerit, proceſſus evadit invalidus; niſi recuſans poſt Recuſationem conſenſerit in Judicem recuſatum.

2. Dico primò: bene deſcribitur Recuſatio, quòd *ſit declinatio Judicis, & juriſdictionis ipſius, tanquam ſuſpecti ratione odij, amicitiæ, favoris, vel conjunctionis cum altera parte, vel ob aliam ſimilem cauſam.* Ita colligitur ex *L. apertiſſimi 16. C de Judic.* Et *can. quod ſuſpecti 15. cau. 3. q. 5.* Ly *declinatio* eſt genus: reliqua ponuntur pro differentia.

3. Nota ſecundò: finis Recuſationis eſt, ut lites majori ſinceritate procedant; etſi enim fides Judicis publica authoritate ſit approbata; æquum tamen non eſt, ut quis cogatur ſtare ejus judicio, dum ipſum juſtæ cauſæ reddunt ſuſpectum: unde quodammodo naturale eſt, ſuſpectorum Judicium inſidias declinare, & inimicorum judicium ſemper velle refugere; utì dicitur *can. cit. quod ſuſpecti.*

4. Nota tertiò: Recuſatio Judicis eſt proponenda intra viginti dies poſt libellum oblatum, & ante litis conteſtationem; ut dicitur *Authen. offeratur*, ibi, *vel recuſet eum, C. de litis conteſt.* Imò & ante aliarum exceptionum oppoſitionem; nè quis eas opponendo videatur in Judicem conſenſiſſe, *cap. inter 20. de ſent. & re judic.* Si tamen poſt litem conteſtatam primò fuerit cauſa ſuſpicionis exorta; etiam tunc Recuſatio proponi poteſt; quia quæ de novo emergunt, novô opus habent remediô, *L. de ætate 11. §. ex cauſa ff. de interrog. action.* Idem eſt, ſi cauſa ſuſpicionis extitit quidem jam ante litem conteſtatam; ſed recuſans ejus notitiam demum aſſecutus eſt poſt litis conteſtationem; quo caſu juſta ignorantia excuſat, *L. qui alteri us ff. de Reg. Juris.* Sed recuſans obligatur juramentô aſſerere, ſe tunc demum talis cauſæ ſuſpicionis notitiam obtinuiſſe, *cap. paſtoralis; de jurejur.*

5. Nota quartò: Recuſatio eſt proponenda in ſcriptis, ad modum Appellationis à ſententia interlocutoria, *Clement. 5. hoc tit.* cui eſt affinis: unde opus eſt libellô, qui Judici recuſato exhibeatur; ſi is fuerit præſens, *cap. cum ſpeciali 61. hoc tit.* Secus ſi fuerit abſens, *L. fin. C. de except.* Et dicto libello debet inſeri cauſa juſta ſuſpicionis, *cit. cap. 61.* Judex autem recuſatus acquiſitô libellô ſubſiſtet, nec examinabit eum (cùm nemo in propria cauſa ſit Judex) ſed mandabit utrique parti litiganti, vel etiam coget ipſas (ſi opus ſit) ut ipſæ ſolæ, vel una ſecum eligant duos arbitros, qui cognoſcant de cauſa ſuſpicionis, *cit. cap. 61.* Hujuſmodi autem arbitri receptô arbitriô non cognoſcent de ipſa cauſa principali; ſed de cauſa ſuſpicionis duntaxat; deque veritate, & idoneitate ipſius, *cap. legitima hoc tit. in 6.* ſtatuentque recuſatori terminum ad probandum, *cap. ſecundò requiris 41. hoc tit.* Quòd ſi hi arbitri in cognoſcendo convenire nequeant; aſſumere debent tertium aliquem, qui unà cum ipſis judicet: & ad hoc per Judicem recuſatum cogi poterunt, *cit. cap. 61.* ſicut etium, ut ferant ſententiam infra certum terminum.

6. Nota quintò: poſtquam autem cauſa ſuſpicionis ſufficienter eſt probata, & juſtificata, ac deſuper ſententia ab arbitris præfatis pronunciata; tunc Judex tenetur cauſæ cognitionem alteri demandare, de conſenſu recuſatoris; vel certè remittet ipſam ad ſuperiorem, *cap. cum ſpeciali 61. hoc tit.* Quòd ſi verò cauſa ſuſpicionis non fuerit ſufficienter probata; ſed minùs idonea, & illegitima judicata; tunc recuſans remittendus eſt ad Judicem recuſatum, qui proinde procedet in cauſa principali, *cap. ſecundò requiris 41. hoc tit.* Sicut etiam remittitur appellans ad Judicem *à quo*, quando bene judicatum, & malè appellatum fuit, *cap. ut debitus 59. in fin. hoc tit.*

7. Nota ſextò: effectus Recuſationis eſt, quòd ſuſpendat juriſdictionem Judicis recuſati; ita ut pendente cognitione cauſæ ſuſpicionis Iudex in cauſa principali ſuperſedere debeat; nec ad ulteriora procedere valet; aliàs proceſſus ulterior erit nullus; utì colligitur

ligitur ex *cap. cit. 41.* Et *cap. cum ſpeciali 61. hoc tit.*

CAP. XI.

De Relationibus.

1. NOta primò: tertia pars Rubricæ, ſeu *Tituli hujus* eſt *de Relationibus*; quæ pariter ſimilitudinem habent cum Appellationibus: ſicut enim Appellatio inſtituitur ab inferiori ad ſuperiorem; ita & Relatio: & ſicut pendente Appellatione; ita & pendente Relatione; imò etiam promiſſâ duntaxat, nihil oportet attentari, ſeu renovari, *cap. licet; de offic. Jud. deleg.*

2. Dico primò: rectè deſcribitur Relatio hìc, quòd *ſit Judicis inferioris de jure in cauſa dubitantis, ad ſuperiorem videlicet vel Papam, vel ſupremum Principem tranſmiſſa conſultatio; ut ſciat, quid in judicando ſit ſequendum.* Ita conſtat ex *L. cùm quem ff. de judic.* Ly *conſultatio* eſt genus; reliqua habent rationem differentiæ.

3. Nota ſecundò: Relatio integrè referenda eſt, & taliter, ut ad plenam inſtructionem nihil deſit; quarè unà cum actis tranſmittenda eſt, *L. 3.* & ibi Gloſſa *in caſu, Cod. de Relat.* Requiritur etiam, ut utraque pars litigans in Relationem ipſis editam conſentiat, *L. 2.* junctâ Gloſſ. verb. *probantur, Cod. eodem.* Quarè ipſis partibus priùs exemplar talis Relationis eſt edendum; ut ſi ea fortè minùs integrè videatur facta, liceat ipſis refutatorias preces offerre, *L. 1. C. de Rel.* nè ſilentium præjudicet, *cap. intimâſti 68. hoc tit.*

4. Nota tertiò: Relatio fieri debet ante ſententiam definitivam, *L. 1. cit.* exceptis cauſis criminalibus, in quibus priùs fertur ſententia; & demum Princeps judicat, an eam ſequi oporteat, *L. inter pœnas 6. §. 1. ff. de interd. & releg.* Uſus Relationum olim erat frequens in Iure Civili; hodiè pene exolevit (etiam in foro Canonico) quia ex praxi deprehenſum fuit, lites nimiùm protrahi hac occaſione; utpote ſi poſt longam diſceptationem, demum adhuc pro deciſione ad Principem recurratur: unde & Imperator in *Novella 125.* ſtatuit, ut omiſſis Relationibus, decernant in cauſis controverſis. In ruſticorum tamen tribunalibus inferioribus civilibus aliqua adhuc ſpecies ejus retinetur; utì notat Vall. Effectus Relationis eſt, quòd ſuſpendat juriſdictionem Iudicis inferioris, donec ſuperior reſponſum dederit; utì conſtat ex *L. ex illo 13. C. hoc tit.*

CAP. XII.

Quid Juris regularis de Appellationibus in Ordine S. Franciſci.

1. DIco primò: admittenda eſt in Iudicio Minoritico FF. de Obſerv. & Ref. Appellatio Reis, qui ſe aliquâ ſententiâ gravatos ſenſerint. Ita communis DD. Ordinis; & habetur in Conſtitutionibus Generalibus modernis *cap. 7. §. 7. num. 1.* Eſtque Ratio; quia recurſus ad alium Iudicem competentem, ſeu Appellatio, eſt in ſubſidium innocentiæ à legibus introducta; adeoque etiam patrocinatur Reis Minoritis gravatis aliquâ ſententiâ.

2. Dico ſecundò: quando Appellationi eſt locus, ea inſtituenda eſt hoc ordine; ut à Provinciali appelletur ad Generalem; à Generali ad Protectorem Ordinis; & ab hoc ad Summum Pontificem, ſupremum in Eccleſia Iudicem. Ita communis DD. Ordinis. Et habetur in ſpeciali Bulla Gregorij XIII. *quoniam noſtro Paſtorali* &c. Et in Conſtitutionibus Generalibus *cit. loc. n. 2.* Et ſi hic ordo non obſervetur, appellans non eſt audiendus; imò omni ſuffragiorum jure per triennium privandus, ac bimeſtri carceri mancipandus; utì habent ſtatuta Vallisol. *cap. 7.*

3. Nota primò: FF. Minores de Obſerv. & Ref. temerè appellantes extra Ordinem ad tribunalia ſæcularia quovis prætextu, aut quæſito colore, incidunt in pœnam excommunicationis latæ ſententiæ, à qua nonniſi à Romano Pontifice pro tempore exiſtente, præterquam in mortis articulo, abſolvi poſſunt: inſuper pœnam privationis perpetuæ officiorum obtentorum, & inhabilitatis ad illa, & alia quæcunque; ac demum pœnam privationis vocis activæ, & paſſivæ incurrunt, juxta *cit. Bullam* Gregorij XIII.

4. Nota ſecundò: ſubſiſtente Appellatione tanquam rationabili, Provincialis, aut alius Iudex Ordinis, à quo Appellatio interponitur, tenetur appellanti copiam proceſſus infra triginta dies aſſignare clauſam, ſigillatamque per ipſum Reum ad Iudicem majorem *ad quem* deferendam: ad quem effectum Iudex *à quo* pariter ei tenetur dare obedientiales, & ſcriptam facultatem accedendi Iudicem *ad quem*; niſi appellans ſit de fuga ſuſpectus; quo caſu maneat in loco detentionis, & Iudex *à quo* tranſmittat proceſſum ad Iudicem *ad quem*. Iudex autem *ad quem* obtento

Digitized by Google

tento proceſſu primo non procedat ad abſolutionem appellantis, aut cauſæ cognitionem; niſi priùs viſis, & examinatis actis primæ inſtantiæ, in illo proceſſu transmiſſo deſcriptis; ita ordinant Conſtitutiones Generales *cit. loc. n. 4.* & *n. 7.* Appellatio interpoſita primò poſt decem dies, nulla eſt; ut notat *Practica Criminalis*.

5. Nota tertiò: Minor recuſans Judicem inferiorem, & Appellans ad majorem Judicem Ordinis, coram inferiore adducere debet legitimam cauſam ſive ſcriptô, ſive voce, ſi eodem die, eâdemque judicij formâ perſiſtente Appellatio incontinenti interponatur; vel ſi ſententiatus publicè, aut coram teſtibus proteſtetur, & ad ſuperiorem petat recurſum; ita habet *Practica Criminalis Ordinis*. Si Judex *à quo* cognoverit Appellationem eſſe frivolam, eandem rejiciat, & officiô ſuô ordinariô fungatur: ſi verò legitimam, ipſam admittat, Reumque ad Judicem *ad quem* remittat, modô in *priori not.* expreſſô; *ibidem*. Si autem Appellationem viderit eſſe dubiam electis utrinque arbitris de Appellationis talis validitate decernat; *ibidem*.

6. Nota quartò: in correctionibus regularibus, mortificationibus, ac ſalutaribus pœnitentijs, de quibus non formatur ullus proceſſus; item ab obedientiæ præceptis, ac pœnis in Statutis Generalibus Ordinis taxatis, nulli fas eſt appellare; niſi modus in corrigendo notabiliter excederetur à ſuperiore corrigente; & non à pœna ſtatuti, ſed à Judice pœnam indiſcretè applicante appellaretur; ita habetur in Conſtitutionibus Valliſol. *cap. 7.* & ordinatione Apoſtolica Urbani VIII. *ad augmentum*. Si Reus Minorita non expectatâ ſententiâ ſuperioris, vel Appellatione interpoſita; vel non expectatis literis Obedientialibus, copiâque proceſſus, Judicem *ad quem* adierit, & à Judice *à quo* receſſerit; remittendus eſt ad Judicem *à quo*, & ab eo puniendus ùt apoſtata; ita Conſtitutiones generales *cap. 7. §. 7. n. 6.*

7. Nota quintò: Reus regularis debitè appellans habet ſex menſes, quibus Appellationem proſequi, & ſua Jura deducere poteſt; ijs autem elapſis cenſetur Appellationis Juri ceſſiſſe; niſi infirmitate, vel alio impedimento legitimo fuerit detentus, quod docere debet; ita *Practica Criminalis Ordinis*. Ne Appellatio ſit malitiæ patrocinium, ordinant Conſtitutiones Generales modernæ *cap. 7. §. 7. n. 1.* ut in cauſis viſitationis, ſeu correctionis, habilitatis, ſive inhabilitatis, & criminalibus, ante definitivam ſententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine à Provinciali non appelletur; nec Provincialis appellationem ab his factam admittere tenetur; niſi gravamen eſſet irreparabile per definitivam, v. g. incarceratio indebita, tortura, excommunicato, ſuſpenſio, & interdictum; utì notat *Practica Criminalis Ord.*

8. Nota ſextò: in Judicio noſtro Franciſcano cenſentur frivolæ Appellationes, & meritò rejiciendæ, ſequentes. *Primò*, quando appellatur à delicto notoriè commiſſo, quod nullâ valet tergiverſatione celari; niſi à Judice declarante notoreitatem appelletur; ita dicit *Practica Criminalis Ordinis*: & fundatur in *cap. cum ſpeciali, extra, de appellat.* *Secundò*, quando Reus jam confeſſus, & convictus appellat; niſi talis vellet probare confeſſionem à ſe editam fuiſſe per vim, metum, vel errorem, *ibidem*; & conſtat ex *cap. cùm ſit Roman.* Et *cap. pervenit; de appellat.* *Tertiò*, quando Reus Judici interroganti reſpuit reſpondere; aut citatus comparere renuit, ob quam cauſam tanquam confeſſus, & contumax fuit condemnatus; ibidem. *Quartò*, quando Reus ſententiam acceptavit, vel ſuo nomine ſubſcribi fecit; *ibidem*; & fundatur in *cap. ſuâ nobis; de appellat.* *Quintò*, ſi quis poſt trinam appellationem, vellet addere quartam; *ibidem*. *Sextò*, quando nulla legitima cauſa pro appellando affertur, *ibidem*. *Septimò*, ſi à Judicis arbitri, in quem conſentit, ſententia appelletur; *ibidem*; & patet ex *can. à Judic. cauſ. 2. q. 6.* *Octavò*, cùm appellatur ab interlocutoria, quæ per definitivam reparari poteſt; *ibidem*; & habetur in Tridentin. *Seſſ. 13. cap. 1. de ref.*

TTULUS XXIX.
DE CLERICIS PEREGRINANTIBUS.

CAP. I.

Quis veniat nomine Peregrinatis, & qui ſint effectus Peregr.

1. NOta primò: Peregrinatio ad Sedem Apoſtolicam, ſeu arreptio itineris Romam versùs inſtar cujusdam Appellationis ſe habet, quoad vim, & effectum; & ideo Titulo de Appellationibus ſubnectitur

tur *hic Titulus*; qui etſi inſcriptus ſit tantùm *de Clericis Peregrinantibus*; ſicut & caſus, qui in eo continetur, eſt de Clerico peregrinante; attamen etiam locum habet in alijs, etiam Laicis Peregrinantibus ad Sedem Apoſtolicam; uti notat Abbas, Pirh. &c. Unde

2. Dico primò: nomine *Peregrinantis* hìc ſpecialiter venit is, qui ad Sedem Apoſtolicam proficiſcitur, ſive ex cauſa viſitandi S. limina Apoſtolorum; ſive alia neceſſaria, vel probabili accedendi Sum. Pontificem. Ita Abbas, Vall. Innoc. &c. Et conſtat ex *cap. unic. hoc tit.*

3. Dico ſecundò: qui peregrinatur ad Sedem Apoſtolicam, ipſe cum ſuis rebus eſt conſtitutus ſub protectione ejusdem Sedis; unde ſi quid durante itinere ejusmodi ipſi ablatum fuerit, eidem erit reſtituendum; & contra eundem nihil eſt innovandum in cauſa ejusdem. Ita communis DD. Primum habetur *cap. conquerente. unic. hoc tit.* Ratio ſecundi *de nihil innovando in cauſa peregrinantis* eſt; quia ad Papam actu proficiſcens cenſetur appellare ipſò factò; quod plus eſt, quam verbis appellare, *cap. dilecti filij 52. de appellat.* Unde ſicut Judex pendente Appellatione nihil poteſt innovare in articulis cauſæ, ſuper quibus eſt appellatum; ita pariter dicendum de cauſa peregrinantis Romam. Quare

4. Infertur primò; quòd peregrinatio interpoſita habeat propriè vim Appellationis, excutientis omnem innovationem in cauſa propoſita ante peregrinationem: & hic cenſetur eſſe principalis effectus peregrinationis interpoſitæ ad Sedem Apoſtolicam. Secundariùs verò eſt, quòd etiam relevet ab onere petendi apoſtolos; ut notat Innocent. Vallenſ. &c. Item alius ſecundarius ejus effectus eſt, quòd omnes propinqui, parentes, amici, imò & ſervi poſſint agere in judicio; etiam ſinè mandato, contra eos, qui Peregrinantis poſſeſſiones turbant, vel occupant. Item alius eſt; quòd offendentes tales Romipetas excommunicentur, vigore Bulla Cænæ.

TITULUS XXX.

DE CONFIRMATIONE UTILI; VEL INUTILI.

CAP. I.

Quid & quotuplex ſit Confirmatio.

1. NOta primò: ſuperior Judex ſolet quandoque ſententiam Judicis *à quo* appellatum eſt confirmare, tanquam legitimè pronunciatam; ſicque declarare, Appellationem malè fuiſſe interpoſitam: quare de tali confirmatione, & generaliter etiam de quacunque alia, ſivè poſſeſſionis, ſive privilegiorum, ſive inſtrumentorum, ſive officiorum, ſive transactionum, ſive ſtatutorum &c. confirmatione, ſolita fieri ſecundùm Jura, agetur *hoc tit.*

2. Dico primò: Confirmatio rectè deſcribitur, quòd *ſit corroboratio Juris priùs habiti, ſeu quæſiti, facta per legitimum ſuperiorem.* Ita Hoſtienſ. Decius, &c. DD. Ly *corroboratio* eſt genus; reliqua dantur pro differentia. Variæ ſpecies extant in Jure Confirmationis mox deſcriptæ; ſic habetur *cap. 2. de pactis* confirmatio contractûs. Sic *cap. 7. hoc tit.* ex tat arbitraria Confirmatio. Sic in *tit. de elect.* Confirmatio Electi reperitur. Sic etiam Adminiſtrationis conceſſæ, *cap. 5. hoc tit.* Sic quoque collationis, *cap. fin. hoc tit.*

3. Nota ſecundò: duplex communiter hìc aſſignatur Confirmatio; una ſimplex, ſeu in forma communi ac ordinaria; altera in forma ſpeciali, & ex certa ſcientia. *Prima* habetur, quando ſuperior confirmans absque prævia exacta cognitione cauſæ, & non plenè inſtructus de negotio, aliquem contractum, transactionem, ſtatutum, ſententiam, privilegium, vel alium actum geſtum confirmat in eo ſtatu, in quo ante fuit. *Secunda* habetur, quando aliquid ex præfatis confirmat ex prævia notitia exacta totius negotij, & omnium circumſtantiarum; v. g. ſi tenor privilegij alicujus inſeratur in ipſa Confirmatione; vel ſaltèm illa clauſula, *ex certa ſcientia* apponatur.

4. Nota tertiò: Confirmatio facta in forma ordinaria, & communi, nullum novum Jus, vel valorem tribuit actui, cui accedit; ſed ſupponit actum validum; ideoque approbat actum quatenus ſubſiſtit, ſeu de Jure validus eſt, *cap. 1. & 2. hoc tit.* Unde non innovat a-

vat actum, ſeu de novo validum facit, ſi priùs erat invalidus. At Confirmatio facta in forma ſpeciali, ſeu ex certa ſcientia Principis, novum Jus tribuit actui, qui confirmatur, eumque ſi fortè invalidus ſit, efficit firmum, & validum, ſupplendo defectus illius, dummodo defectus ſint tales, qui à Principe aliàs poſſint ſuppleri, *cap. 1. de tranſact.*

5. Nota quartò: Confirmatio facta à Summ. Pontifice ex certa ſcientia ſuper aliquo actu, ſtatuto, privilegio, arbitrio, ſententia, vel quocunque alio actu ita firmat illum, ut per nullum ampliùs interiorem Judicem poſſit mutari, vel recognoſci; niſi ex ſpeciali ejusdem Sum. Pontificis mandato, *cap. 1. & 2. hoc tit.* Dixi *ex certa ſcientia*: quia ſi Confirmatio Papalis fuiſſet obtenta per ſubreptionem, vel obreptionem; tunc quilibet Judex inferior aliàs competens, de ea cognoſcere poterit, *cap. bonæ memoriæ hoc tit.* Nam tunc Papa non cenſetur confirmâſſe illud, quod confirmavit; quia ſi rem plenè intellexiſſet, non fuiſſet confirmaturus, *cap. ſuper literis; de reſcriptis.*

6. Nota quintò: omnis Confirmatio cenſetur emanâſſe in forma ordinaria; niſi eidem addatur aliqua nota ſpecialis, quæ indicet, eam factam fuiſſe in forma ſpeciali; utì notat Tuſchus, Pirh. Suar. &c. Illa verò cenſetur emanâſſe in forma ſpeciali, quæ certa habet ſigna, ex quibus ejus ſpecialitas colligitur: ùt *primò*, ſi tali Confirmationi ſit inſertus tenor totus diſpoſitionis, vel actus, qui confirmatur: tunc enim conſtat Principem habuiſſe plenam notitiam rei; ideoque non obſtante aliquo defectu voluiſſe ſua authoritate diſpoſitionem, vel actum confirmare, validumque reddere, utì patet ex *cap. venerabilis 8. hoc tit.* *Secundò*, ſi tali Confirmationi adjecta ſit clauſula *ex certa ſcientia*, rurſus cenſetur Princeps plenè fuiſſe inſtructus de actu, vel diſpoſitione; & circa eandem voluiſſe ſua authoritate defectus ſupplere, ſi qui adeſſent; & ipſam qualificare, juxta *Clement. unic. de probat.*

7. Nota ſextò: Confirmatio rurſus alia dicitur utilis; alia inutilis. *Utilis* dicitur illa, quæ valet, & jus tribuit illi, cujus negotium eſt confirmatum, *cap. penult. hoc tit. Inutilis* verò eſt illa, quæ non valet; ſed continet aliquod vitium; puta ſubreptionis, vel obreptionis. Exemplum inutilis Confirmationis eſt; ſi quis ſuper re litigioſa Confirmationem à Sede Apoſtolica impetraverit, non factâ mentione, quod talis res ſit litigioſa; tunc talis Confirmatio eſt inutilis; quia ſubreptitia: unde Judex eâ non obſtante poteſt cognoſcere de cauſa eamque definire. Exemplum utilis Confirmationis eſt; ſi impetrans Confirmationem faciat mentionem de lite; & proinde in Confirmatione dicatur, *non obſtante, quòd res ſit litigioſa;* tunc Confirmatio eſt utilis; quia valida, & exempta à jurisdictione Judicis inferioris, *cap. ult. ut lite pend.*

8. Nota ſeptimò: Confirmatio illa, quam à Summo Pontifice obtinet aliquis Religioſus pro ſua particulari perſona ſuper aliqua temporali adminiſtratione, v.g. ſuper Prioratu, non exprimendo in precibus ſe Religioſum eſſe; eſt inutilis, & irrita; utpote ſubreptitia; utì conſtat ex *cap. ad noſtram 5. hoc tit.* Similiter Confirmatio etiam Papalis ſententiæ, ſeu laudi contra formam Juris, vel compromiſſi per arbitros, licèt communi conſenſu utriusque partis ſit recepta, eſt inutilis; utì patet ex *cap. examinata 7. hoc tit.*

Finit. 2. Decretal. quem Summi Decretorum Principis cenſuræ pariter ſubjicio humillimè.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
Rerum & Verborum, quæ in hoc primo Tomo Scholæ Canonicæ continentur.

P. paginam, c. capitulum, n. numerum capituli ſignificat.

A.

Abbas, vel ſimilis Prælatus eligendus debet eſſe regulariter profeſſus in ordine talis Conventûs. vide pag. 70. c. 9. n. 4. Poteſt tamẽ & ſolet Sum. Pontifex quandoque Clericis ſæcularibus Abbatias, & alias Prælaturas concedere. ibid. n. 5. Abbates tales Commendatarij quid poſſint? ibid. Etiam alterius Conventûs Religioſus, modò ſit ejuſdem Ordinis eligi poteſt in Abbatem. ibid. n. 6. Requiritur tamen neceſſariò conſenſus & licentia Superioris immediati, & ad hanc dandam ſuperior quandoque cogi poteſt. pag. 71. n. 8. & 9. Abbas, vel Prælatus ex alio Conventu electus perdit jus eligendi Prælatum in primo Monaſterio, ex quo fuit aſſumptus. pag. 70. n. 6. Abbates quomodo, à quibus, & quando benedicendi? pag. 71. n. 15. Habent poteſtatem dominativam regendi monaſteria in temporalibus. pag. 158. n. 19. Abbates quid poſſint, ſi Epiſcopus ter humiliter rogatus eos benedicere negligat? pag. 87. n. 8. Abbates qui, & quibus poſſint conferre Minores? pag. 95. n. 4. Abbatijs præficiendi, quos debeant habere ordines? pag. 101. c. 3. n. 2.

Abbatiſſa ſeu Præfecta à quibus eligenda? pag. 72. c. 10. n. 1. Quot annos ætatis, & quot Religionis habere debeat? ibid. n. 2. & pag. 100. n. 10. Aliæ qualitates requiſitæ. p. 72. c. 10. n. 3. Ejus electio debet fieri per vota ſecreta, & quidem per ſcrutinium. ibid. n. 4. Quæ praxis in Religione Seraphica? ibid. Abbatiſſa ſeu Præfecta neo-electa à quo confirmanda, à quo & quando benedicenda, & quæ non benedicatur? ibid. n. 5. & 6. Dies electionis Abbatiſſarum Ordinis S. Claræ, & aliarum Præfectarum Ordini noſtro Franciſcano ſubjectarum intimandus eſt Epiſcopo, & is ad illum diem expectandus, atque ad locum & actum electionis admittendus. pag. 73. c. 11. n. 1. Et electio facta ſinè intimatione Ordinarij eſt nulla. pag. 74. n. 5. Ad Superiorem tamen Regularem Ordinis noſtri ſpectat inveſtigare & explorare, exquirere & recipere vota Monialium. pag. 73. c. 11. n. 2. Ad eundem ſpectat præfigere diem, & diei horam electionis Abbatiſſæ; & ſi Epiſcopus præfixo die & horâ non compareat, per ſe vel ſuum Commiſſarium licitè ad electionem procedere poteſt. ibid. n. 3. Abbatiſſa neo-electa à Superiore Regulari eſt confirmanda. ibid. n. 4. Ad eundem etiam in caſu diſcordantium votorum devolvitur electio. ibid. Non habet tamen votum electivum. pag. 74. n. 5. Quæ Moniales votum electivum habeant, & quæ non? ibid. n. 6. In Abbatiſſam ſeu Præfectam eligendæ ætas, & qualitates requiſitæ. ibid. n. 7. Dictæ electiones à quo, quibus præſentibus, & ubi fieri debeant? ibid. n. 9. Fieri etiam debent per vota ſecreta, non tamen per Schedulas, ſed oretenus. ibid. n. 10. Abbatiſſæ ſeu Præfectæ præfatæ ad ſummum triennales eſſe poſſunt. ibid. n. 11. Qualem habeant in Moniales, & ſubjectos ſibi Clericos juriſdictionem? pag. 142. c. 3. n. 7. & pag. 158. n. 17. & 18. Habent etiam poteſtatem Dominativam regendi Monaſteria in temporalibus. ibid. n. 19.

Abrogare SS. Canones & Conſtitutiones Apoſtolicas quis poſſit? p. 10. c. 3. n. 1. Abrogatio talis, quomodo fieri debeat? ibid. n. 2. Abrogare Conſtitutiones Generales & Provinciales Ord. Franciſcani quis valeat? p. 11. n. 2.

Actor, qui & *Accuſator* vocari ſoleat, unde ſic dictus? ejuſque deſcriptio. p. 214. n. 4. Ad quid teneatur, & quis ejus vices quandoque ſuppleat? ibid.

Advocati & Poſtulantes ſunt idem. p. 182. c. 1. n. 1. Quomodo aliàs vocentur? idid. n. 2. Advocati & Procuratores quomodo inter ſe differant? p. 182. n. 4. Quibus dari debeant Advocati? ibid. n. 5. Qui excludantur

Digitized by Google

dantur à munere Advocati? ibid. c. 2. n. 1. & ſeq. Advocatorum obligationes quæ? p. 185. c. 3. n. 1. & ſeq. Circa Advocatos quæ attendenda? ibid. n. 6. Advocatum & Procuratorem quando agere poſſit Frater Minor? p. 186. c. 4. n. 1. A quo talis nominandus? ibid. n. 2. Notabiliter impediri non debet. ibid. n. 3.

Alienatio judicij mutandi cauſâ facta quid ſit? p. 206. c. 1. n. 2. Tria requiruntur ad talem veram Alienationem. ibid. n. 3. Quid competat paſſo damnum ex tali alienatione? ibid. c. 2. n. 1. & 2. Nec Clericis licet facere talem Alienationem. p. 207. c. 2. n. 2. Et ſi ab ipſis fiat, ad quid compelli poſſint? ibid. n. 1.

Altaria in quibus Presbyter degradatus celebravit, an iterum debeant conſecrari? p. 106. c. 2. n. 5.

Anni qui regulariter requirantur, ut quis ritè præfici poſſit Cardinalatui, & Epiſcopatui? p. 99. c. 1. n. 2. Præſcripti Anni ſufficiunt, ſi ſint inchoati. ibid. n. 3. Pro dignitate inferiori Epiſcopatu, cui cura animarum eſt annexa, requiruntur 25. Anni. ibid. n. 4. Cui verò talis cura animarum non eſt annexa, ſufficiunt jure novo 22. Anni completi. p. 100. n. 5. Quot anni ætatis, & quot Religionis requirantur in Ordine noſtro Franciſcano pro certis Officijs? p. 69. n. 12. Añus Synodaticus ſeu Cathedraticus quid? p. 150. c. 8. n. 3.

Appellare contra electum qui, & quando poſſint? p. 62. n. 8. Et qui non poſſint? ibid. n. 9. Appellationes contra electum quomodo fieri debeant? p. 63. n. 10. In Appellationibus his quæ ſervanda? ibid. n. 11. Et quæ Appellationis forma? ibid. n. 12. Appellatio deſcribitur. p. 330. c. 1. n. 2. Alia eſt judicialis, alia extrajudicialis. ibid. n. 3. Alia frivola, & alia rationabilis. ibid. n. 4. Cauſæ introductæ Appellationis? ibid. n. 5. Quæ perſonæ ſunt habiles ad appellandum? ibid. c. 2. n. 1. Et p. 331. n. 2. 3. 4. 5. & 6. Quæ ſint perſonæ inhabiles ad appellandum? ibid. c. 3. n. 1. 2. 3. Et pag. 332. n. 4. 5. & 6. A quibus ſententijs & actibus ſit conceſſa Appellatio? ibid. c. 4. n. 1. 2. 3. 4. & 5. In quibus cauſis non ſit conceſſum? ibid. n. 6. & 7. Et pag. 333. n. 8. 10. 11. 12. 13. 14. & 15. Et pag. 334. n. 16. 18. & 19. A quibus & ad quos inſtitui poſſit vel non poſſit Appellatio? ibid. n. 1. 2. Et pag. 335. n. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Et pag. 336. n. 12. & 15. Appellatio quo pacto fieri debeat? ibid. n. 13. 14. & 16. De tempore appellandi ſeu fatalibus. p. 336. n. 1. 2. 3. Et pag. 337. n. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. Et pag. 338. n. 10. 11. 12. 13. & 14. De forma & modo appellandi. p. 339. per totum cap. De effectu Appellationis, & revocatione attentatorum eâ pendente. p. 340. per totum cap. Variæ reſolutiones circa Appellationem. pag. 341. per totum cap. De Appellationibus in Ordine S. Franciſci. pag. 344. per totum cap.

Arbiter unde dictus? p. 207. c. 1. n. 1. Ejuſdem deſcriptio. ibid. n. 2. Arbitri alij ſunt Juris ſeu neceſſarij, alij voluntarij. ibid. n. 3. Qui vocentur Arbitri Juris ſeu neceſſarij? ibid. Et qui voluntarij? p. 208. n. 4. Voluntarij rurſus ſubdividuntur. ibid. n. 5. Septem differentiæ aſſignantur inter Arbitrum voluntarium & Judicem. ibid. n. 6. Quinam poſſint eſſe Arbitri? ibid. c. 2. n. 1. & 2. Et qui non poſſint? p. 209. n. 3. In ferenda ſententia ut valida ſit, debent omnes eſſe præſentes. pag. 210. c. 3. n. 6. Quanta ſit poteſtas Arbitrorum? p. 211. c. 5. n. 1. 2. & 3. Et quod eorum officium? ibid. n. 4. 5. & 6. Quando eos Judex compellere poſſit ad arbitrandum? ibid. n. 7. Qui ſint effectus compromiſſi Arbitrorum? ibid. c. 6. n. 1. In quo loco & die Arbitrium ſeu laudum ferri poſſit? ibid. n. 2. & 3. Officium & poteſtas Arbitrorum, quibus modis finiatur? p. 212. n. 4. Remedia contra Laudum injuſtum quæ? ibid. n. 5. Arbitri etiam dari poſſunt in Ordine noſtro Franciſcano. p. 212. c. 7. n. 1 Quod eorum munus? ibid. n. 2. In quantum ſe extendat eorum arbitrium? ibid. n. 3. Quibus modis finiatur eorum poteſtas? ibid.

Archi-Diaconi Ethimologia. p. 119. c. 1. n. 1. Major olim fuit ejus dignitas quàm nunc. ibid. Jure communi quæ ſint ejus munera, & quæ prærogativæ? ibid. n. 2. Quæ non poſſit præſtare? p. 120. c. 2. n. 1. Ut quis creari poſſit Archi-Diaconus, quæ requiratur ætas, quæ doctrina, & qui Ordines. ibid. n. 2. Et p. 101. c. 2. n. 4. & cap. 3. n. 3. Gaudent quadam majoritate. p. 172. c. 4. n. 4.

Archi-Epiſcopus cur ſic dictus? p. 143. c. 5. n. 5. Vocatur etiam Metropolitanus. ibid. In quos habeat ordinariam Juridictionem? ibid. n. 6. De Jure poteſt convocare Concilium Provinciale. p. 144. n. 7. Quomodo poſſit condere ſtatuta Provincialia? ibid. Quid amplius de Jure poſſit circa ſuffraganeos? ibid. n. 8. 9. & 10. Et quid circa eoſdem, eorundemque ſubditos non poſſit? ibid. n. 11. & 12. In quibuſdam tamen caſibus

Digitized by Google

ſibus acquirit jus in ſubditos ſuffraganeorum. ibid. n. 12. Quæ mandare poſſit ſuffraganeis, ut per ſuas Diœceſes ſervent. p. 145. n. 13. Quid ultra poſſit & non poſſit, tum in ſua Provincia tum in Diœceſibus ſuffraganeorum, & circa eorum ſubditos? ibid. n. 14. 16. & 17. In Dedicatione cujuslibet Eccleſiæ quas Indulgentias concedere poſſit? ibid. n. 15. Archi-Epiſcopi ratione Officij gaudent quadam majoritate reſpectivè. p. 171. c. 4. n. 2. Archi-Epiſcopus ante Pallij obtentionem quid poſſit, & quid non? p. 79. c. 1. n. 5. Tenetur illud petere intra tres menſes. p. 80. c. 3. n. 1. Archi-Epiſcopus conſecutô Palliô quibus fiat major? ibid. n. 3. Qualem habeat juriſdictionem? ibid. Archi-Epiſcopus & Primas olim erant idem, & nunc ſunt in quibuſdam Provincijs. ibid. Quos debeant regulariter habere Ordines, dum eliguntur? p. 101. c. 3. n. 1.

Archi-Presbyteri derivatio. p. 120. c. 1. n. 1. ſubeſt Archi-Diacono. ibid. n. 2. Eſt duplex, alius Urbanus, alius Ruralis, qui & paſſim Decanus foraneus vocatur. ibid. n. 3. Urbani Officium quod? p. 121. c. 2. n. 1. Et quod Ruralis? ibid. n. 2. Archi-Presbyteratui præficiendus quos debeat habere Ordines? p. 101. c. 3. n. 2. Habent quandam majoritatem. p. 172. c. 4. n. 4.

Articuli quid? p. 246. c. 3. n. 2.

Circa *Atteſtationum* publicationes variæ reſolutiones. p. 292. n. 1. 2. 3. & 4.

B.

Baptiſmus habet duas unctiones, una fit oleo S. ante Baptiſmum, altera chriſmate poſt Baptiſmum. p. 103. c. 3. n. 1. In quibus locis hæ unctiones fiant? ibid. Baptiſmum ſcienter iterantes redduntur irregulares. p. 106. c. 2. n. 2. Quid dicendum, ſi ignoranter fieret? ibid. n. 3.

Bellum aliud eſt offenſivum, aliud defenſivum, & utrumque eſt licitum. p. 176. c. 3. n. 1. Conditiones ut licitè poſſit ſuſcipi Bellum maximè offenſivum quæ? ibid. n. 2. Principi bellum præcipienti tenentur obedire ſudditi, & milites ſtipendiarij actuales, etſi dubij ſint de juſtitia belli. p. 177. n. 3. Belli tamen juſtitiam examinare tenentur milites extranei, nomen militiæ dare volentes. ibid. In Bello juſto quæ liceant, & quæ non? ibid. n. 4. A bello deſiſtere an teneatur Princeps, & acceptare juſtam ſatisfactionem, ſi ea ab adverſarijs offeratur? ibid. n. 5.

Beneficiatus ſi intendat Religionem ingredi, à quo licentiam poſtulare debeat? p. 85. c. 4. n. 2.

Beneficio alicui Eccleſiaſtico præficiendus quas debeat habere qualitates? p. 100. c. 2. n. 2. 3 & 6. Et quam doctrinam? ibid. n. 4. & 5. Certis Beneficijs præficiendi certos debent habere Ordines. p. 101. c. 3. n. 4. & ſeq. Quos illi qui Beneficijs curatis præficiuntur. ibid. n. 4. Ad quodcunque Beneficium promovendus debet eſſe actu Clericus. p. 102. n. 7. Beneficio curato ut quis poſſit legitimè præfici, quæ ætas requiratur? p. 100. n. 6. Ad obtinenda Beneficia ſimplicia jure novo ſufficiunt anni 14. ibid. n. 9. Beneficium ad cujus titulum quis ordinatur debet eſſe perpetuum. p. 94. n. 8. In Beneficiorũ collationibus poſt elapſum tempus ad conferendum, non conceditur licentia purgandi moram. p. 87. n. 9. De beneficiorum renunciatione, vide verbo *Renunciatio*.

Bigamia quid ſit? n. 115. c. 1. n. 2. Eſt triplex, vera, interpretativa, & ſimilitudinaria. ibid. n. 8. In quo hæ conſiſtant? ibid. n. 3. & ſeqq. Bigamia vera facit irregularem, & impedit à ſuſceptione Ordinum. ibid. c. 2. n. 1. Qui duas ſucceſſivè legitimas duxit Uxores, modò cum altera non conſumaverit Matrimonium, non ſit irregularis; ſed poteſt ordinari. ibid. n. 2. Idem dicendum de illo qui ſæpius uni vel pluribus fornicariè copulatur, quamvis præceſſiſſent vera ſponſalia. ibid. n. 3. & 4. Etiam Bigamia interpretativa inducit irregularitatem & inhabilitatem ad Ordines. p. 116. c. 3. n. 1. Quis hanc Bigamiam contrahat? ibid. n. 2. 4. & 5. Et quis non? ibid. n. 3. Bigamia ſimilitudinaria pariter cauſat irregularitatem & inhabilitatem ad Ordines. ibid. c. 4. n. 1. Clericus ſæcularis in Minoribus conſtitutus talem Bigamiam contrahens ipſo jure perdit Clericalia privilegia. p. 117. c. 4. n. 2. Non tamen Clericus regularis. ibid. Si verò Clericus ſæcularis ante ſuſceperat Sacros Ordines, non perdit quidem privilegia privatur tamen uſu & exercitio ſuſceptorum Ordinum. ibid. n. 3. Cum Bigamis veris & interpretativis ſolus Papa diſpenſare poteſt. ibid. n. 4. Quid poſſint Regulares reſpectu ſubditorum Regularium? ibid. Bigamia quæcunque eſt duntaxat juris poſitivi & humani. ibid. n. 5.

Bullæ Apoſtolicæ quomodo citandæ? p. 6. c. 3. n. 6.

C.

Canones Apoſtolorum quid ſint? p. 11. c. 1. n. 1. Quo tempore editi? ibid. n. 2. Quot

illorum? ibid. n. 3. Et quis eorum vigor? ibid. n. 4. *Canones pœnitentiales* quid? pag. 16. c. 2. n. 1. Quot illorum, & quantum in praxi valeant? ibid. n. 2. Canon ut eſt conſtitutio Eccleſiaſtica quid? p. 29. c. 1. n. 2.

Canonici Cathedralium Eccleſiarũ à quibus eligendi? p. 55. n. 8. ad obtinendum Canonicatum in Eccleſia Cathedrali quæ requiratur ætas? p. 100. n. 7. Et in Eccleſia Collegiata tantùm quæ? ibid. n. 8. Et quæ doctrina? p. 101. c. 2. n. 5. Ut Canonicus vocem habeat in Capitulo Cathedrali debet eſſe ſaltèm ſubdiaconus. p. 101. c. 3. n. 5.

Capitula Cathedralia Sede vacante cujuſdam Majoritatis charactere inſignita ſunt. p. 171. c. 4. n. 3. Capituli nomine Sede vacante quid intelligatur, & quot requirantur ad formandum Capitulum? p. 153. c. 10. n. 1. Capitulum Cathedrale ſuccedit Epiſcopo defuncto in omni juriſdictione ordinaria. ibid. n. 2. Non tamen in ijs, quæ per privilegium competebant Epiſcopo, nec in poteſtate delegata, neque in illa, quæ Sede vacante expediri nequeunt. ibid. num. 4. Quid ultra poſſit Capitulum Cathedrale Sede vacante? ibid. n. 4. & 5. Capitulum Collegiatæ Exemptæ Prælaturâ vacante pariter ſuccedit in omnem juriſdictionem, ſicut Capitulum Cathedrale. ibid. n. 6. Vacante verò Prælaturâ Eccleſiæ Collegiatæ ſæcularis non exemptæ, aut Eccleſiæ Regularis nõ exemptæ Capitulum non acquirit juriſdictionem ordinariam ſed devolvitur ad Epiſcopum. ibid. n. 7. & 8. Quid præterea Capitulum Cathedrale non poſſit? p. 154. n. 9. 10. & 11. Capitulum Sede vacante quando poſſit dare Dimiſſoriales? p. 94. n. 6.

Cardinalatus non eſt Ordo. pag. 91. n. 10. Pro Cardinalatu quæ ætas regulariter requiratur? p. 99. c. 1. n. 2. & 3.

Cardinales unde dicti? p. 170. c. 3. n. 1. Quæ prima eorum origo? ibid. n. 2. Quis eorum numerus, quis eos creet, & qualitates eorum requiſitæ quæ? ibid. n. 3. Suppoſito eorum certo numero, quot eorum debeant eſſe Epiſcopi, quot Presbyteri, & quot Diaconi? ibid. n. 4. Quod eorum Officium, & quæ poteſtas? ibid. n. 5. Qualia habeant privilegia? p. 171. n. 6. ſunt majores omnibus alijs Clericis Papâ inferioribus. ibid. n. 7.

Caſus reſervati à Clemente VIII. qui & quot? p. 151. n. 14. Non omnes neceſſariò reſervandi, ſed eorum aliqui. p. 158. n. 15. Etiam alij præter ſpecificatos à Clemente VIII. reſervari poſſunt. ibid. In ordine noſtro Franciſcano in univerſum reſervati quot ſint? ibid.

Character quid ſit? p. 105. c. 1. n. 5. Ejus impreſſio reiterationem Sacramentorum impedit. ibid. n. 4. In anima Sacerdotis imprimitur duplex. p. 92. n. 7.

Chriſma componitur ex oleo & balſamo. p. 102. c. 1. n. 4. Quid oleum quid balſamum myſticè ſignificet? ibid. Quando adhibendum, & à quo conficiendũ? ibid. Eô ungitur Epiſcopus in conſecratione in capite & in manibus. idid. c. 2. n. 1. Quid hæ unctiones ſignificent? ibid.

Citationis deſcriptio. p. 234. c. 3. n. 1. Quàm neceſſaria ſit citatio? ibid. n. 2. Variæ ejuſdem diviſiones. ibid. n. 3. 4. & 5. Ut Citatio aliqua cenſeatur legitima & valida, quæ cõditiones requirantur? p. 235. n. 6. Qui citari & in jus vocari debeant? ibid. n. 7. Quis finis Citationis? ibid. n. 8. Et qui ejus effectus? ibid. n. 9. Citatio debet in executionem debitè deduci, & in acta referri. p. 236. n. 10. & 11.

Clementinæ à quo congeſtæ, & quomodo citandæ? p. 6. c. 3. n. 3.

Clerici & Capellani Eccleſiæ titularis alicujus Cardinalis tenentur obedire ſuo Cardinali. p. 173. n. 7. Clerici univerſi qualiter gaudeant privilegio fori Eccleſiaſtici? p. 228. c. 7. n. 2. & ſeqq. In quibus caſibus amittant hoc privilegium? p. 229. n. 9. An & quando Clerici conjugati hujuſmodi privilegio gaudeant? ibid. n 10. Et uxores eorum de hoc privilegio participare videntur. ibid. Clericus unus quomodo altero poſſit eſſe major? p. 168. c. 1. n. 3. 4. 5. 6. & 7. Clericus eſt major omni Laico. p. 169. n. 8.

Clerici peregrini qui cenſendi? p. 117. c. 1. n. 1. Ut ordinari poſſint, quid exhibere teneantur. ibid. n. 2. Clericus peregrinus jurans ſe à ſuo Epiſcopo aliquos Ordines percepiſſe, an ulteriùs ſit ordinandus? p. 118. n. 4. Sacerdotes peregrini qui poſſint ad celebrationem publicam Miſſæ admitti, & qui non? ibid. c. 2. n. 1. & 2. Quomodo tales Clerici peregrini ab inferiorib⁹ Prælatis aliâs Epiſcopo ſubjectis in Parochijs vel beneficijs Eccleſiaſticis inſtitui poſſint? ibid. n. 3. Clerici peregrini Ord. noſtri Franciſcani, qui ordinari poſſint, & qui non? ibid. c. 3. n. 1. & 2.

Cognitionum Ordo quid ſit? p. 255. c. 1. n. 2. Regula generalis circa ordinem Cognitionum. ibid. n. 3. Variæ Regulæ circa Ordinem Cognitionum. ibid. c. 2. n. 1. Et p. 256. n. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.

Commiſſarius Generalis Familiæ Ciſmontanæ, vel Ultramontanæ, Vicarius Generalis, & Vice-Commiſſarius Generalis in Ordine

Digitized by Google

dine noſtro ſunt poſt ipſum Miniſtrum pariter Judices ordinarij, exceptis excipiendis. p. 161. n. 8. Commiſſarius Generalis Ordinis noſtri quomodo & ob quas cauſas renunciare poſſit ſuo Officio extra Capitulum? p. 85. c. 7. n. 5. Commiſſariorum Viſitatorum negligentia quomodo ſupplenda? p. 88. c. 3. n. 5.

Compromiſſum quid ſit? p. 209. c. 3. n. 1. Quomodo legitimè condi poſſit? ibid. n. 3. Et quando non condatur legitimè? ibid. n. 4. Si erigatur Compromiſſum aliquod in tres Arbitros, & tertius ab ipſis diſcordet, vel ſinguli ab invicem diſſentiant, cujus arbitrio ſtandum ſit? p. 210. c. 3. n. 5. Compromiſſum debet à Compromiſſarijs diligenter & exactè expediri. ibid. n. 7. Super quibus cauſis poſſit legitimè fieri Compromiſſum, & ſuper quibus non? ibid. c. 4. n. 1. & ſeqq. Compromiſſi arbitrorum effectus qui? p. 211. c. 6. n. 1. Quis debeat facere executionem Compromiſſi? pag. 212. n. 6. Compromiſſum verum quando fiat. p. 59. n. 18. Aliud eſt abſolutum, aliud limitatum. ibid. n. 19. Per compromiſſum electio ut ſit valida, quid requiratur? ibid. n. 17. Compromiſſum poteſt fieri, vel in unum, vel in plures. ibid. n. 20. In Compromiſſarios qui & quot aſſumi poſſint? ibid. Compromiſſariorum qualitates neceſſariò requiſitæ. ibid. n. 21. Si compromiſſum concurrat cum Scrutinio, ad quid tunc Compromiſſarij obligentur? p. 60. n. 22. Quæ major pars Compromiſſariorum requiratur ut Electio ſit valida? ibid. n. 23. Compromiſſarij quando poſſint unum ex ſeipſis eligere in Prælatum? ibid. n. 24. Compromiſſum quando à Capitulo revocari poſſit, & quando non? ibid. n. 25. Quando illud expiret? ibid. n. 26. Compromiſſarij ſcienter eligentes indignum quid incurrant? p. 61. n. 27. Compromiſſarios vel alias quaſcunque perſonas eligentes nimiùm gravantes quicunque Excommunicationem incurrunt. ibid. n. 28.

Conciliandi quomodo textus contrarij Juris Canonici? p. 24. c. 1. n. 1. & 2.

Conciliationis Juris Canonici cum Civili Regulæ. ibid. c. 2. n. 2. & ſeqq.

Concilium quid ſit? Concilia alia Generalia; alia Provincialia; alia Diœceſana; & quando celebranda? p. 4. c. 2. n. 2.

Confeſſio Rei deſcribitur. p. 276. c. 1. n. 2. Alia eſt judicialis, alia extrajudicialis. ibid. n. 3. Conditiones Confeſſionis judicialis. ibid. c. 2. n. 2. Reus nolens reſpondere poſitionibus, cenſetur edere Confeſſionem judicialem. p. 277. n. 3. Confeſſio judicialis Procuratoris non nocet principali. ibid. n. 4. Reus à Judice legitimè interrogatus tenetur edere Confeſſionem judicialem. ibid. n. 5. Variæ reſolutiones circa Confeſſionem judicialem. p. 278. n. 9. 10. 11. 12. & 13. Confeſſio extrajudicialis quid operetur? ibid. c. 3. n. 1. & 2. Confeſſio Sacerdoti in foro pœnitentiæ facta nil probat. p. 279. n. 3. Variæ reſolutiones de Confeſſione judiciali, & Confeſſis in Ordine S. Franciſci. ibid. c. 4. n. 1. 2. 3. 4. & 5.

Confirmari neceſſariò debet Prælatus electus conſentiens. p. 63. c. 6. n. 1. Qui, & inter tres menſes Confirmationem petere tenetur. ibid. n. 2. Ante Confirmationem obtentam nullam habet poteſtatem juriſdictionis vel adminiſtrationis, ſive in temporalibus, ſive in ſpiritualibus. p. 64. n. 3. Exceptis tamen Prælatis ab Urbe remotis. ibid. n. 4. Confirmator quid agere debeat, antequam conferat electo Confirmationem? ibid. n. 5. Si indignus confirmetur, quid Confirmatus & Confirmans incurrant? ibid. n. 6. Confirmationis actus ubi perficiendus? ibid. n. 7. Confirmatio deſcribitur. p. 346. n. 2. Eſt duplex ibid. n. 3. Ejus effectus. ibid. n. 4. & 5. Quid ſit Confirmatio utilis & inutilis? p. 847. n. 7. Confirmatus ſuæ Confirmationis teſtimonium in ſcriptis exhibere tenetur. p. 64. n. 6. Ante conſecrationem & ſolennem inveſtituram acquirit poteſtatem adminiſtrationis plenæ & juriſdictionis. p. 65. n. 8. & 10. Non tamen in ea quæ ſunt Ordinis Epiſcopalis, aut quæ competunt ei vel ex privilegio, vel ex delegatione. ibid. n. 9. Confirmandi poſt electionem in Ord. Seraphico qui & à quo, & qui non? p. 69. n. 14.

Confirmationis Sacramenti forma & materia quæ? p. 103. c. 3. n. 2. Miniſter Ordinarius eſt ſolus Epiſcopus. ibid. Ex ſpeciali tamen conceſſione Papæ ſimplex Sacerdos eam licitè & validè peragere poteſt. ibid. Confirmandi chriſmate unguntur in fronte. ibid. An Confirmationem iterantes incurrant irregularitatem? p. 106. c. 2. n. 2.

Conſecrationem ſuſcipere tenentur Epiſcopi electi & confirmati intra tres menſes. p. 66. c. 7. n. 1. Pro conſecratione Epiſcopi olim qui intervenire debuerint, & hodie quot, & à quo determinentur? idid. n. 2. & 4. Ubi & quando regulariter fieri debeat? ibid. n. 3. Principales ejus actus & effectus qui? ibid. n. 5. & 6. Conſecratione peractâ vacant omnia priora beneficia talis Epiſcopi

ſcopi conſecrati. p. 66. n. 6. Conſecratus Epiſcopus tenetur Eccleſiæ Romanæ & Summ. Pontificibus præſtare juramentum fidelitatis. p. 67. n. 7.

Conſtitutiones Pontificiæ quanti ſint roboris? p. 4. c. 3. n. 1. Conſtitutiones Eccleſiaſticas condere qui poſſint? p. 29. c. 2. n. 1. & 2. An, & quando illæ obligent? ibid. c. 3. n. 1. & ſeq. Ad obligationem earundem an requiratur acceptatio populi? p. 30. n. 4. Et an aliquando ad tempus ſuſpendi poſſint? ibid. n. 6. Conſtitutiones in Ordine Franciſcano qui edere poſſint perpetuas, & qui temporaneas? p. 30. c. 4. n. 1. Quos & quomodo illæ obligent? p. 31. n. 2. & 4. Earum multiplicatio nimia, & immutatio ſubſtantialis evitanda. ibid. n. 5. & 6.

Conſuetudo alia *facti*, alia *Juris*. p. 37. c. 1. n. 2. Conſuetudo Juris quid? ibid. n. 3. Item alia generalis, alia generaliſſima; alia ſpecialis, alia ſpecialiſſima. p. 37. c. 2. n. 1. Item alia Canonica, alia Civilis. p. 38. n. 2. Tandem alia præter, alia contra, & alia ſecundùm legem. ibid. n. 3. Conſuetudo nova legitima & valida ut introducatur, requiruntur actus frequentati. p. 38. c. 3. n. 1. Quales eſſe debeant illi actus? ibid. n. 2. Et quotnam ſint neceſſarij? ibid. n. 3. Requiritur quoque aliqua diuturnitas temporis. p. 39. c. 4. n. 1. Et quæ? ibid. n. 2. Debet etiam eſſe conſuetudo rationabilis. ibid. c. 5. n. 1. Requiritur quoque ad eandem ſcientia & conſenſus Principis. ibid. n. 2. Conſuetudo legitima quid operetur? p. 39. Quid ea, quæ eſt præter legem; & quid illa, quæ eſt contra legem? p. 40. c. 6. n. 3. & 4. Quomodo intereat? ibid. c. 7. n. 1. Conſuetudines quædam validæ afferuntur. ibid. c. 8. per totum. Quædam quoque invalidæ recenſentur p. 41. c. 9. per totum. Conſuetudo nulla introduci poteſt contra vota eſſentialia Regulæ Seraphicæ. p. 41. c. 10. n. 1. Neque ulla legitima conſuetudo excuſare poteſt ab obſervantia præceptorum ejuſdem Regulæ ſub mortali obligantium. p. 42. n. 2. diutina tamen conſuetudine poteſt aliqua Conſtitutio abrogari. ibid. n. 3. Sed non quacunque. ibid. n. 4.

Contumacia deſcriptio. p. 269. n. 2. Contumacia vera & ficta quid? ibid. n. 3. Quot modis committatur contumacia? p. 270. n. 4. Citatus ſi legitimè impeditus non compareat in pœnas contumaciæ non incidit. ibid. n. 5. Variæ reſolutiones circa contumaces. ibid. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.

Corpus univerſum Juris Canonici ex quibus componatur? p. 5. c. 1. n. 1.

Curati quid teneantur ſcire? p. 101. c. 2. n. 4.

Cuſtos quid ſit? p. 122. c. 1. n. 1. Quod ejus officium? ibid. n. 2. circa illud multa ſunt immutata. ibid. n. 3. Cuſtodes gaudent quadam majoritate. p. 172. c. 4. n. 4.

D.

Decanus vide *Præpoſitus*.

Delarationes Cardinalium quid? p. 22. c. 6. n. 1. Et quæ vis earum? ibid. n. 2.

Decretales Gregorij IX. à quo compilatæ, & quomodo citandæ? p. 6. c. 3. n. 1. Decretalium ſextus, à quo editus, & quomodo citandus? ibid. n. 2.

Decreti Eccleſiaſtici deſcriptio. p. 29. c. 1. num. 3.

Decretum Gratiani quid? Ejuſdem diviſio, & quomodo citandum? p. 5. c. 2. n. 1.

Delegati Judicis definitio. p. 129. c. 1. n. 2. Judices alij ſunt delegati à Jure, alij ab homine. ibid. n. 3. Et hi rurſus ſunt diverſi. ibid. Delegatos Judices qui conſtituere & delegare poſſint? p. 130. n. 4. & 5. Delegatus à Summo Principe ſæculari vel Eccleſiaſtico poteſt ſubdelegare cauſam ſibi delegatam ob gravem cauſam. ibid. n. 6. Et quomodo id facere poſſit? ibid. n. 7. Delegatus ab alio Judice inferiore quam à Supremo Principe regulariter ſubdelegare nō poteſt. ibid. c. 2. n. 1. Poteſt tamen quandoque. ibid. n. 2. Nec Delegatus à Legato Summi Pontificis vel Principis poteſt ſubdelegare. p. 131. c. 2. n. 3. Judices Delegati qui eſſe poſſint? ibid. c. 3. n. 1. Et qui non? ibid. n. 2. Qualitates Delegati Sūmi Pontificis vel ejus Legati quæ? ibid. n. 3. Ad cauſas Eccleſiaſticas cognoſcendas Laicus delegari non debet. ibid. n. 4. Simplex tamen Clericus vel Religioſus cum licentia ſui Prælati Judex Delegatus Epiſcopi vel alterius inferioris eſſe poteſt. ibid. n. 5. Et communiter intra Diœceſim litigantium Judices Delegati aſſumi debent, niſi aliæ ſubſint cauſæ. ibid. n. 6. Quæ cauſæ poſſint delegari & quæ non? ibid. c. 4. n. 1. 2. & 3. Forma delegationis conſiſtit in modo procedendi, in literis Commiſſionis præſcripto, qui eſt varius. p. 132. n. 4. Et forma præſcripta diligenter eſt obſervanda. ibid. n. 5. Si nulla determinata eſt præſcripta, ſervanda eſt forma à Jure communi præſcripta. ibid. num. 6. Judicis Delegati officium & poteſtas quomodo differant? ibid. c. 5. n. 1. ratione ſui officij quid obſervare teneatur?

Digitized by Google

neatur? ibid. n. 1. 2. 3. 4. & 5. Ejus poteſtas metienda eſt ex Delegantis authoritate & conceſſione. p. 133. n. 6. Contra quos poteſtatem habeat? ibid. n. 7. & 8. Delegatus Papæ eſt major Delegatis alijs, etiam ſuo Epiſcopo. ibid. n. 9. Et quid ultra poſſit? ibid. A Subdelegato Papæ quando liceat appellare, & quando non? ibid. c. 6. n. 1. A Delegato ad Delegantem, & à Subdelegato ad Delegatum an & quando fiat appellatio? p. 134. c. 6. n. 2. Ordinariè à Judice ordinario immediatè appellare licet ad Papam. ibid. n. 3. Delegatus ſi juſtis de cauſis ſit ſuſpectus, poteſt recuſari. ibid. n. 4. Quæ ſint illæ juſtæ cauſæ ſuſpicionis formandæ? ibid. n. 5. An & quomodo de conſenſu partium litigantium poſſit prorogari Juriſdictio Delegati? ibid. n. 6. & 7. Quando & quomodo finiatur juriſdictio, officium, & poteſtas Judicis Delegati? ibid. c. 7. n. 1. & ſeq. Delegatos Judices in Ordine noſtro Franciſcano quis & quando conſtituere teneatur? p. 135. c. 8. n. 1. Qualem habeant juriſdictionem & obligationem? ibid. Quid poſſint Delegati Judices ſeu Viſitatores Provinciarum, & quid non poſſint? ibid. n. 2. Et p. 130. n. 4. 5. & 6. Quæ eorum obligationes? p. 135. n. 3. Unde aſſumendi, & quæ eorum qualitates? ibid. num. 6. Quando eorum juriſdictio expiret? ibid. n. 4.

Dilatio quid? p. 246. c. 1. n. 1. & 2. Quotuplex? ibid. n. 3. Dilatio citatoria deſcribitur. p. 247. c. 2. n. 1. Similiter deliberatoria. ibid. n. 2. Et recuſatoria. ibid. n. 3. Item probatoria. ibid. c. 3. n. 1. An plures Dilationes dari poſſint? ibid. n. 2. & 3. Quale intervallum regulariter habeat Dilatio probatoria. p. 248. n. 3. & 4. Dilatio allegatoria quid? ibid. n. 5. Quid definitoria? ibid n. 6. Et quid executoria. ibid. n. 7. An Dilatio probatoria poſſit prorogari? p. 249. Intervalla Dilationum debent eſſe continua. ibid. n. 3. Effectus Dilationis ibid. n. 4. Dilationes Judiciales quomodo concedendæ? ibid. n. 5. Dilationes concedi debent etiam Fratribus Minoribus. ibid. c. 5. n. 1.

Diſpenſatio Canonis aut Conſtitutionis Apoſtolicæ quid ſit? p. 9. c. 1. n. 1. Et à quo fieri poſſit? ibid. n. 2. Diſpenſatio cum & ſinè causa qualis ſit? p. 9. c. 2. n. 1. Diſpenſationis cauſæ juſtæ quænam? p. 10. c. 2. n. 2. Diſpenſatio mortuo Papa diſpenſante, an in ſuo vigore permaneat? ibid. n. 3. Diſpenſare quis poſſit in Conſtitutionibus Generalibus Ordinis Franciſcani? ibid. c. 4. n. 1. Diſpenſare poſſunt Superiores Majores Ordinis noſtri cum Monialibus defectum Natalium patientibus, & alijs, ut licitè eligi poſſint in Abbatiſſas. p. 74. n. 8. Et p. 107. n. 5. An ſimili Diſpenſatione indigeant. p. 74. n. 8. Item cum illegitimis quibuſcunque profeſſis, ut ad Ordines quoſcunque & dignitates & perſonatus Ordinis promoveri poſſint. p. 110. c. 3. n. 1. & ſeq. Et hæc Diſpenſatio fieri debet in ſcriptis. ibid. n. 5. Diſpenſatio Summi Pontificis data alicui filio Presbyteri vel alteri illegitimo ad ſuſcipiendos Ordines & obtinenda beneficia eſt ſtrictè interpretanda. p. 103. n. 5. & 6. Diſpenſare poteſt Epiſcopus, ut quis in Minoribus poſſit præfici beneficijs Curatis p. 101. n. 4.

Diſquiſitores ad electiones Prælatorum Regularium in Ordine Franciſcano neceſſarij quot in Comitijs Generalibus, & quot in Provincialibus? p. 68. n. 7. A quo in his & illis Comitijs proponendi? ibid. n. 8. Ad quid adſtringantur, & quid præſtare debeant? ibid.

Dogma Canonicum quid? p. 28. cap. 1. n. 3.

Dolus bonus & malus deſcribitur. p. 268. c. 1. n. 2. & 3. Dolus malus in quibus rebus committi poſſit? ibid. c. 2. n. 1. Doli exceptio datur in quacúnque materia. p. 269. n. 1. Et contra quemcunque dolum committentem. ibid. n. 3. Quando naſcatur obligatio adimplendi contractum, vel ſolvendum promiſſum in dolô malô inductos. ibid. n. 4.

E.

Eccleſia & minorennes, in quibus æquiparentur? p. 202. c. 3. n. 4. Quid nomine Eccleſiæ quandoque intelligatur? ibid. n. 3.

Electionis Ethymologia. p. 47. c. 1. n. 1. Ejus deſcriptio. ibid. n. 2. Electionis Canonicæ celebrandæ quando ſit debitum tempus. ibid. n. 3. & 4. Quomodo illud computandum? p. 48. n. 5. Si Electores illud negligant, ad quem jus eligendi devolvatur? ibid. n. 6. & ſeq. Electionem novi Paſtoris quæ antecedere debeant? ibid. n. 10. Et an ijs omiſſis eſſet valida Electio. ibid. Electionis novæ celebrandæ dies à quo determinanda, quibus & quomodo notificanda? p. 49. n. 11. Qui ad eam vocandi? ibid. n. 12. A facienda vocatione abſentium quid excuſet. ibid. n. 13. In abſentia Capitularium impeditorum, & comparere nolentium quid reliqui poſſint? p. 49. n. 14. Si verò non vocati, ſed contempti, duæ partes, ſeu

duæ tertiæ Capitularium abfuerint Electio nulla eſt. ibid. n. 15. Pro conventione ad Electionem brevior terminus quàm à Jure ſit conceſſus præfigi poteſt. ibid. n. 16. Et die præfixo regulariter & ordinariè Electores abſentes vocati comparere debent. p. 50. n. 17. Eligi ad Prælaturas & dignitates Eccleſiaſticas qui non poſſint? p. 50. c. 2. per totum. Electionis celebrandæ ſolemnitates accidentales quæ? p. 56. c. 4. n. 1. & 2. Electionis Canonicæ modi ſeu formæ tres, videlicet per Scrutinium, per compromiſſum, & per inſpirationem vel quaſi. ibid. num. 3. Quomodo dictæ Electiones fiant? ibid. Electionis per Scrutinium principales actus ſunt quatuor. ibid. n. 4. Electionis ſolemnis promulgandæ Decretum quomodo formandum? p. 58. n. 10. Electiones duæ in diſcordia celebratæ, quæ ut valida præferenda. ibid. n. 13. Electio per Scrutinium neceſſariò de die terminari debet, niſi gravis neceſſitas urgeat, ut de nocte potiùs quã de die celebretur. ibid. n. 14. Quandoq; in ſequentem diem differri poterit. ibid. n. 15. Electio facta per Inſpirationem Divinam, vel quaſi, ut ſit valida quid requiratur? p. 61. n. 29. Hæc Electionis forma eſt antiquiſſima. ibid. n. 30. Pro ſolis tamen Prælatis Eccleſiaſticis ſæcularibus eligendis inſervit. ibid. n. 31. Debetque à Superiore confirmante examinari. ibid. Electio ritè peracta mox eſt præſentanda Electo, ejuſq; conſenſus deſuper petendus. p. 61. c. 5. n. 1. Qui intra menſem in præſentatam Electionem, aut expreſſè conſentire, aut diſſentire tenetur. ibid. n. 2. Regulariter tamen compelli aut cogi non poteſt ad præbendum ſuum aſſenſum. p. 62. n. 3. Si Electus ſit Religioſus à Superiore licentia petenda eſt, ut conſentire poſſit. ibid. n. 4. Sinè qua conſenſus præſtitus non tenet, & Electio ſuis juribus evacuatur. ibid. n. 5. In alijs quoque certis caſibus evacuatur Electio. ibid. n. 6. Electione acceptata ex parte Electi ſolemnitates quædã accidentales obſervandæ ſunt. ibid. n. 7. Electiones omnes Canonicæ Prælatorum ſeu Superiorum Ordinis Franciſcani fieri debent regulariter per vota Secreta. p. 67. c. 8. n. 1. Electionis forma ſive per Schedulas Secretas, ſive per ballatationes, utraque eſt canonica. ibid. n. 2. Electiones dictæ ut ſint canonicæ & validæ, quid requiratur? p. 68. n. 5. & 6. Electio Generalis vel Provincialis ſemel inchoata terminari debet intra unum diem naturalem. ibid. n. 9. Et ſi non fiat, ad quem devolvatur. ibid. n. 10. Eligendorum in ſuperiores Ordinis noſtri qualitates requiſitæ. p. 69. n. 12. Electio Prælatorum aliorum Regularium ad quos ſpectet, qui in Electione votum habeant, & qui non? p. 70. n. 1. 2. & 3. Electionis forma omnium Prælatorum Regulariũ eſt per modum Scrutinij & Schedulas ſecretas p. 71. n. 13.

De Electione Abbatiſſarum ſeu Præfectarum tum Ordini noſtro ſubjectarum, tum aliarum quarumcunque vide verbo *Abbatiſſa.*

De *Electione* Imperatoris vide verb. *Imperator.*

De *Electione* per Compromiſſum, vide verb. *Compromiſſum.*

De *Electione* Summi Pontificis, vide verb. *Papa.*

Electores Epiſcoporum varij pro diverſitate temporum. p. 53. c. 3. n. 1. Moderno jure regulariter qui? p. 54. n. 2. Electores inhabiles qui? ibid. n. 3. & ſeq. Electores ſi debitum tempus Electionis Canonicæ negligant, ad quem jus eligendi devolvatur? p. 48. n. 6. & ſeq. Electores ſi in Electione non ſervent ſervanda, aut eligant inhabilem quid incurrant? p. 55. n. 9. & ſeq. Et ſi eligant indignum ad quem devolvatur Electio. ibid. n. 12. Elector ſuperveniens publicato jam Scrutinio quid poſſit? p. 59. n. 16. Electores ſub nullo prætextu poſſunt coarctari, & arctans quid incurrat. p. 68. num. 11. Ante Electionem ſunt abſolvendi. ibid. Electores cum voto electivo in Capitulis & Congregationibus Generalibus & Provincialibus Ordinis Seraphici qui? pag. 69. n. 13.

Epiſcopatus eſt propriè dictus Ordo. pag. 90. n. 9. Ejus definitio. p. 91. c. 2. n. 1.

Epiſcopus unde dictus? p. 145. c. 6. n. 1. Olim Epiſcopi vocabantur Presbyteri, & è contra Presbyteri Epiſcopi. ibid. Illorum poteſtas diverſimodè conſiderata provenit & à Chriſto, & à Summo Pontifice. ibid. n. 2. Alia eſt Ordinis, alia Juriſdictionis, & quid per hanc & illam intelligatur? ibid. n. 3. Poteſtas Epiſcopi dividitur præterea in Legem Juriſdictionis, & in Legem Diœceſanam, & quæ ad hanc & illam revocentur? p. 146. c. 6. num. 6. Quæ Epiſcopus poſſit & teneatur præſtare conformiter ad Legem Juriſdictionis? ibid. c. 7. n. 1. uſque ad n. 22. Et vigore ejuſdem Legis Juriſdictionalis quid non poſſit? p. 149. n. 23. & ſeq. Ex Lege Diœceſana poteſt & ſuo tempore debet convocare ſynodum. ibid. c. 8. n. 1. Qui ad hanc accedere teneantur, & quæ

Digitized by Google

quæ in ea tractanda ſint? p. 150. c. 8. n. 2. Intuitu ejuſdemLegis poteſt exigere annum ſynodaticum, petere quartam Decimationum, & de jure communi prætendere quartam Mortuariorum ſeu funeralium. ibid. n. 3. 4. & 5. A ſolutione harum liberæ ſunt Eccleſiæ exemptæ. ibid. una etiam & altera quarta in pluribus Diœceſibus jam abolita eſt. ibid. Epiſcopus vi Legis Diœceſanæ quas procurationes ab Eccleſijs non exemptis tempore Viſitationis pro ſe vel ſuo Delegato petere poſſit? ibid. n. 6. & 7. Et quid per procurationes intelligatur? ibid. Quomodo tandem Epiſcopus vi jurium Epiſcopalium & Legis Diœceſanæ poſſit petere ſubſidium charitativum? p. 151. c. 8. n. 8. Epiſcopi quid poſſint ſpecialiter circa Regulares exemptos; & in quibus caſibus contra eos procedere poſſint tanquam Sedis Apoſtolicæ Delegati? ibid. c. 9. n. 1. & ſeq. Certi caſus quomodo intelligendi? ibid. Non poſſunt tamen regulariter exercere juriſdictionem ordinariam in Regulares ſubditos. p. 156. c. 12. n. 2. Ratione officij gaudent quadam Majoritate reſpectivè. p. 171. c. 4. n. 2. Et ad ipſos ſpectat omnes controverſias inter Ordines Regulares & ſæculares ortas de præcedentia in publicis proceſſionibus & alijs actibus componere. p. 172. c. 5. n. 4. Qui Epiſcopo ad Synodum convocanti obedire, & ibidem comparere teneantur, & qui non? p. 173. n. 6. Epiſcopus etiamſi non ſit conſecratus modò ſit electus & confirmatus abſque facultate & diſpenſatione Papæ nequit tanſire ad aliam Eccleſiam. p. 78. n. 7. Ejus negligentiam in adminiſtratione Epiſcopatûs quomodo ſupplere poſſit Papa. p. 88. n. 11. Epiſcopus & Preſbyter quomodo idem ſint, & quomodo non? p. 90. n. 8. Epiſcopus proprius quis? p. 94. n. 5. Alius eſt Epiſcopus originis, alius loci, & alius beneficij. ibid. Et Miniſter proprius & ordinarius Ordinationis. ibid. c. 4. n. 1. Epiſcopus excommunicatus, degradatus, vel hæreticus adhuc validè poteſt ordinare. p. 95. c. 4. n. 2. Sed illicitè. p. 99. c. 2. n. 1. Quæ ætas regulariter requiritur pro Epiſcopatu? p. 99. c. 1. n. 2. & 3. Et quæ doctrina? p. 101. c. 2. n. 4. Quos debeat regulariter habere Ordines dum eligitur? p. 101. c. 3. n. 1.

Epiſtola Decretalis quid? p. 29. c. 1. n. 3.

De *Examine* Ordinandorum vide verb. *Scrutinium.*

Exceptio quid? p. 314. n. 2. Variæ ejuſdem diviſiones & ſpecies. ibid. n. 3. 4. 5. 6. & 7. Quod tempus proponendarum Exceptionum? p. 315. n. 1. 2. & 3. An in ſcriptis ſint conficiendæ. ibid. n. 4. Ex quibus capitibus dilatoriæ formentur? ibid. n. 5. & 6. Peremptoriæ quando producendæ? p. 316. n. 7. 8. 9. 10. & 11. Variæ reſolutiones circa Exceptiones. ibid. n. 1. 2. 3. 4. Et p. 317. n. 5. 7. 8. & 9. De Exceptionibus Tribunalis in Ordine Divi Franciſci. ibid. n. 1. 2. & 3.

Excommunicatio major privat voce activâ, minor verò privat ſolâ voce paſſivâ. p. 55. n. 6.

Excommunicatus Excommunicatũ quando abſolvere poſſit? p. 157. n. 11.

Expoſititij ſeu *Expoſiti* in plateis aut alijs locis an habiles ſint ad Ordines & beneficia obtinenda? p. 109. n. 12.

Extravagantes duplices, & quomodo citandæ? p. 6. c. 3. n. 4.

F.

Feriæ quid ſint? p. 250. c. 1. n. 1. Quotuplices ſint? ibid. num. 3. 4. & 5. In Ferijs qui actus judiciales ſint validi vel invalidi? p. 250. c. 2. n. 1. & p. 251. c. 2. n. 3. 4. & 5. Feriæ Sacræ ſeu Feſta deſcribuntur. p. 251. c. 3. n. 2. Origo Feſtorum. ibid. n. 3. Inter dies feſtos principalis cenſetur Dominica. p. 252. n. 4. Quis poſſit conſtituere dies feſtos? ibid. n. 5. Quæ ſit obligatio Feſtorum? ibid. n. 6. Et in quo conſiſtat? ibid. n. 6. & 7. Quæ opera ſint permiſſa in Feſtis? n. 8. Et quæ prohibita? p. 253. n. 9. A Feſtorum obſervantia qui excuſentur? ibid. n. 11. Cauſa ſufficiens excuſans ab obſervantia Feſtorum quæ ſit? ibid. n. 10.

Fides Catholica quid? p. 27. c. 2. n. 1. Fidei alicujus explicitæ neceſſitas pro omni ſtatu: ibid. n. 2. & ſeq. Fidei profeſſionem emittere qui obligentur? p. 28. c. 3. n. 1.

Fidelium corpora à Schiſmaticis in loco ſacro tumulata an debeant exhumari? pag. 106. c. 2. n. 5.

Filij Presbyterorum illegitimi & irregulares qui? p. 107. & 108. n. 2. & 8. Filius Presbyteri vel Clerici, quamvis ad Sacros Ordines diſpenſatus, non poteſt admitti ad beneficium, vel adminiſtrationem in officio in illa Eccleſia, in qua Pater ejus beneficium vel dignitatem obtinet vel obtinuit; minùs eidem immediatè in eodem beneficio ſuccedere: nec penſionem ullam ex fructibus beneficiorum Patris percipere poteſt. p. 109. n. 7. & 8. In his ſolus Papa diſpenſare poteſt. ibid. n. 9. Poteſt tamen mediatè ſuccedere Filius Patri, & Nepos avo. ib. n. 10.

Digitized by Google

Filiusfamilias quando poſſit agere & reſpondere in Judicio, & quando non? p. 216. c. 3. n. 4.

Forus ſeu *Forum* quid? p. 22. c. 3. n. 1. Forum Eccleſiaſticum quando ſequendum? ibid. n. 2. Forum duplicem habet ſignificationem. p. 221. c. 1. n. 2. Fori competentis deſcriptio. ibid. n. 3. Citatus ad Forum incompetens impunè non comparet. p. 222. n. 4. Forum Rei Actor ſequi debet. ibid. n. 5. ſi in Foro incompetenti Actor proceſſum inſtruat, quid Reus poſſit? ibid. n. 6. Plures modi tum ordinarij, tum extraordinarij, quibus quis Forum competens ſortitur. ibid. n. 7. 8. & 9. Quomodo quis ſortiatur Forum competens *ratione Domicilij?* ibid. c. 2. n. 1. & ſeq. Quomodo quis ſortiatur Forum competens *ratione Contractûs?* p. 223. c. 3. n. 1. & ſeqq. Quomodo quis tale Forum ſortiatur *ex delicto?* p. 224. c. 4. n. 1. & ſeq. Quomodo quis ſortiatur Forum competens *ratione rei ſitæ in territorio alieno?* p. 225. c. 5. n. 1. & ſeq. Quomodo quis ſortiatur tale Forum *ratione qualitatis cauſæ?* id eſt, vel Eccleſiaſticæ, vel feudalis, vel connexæ, vel mixtæ. ibid. c. 6. n. 2. & ſeq. Cauſæ Eccleſiaſticæ quæ? ibid. n. 1. Ex triplici capite cauſæ inter ſe habent connexionem. p. 226. n. 8. Quæ ſit cauſa mixta? p. 227. n. 13. Alia eſt Civilis, alia Criminalis. ibid. Quæ ſint cauſæ mixtæ Civiles? ibid. n. 14. Et quæ criminales? p. 228. n. 15. Quomodo quis ſortiatur Forum competens *ratione privilegij*, ſignanter *Clericalis?* ibid. c. 7. n. 1. Quomodo quis ſortiatur Forum competens *per prorogationem Judicis?* p. 229. c. 8. n. 2. Prorogatio Judicis quid ſit? ibid. n. 1. Ut hæc ſubſiſtat quæ conditiones requirautur? p. 230. n. 3. Quomodo ab ea poſſit recedi? ibid. n. 4. Non quilibet poteſt prorogare juriſdictionem Judicis incompetentis in ſe. ibid. n. 5. Si de ipſa Fori competentia quæratur, quis ſit Judex? pag. 231. n. 6. Forum competens pro Ordine noſtro Franciſcano quod? ibid. c. 9. n. 1. & 2. Si Frater minor declinet Forum competens, quid incurrat? ibid. n. 4. Forum competens qui gerant in Ordine noſtro? ibid. n. 5. Quis tractare poſſit cauſas Fori mixti? pag. 218. n. 5.

G.

Generales Ordinum quadam majoritate affecti ſunt. p. 172. c. 4. n. 4.

Guardianorum & aliorum Superiorum Localium Ordinis noſtri obligatio. p. 89. n. 8. Eorumque negligentia per quos ſupplenda? ibid. n. 9. Guardianus eſt Judex ordinarius ſui Conventûs. p. 162. n. 15. Ejus juriſdictio & authoritas ordinaria quanta ſit? ibid. n. 16.

H.

Hermaphroditi an ſint capaces Ordinum? p. 114. c. 3. n. 1. Si contingeret fœminam mutari in virum perfectum, an talis poſſit ordinari? ibid. n. 2.

I.

Illegitimi quicunque excluduntur ab Ordinatione ob tres potiſſimùm cauſas. p. 107. n. 1. & 2. Si tamen hi fiant Monachi, vel ingrediantur aliquam Religionem poſſunt ad omnes Ordines admitti, non tamen ad Prælaturas promoveri. ibid. n. 3. & 4. Ad has tamen poſſunt diſpenſari, & quidem à ſolo Papa. ibid. n. 5. Cum illegitimis diſpenſare poteſt Epiſcopus, & Capitulum Sede vacante, ut 4. Minores ſuſcipere poſſint. ibid. n. 6. Ad Majores verò Ordines ſolus Papa diſpenſat. ibid. Qui poſt debitam legitimationem licitè ordinardi poſſit, & qui non? ibid. n. 7. & 8. Illegitimi ſinè diſpenſatione promoti ad Ordines characterem quidem recipiunt, pœnam tamen incurrunt. p. 108. n. 9. Et ſunt inhabiles ad conferenda ipſis benefitia majora abſque debita diſpenſatione. ibid. c. 2. n. 1. Ad quæ beneficia obtinenda poſſint Epiſcopi cum illis diſpenſare? ibid. n. 2. 3. & 4. Filius non tenetur credere Matri dicenti ipſum illegitimum eſſe. p. 109. n. 11. Illegitimi quicunque Ordinem S. Franciſci profeſſi, eo ipſo legitimantur & habilitantur ad omnes Ordines ſuſcipiendos. p. 110. c. 3. n. 1. Non tamen habilitantur ad dignitates & perſonatus Ordinis, ſed egent diſpenſatione. ibid. n. 2. Qui diſpenſare poſſint? ibid. n. 3. Debent tamen eſſe legitimæ cauſæ pro diſpenſatione, & quæ illæ? ibid. n. 4. Ad quas dignitates & perſonatus diſpenſatione indigeant, & ad quæ officia tali non egeant? ibid. n. 5.

Impedimentum originis quid ſit? p. 106. c. 1. n. 1.

Imperator legitimè electus per ſolam electionem acquirit jus adminiſtrandi Imperium. p. 77. c. 13. n. 4. Debet ſacro oleo inungi & coronari per Papam, vel ejus delegatum. ibid. & p. 103. c. 2. n. 2. An non tantùm in ſpiritualibus ſed & in temporalibus Papæ ſubjiciatur? p. 169. c. 2. n. 2. Ejus Electores qui olim, & qui nunc? p. 76. c. 13. n. 2. Ejuſdem electio à quo intimanda ſit

alijs

Digitized by Google

alijs Electoribus, ubi, & intra quot menſes per agenda? p. 77. c. 13. n. 3. Eligendi conditiones neceſſariò requiſitæ. ibid. Si omnes indignum eligant, quid poſſit Papa? ibid. Imperatorum placita qualem vim habeant? p. 4. c. 3. n. 2.

Imperium Romanum à quo, ad quem, & quando translatum ſit à Græcis ad Germanos? p. 76. c. 13. n. 1.

Inſtrumentum legale deſcribitur. p. 296. n. 2. & 3. Inſtrumentum publicum & authenticum quod cenſeatur? ibid. c. 2. n. 1. Varia Inſtrumenti publici diviſio. ibid. n. 2. & 3. Et p. 297. n. 4. & 5. Conditiones requiſitæ ad ſolemnitatem Inſtrumenti publici. ibid. n. 6. Et p. 298. n. 9. Inſtrumentum publicum ſolemne facit plenam fidem. ibid. n. 10. uti & Protocollum. ibid. n. 11. Et Exemplum ex vero Originali authoritate Judicis deductum. ibid. n. 12. Similiter Inſtrumentum authenticum ſigillò publicò Principis, Epiſcopi, Univerſitatis, vel Senatûs roboratum. ibid. n. 13. Inſtrumenta illa privata Apocha, Syngrapha, Antapocha, Liber Rationum, & Epiſtola deſcribuntur. p. 299. n. 1. Inſtrumentum privatum chyrographum non probat pro ſcribente, ſi careat trium teſtium ſubſcriptione & Sigillo. ibid. n. 2. Præterquam in certis caſibus. ibid. num. 3. Inſtrumentum chyrographum quando probet contra ipſum ſcribentem? ibid. num. 4. Quid ſentiendum de Regiſtris Tutorum, Mercatorum &c. ibid. n. 5. Et quid de Epiſtola? ibid. n. 6. Variæ reſolutiones circa Inſtrumenta. p. 300. n. 1. 2. 3. 4. & 5.

Interdictum Canonicum quid? p. 28. c. 1. n. 3.

Interdictum unde vi quid ſit? p. 264. n. 1. Ex hoc agere poteſt ſpoliatus ad reſtitutionem poſſeſſionis. p. 265. n. 1. Quibus ſpoliatis competat dictum remedium? ibid. n. 2. & 3. Sed nonniſi intra annum utilem intentari poteſt. ibid. n. 4. Ad quæ agens hoc Interdicto obligetur? ibid. n. 5. Et cui in executione concedatur? ibid. n. 6. Speciales caſus circa idem Interdictum. p. 266. n. 7. 8. & 9.

Interpretatio SS. Canonum & Conſtitutionum Apoſtolicarum triplex. p. 6. c. 1. n. 1. A quo facienda? p. 7. c. 1. n. 2. Et quo pacto fieri debeat? p. 7. c. 2. n. 1. & ſeq. Interpretari Conſtitutiones Generales & Provinciales Ordinis Franciſcani quis valeat? p. 8. c. 3. n. 1. & ſeq. Et qualiter ejuſmodi Interpretatio facienda? ibid. n. 2.

Judex delegatus vide verb. *Delegatus.*

Judex unde dictus? p. 163. c. n. 1. Ejus deſcriptio. ibid. n. 2. & p. 214. n. 6. Officium illius dividitur in nobile & mercenarium, quidque unum & alterum ſit? ibid. n. 3. Qui prohibeantur eſſe Judices? ibid. n. 4. Judex ex Officio ſuo ad quæ obligetur? p. 164. c. 2. à n. 1. uſque ad 7. Quando ſententiam reſcindere poſſit? p. 165. n. 8. Et quando non? ibid n. 9. Judex putatitius validè acta & ſententias conficit. ibid. n. 10. & 11. Si Judex ex corruptela vel dolo legibus difformem proferat ſententiam ad quid teneatur? ibid. n. 12. Judex Supremus aliter quandoque judicare poteſt in pœnalibus quàm leges præſcribant, quod tamen ordinariè non poteſt Judex inferior. ibid. n. 13. Quomodo ſententiare poſſit Judex ſi utraque pars litigans habeat jus æquè probabile? p. 166. c. 3. n. 1. Et quomodo ſi notabilis inæqualitas reperiatur inter probabilitates juris utriuſque partis? ibid. n. 2. Utroque jure prohibetur Judicibus munerum acceptatio. ibid. n. 3. Non poteſt licitè mendacijs & fictis promiſſionibus veniæ confeſſionem à reo extorquere. ibid. n. 5. Minorem decem annis vel impuberem de delicto convictum punire non poteſt. pag. 167. c. 3. n. 6. An liceat Judici condemnare reum in mulctam pecuniarum ipſi Judici applicandam? ibid. n. 7. Judex ad quæ obligetur? p. 219. c. 5. n. 1. Acta coram quo Judice quæ valida vel invalida ſint? ibid. n. 3. Judex quando cenſeatur interrogatus contra vel ſecundùm Juris ordinem? p. 277. n. 6. Judex Regularis quicunque Ordinis noſtri Franciſcani non obligatur ad accidentales ſolemnitates, ſed ad ſola ſubſtantialia judicij. p. 167. c. 4. n. 1. In quibus cauſis Secretarium ſeu ſcribam ſibi adjungere debeat, & quid talis Notarius præſtare teneatur. ib. n. 2. An & quando Judex Franciſcanus poſſit eſſe Judex in propria cauſa? ibid. n. 3. In ferenda ſententia quas pœnas debeat reis imponere? ibid. n. 4. & 5. In inquirendo delicto, & in puniendis reis quomodo ſe gerere debeat? ibid. n. 6. & 7. Judices in Ordine noſtro qui eſſe non poſſint? p. 168. n. 8. Plura vide verb. *Judicium.*

Judex Ordinarius vide verb. *Ordinarius Judex.*

Judicij etymon, ejúſque uſurpatio. p. 213. c. 1. n. 1. Ejuſdem deſcriptio. ibid. n. 2. Ad legitimum Judicium formandum quæ requirantur? p. 214. n. 3. & 7. Variæ Judiciorum diviſiones. ibid. num. 1. 3. 4. 5. & 6. Eſſentialia & neceſſariò in Judicio obſervanda quæ? ibid. n. 2. In Judicio quinam poſſint & non poſſint eſſe Actores, vel Rei? p. 216. c. 3. Quæ cauſæ cadant in Judicium Ju-

um Judicis Eccleſiaſtici & Laici? p. 217. c. 4. n. 1. & ſeq. Quis tractare poſſit cauſas fori mixti? p. 218. n. 5. An quandoque aliquis poſſit eſſe Judex in propria cauſa? pag. 218. n. 7. An partes ſemper perſonaliter cõparere teneantur in Judicio? p. 219. c. 5. n. 1. Quando Judicium finiatur & pereat? ibid. n. 6. Ex multiplici capite reddi poteſt nullum. p. 220. n. 7. Quis modus procedendi contra Clericos atrociter criminoſos? p. 219. n. 4. Eorundem pœnæ à Canonibus taxatæ. ibid. n. 5. Judicium in Ordine noſtro non debet eſſe ordinarium ſed Summarium. p. 220. c. 6. n. 2. Quæ in eo neceſſariò obſervanda? ibid. n. 1. & 3. Ex quibus capitibus poſſit reddi nullum? p. 221. n. 4. Mulieres quæ invitæ poſſint trahi in Judicium, & quæ non? p. 216. c. 3. n. 2. & 3.

Juramentum Calumniæ deſcribitur. pag. 243. n. 2. Ejuſdem requiſita. ibid. num. 3. Præſtandum eſt ab utraque parte litigantium, quando exigitur. ibid. n. 4. Nec partes ſibi illud remittere poſſunt. ibid. n. 5. Præſtari debet ab omnibus perſonis principalibus litigantibus, in quacunque dignitate conſtitutis, ſi ipſi perſonaliter cauſam ſuam agant. p. 244. n. 1. 2 3. & 4. Juramentum Calumniæ regulariter præſtatur à Laico tactis SS. Evangelijs. ibid. n. 6. Procuratores Perſonarum principalium litigantium illud præſtare tenentur. ibid. n. 7. Item Advocati. ibid. n. 8. Et Tutores, Curatores, Syndici &c. ibid. n. 9. Præſtari debet in omnibus cauſis, Civilibus, Criminalibus, & mixtis. p. 245. c. 3. n. 1. Quo tempore præſtandum? ibid. n. 3. & 4. Quæ pœna renuntiantis præſtare Juramentum calumniæ? p. 245. c. 4. n. 1. Et de effectu ejuſdem. p. 246. c. 4. n. 3. Plura de Juramento vide inferiùs verbo *Juſjurandum*.

Juris Canonici derivatio. p. 2. c. 1. n. 1. Et definitio. ibid. n. 2. Ejuſdem cum Civili differentiæ. ibid. c. 2. n. 1. & affinitates. p. 3. c. 2. n. 2. Ejus origo. p. 3. c. 3. n. 1. Ejuſdem cauſæ. ibid. c. 4. n. 1. Jus Canonicum ſcriptum ex quibus conſtet? p. 3. c. 1. n. 1. Et non ſcriptum ex quibus? p. 5. n. 2. Inter Jus C. Jus ff. & Jus Canonicum qualis ſit differentia? p. 209. c. 3. n. 2. Juris accidentales ſolemnitates in Judicio ſervandæ quæ? p. 166. c. 3. n. 4. Et quæ ejus eſſentialia. ib.

Juriſdictionis deſcriptio, ejuſque actus. p. 145. c. 6. n. 4. Juriſdictio alia eſt Eccleſiaſtica, alia Politica, alia ordinaria, alia delegata, alia pro foro interno, alia pro externo; & hæc alia voluntaria, alia contentioſa. ibid. Rurſus Juriſdictio fori externi tam Eccleſiaſtica, quàm Politica ſubdividitur in Imperium & ſimplicem talem Juriſdictionem; & Imperium aliud eſt merum, aliud mixtum. p. 146. c. 6. n. 5.

Juriſjurandi deſcriptio. p. 305. n. 3. Variæ ejuſdem diviſiones. ibid. n. 4. & 5. Licitum eſt facere Juramentum. p. 306. n. 1. Variæ conditiones requiſitæ ad Juramentum licitum. ibid. n. 3. & 5. Juramentum quando cenſeatur expreſsè vel implicitè per Deum? ibid. n. 4. Quædam Juramenta peccamiNoſa & illicita afferuntur. p. 307. n. 6. Ad Juramentùm requiritur deliberata intentio. ibid. n. 7. Quid ad formam Juramenti requiratur? ibid. n. 8. Variæ formulæ jurandi examinantur. ibid. n. 9. 10. & 11. Ritus modernus perficiendi Juramentum. p. 308. n. 12. Juramenta diverſa illicita & non obligatoria proferuntur. ibid. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & pag. 309. n. 10. 11. & 12. Varia Juramenta licita & obligatoria adducuntur. ibid. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. &c. Quivis homo rationis compos poteſt jurare ijs exceptis, qui jure prohibentur. p. 310. n. 1. In quibus quando poſſit vel non poſſit recuſari Juramentum litis deciſorium? ibid. n. 2. 3. & 4. & pag. 311. n. 5. Quando à Judice poſſit deferri Juramentum? ibid. n. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. Varia circa Juramentum reſolvuntur. ibid. n. 1. 2. & 3. Et p. 312. n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Et p. 313. n. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16.

Jus Divinum quid? p. 4. c. 2. n. 1

L.

Laici peregrini, vagi &c. repellendi ſunt à ſuſceptione Ordinum. p. 118. c. 1. n. 3.

Laudum quid ſit? p. 208. n. 5. De eo plura vide verb. *Arbiter*.

Legati nomen variè accipitur in jure Civili. p. 137. c. 1. n. 1. Legati ſecundùm Jus Canonicum deſcriptio. ibid. n. 2. Legatus Pontificius quomodo differat à Delegato Judice ejuſdem? ibid. n. 3. Alij ſunt Legati à latere, alij Nuncij Apoſtolici, qui & miſſi vocantur, alij nati. ibid. n. 4. Quod eorum officium? ibid. c. 2. n. 1. Et quæ eorum poteſtas maximè Legati à latere & Nuncij? p. 138. n. 2. & ſeq. Hæc tamen major vel minor colligenda eſt ex literis Legationis, quas publicare debet, priuſquam poteſtatem exerceat. ibid. n. 10. Quomodo honorandi & tractandi ſint? ibid. n. 11. Eos non admittentes aut moleſtantes, quid incurrant. ibid. Legati à latere quas ultra adhuc obtineant ſpeciales facultates? p. 139. n. 12. Dicti Legati Apoſtolici etiam à latere

quid

Digitized by Google

quid non poſſint. ibid. c. 3. num. 1. 2. 3. & 4. Eorum officium & poteſtas quomodo & quando finiatur? p. 140. c. 4. n. 1. & ſeq. Legati Apoſtolici cujuſdam majoritatis charactere inſigniti ſunt. p. 171. c. 4. n. 3.

Libelli offerendi deſcriptio. p. 232. c. 1. n. 2. Ejuſdem qualitates requiſitæ. ibid. n. 3. 4. & 5. Libellus alius eſt civilis ſeu conventionalis, & alius criminalis. ibid. c. 2. n. 1. Oblatio Libelli eſt de ſubſtantia in Judicio ordinario. p. 233. n. 2. Ad formam ſubſtantialem Libelli Civilis quid pertineat. ibid. n. 3. & 6. In actione perſonali quæ ſit cauſa remota, & quæ proxima; & in actione reali quæ? ibid. n. 4. In Libello civili actionis perſonalis quid ſufficiat exprimere, & quid in Libello actionis realis. ib. n. 5. & 8. In Libello criminali neceſſariò exprimenda quæ? ibid. n. 9. Quando licitè poſſit Actor mutare Libellum tam civilem, quàm criminalem? ibid. n. 10. & 11. Emendare illum poteſt etiam uſque ad ſententiam. p. 234. n. 12 Poſt Libellum oblatum ad quid obligetur Judex? ibid. n. 13. Effectus Libelli oblationis quis? ibid. num. 14.

Litis conteſtatio deſcribitur. p. 239. c. 1. n. 2. Ejuſdem conditiones. ibid. n. 3. 4. & 5. Forma ejuſdem. pag. 240. c. 2. n. 1. Effectus ipſius. p. 241. c. 4. n. 1. Ante Litis conteſtationem regulariter vetitum eſt Judici recipere teſtes, & procedere ad Sententiam definitivam. pag. 241. c. 1. n. 1. Quod verum eſt etiam in cauſa Matrimoniali. ibid. n. 2. Et in cauſa reſtitutionis contra contumacem. ibid. n. 3. Caſus excepti in quibus poſſunt teſtes excipi Lite non conteſtata. p. 242. c. 2. n. 1. & 3. An & inquibus caſibus procedat hæc Regula *Lite pendente nihil innovandum*? p. 273. num. 1. 2. 3. 4. 5. & 6.

M.

Majoritas quid ſit? pag. 168. c. 1. num. 2. Quomodo unus Clericus altero poſſit eſſe major? ibid. n. 3. 4. 5. 6. & 7. Qui aliquâ majoritate gaudeant? à pag. 169. uſque ad pag. 172. incluſivè. Majoritas in Ordine noſtro Franciſcano quæ? p. 174. c. 7. n. 2. Ea relucet plurimùm ex ſerie præcedentiæ ſingulorum Superiorum. ibid. n. 3.

Mandatum Canonicum quid? pag. 28. c. 1. num. 3.

Matrimonium ſpirituale eſſe fortius carnali qualiter intelligendum? p. 78. c. 2. n. 3. Et cur dicatur illud non humanâ ſed Divinâ duntaxat authoritate diſſolubile. ibid. num. 4.

Metûs deſcriptio. p. 197. c. 2. n. 1. Ejuſdemque diviſio & ſubdiviſio. ibid. n. 2. 3. & 4. Metûs etiam gravis & injuſtè incuſſi cauſâ geſta quæ regulariter ipſo jure ſint valida & obligent? ibid. c. 3. n. 1. & ſeq. Et quæ infirmari poſſint? p. 198. c. cit. n. 4. Actus & contractus metu geſti invalidi qui? ibid. c. 4. n. 2. & ſeq. Nonnullæ conditiones requiſitæ ad metum, ut contractus vel alij actus cum metu facti reſcindi poſſint. p. 199. c. 5. n. 1. & ſeq. Quædam, quæ licèt ex graviſſimo metu proficiſcantur, nullam reſtitutionem admittunt. p. 200. n. 8. Variæ Reſolutiones circa ea quæ metu geſta ſunt. ibid. c. 6. n. 1. & ſeq.

Militi an liceat cuique ſtipendium porrigenti pro bello juſto vel injuſto velle militare? p. 177. n. 3. Militiæ nomen dare volentes, juſtitiam belli examinare tenentur, non tamen milites ſtipendiarij actuales, & ſubditi. ibid.

Miniſter Generalis Ordinis noſtri electus non eget aliqua Confirmatione ſpeciali. p. 69. n. 14. Miniſter Generalis Ordinis noſtri ob quas cauſas poſſit extra Capitulum ſuo officio renunciare? p. 85. c. 7. n. 1. Coram quibus id fieri debeat? ibid. n. 2. Et quis modus ſervandus? ibid. n. 3. & 4. Is tamen qui renunciavit debet Patres ad electionem Vicarij Generalis convocare, & præſidere, niſi & his renunciaſſet. ibid. n. 4. Ad quem tunc hæc devolvantur? ibid. Miniſter Generalis in Ordine noſtro obligatur ad viſitandum per ſe, vel ſuos Commiſſarios univerſum Ordinem. pag. 88. c. 3. n. 2. & 3. Ejus negligentia quomodo ſupplenda? ibid. n. 4. Eſt Judex Ordinarius totius Ordinis habens ordinariam juriſdictionem, & ſupremam poteſtatem in omnes Fratres & Moniales ſubditas. pag. 159. c. 13. n. 1. & 2. Quibus æquiparetur? ibid. n. 1. Ad Concilium Generale vocari debet, & quale in eo habeat votum? ibid. Ejus juriſdictio ad quæ ſe extendat de jure communi? ibid. num. 3. Ejus authoritas limitata fuit per Capitula Generalia & Conſtitutiones Generales. ibid. Quæ ut Judex Ordinarius præterea poſſit? ibid. n. 4. 5. & p. ſeq. n. 6. Et quæ non poſſit? ibid. n. 13.

Miniſter Provincialis, Cuſtos, Diffinitores, & Guardiani confirmantur à Præſide Capituli. pag. 69. n. 14. Miniſter Provincialis in noſtro Ordine ob quas cauſas poſ-

ſit extra Capitulum renunciare ſuo officio? p. 85. Quibus renunciatio facienda? ibid. Præſidebit tamen in electione Vicarij Provincialis ſi voluerit; & ſi non, ad quem tunc hæc devolvatur? ibid. Miniſtri & Vicarij Provincialis obligatio. ibid. n. 6. Eorundem negligentia quomodo ſupplenda? ibid. n. 7. Miniſter Provincialis eſt Ordinarius Judex ſuæ Provinciæ habens juriſdictionem ordinariam in omnes Fratres & Moniales ſubjectas. pag. 161. n. 10. Ut ordinarius Judex de Jure communi quid poſſit? ibid. n. 11. Quid præterea poſſit ſecundùm Ordinis Conſtitutiones? ibid. & pag. 162. n. 12. Et quid non poſſit? ibid. n. 13.

Minorennes quando nec agere nec conveniri poſſint in Judicio, & quando poſſint? p. 216. Minorennes & Eccleſia in quibus æquiparentur? p. 202. c. 3. n. 4.

Miſſa audiri poteſt in quacunque Eccleſia ad ſatisfaciendum præcepto. p. 155. c. 11. n. 5. Miſſæ auditioni qualiter oporteat adeſſe, ut ſatisfiat præcepto. pag. 254. n. 12. Ab auditione Miſſæ non excuſantur proles ſeptennes rationis capaces. ibid. n. 13. Auſcultans duas partes Miſſæ diſparato tempore ſatisfacit. ibid. n. 14. Quas partes Miſſæ omittendo non ſatisfaciat præcepto? ibid. n. 15. & 16. Quæ intentio & attentio requiratur ad eandem? ibid. n. 17. 18. & 19. Audiens plures partes Miſſæ ſimul à diverſis celebrantibus non ſatisfacit. ibid. n. 20. Bene tamen audiens Miſſam in Eccleſia Regularium. p. 255. n. 21. Qui excuſentur ab auditione Miſſæ? ibid. n. 22. & 23.

Miſſio in poſſeſſionem ex primo & ſecundo Decreto quid? p. 271. c. 1. n. 2. Quomodo & quando Miſſiones in poſſeſſionem fiant? ibid. c. 2. n. 1. 2. & 3. & pag. 272. n. 4. 5. 7. & 8.

Moniales tenentur præſtare obedientiam ſuæ Abbatiſſæ ſeu Præfectæ. pag. 173. n. 7.

Mos dupliciter ſumitur. pag. 23. cap. 4. num. 3.

Mulieres quæ invitæ poſſint trahi in judicium, & quæ non? p. 216. c. 3. n. 2. & 3.

Mutua petitiones quid? p. 236. c. 1. n. 2. An in mutuis petitionibus concedatur Reo Actorem convenire coram alio Judice? ibid. num. 3. De mutuis petitionibus non poteſt declinare Actor Judicem eundem Reo implorato, nec ſe tueri exceptione fori incompetentis. pag. 237. c. 1. n. 4. Mutua petitio habet locum in omnibus cauſis jure non prohibitis. pag. 237. n. 1. Mutua petitio non habet locum in cauſis criminalibus; nec in executivis; nec in cauſis appellationum, ſpolij, ac quibuſdam alijs. p. 237. & 238. ſub varijs num. Qua ratione mutua petitio faveat Laico Reo contra Clericum in cauſa merè civili? pag. 238. num. 10. Mutua petitio quo tempore poſſit institui? p. 238. n. 1.

N.

Negligentia ſupplenda Prælatorum quid ſit? p. 86. c. 1. n. 2. Qui per Prælatos hìc intelligantur? ibid. Horum negligentia varijs modis contingere poteſt. ibid. num. 3. Etiam variè poteſt ſuppleri. ibid. num. 4. Quas pœnas incurrant negligentes in conferendis Prælaturis, dignitatibus, & beneficijs? ibid. n. 1. & pag. 87. n. 2. 3. & 8. Poteſtas ſupplendi dictam negligentiam devolvitur ab uno ad alium Superiorem, & gradatim ad Papam, cujus eſt omnium negligentias ſupplere. ibid. n. 1. & 2. Certæ negligentiæ à certis ſupplendæ. n. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Negligentiam Epiſcopi per Archi-Epiſcopum univerſaliter non poſſe ſuppleri probabilius eſt, ſed in certis tantùm caſibus à jure ſpecificatis. ibid. n. 10. Eam tamen ſupplere Sum. Pontifex quomodo poſſit? p. 88. n. 11. Negligentia Prælatorum Ordinis noſtri quomodo ſupplenda? ibid. c. 3. per totum.

Nominandi poteſtas apud quos reſideat? pap. 46. n. 2. Nominando poteſt Summus Pontifex Prælatos Ordinis Seraphici præficere. ibid. c. 6. n. 3. Nominare ſibi ſucceſſorem Epiſcopus non poteſt. ibid. n. 3. Nominatio ad Prælaturam & dignitatem Eccleſiaſticam quid ſit? p. 45. c. 5. n. 1.

Notarij creandi conditiones. p. 297. n. 7. Notarij Pontificij authoritas quæ? pag. 298. num. 8.

Novitius etſi non poſſit eligi in Prælatum, poteſt tamen à Papa poſtulari. p. 71. num. 7. Novitij à quibus caſibus & cenſuris abſolvi poſſint à ſuis Prælatis Regularibus? p. 157. n. 9. An abſoluti poſtea à Religione recedentes in illas cenſuras reincidant? ibid. num. 10.

O.

Obedientia in tribus conſiſtit. pag. 172. c. 6. n. 1. Hæc regulariter à minori præſtanda eſt majori, non tantùm in juſtis, ſed & in dubijs. p. 173. n. 2. Quando quis non teneatur obedire? ibid. n. 3. Obedientia debetur potius proximo Superiori quàm remotiori. ibid. n. 4. Omnes Chriſti fideles quicunque debent obedire Summo Pontifici, & Epiſcopis ſuis Ordinarijs in ſpiritualibus;

Digitized by Google

libus; niſi ſpeciali privilegio vel conſuetudine in aliquibus caſibus ſint exempti. ibid. n. 5. Contumaciter inobedientes Epiſcopo vel alijs Prælatis Eccleſiaſticis quomodo debeant ad obedientiam compelli? ibid. n. 8. Obedientiam præſtare tenentur Regulares viri ſuis Superioribus. p. 173. n. 7. Obedientiam quibus præſtare teneantur Fratres Minores? p. 174. cap. 7. n. 4. Inobedientes quàm graviter puniantur? ibid. n 5.

Obligationes Prælatorum Ordinis noſtri Franciſcani ſunt graviſſimæ. pag. 88. c. 3. num. 1.

Oleum Sacrum pro peragenda unctione externa eſt duplex; aliud Cathecumenorum, & aliud infirmorum. p. 102. c. 1. n. 4. Utrumque confici debet à ſolo Epiſcopo. ibid.

Ordinarius Judex unde dictus? p. 141. c. 1. n. 1. Ejus deſcriptio. ibid. n. 2. Unde ſuam Juriſdictionem ordinariam accipiat? ib. n. 3. An Prælatus ordinarius Papâ inferior alteri Juriſdictionem ordinariam dare poſſit? ibid. n. 4. Qui non poſſint conſtitui Judices Ordinarij? ibid. c. 2. n. 1. Quinam hodie ſint Judices Ordinarij? p. 142. c. 3. n. 1 & ſeq. Ordinarij Judices in Ordine noſtro Franciſcano qui, quid poſſint, & non poſſint? p. 159. c. 13. per totum.

Ordinarius quid poſſit in ſupplenda negligentia Prælatorum Regularium ſubjectorum & exemptorum? p. 87. n. 6. Et in multis alijs cauſis procedere poteſt, ut Sedis Apoſtolicæ delegatus. ibid. n. 7.

Ordo ſeu *Ordinatio* dupliciter uſurpatur. p. 89. c. 1. n. 1. Ejuſdem deſcriptio. ibid. n. 2. & 3. Eſt propriè dictum Sacramentum à Chriſto inſtitutum. p. 90. n. 4. Septem communiter recenſentur Ordines. ibid. n. 5. Sunt vera Sacramenta. pag. 91. n. 11. Quilibet Ordo imprimit ſuum characterem ſpecie diſtinctum. ibid. n. 12. Et quidem in anima Sacerdotis imprimitur duplex character. p. 92. n. 7. Ex Ordinibus quidam vocantur Majores & Sacri, quidam Minores & non ſacri. p. 91. num. 13. Singulorum Ordinum definitiones. ibid. c. 2. n. 1. eorum munera. ibid. n. 2. Materiæ & formæ pro ſingulis Ordinibus quæ? p. 92. n. 3. & ſeq. Materia alia eſt remota, alia proxima. ibid. num. 5. Probabiliter ad valorem Sacramenti etiam ſufficit inſtrumentorum materialium contactus moralis. p. 93. n. 11. Solus mas eſt capax recipiendi Ordines. ibid. c. 3. n. 1. Ante uſum rationis validè quidem, ſed illicitè ordinatur quis in Minoribus. ibid. n. 2. Quæ ætas requiratur pro ſingulis Ordinibus? ibid. n. 3. Anni præſcripti inchoati ſufficiunt. ibid. num. 4. Pro Minoribus ætas taxanda relinquitur judicio Ordinarij, infans tamen non debet ordinari. ib. Aliæ Ordinandorũ qualitates quæ? p. 94. n. 5. Ordinandus debet habere titulum congruæ ſuſtentationis. ibid. n. 2. Inſufficiens ſuſtentatio ſuppleri poteſt per patrimonium. ibid. n. 8. Ejus ſufficientia taxatur judiciô Epiſcopi. ibid. Ordinatus titulô patrimonij poteſt illud alienare, quando ſufficiens beneficium obtinet. ibid. Religioſis verò profeſſis pro titulo ſufficit voluntaria paupertas. ibid. n. 7. Promotus cum titulo ficto an incurrat ſuſpenſionem? ibid. num. 9. Quo tempore ſinguli Ordines conferri poſſint? ibid. n. 10. Certa etiam interſtitia temporum ſunt obſervanda. ibid. n. 11. Ordinationis Miniſter proprius & ordinarius eſt Epiſcopus. ibid. c. 4. n. 1. Minores Ordines ex delegata poteſtate poſſunt conferri à non Epiſcopo, etiam à ſimplici Sacerdote ex Papæ commiſſione ſpeciali. p. 95. c. 4. n. 2. Ordinationis effectus qui? ibid. num. 5. Sacris Ordinibus jure Eccleſiaſtico annexa eſt continentia. ibid. num. 6. Si quis verò ordinaretur in infantia, vel ante pubertatem; vel per metum juſtum & gravem, non teneretur ad caſtitatem. ibid. n. 7. Et hæc continentia juſtiſſimis de cauſis potuit ab Eccleſia Sacris Ordinibus annecti. ibid. n. 8. Suſcipientes Ordines Majores ab Epiſcopo qui renunciavit & loco & dignitati Epiſcopali, validè quidem ordinantur, privantur tamen executione Ordinum. p. 98. n. 4. & 5. Secus ſi Minores duntaxat ſuſceperint. ibid. Ordinati ab Epiſcopo excommunicato recipiunt quidem characterem, & validè ordinantur, ab executione tamen Ordinum ſuſpenduntur. p. 99. c. 2. num. 1. Qui Ordines ſint requiſiti procertis dignitatibus & beneficijs Eccleſiaſticis? p. 101. c. 3. n. 1. & ſeq. An Ordinem aliquem iterantes incurrant irregularitatem? p. 106. c. 2. n. 2. In Ordinatione Presbyteri quæ impoſitio manuum ſit quid eſſentiale, & quæ non? ibid. n. 4. In Ordinibus ſuſcipiendis quid poſſint Prælati Ordinis noſtri, & alij Regulares cum ſuis ſubditis? p. 95. c. 5. n. 1. & 2. Et quibus diebus poſſint ordinari Regulares? ibid. n. 2.

P.

Pacti originatio. p. 178. c. 1. n. 1. Ejus deſcriptio. ibid. n. 2. Pactum quomodo differat à contractu & tranſactione? ibid. c. 2. n. 1. Ali-

n. 1. Aliud eſt publicum, aliud privatum, aliud expreſſum, aliud tacitum. ibid. n. 2. Aliæ Pacti diviſiones. ibid. n. 3. Tandem Pactum aliud eſt veſtitum, & aliud nudum. ibid. n. 4. Pacta veſtiuntur quinque modis. ibid. n. 5. Qui paciſci poſſint, & qui non? p. 179. c. 3. n. 1. 2. & 3. Nemo alteri regulariter, ſed ſibi tantùm paciſci poteſt. ibid. n. 5. De quibus rebus Pacta iniri poſſint, & de quibus non? ibid. n. 4. 6. & 7. Pacta legitimè celebrata inter Chriſtianos debent ſervari. ibid. n. 8. Eorum forma pendet ex conſenſu & voluntate paciſcentium. p. 180. n. 9. Ex Pacto nudo qui oriantur effectus? ibid. n. 10.

Pallij deſcriptio. pag. 79. c. 1. n. 2. Quid illud ſignificet? ibid. num. 3. A quo, & quibus conferatur? ibid. n. 4. Qualem conferat Pontificalis Officij plenitudinem? ibid. n. 5. Qui eô uti ſoleant? ibid. c. 2. n. 1. Solus Summus Pontifex eô ſemper & ubique in Miſſarum ſolemnijs uti poteſt. pag. 80. c. 2. n. 2. Quid in eo denotet? ibid. Quando & ubi alij eô uti poſſint? ibid. Poteſt cum Archi-Epiſcopis & Patriarchis Papa diſpenſare, ut etiam extra ſuam Eccleſiam & Provinciam, eô uti valeant. ibid. n. 3. Quando ejus uſus omittendus? ibid. Ejus figura; ejuſdemque myſtica ſignificatio. ibid. num. 4. Intra quot menſes dictum Pallium Archi-Epiſcopus petere teneatur? ibid. c. 3. num. 1. Et quid priùs antequam accipiat præſtare teneatur? ibid. Pallium accipiens major fit omnibus Epiſcopis illius Diœceſis ſibi ſubjectis. ibid. n. 3. Eſt merè perſonale. ibid. n. 2.

Papa unde dictus? pag. 142. c. 4. num. 1. Diverſis vocatur nominibus à diverſis. ibid. Pollet ſummâ poteſtate & juriſdictione ſpirituali in omnes Chriſti fideles. ibid. n. 2. Quid poſſit? p. 143. cap. 4. n. 3. A nemine poteſt judicari, nec in Judicijs ut ſuſpectus recuſari; nec ab eo appellari poteſt. ibid. n. 4. A ſententia Papæ ad Concilium Generale appellantes quid incurrant? ibid. Papæ Electores qui olim, & qui nunc? pag. 75. n. 2. In caſu aliquo fatali qui eſſent? ibid. n. 3. Ejus electio quatuor modis legitimis celebrari poteſt; ille tamen per ſcrutinium & ſchedulas ſecretas eſt uſitatior. ibid. n. 4. Ut ejus electio ſit canonica duæ partes Cardinalium ex tribus concurrere debent. ibid. Et fieri debet in Conclavi clauſo. ibid. Si adſit incluſiva votorum ſtatim promulgatur ejus electio, & inthronizatur: ibid. num. 5. Canonicè electus ſi non ſit Epiſcopus conſecratur à Cardinali Oſtienſi. pag. 76. n. 6. Sed à nullo confirmatur. ibid. Imponitur tamen illi triregnum, & quid illud denotet? ibid. Ad ejus electionem non ſunt neceſſariò vocandi Cardinales abſentes; ſed tantùm expectandi per decem dies. ibidem. Canonicè electus & præconizatus quantam acquirat poteſtatem ſpiritualem & temporalem? ibid. n. 7. Ejus nominis mutatio non eſt de obligatione. ibid. n. 8. Papa eſt dignitate major Imperatore. p. 169. c. 2. n. 1. Omnibus pariter Prælatis & Miniſtris quarumcunque Eccleſiarum. p. 170. c. 2. n. 3.

Parochi ſeu Plebani nomine quis intelligendus ſit? pag. 155. c. 11. n. 1. Parochus ſeu Plebanus habet juriſdictionem ordinariam in foro interno tantùm, non verò in foro externo. ibid. n. 2. & 3. Ratione ſui Officij quas habeat obligationes? ibid. n. 4. & 5.

Patriarcha unde derivetur? p. 143. c. 5. n. 1. Quot olim fuerint, & quot nunc ſint? ibid. Patriarchæ quatuor principales ex privilegio Papæ quid olim potuerint? pag. 79. c. 1. n. 4. Quæ Provinciæ ijſdem olim ſubjectæ fuerint? p. 143. c. 5. n. 2. Habent ordinariam juriſdictionem in Archi-Epiſcopos & Epiſcopos ſibi ſubjectos. ibid. n. 3. Quid poſſint? ibid. Ratione officij ſunt majores alijs Clericis infra Cardinales. p. 171. c. 4. n. 1. Patriarcha reipſa idem eſt quod Primas. p. 143. c. 5. n. 4.

Pax unde derivetur? pag. 175. c. 1. n. 3. Ejus deſcriptio. ibid. n. 4. Pax ob juſtam & gravem novam cauſam violari & frangi poteſt, & novum indici bellum. pap. 176. num. 4.

Peregrinans ad Sedem Apoſtolicam quis cenſeatur? p. 346. n. 2. Ejus privilegia. ib. n. 3. & 4.

Peregrini, vagi Laici repellendi ſunt à ſuſceptione Ordinum. p. 118. c. 1. n. 3.

Petitio mutua vide verb. *Mutua Petitio.*

Pluspetitio deſcribitur. pag. 256. c. 1. n. 2. Quatuor modi quibus committuntur Pluspetitiones. ibid. n. 3. 4. & 5. Quæ ſint pœnæ pluspetentium? pag. 257. c. 2. n. 1. 2. 3. 4. & 5.

Pœnæ inobedientium in Ordine noſtro Franciſcano quæ? p. 174. c. 7. n. 5.

Pœnitentiarius in Eccleſia Cathedrali cujus debeat eſſe ætatis? p. 100. n. 10. Et cujus doctrinæ? p. 101. c. 2. n. 4.

Poſitiones quid? p. 240. c. 3. n. 1. Eædem debent eſſe breves & claræ. ibid. n. 3. Debent continere ea tantùm, quæ ſunt facti, & porrigi mediante juramento. ibid. n. 4.

Poſſeſſio

Digitized by Google

Poſſeſſio varias habet uſurpationes. p. 258. c. 1. n. 2. & 3. Diſtinctio Poſſeſſionis & quaſi Poſſeſſionis. ibid. n. 4. Poſſeſſio Juris deſcribitur. ibid. n. 5. Similiter Poſſeſſio facti. p. 259. num. 6. Ejus privilegia ſpecialia. ibid. n. 7. Quid ſit Poſſeſſio civilis & naturalis? ibid. n. 8. Poſſeſſionis diſtinctio varia à Proprietate. ibid. n. 9. Qualiter apprehenſione vera Poſſeſſio rerum acquiratur? ibid. c. 2. n. 1. Et qualiter apprehenſione ficta? p. 260. num. 2. Et quomodo legis diſpoſitione? ibid. n. 3. Quæ requirantur ad hoc ut Poſſeſſio rerum incorporalium acquiratur? ibid. n. 4. Quot modis amittatur Poſſeſſio? ibid. n. 5. Quid ſint judicia poſſeſſoria, remedia poſſeſſoria, & interdicta? Item quid interdictum *Poſſeſſionis adipiſcendæ*, *Poſſeſſionis retinendæ*, & *recuperandæ*? ibid. c. 3. num. 1. Qualiter agatur remedio Poſſeſſorio *adipiſcendæ*? ibid. n. 2. Et qualiter remedio poſſeſſorio *retinendæ*? pag. 261. num. 3. Et remedio poſſeſſorio *recuperandæ*? ibid. n. 4. & 5. Poſſeſſionis & Proprietatis cauſæ, qua ratione ſint tractandæ? p. 262. c. 5. n. 1. 2. 3. & p. 263. n. 4. 5. 6. & 7.

Poſtulatio bifariè ſumitur. pag. 42. c. 1. n. 2. Alia eſt ſolemnis, alia non ſolemnis. ib. num. 3. Ejuſdem ab Electione differentiæ. ibid. n. 4. Quæ perſonæ poſtulari poſſint ad Prælaturas & Eccleſiaſticas dignitates, & quæ non? pag. 43. c. 2. num. 1. & ſeq. Poſtulare legitimè qui poſſit? p. 44. c. 3. n. 1. & ſeq. Poſtulatio quando alterari poſſit, & quando non? ibid. n. 3. Et quando reſcindi debeat? ibid. n. 4. Etiam extraneus idoneus poſtulari poteſt. p. 45. n. 5. Si Poſtulatio concurrat cum Electione, quæ pars Capitularium ſufficiat pro legitima Poſtulatione? ibid. n. 6. Et ſi Poſtulatio ſit legitima, adhuc eam ſuperior rejicere poteſt. ib. n. 7. Poſtulandi formæ à jure reprobatæ. p. 45. c. 4. n. 1. Ad ſolemnem Poſtulationem quid requiratur? ibid. n. 2. Poſtulantes indignum quid incurrant? ibid. n. 3. Per Poſtulationem Capituli Provincialis, & diſpenſationem Summi Pontificis poteſt in Ordine S. Franciſci in Miniſtrum Provinciæ aſſumi extraneus Pater, aliàs qualificatus. p. 46. c. 6. n. 2. Quamvis regulariter extranei excludantur. ibid. n. 1.

Poſtulare, ut eſt idem quod advocare, quid ſit? p. 183. c. 1. n. 3. Poſtulantes vide *Advocati*.

Præcedentia Ordinum Regularium habet quandam ſpeciem Majoritatis. pag. 172. c. 5. n. 4. Quomodo ea attendenda? ib. Quid de præcedentia Confraternitatum Laicorum? ibid?

Præficiendi certis dignitatibus & beneficijs Eccleſiaſticis quam regulariter debeant habere ætatem? pag. 99. c. 1. num. 2. & ſeq. Quas præterea qualitates? p. 100. c. 2. n. 2. & ſeq. Et quos Ordines? p. 101. c. 3. n. 1. & ſeq. Præficiendi certis dignitatibus & Officijs in Ordine noſtro quam ætatem & quas qualitates habere debeant? p. 69. n. 12.

Prælati Regulares exempti confirmantur à Papa; non exempti ab Epiſcopis. pag. 71. Prælati Regularium confirmati, ſive ſint exempti à juriſdictione Ordinariorum, ſive non, obtinent Epiſcopalem vel quaſi Epiſcopalem juriſdictionem ordinariam in ſuos ſubditos Regulares. pag. 156. c. 12. num. 1. In quibuſdam tamen caſibus ſubjiciuntur Epiſcopo. ibid. n. 2. Dicti Prælati præfatam juriſdictionem obtinent etiam reſpectivè in foro externo. ibid. num. 3. Vi ſuæ Juriſdictionis quid circa ſuos ſubditos poſſint? ibid. & num. 4. A quibus caſibus & cenſuris eoſdem poſſint abſolvere? ibid. n. 5. 6. & 7. Poſſunt facultatem abſolvendi tam intra quàm extra Sacramentum exercere, eamque delegare cuicunque Confeſſario Regulari. p. 157. n. 12. Poſſunt etiam ſibi reſervare aliquos caſus. ibid. num. 13. Quomodo Prælati Regulares poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis in quibuſdam obſervantijs Regulæ & Conſtitutionum? pag. 158. n. 16. Capaces bonorum habent poteſtatem dominativam liberam regendi monaſteria in temporalibus. ibid. n. 19. Prælati ſæculares & Regulares quadam majoritate affecti ſunt. pag. 172. c. 4. n. 4. Prælatorum Ordinis noſtri Franciſcani ſunt graviſſimæ obligationes. p. 88. c. 3. n. 1.

Præpoſiti, Decani, & alij Prælati minores Eccleſiarum Collegiatarum aut aliarum ſæcularium, quam ſortiantur juriſdictionem reſpectu ſuorum ſubditorum? p. 154. n. 12. Gradus Præpoſitorum & Decanorum in quibus Eccleſijs potiſſimè vigeat? ibid. n. 13. Et quod eorum officium ſit? ibid.

Præſcriptio quid? p. 318. n. 2. Ejus praxis viget in utroque jure. ibid. n. 4. Et habet vim etiam in foro interno. ibid. n. 5. Variæ conditiones ad Præſcriptionem legitimam. p. 319. c. 2. n. 1. Et primò aptitudo rei requiritur. ibid. n. 2. Deinde poſſeſſio. ibid. n. 3. Et quidem continua. ibid. n. 5.

Digitized by Google

Et bona fides. ibid. c. 3. n. 1. 2. Et pag. 320. num. 3. 4. 5. & 6. Præterea neceſſarius eſt titulus juſtus. ibid. c. 4. n. 1. Et ſufficit tam verus quàm putativus & coloratus, imò & quandoque præſumptus. pag. 321. num. 3. Requiritur quoque certum tempus à Jure taxatum quod eſt varium. ibid. c 5. n. 1. 2. 3. Et pag. 322. num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. Quæ res ſint aptæ ad præſcribi & quæ non? pag. 323. c. 6. n. 1. 2. & 3. Variæ reſolutiones circa Præſcriptionem. ibid. c. 7. n. 1. Et pag. 324. per totum.

Præſumptionis deſcriptio. p. 301. num. 2. Varia ejuſdem partitio. ibid. num. 3. 4. & 5. Quid probent Præſumptiones? pag. 302. à n. 1. uſque ad 11. incluſivè. Variæ reſolutiones circa Præſumptiones. p. 303. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Et pag. 304. n. 8. 9. & 10. Agitur de Præſumptionibus pro foro Franciſcano. pag. 304. num. 1. 2. & 3. Et pag. 305. n. 4. & 5.

Presbyter & Epiſcopus quomodo idem ſint? & quomodo non? p. 90. n. 8.

Primas per quid differat ab Archi-Epiſcopo? pag. 80. c. 3. n. 3. Olim erant idem & nunc ſunt in quibuſdam Provincijs. ibid. Qualem habeant juriſdictionem? ibid. Primas reipſa idem eſt quod Patriarcha. p. 143. c. 5. n. 4. Qui hodie per eoſdem intelligantur, & quæ eorum poteſtas? ibid. Ratione Officij gaudent quadam majoritate reſpectivè. p. 171. c. 4. n. 2.

Primicerij nomen unde, & quis talis dicendus? p. 121. c. 1. n. 1. Is alijs etiam nominibus appellatur. ibid. Ejuſdem munus à jure conſtitutum quod? ibid. n. 2 Et quid ad eum non petineat? ibid. n. 3. Gaudent quadam majoritate. 172. c. 4 n. 4.

Privilegium fori Eccleſiaſtici exemptivũ Clericorum à poteſtate laica fundatur in lege naturali & divina. pag. 229. n. 12. Hoc privilegiô gaudent quoque Religioſi & Religioſæ. ibid. n. 8. In quibus caſibus Clerici hujuſmodi Privilegium amittant? ibid. n. 9. Qui de familia Clericorum participent de Privilegio Fori Eccleſiaſtici. ibid. n. 11. An & quando Clerici conjugati hoc Privilegiô gaudeant? ibid. n. 10. Quid dicendum de eorundem uxoribus? ibid.

Probatio in genere deſcribitur. pag. 280. num. 2. Varia ejus diviſio. p. 281. n. 3. 4. & 5. Onus producendi Probationes cui incumbat? ibid. c. 2. n. 1. 2. 3. 4. & 5. Et pag. 282. n. 6. & 7. Quomodo poſſint negationes probari? ibid. n. 8. Quo pacto inſtituendæ ſint Probationes? ibid. n. 1. & 2. Probationum effectus quis? p. 283. n. 3. & 5. Et quis finis earum? ibid. n. 6. Variæ reſolutiones circa Probationes. ibid. n. 7. & 8. Et cap. 4. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Et pag. 284. n. 7. 8. 9. 10. 11. & 12.

Procurator unde dictus? pag. 168. c. 1. n. 2. Ejuſdem deſcriptio. ibid. n. 3. Procuratores ſunt varij. pag. 187. n. 4. & ſeq. Qui conſtitui poſſint Procuratores? ibid. c. 2. n. 1. 3. & 4. Ad ſubſiſtentiam Procuratoris quid requiratur? p. 188. c. 2. n. 2. Ejus munus vel uni tantùm vel pluribus conferri poteſt. ibid. n. 5. Qui prohibeantur à legibus tum civilibus, tum canonicis conſtitui Procuratores? ibid. c. 3. num. 2. & ſeq. Quando Religioſi & Clerici ſæculares poſſint agere Procuratores? pag. 189. n. 8. & 9. Quinam poſſint conſtituere Procuratores, & qui non? ibid. c. 4. n. 1. & ſeq. Super quibus cauſis poſſint conſtitui Procuratores? p. 190. c. 5. num. 1. & 2. Et ſuper quibus non? ibid. n. 4. Procurator ut admittatur in Judicio, debet mandatum Procuratorium legitimum à ſuo Domino factum producere. ibid. c. 6. n. 1. An quandoque ſine tali mandato admitti poſſit? ibid. n. 2. & 3. Debet diligenter ſervare fines mandati. ibid. n. 4. Ut mandatum dictum ſit legitimum quæ continere debeat? ibid. n. 5. Procuratoris gravis obligatio. p. 191. c. 7. num. 1. An & quando contra eum Dominus agere poſſit? ibid. n. 2. Quando Procurator alium loco ſui poſſit conſtituere? ibid. num. 5. Conſtitutus cum generali mandato ad negotia, quid agere poſſit, & quid non? idid. n. 6. & ſeq. Legitimè conſtitutus etiam appellare poteſt. pag. 192. c. 7. n. 8. Quomodo & quando finiatur Officium Procuratoris? ibid. c. 8. n. 1. & ſeq. Quales exceptiones quandoque formari & opponi poſſint contra Procuratorem? ibid. n. 8. Procuratores in Ordinè noſtro Franciſcano in triplici ſunt differentia; alius vocatur Procurator Generalis Ordinis, alius Commiſſarius Generalis Curiæ, & alius Procurator Generalis Reform. apud Curiam Apoſtolicam. p. 193. c. 9. n. 1. A quo inſtituantur? ibid. n. 2. Quod eorum munus? ibid. n. 3. & 4. Et quam diu duret eorum officium? ibid. n. 5. Procuratores Generales & Commiſſarij Curiæ Apoſtolicæ Ordinis noſtri ſunt ordinarii Judices Apoſtatarum ad eos Romam recurrentium. p. 161. n. 9. & pag. 193. c. 9. n. 4. Procurator Electoris abſentis quando & qualis conſtituendus? p. 50. n. 17.

Digitized by Google

n.17. Habens duo vota, quomodo votare poſſit & debeat? ibid. n. 18.

Pro-Miniſtri in Ordine Franciſcano mittendi ad Comitia Generalia eligi debent per ſchedulas ſecretas. p. 67. c. 8. n. 2.

Proprietas ſeu Dominium deſcribitur. p. 261. n. 2. Ad ejus acquiſitionem requiruntur Titulus & Traditio. pag. 262. num. 3. Proprietatis & Poſſeſſionis cauſæ quâ ratione ſint tractandæ? pag. 262. c. 5. n.1. 2. & 3. Et p. 263. n. 4. 5. 6. & 7.

Protocollum facit plenam fidem. pag. 298. num 11.

Protonotarius unde dictus? pag. 172. c. 5. n. 1 Alii vocantur participantes, alii non participantes. ibid. n. 1. & 2. A quo primitùs conſtituti, & quibus gaudeant privilegiis? ibid.

Provinciales Ordinum gaudent quadam majoritate. pag.122. c. 4. n.4.

R.

Ad *Ratiocinia* obligati varij. pag. 112. c. 1. n. 1. Ex his quidam ordinari nequeunt. ibid. num. 2. Quidam verò poſſunt. ibid. n. 3. & 4.

De *Recuſationibus*. pag.343. per totum capitulum.

Regulæ Cancellariæ Apoſtolicæ quid, quot illarum, & quis earum Author? pag. 23. c. 5. num. 1. An & quamdiu obligent? ibid. n. 2. & 3.

De *Relationibus*. p. 344. per totum cap.

Religioſus alterius Ordinis poteſt à Papa poſtulari in Prælatum Religionis diverſæ. p. 71. n. 7. Religioſus non poteſt præfici alicui Eccleſiæ Cathedrali abſque expreſſa licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicæ. ibid. n. 10. Nec Religioſus mendicans acquirit ullum jus ex electione, poſtulatione, vel alia proviſione ad Prælaturam extra ſuum Ordinem, in diſcordia facta. ibid. n. 11. Neque talis abſque expreſſa licentia ſpeciali Papæ aſſumi poteſt ad aliquam dignitatem Epiſcopatu inferiorem. ibid. n. 12.

Renunciatio quid? pag. 81. c. 1. n. 2. & 3. Alia eſt tacita, alia expreſſa. ibid. num. 4. Expreſſa alia eſt pura, alia conditionalis. ib. num. 5. Ut aliqua ſit valida requiritur acceptatio Superioris Eccleſiaſtici. pag. 82. c. 2. n. 1. Sine cujus conſenſu dimittens compelli poteſt ad beneficium reaſſumendum. ibid. Debet etiam fieri ex cauſa gravi & ſufficienti. ibid. n. 2. Tales cauſæ ſunt ſex. ib. n. 3. & ſeq Renunciationes conditionales coram ſolo Papa poſſunt inſtitui. p. 84. c. 5. n. 5. & ſeq. Puræ verò & ſimplices coram Ordinariis. ibid. n. 4. Coram quibus etiam fieri debent, & non poſſunt pro privato cujuſvis arbitrio inſtitui. ibid. c. 6. num. 1. Renunciationis admiſſæ effectus quis? p. 85. n. 3. Renunciare poteſt Epiſopus ſuo Epiſcopatui duobus modis. p. 98. c. 1. n. 1. Qui renunciavit Epiſcopatui quoad locum tantùm, quos validè & licitè ordinariè poſſit? ibid. n. 2. Et quos non? ibid. num. 3. Qui verò & loco & dignitati Epiſcopali ſimul renunciavit, non poteſt ampliùs ullos Ordines majores licitè conferre. ibid. n. 4. Renunciare in Ordine noſtro Franciſcano extra Capitulum qui poſſint? p. 85. c. 7. n. 1. & ſeq.

Reſcriptum generaliter ſumptum quid? pag. 32. c. 1. n. 1. Et quid Canonicum? ib. n. 2. Reſcripti Canonici clauſulæ conditionales. pag. 32. c. 1. & 2. In Reſcriptis ſervandus eſt Ordo forma & modus. pag. 33. c. 3. n. 1. Reſcriptorum varii modi. p. 33. c. 4. n. 1. 6. & 7. In duorum Reſcriptorum concurſu quodnam ſit validum? ibid. num. 2. & ſeq. Reſcripta invalida quæ? p. 34. c. 5. n. 1. Quæ vitiata & falſa? p. 35. n. 10. & ſeq. Et quæ ſuſpendi poſſint? p. 36. n. 13. Reſcripta Apoſtolica quinam impetrare poſſint? p. 36. c. 6. n. 1. Et qui non? ibid. n. 3. Reſcripta Pontificia quando expirent? ibid. c. 7. n. 1. Et eorum executio quibus committi debeat? ibid. n. 2.

Reſtitutionis in integrum deſcriptio. pag. 201. c. 1. n. 4. Ly Reſtituere dupliciter uſurpatur. ibid.n.3. Ut reſtitutio in integrum ritè inſtitui valeat, quæ requirantur conditiones? ibid. c. 2. n. 1. & ſeq. Quibus concedi poſſit beneficium Reſtitutionis in integrum? p. 202. c. 3. n. 1. & ſeq. Quibus de cauſis non detur minori Reſtitutio in integrum? p. 204. c. 4. n. 1. & ſeq. Reſtitutio in integrum petenda & peragenda eſt neceſſariò intra quadriennium. ibid. c. 5. num. 1. A quo die memoratum quadriennium incipiat currere & computari debeat? ibid. n. 2. & 3. In quibuſdam caſibus etiam poſt lapſum quadriennium conceditur Eccleſiæ & Reipublicæ Reſtitutio in integrum. p. 205. n. 4. Coram quo Judice peti debeat dicta Reſtitutio? ibid. n. 5. & ſeq. Ad quid hîc obligetur Judex? ibid. num. 10. In implendo beneficio Reſtitutionis in integrum quæ forma ſervanda? ibid. n. 11. Qui ſint ejus effectus? ibid. n. 12.

Reus unde ſic dictus? ejuſque deſcriptio.

Digitized by Google

p. 214. n. 5. Ad quid teneatur, & quid poſſit? ibid. An citatus & copiam libelli à Judice aſſecutus ſtatim reſpondere teneatur? p. 234. n. 15. Reus in Judicio Minoritico quis dicatur, & quomodo cum eo procedendum? p. 221. n. 5.

Ritus quid? p. 22. c. 4. num. 1. Et quam vim habeat? ibid. n. 2.

Rota Romana quid? p. 23. c. 7. n. 1. Et illius deciſiones quantum valeant? ibid. n. 2.

S.

Sacramenti definitio. pag. 105. c. 1. n. 1. Pro ſtatu cujuſcunque Legis fuerunt à Deo ordinata aliqua Sacramenta. ibid. n. 2. In ſtatu Legis Evangelicæ à Chriſto inſtituta fuerunt ſeptem, & quæ illa? ibid. n. 3.. Quæ ex his poſſint iterari, & quæ non? ibid. n. 4. In Sacramentorum non iterabilium adminiſtratione ſi contingat error cœremonialis, quomodo ſupplendus? pag. 106. c. 2. n. 1.

Sacriſta quis dicendus? p. 122. tit. 26. c. 1. n. 1. Unde taliter dictus, & quomodo aliàs vocetur? ibid. Ejuſdem officium. ibid. n. 2. Sacriſtæ quadam majoritate affecti ſunt. p. 172. c. 4. n. 4.

Sanctio Canonica quid? p. 29. c. 1. n. 3.

Scrutatores in electione quot, & qui eſſe poſſint? p. 56. c. 4. n. 5. Et quid præſtare debeant? p. 57. n. 6. & 7.

Scrutinium in Ordine faciendum quid, & quotuplex ſit? p. 96. c. 1. n. 2. & 4. Omnes ordinandi ſcrutinium Epiſcopi ſubire debent. ibid. n. 3. Quando & coram quibus illud inſtituendum? ibid. n. 3. De quibus ordinandi examinari debeant? ibid. c. 2. n. 1. & ſeq. Quæ & quanta literatura requiratur ad ſingulos Ordines? p. 97. n. 4. Si quis abſque prævio ſcrutinio ſe ordinari permittat, quam pœnam incurrat? ibid. n. 6.

Sententiæ SS. Patrum quantam habeant authoritatem? p. 4. c. 4. n. 1.

Sententia Judicialis definitur. p. 325. n. 2. Quid ſententia definitiva & interlocutoria? ib. n. 3. Differentia earundem. ib. n. 4. Quid ſententiæ condemnatoria & abſolutoria? ib. n. 5. Solemnitates ſententiæ definitivæ quæ? p. 326. c. 2. n. 1. 2. & 3. Qualitates requiſitæ ad valorem ſententiæ definitivæ. ibid. c. 3. n. 1. & 2. Et pag. 327. n. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. Effectus ſententiæ definitivæ qui? ibid. n. 1. Et pag. 328. n. 2. 3. 4. & 5. Quando ſententia tranſeat in rem judicatam? ibid. n. 6. Et quando facienda ejus executio? ibid. n. 7. Sententia lata tranſit in rem judicatam, niſi appelletur tempore debito. ibid. c. 5. n. 1. Limitationes circa hoc. ibid. n. 2. Variæ reſolutiones circa ſententiam. p. 329. c. 6. n. 1. 2. & 3. De ſententia in Judicio Franciſcano. ibid. c. 7. n. 1. & 2.

Sequeſtratio fructuum & poſſeſſionum quid ſit? p. 274. c. 1. n. 3. Sequeſtratio alia voluntaria, alia neceſſaria. ibid. n. 4. Sequeſtratio locum habet in rebus corporalibus & incorporalibus, profanis & ſpiritualibus. ibid. n. 5. Quæ ſequeſtratio eſt permiſſa & quæ prohibita? ibid. c. 2. n. 1. & 2. In quibus caſibus Sequeſtratio neceſſaria ſit, permiſſa? ibid. c. 3. n. 1. Et pag. 275. n. 2. 3. 4. 5. & 6. Sequeſtratio quo pacto evitetur? ibid. c. 4. n. 1. Et quæ ejus requiſita? ibid. n. 2.

Servus in jure quis propriè dicendus? p. 111. c. 1. n. 1. Servi varij. ibid. Qui ſervi nequeant ordinari? ibid. n. 2. & 3. Si ſervus inſcio & non conſentiente Domino per fraudem ordinaretur, an eſſet validè ordinatus, & an gauderet privilegiô fori & Canonis? ibid. n. 4. Si ſciente & non contradicente Domino ordinatus fuerit ſervus, evadit liber. p. 112. c. 2. n. 1. Et ſi Epiſcopus ſcienter ſervo contulerit ſacros Ordines ignorante Domino, ad quid Epiſcopus ſit obligatus? ibid. n. 2. Servus tamen ſit liber. ibid. Si verò Epiſcopus bona fide proceſſit, ad quid obligentur illi, qui teſtati ſunt ordinatum non eſſe ſervum? ibid. Servus manumiſſus poteſt ordinari & aſſequi beneficia. ibid. n. 3.

Spoliati deſcriptio. p. 264. n. 2. Spoliati ante omnia ſunt reſtituendi. ibid. n. 3. Præterquam in certis caſibus. ibid. n. 4. Spoliatis etiam ſubvenitur remediô capitis *ſæpe contingit*. p. 266. n. 1. 2. & 5. Spoliato pariter favet remedium ex can. *reintegrandæ*, quod deſcribitur. p. 267. c. 4. n. 1. Spoliatus hôc remediô agere poteſt adverſus omnem poſſeſſorem. ibid. num. 2. Quid ſpoliator, aut alius poſſeſſor reſtituere debeat ſpoliato? p. 267. n. 1. 2. 3. & 4. Interdictô *unde vi* agere poteſt ſpoliatus ad reſtitutionem poſſeſſionis. pag. 265. n. 1. Quibus ſpoliatis competat dictum remedium? ibid. num. 2. & 3. Sed nonniſi intra annum utilem intentari poteſt. ibid. n. 4.

Stylus quid & quotuplex, quidque efficiat? p. 22. c. 2. n. 2. & ſeq.

Syndici Etymologia. p. 194. c. 1. n. 1. Ejuſdem deſcriptio. ibid. n. 2. Syndicus quomodo differat à Procuratore, Actore Univerſitatis, Oeconomo, Adminiſtratore, & Cura-

Digitized by Google

Curatore Civitatis? ibid. n. 3. 4. & 5. Quis conſtitui poſſit Syndicus? ibid. c. 2. n. 1. 2. & 3. Quid requiratur ut Syndicus quis ritè conſtituatur? p. 195. n. 4. & 5. Accepto inſtrumento quam poteſtatem recipiat? ibid. n. 6. Quibus modis ejus officium expiret? ibid. *Syndici Apoſtolici* Ordini noſtro Franciſcano à diverſis Summis Pontificibus proviſi paſſim etiam vocantur Procuratores. p. 195. c. 3. n. 1. Nec ab iiſdem contra Regulam ſed pro puriori ejuſdem Regulæ obſervatione ſunt introducti. ibid. n. 2. Inſtitutio eorundem ad quos pertineat? ib. n. 3. Munus eorum quod? pag. 196. c. cit. num. 4.

T.

Teſtis deſcriptio. p. 285. c. 1. n. 2. Teſtis probans debet eſſe omni exceptione major. ibid. n. 3. Variæ Teſtium differentiæ reperiuntur. ibid. n. 4. A Teſtium munere quæ perſonæ repellantur? ibid. c. 2. n. 1. 2. 3. Et p. 286. n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Et pag. 287. n. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. Et pag. 288. n. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. & 26. Et pag. 289. n. 27. 28. 29. & 30. Quæ ſit forma producendi Teſtes? pag. 289. n. 1. Et admiſſionis eorundem? p. 290. n. 2. Teſtibus deferendum eſt juramentum breve. ib. n. 3 Quod tamen certis perſonis poterit remitti. ibid. n. 4. Teſtes examinandi ſunt à Judice, vel alia perſona diſcreta deputata. ibid. n. 5. & 6. Modus examinandi Teſtes. ibid. n. 7. & 8. Quot Teſtium productiones concedantur? p. 291. n. 10. Et quot faciant plenam probationem? ibid. n. 11. Teſtimonium edi debet in loco Judicij viva voce. ibid. n. 12. Teſtes de ſcientia ſunt maximè idonei. ibid. n. 13. Ut Teſtes plenè probent debent eſſe conteſtes. ib. n. 14. & 15. Quid operentur Teſtes contrarij? ibid. n. 16. & 17. Et quid varij? pag. 292. n. 18. De Teſtibus in Judicio Ordinis S. Franciſci Diverſæ reſolutiones. p. 293. n. 1. 2. 3. 4. & 5. Et p. 294. n. 6. 7. 8. 9. & 10. Qui Teſtes poſſint cogi ad teſtificandum? p. 294. n. 2. & 3. Et qui non poſſint cogi? p. 295. c. 2. n. 1. & 2.

Titulus juridicus quid ſit? p. 262. n. 4. Titulus verus & præſumptus quid? ibid. n. 5. Et p. 321. n. 2.

Tonſura prima non eſt Ordo. p. 91. n. 9. Sine hac tamen nemo eſt capax beneficiorũ Eccleſiaſticorum. p. 102. n. 7.

Ad *Torturam* Minoritæ quæ cauſæ ſufficientes? p. 280. n. 6. Idem convictus non debet ſubjici torturis. ibid. n. 7. Tortura teſtium debet eſſe mitior, quam Rei Minoritæ. ibid. n. 8.

Traditio Theologica quid? p. 21. c. 1. n. 1. Traditiones aliæ Divinæ, aliæ Apoſtolicæ, & aliæ Eccleſiaſticæ. ibid. n. 2. Et an obligandi vim habeant? p. 22. c. 1. n. 3. Traditio juridica deſcribitur. p. 262. n. 4. In quibus caſibus abſque ea ratio Dominij ſubſiſtat? ibid. n. 4.

Tranſactio unde dicta? p. 180. c. 1. num. 1. Ejus deſcriptio. ibid. n. 2. Alia eſt realis, alia perſonalis. ibid. n. 3. Ad quem pertineat partes litigantes ad tranſigendum inducere? ibid. n. 4. Super quibus rebus poſſit fieri tranſactio, & ſuper quibus non? pag. 181. c. 2. n. 1. & ſeq. A quibus poſſit tranſigi? ibid. n. 8. & ſeq. Tranſactionis forma eſt duplex. p. 182. c. 3. n. 1. Effectus verò ejuſdem triplex. ibid. n. 2. Quatuor ex cauſis reſcindi poteſt tranſactio. ibid. n. 3.

Translatio Epiſcopi quid? p. 77. cap. 1. n. 2. Non debet fieri ad minorem aliquam Prælaturam. ibid. n. 3. Nec authoritate privata inſtitui poteſt, ſed ad Summum Pontificem pertinet. ibid. n. 4. Et ſi quis Epiſcopus propriâ authoritate inſtitueret ſui translationem ad aliam Eccleſiam, utrâque carere debet. ibid. Ad hujuſmodi translationem quales cauſæ prærequirantur? pag. 78. n. 5. Communiter fieri debet ad majorem Eccleſiam. ibid. n. 6. Per translationem legitimè authoritate Papæ factam diſſolvitur totaliter Matrimonium inter Epiſcopum & priorem Eccleſiam, & conſequitur jus in alteram. ibid. c. 2. n. 1. Papa etiam invitum legitimè transferre poteſt; translatus tamen conſentire tenetur. ibid. n. 2. Et ſi non conſentiret quid ſequeretur? ibid.

Treuga quale ſit vocabulum, latinè & in foro civili quid ſignificet? p. 175. c. 1. n. 1. Quid ſignificet Germanis? ibid. Ejus deſcriptio pro foro Eccleſiaſtico. ibid. n. 2. Inter Treugam & pacem quod ſit diſcrimen? ibid. n. 3. Treuga eſt duplex, conventionalis, & canonica; & hæc eſt temporalis vel perpetua. ibid. n. 5. Treugâ perpetuâ Canonicâ tempore belli & alio qui gaudeant? ibid. c. 2. n. 1. Et qui temporali? ibid. n. 2. Treugas canonicas temporales abſque juſta cauſa violantes, quas pœnas incurrant? p. 176. n. 3. Treuga & pax ob juſtam & gravem novam cauſam poteſt violari, & novum induci bellum. ibid. n. 4.

SS. Trinitas quid ſit? p. 26. c. 1. n. 1. Et qui articuli circa eandem credendi? ibid. n. 2. & ſeq.

V.

Veſtes Sacerdotales, cum quibus Presbyter degradatus celebravit, an debeant iterum benedici? p. 106. c. 2. n. 5.

Vicarij nomine qui intelligantur? p. 123. c. 1. n. 1. Alij ſunt Vicarij in Divinis, alij Juriſdictionales, alij perpetui, alij temporales. ib. Alij nati, alij dati, alij Vicarij Generales in ſpiritualib⁹, alij in temporalibus, foranei alij &c. ib. n. 2. Vicarius perpetuus à quo nominandus & conſtituendus? ibid. c. 2. n. 1. & 4. Semel ritè inſtitutus nequit à Rectore Eccleſiæ removeri à Vicaria, nec portione Vicariali fraudari. ibid. n. 2. Nequit etiam ſimul duas Vicarias in diverſis Eccleſijs obtinere. Neque poteſt ſibi ſubſtituere alium Vicarium perpetuum niſi ad breve tempus. ibid. n. 3. Ritè inſtitutus quale acquirat jus, & qualem titulum beneficij & poteſtatem? p. 124. n. 5. Non ſacerdos amittit Vicariam, niſi intra annum ſuſcipiat Sacerdotium. ibid. n. 6. In hoc tamen termino poteſt Epiſcopus diſpenſare. ibid. Illius officium finitur iiſdem modis, quibus Parochia; nec morte Rectoris principalis, nec ob ejuſdem depoſitionem Excommunicationem vel ſuſpenſionem ab officio perdit Vicariam ſeu officium. ibid. n. 7. Vicarius verò temporalis juſtis de cauſis removeri poteſt à Vicaria. ibid. c. 3. n. 1. Quæ ſint illæ? ibid. Non habet titulum & jus in Parochiam ſicut Vicarius perpetuus. ibid. n. 2. Quando ejus adminiſtratio expiret. ibid. Nequit ſibi ſubſtituere alium Vicarium niſi cum licentia Ordinarij. ibid. Vicarium temporalem quis conſtituere poſſit? p. 125. c. 3. n. 3. Vicarii Generalis in ſpiritualibus qualitates requiſitæ quæ? ibid. c. 4. n. 2. Poteſt Epiſcopus unum vel plures per ſuam Diœceſim conſtituere, eoſdémque pro libitu amovere. ibid. n. 1. & 4. Etiam Vicarium Generalem in temporalibus inſtituere poteſt. ibid. n. 3. Vicarius Generalis in ſpiritualibus probabiliùs habet juriſdictionem ordinariam ſicut habet Epiſcopus. ibid. n. 5. Quæ tamen ſe non ad omnes prorſus cauſas extendit. p. 126. n. 7. Speciales cauſæ ſpeciale mandatum & conceſſionem requirentes quæ? ibid. n. 7. 8. 9. 10. & 11. Inter quas cauſas ſpeciales non computantur cauſæ matrimoniales. p. 127. n. 12. Poteſtas & juriſdictio Vicarii Generalis tum in ſpiritualibus, tum in temporalibus, quando finiatur? ib. n. 13. Mortuo Epiſcopo Capitulum debet intra octiduum novum Vicarium Generalem conſtituere, vel priorem confirmare. ibid. c. 5. n. 1. Si Capitulum id negligat per quem id fieri debeat. ibid. Vicarius Generalis Capituli Sede vacante eandem habet poteſtatem & juriſdictionem, quam aliàs habet ille Epiſcopi viventis. ib. n. 2. Quomodo revocari poſſit, quando ejus officium expiret, & qualiter novo Epiſcopo rationem ſuæ adminiſtrationis reddere teneatur? ibid. Vicarius Papæ quid poſſit, & quid non? p. 128. c. 8. n. 3. Vicarij Generales Epiſcopi gaudent quadam majoritate. p. 171. c. 4. n. 3. Vicarij in Ordine noſtro Franciſcano diverſi. p. 128. c. 6. n. 1. Vicarium Generalem per electionem canonicam aſſumendum in Familia Ultramontana qui eligere poſſint? ibid. n. 2. Et in Ciſmontana Familia qui? ibid. n. 3. Quæ forma electionis ſervanda? ibid. n. 4. Vicarij Generalis electi in caſu vacantiæ Miniſteriatûs Generalis officium quod? ibid? n. 5. & 6. Et quod officium & poteſtas Vicariorum ſeu Commiſſariorum delegatorum Generalium? p. 129. n. 7. Vicarius Provincialis in caſu vacantiæ Miniſteriatûs Provincialis à quibus eligendus, quæ ejus poteſtas & officium, & quam diu duret? ibid. n. 8. Habet eandem juriſdictionem quam habet Miniſter Provincialis. p. 162. n. 14. Vicarij locales, & qui ſunt in Conventibus non habentibus Superiores quam habeant poteſtatem? ibid. n. 9.

Vis quid ſit? p. 169. c. 1. n. 2. Ejuſdem diviſiones. ibid. n. 3. & 4. Vi conditionali geſta, quæ regulariter ſint valida & obligent, & quæ infirmari poſſint? p. 197. c. 3. n. 1. & ſeq. Actus & contractus vi geſti invalidi qui? p. 198. c. 4. n. 1.

Vitiati corpore quinam cenſendi, & qui ab Ordinibus ſuſcipiendis excludendi? p. 113. c. 1. n. 1. & ſeq. Qui non cenſeantur vitiati, & inhabiles ad Ordines? p. 114. c. 2. num. 1. Pro corpore vitiatis ſolus diſpenſat Papa. ib. c. 3. n. 3. Qui poſt Ordines ſuſceptos ſe mutilavit, ſuſpendi debet ab executione Ordinum. ibid. n. 4.

Unctionis Sacra deſcriptio. p. 102. c. 1. n. 2. Alia eſt externa, alia interna. ibid. num. 3. Pro unctione externa adhibetur oleum ſimplex olivarum priùs benedictum & conſecratum, & Chriſma. ibid. n. 4. Chriſmate unguntur Epiſcopi in capite & manibus; & quid hæ unctiones ſignificent? ibid. c. 2. n. 1.

Oleo

Digitized by Google

Oleo autem benedicto ſimplici unguntur Sacerdotes in manibus. p. 103. c. 2. num. 2. Etiam Imperatores & Reges quidam ungũtur, non in capite, ut olim in veteri Teſtamento ſed in brachio, humero, vel armo. ibid. n. 3. Qui ungantur in capite? ibid. A quo Imperatores & Reges ungendi? ibid. Omnes baptizandi, confirmandi, & omnes demum Chriſtiani morituri unguntur Sacris liquoribus. ibid. n. 4. Similiter Altaria, Eccleſiæ, & calices dum conſecrantur inunguntur. ibid. n. 5. Unctio Extrema eſt verum Sacramentum. p. 104. Quando illud fuerit inſtitutum à Chriſto? ibid. n. 4. Quæ ejus materia & forma? p. 103. c. 3. n. 3. Quæ partes corporis inungantur? ibid. Hujus Sacramenti Miniſter eſt ſolus Sacerdos. ib. An aliquando & quomodo licitè conferri poſſit à pluribus Sacerdotibus? ibid. n. 4. Quibus Fratres Minores & alij Regulares poſſint eam adminiſtrare. p. 104. c. 4. n. 1. & 2. Quam pœnam incurrat, qui eam abſque conſenſu proprij Parochi alicui adminiſtrat? ibid. n. 3. Quid ab hac pœna incurrenda excuſet? ibid. Unguenta extremæ Unctionis & Confirmationis ſunt materiæ omnino diſtinctæ. ibid. n. 6. An aliquando unum pro altero applicari poſſit? ibid.

Vota in Electione ſi in plures diſperſa ſint, quid faciendum? p. 57. n. 8. & p. 58. n. 11. Votorum collatio quomodo inſtituenda? ibid. Votorum majoritas quæ requiratur, ut quis cenſeatur canonicè electus? ib. n. 9. Votorum collatio numeri ad numerum. Zeli ad Zelum, meriti ad meritum quid? ibid. Vota in electione per Scrutinium debent eſſe pura abſoluta & certa. p. 58. n. 12. Quod votum alternativum, quod conditionatum. & quod incertum? ibid. Votare quomodo poſſit & debeat Procurator abſentis Electoris habens duo vota? p. 50. n. 18. Vota ſecreta in Electionibus Regularium quæ? p. 68. n. 4. Per Vota ſecreta in Ordine Franciſcano quinam eligendi? p. 67. c. 8. num. 1. & 3. Votum ſuum ſi unum Eligentium publicè manifeſtet permittente Capitulo Electio eſt irrita. p. 68. n. 4. Votorum majoritas in Ordine Seraphico quæ requiratur ut Electio ſit canonica? ibid. n. 5. Vota abſentium nequeunt ſuppleri, nec abſens ſuum votum alteri committere poteſt aut per Procuratorem votare. ibid. n. 11. Vota Vocalium infirmorum quomodo accipienda? ibid. Votum nemo ſibi ipſi dare poteſt. ib. Vota in Electione Summi Pontificis ſolent calici in altari collocato à votantibus Cardinalibus imponi. p. 75. n. 5. A quibus extrahantur, legantur, & notentur? ibid. Vota ſi ſint paria tentatur electio per acceſſum, & quomodo is fiat? ibid. Et ſi per hunc non ſequatur electio, quid faciendum? ibid.

A. M. D. G.

Digitized by Google

Digitized by Google